11232

Doppis

66
83

QUINQUE PORTICUS MORALES

AD PROBATICAM PISCINAM
MYSTICÆ SANITATIS

TOMUS II.

AUTHORE

F. DIDACO DE LOYA

Augustiniano Hispano Gallæciano, filio almæ Provinciæ Castellæ in Conventu Compostellano.

REFLEXIO, ET CLARIOR SOLVTIO ad dicta in fine Tomi Primi AD LECTOREM.

Obſerva dicta in fine Primi Tomi, quòd NOE, dictus SABUS, fecit in domo Sabinorum illud ſimulacrum TRICEPS, cui inſcriptio SANCTUS, FILIUS, SEMIPATER ſymbolum SS. TRINITATIS. In fine primi Tomi AD LECTOREM, explicabamus, cur dixerit SEMIPATER, cum PATER Æternus ſit completiſſimè PATER; ibi ſolutiones dabamus. At poſteà in mentem venit magis genuina explicatio, hæc eſt. Ibi in fine Tomi Primi dictum eſt, quòd NOE, qui JANUS, dictus eſt SEMI, inde poſteà facilè SEMUS, SEMO; quare ly SEMIPATER non eſt legendum, aut intelligendum *copulativè*, ut una vox, ſed *disjunctivè*, ut voces duę, una SEMI, alia PATER; imò nec eſt ſcribendum SEMIPATER copulativè, ſed SEMI.PATER, puncto intermedio; nam ſic legitur SANCTUS, FILIUS, PATER; ſed quia NOE, qui dictus SEMI, fecit illud hieroglyphicum, ideò appoſitum eſt ly SEMI, ac ſi diceret, SEMI *hoc hieroglyphicum* SS. TRINITATIS *fecit*; ſicut pictores, & artifices ſolent nomen ſuum apponere, ut pateat artifex. Alciatus autem, qui refert illud ſimulacrum *triceps*, accepit, ut invenit, nec rem noſtram à conſilio inveſtigat. Quare in uno capite illius ſimulacri *tricipitis* eſſet inſcriptio PATER, in alio FILIUS, in alio SPIRITUS; *infra* SEMI, id eſt, NOE fecit hierogliphycum, licèt poſt ſæcula longa acceperit Alciatus, ut refert. Hæc expoſitio eſt genuina, & expeditiùs ſolvit difficultatem propoſitam ibi in fine Tomi Primi AD LECTOREM. Vide ibi, & hæc applica, manet res clara. Et quando Apollonius ibi dicit, quòd *Deucalion*, qui NOE, *primus erexit templa* DEORUM, dicit DEORUM ſuo gentilitio more; nam NOE DEO UNI, ET VERO erexit *templum*, ſicut & poſt diluvium ALTARE, ut habetur in Geneſi cap. 8. v. 20.

QUINQUE PORTICUS MORALES

AD PROBATICAM PISCINAM MYSTICÆ SANITATIS

TOMUS II.

Ubi tertia, quarta, & quinta Moralis Porticus, & de portione Rationali, & sensitiva hominis. De Passionibus. De Virtutibus in genere per Herculis hieroglyphicum. De Virtutibus in specie per duodecim pretiosos lapides in Rationali summi Sacerdotis, & in fine plura pro juventute studiosa, & omnia ex literis sacris, & profanis pro uberiori eruditione.

AUTHORE

F. DIDACO DE LOYA

AUGUSTINIANO

Hispano Gallæciano, Diocesano Aurien si, Amiadosensi in Allariniâ ditione, Sacræ Theologiæ Magistro; olim Regente Theologo Salmanticensi; in Regiâ, & publicâ Neapolitanâ Academiâ, nunc in Cathedra Philosophiæ Moralis, & Politicæ primario, ex publico in eâdem Sacrorum Bibliorum interprete.



NEAPOLI, Ex Hæredibus quond. Francisci Layno MDCCXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.



S. MONICÆ.

PHILOSOPHÆ, AURORÆ MYSTICÆ, SOLIS ECCLESIÆ AUGUSTINI PRÆNUNCIÆ, ejusdem DUPLICITER MATRI,

ET PHILOSOPHÆ, CIVILI, POLITICÆQUE

EXCELLENTISSIMÆ

AURORÆ

SANSEVERINO

DUCISSÆ DE LAURENZANA.



Anant Poeticæ philomelæ AVRORAM materialem ; Hesiodus eam dicat Hyperionis, ac Thiæ filiam, Solis, & Lunæ sororem ; digitos ei roseos in aureà sede tribuat Homerus, in curru à quadrigis rubentibus vehi solitam, cantet Mantuanus cygnus ; à Pegaso alato equuo vehi, intonuerit Lycophron; ex Occeano tanquàm Solem, & reliqua astra surgere, in hymno ad Mercurium sit modulatus Homerus;

ex Aſtræo quatuor proles Argeſtem, Zephirum, Boream,& Notum peperiſſe,ex Heſiodo in Theogonia narret Apollodorus; gratam cunctis harmonizet Orphæus. Qui Mæonia, ſive Caſtalia,& Phæbæa carmina dicarunt *materiali*, ſive *phyſicæ* AURORÆ, AURORÆ *myſticæ* MONICÆ Sanctæ, prænunciæ AUGUSTINI Solis Eccleſiæ, Jure lepidiora,ſuaviùſque nectarea cantaſſent, canorà harmonià fundendo ab ore melos, in dulceſque vocem flectendo modulos, non jàm Pieria, ſed cæleſtia cantica darent, vel ſic debuiſſent muſicam feſtivè conſonam, & reſonam, modulari lætantes. S. MONICAM dixeris AURORAM, & non ſine RORE, quià crebro oculorum fletu duplicitèr mater AUGUSTINUM, quem cum dolore pepererat mundo, poſteà copioſo lachrymarum ſemine peperit Cœlo. Verè MONICA AURORA; ſi enim AURORAM *phyſicam* cantarunt Hyperionis, ac Thiæ filiam, ad innuendum, quòd *divinà bonitate* ſic ſtatuente, lux è Sole ad nos emanat, & ideò indicarunt, lucem à divinà bonite, & à Sole ad nos venire, & hos dixere parentes lucis, ergo MONICA AURORA, quià & divinæ bonitatis filia, & cujus ſanctitas, ut lux, à divino Sole eſt. MONICAM AURORAM probant *roſei digiti*; hos in ſenſu poetico adſcripſit Poeſis AURORÆ *materiali*, nos in ſenſu myſtico,& non fabnlosè, eos veneramur in AVRORA *myſticà* MONICA. Digiti in ſacris chartis ſignant Spiritus Sancti dona, itèm varias virtutes, tàm morales, quàm Theologicas; ergo AVRORA *myſtica* MONICA, *roſeiſque digitis*, & quià virtutum ornamento pulchra, & donis Spiritus Sancti roſea. Ipſa ſedet AURORA in *aureà ſede*, quià virtutes habuit ſtabili in charitate firmas. Incurru à quadrigis rubentibus AURORAM *phyſicam* vehi ſolitam modulabatur Virgilius; at ſine fabulosà phraſe *currus* in literis ſacris *devota*, & *ferventia deſideria*, quibus juſti vehuntur ad Cœlum, indicat; idque currus Eliæ ſignat; *quadrigas* dicas quatuor

Car-

Cardinales virtutes; *color rubeus*, quia accensus, *charitatẽ* ex Theologicis virtutibus symbolicè signat. Velum *physicæ* AURORÆ *aureum*, MONICA est AVRORA *mystica* veræ sapientiæ velo; aurum enim ex metallis symbolum est sapientiæ, & velum index fœmineæ modestiæ. Ergo MONICA *mystica* AVRORA, quià in curru cœlestium desideriorum ad Cœlum est vecta à quadrigà rubente quatuor virtutum Cardinalium, quibus Theologica charitas erat auriga, valor, & formà AURORAM *physicam* à Pegaso equuo alato vehi, est modulatus Lycophron; & hùc illud AURORÆ symbolum, nempe puella alata, colore croceo, sive roseo, aut dicas purpureo, item pallido, sive aureo velo, in cujus manu lucerna, supràque Pegasum equum alatum ipsa puella sedens; eam sìc depinxit Eustachius, commentans Homerum. Sìc depingunt & alii alatam, colore roseo, pallido, sive aureo velo, sed quæ in brachio sinistro canistrum plenum floribus tenet, in sinistrà manu facellam, flores spargit dextra. Alludunt hæc ad lucem, velocitatem, & colores AURORÆ, quando germinant flores; tùnc Clhoris viget, tùnc Zephyri pulcherrima conjux Flora regnat, quià tùnc AURORA flava, serena, crocea floribus vireta, & arva coronat. In Pegaso equuo alato AURORAM physicam vehi Poesis intonuit, & propter velocitatem, qua assurgit, & ad indicandum, quòd favet AURORA Poetis; tùnc enìm viget organizatio ad carmina, tùnc Poeticum numen agitatur, tùnc volucre, tùnc pennatum afflatur ingenium, tùnc Pierium Apollineum studium fervet; ideò AURORA dicta *grata Musis*, quià tùnc Musarum studium, tùnc Musarum fœtus; ideò etiam dicta AURORA, quià AVIUM HORA, tùnc enim pennigeri greges concentibus æthera mulcent, & item tùnc ingenia, quorum symbola aves, harmonicos intellectualitèr, & elevatos conceptus efformant. Cum nomine Musarum intelligantur scientiæ, & ingenia, certè

AU-

AURORA grata Musis, & avium etiàm intellectualium HORA, quià favet, ad capessendas scientias, ingenia expedit, ideòque *AURORÆ* tempore sunt studentium, & litteratorum studia optima; ergo S. Mater MONICA AURORA, *quià* alata, *quià* in pennato Pegaso vecta, *quià* grata Musis, *quià* avium HORA. *Cur* alata? quià ingeniosa. *Cur* in volucri Pegaso vecta? quià in ingenii sublimis acumine (Pegasus enìm alatus signat ingenium) ad alta contemplanda attollitur. *Cur* grata Musis? quià adamavit scientias. *Cur* avium HORA? quià cum MONICA aderat, tùnc avium intellectualium cantio disputativa mulcebat. An sic? S. P. AUGUSTINUS docet: qui (libro 2 de Ordine cap. 16. Tomo 1.) MONICÆ *peregrinum INGENIUM* prædicat; cum enìm ibi ageretur de rebus litterariis, & studiis liberalibus, & de difficultatibus arduis, sic MATREM alloquitur: *Nec te*, quæso MATER, hæc ve-
„ luti rerum quædam immensa sylva deterreat. Ete-
„ nim quædam eliguntur de omnibus numero paucis-
„ sima, id est, potentissima, cognitione autem multis
„ quidem ardua, TIBI autem, cujus INGENIUM
„ quotidie mihi NOVUM est, tàm erunt facilia, quàm
„ difficilia tardissimis, miserisque *viventibus*. Hæc Pater Augustus, in quibus clarè Sanctæ matris suæ MONICÆ commendat INGENIUM *novumque* quotidie dicit, id est, *peregrinum*, & quòd quotidianis disputationibus ipsius cum ipsà, & aliis, acutiori scintillatione splendebat ut lancea acuminata Minervæ. Jàm autem idem S. P. AVGVSTINVS (in eodem libro 2. de Ordine cap. 1.) prædixerat ità: Interpositis deinde pau-
„ cis diebus venit Alipius, & exorto Sole clarissimo,
„ invitavit Cœli nitor, & quantum in illis locis hye-
„ me poterat blanda temperies in pratum descendere,
„ quo sæpiùs, & familiariùs utebamur. Nobiscum erat
„ (de suà S. Matre MONICA loquitur) MATER
„ NOSTRA, cujus INGENIUM in res divinas im-

„ flam-

„ flammatum animum, cum anteà convictu diuturno,
„ & diligenti consideratione perspexeram ; tùm verò
„ *in quadam DISPUTATIONE non parvæ rei*,
„ quàm de natali meo convivis habui, atque in libel-
„ lum contuli, *tanta mihi MENS ejus* (nempe MO-
„ NICÆ MATRIS) *apparuerat*, ut nihil aptius *veræ*
„ PHILOSOPHIÆ videretur. Itaque instituerant,
„ cum vacaret ocio, agere, *ut colloquio nostro non deesset*. Hæc aureus filius pro almâ matre. Concurrebant autem ad DISPVTATIONEM illam Alipius, Licentius, Navigius, Zenobius, Trigetius. In *DISPUTATIONE* agebatur, ordinem esse, per quem Deus agit omnia, & quo ordine agit, & quòd deformia etiàm faciunt ad universi decorem ; *ibi* explicabatur, quòd est mens sapientis immobilis ; *ibi* erat disputatio de vità beatà ; *ibi* explanabatur, quòd lex in Deo disciplina est vitæ ; *ibi*, quomodo paretur eruditio, & quàm utilis sit, & quomodo studiosi erudiri debeant, nempe authoritate, & ratione ; *ibi*, quòd vitæ præcepta pauci assequuntur ; *ibi*, quid inter rationale, & rationabile interfit ; *ibi*, quod omnium disciplinarum excogitatrix est ratio ; *ibi* conferebant de occasione vocabulorum, literarum, syllabarum, historiæ ; *ibi* de Grammaticà, Rhetoricà, Dialecticà, de definitione, divisione, collectione, nos nuncupamus de deffinitione, divisione, & argumentatione ; *ibi* de Musicà, de triplici sonò, de sonis tragœdis, comœdis, & choris ; *ibi* de studiis liberalibus, & disciplinis agebant, & quòd intellectum ad divina efferunt ; *ibi*, quòd disciplinis non instructi non attingant arduas quæstiones ; & tamen cum relata sint ardua, S. Matrem MONICAM, quià pollentem *INGENIO*, ad has disputationes assistere, *AUGUSTINUS* voluit ; qui de *Grammmaticà* loquens dicebat ibi *MONICÆ MATRI* sic : *Ità GRAMMATICÆ divinam vim & naturam agnoscis, ut ejus ANIMAM* tenuisse, *CORPUS* verò (nempe Grammaticæ) *dissertis*

tis reliquisse videaris. Ergo *MONICA AURORA* mystica *alata*, quià acuminato *INGENIO* velox, & sublimis; *ipsa* in Pegaso alato volans, quià in alato ingenio se elevans, & in ingenio veloci ad superiora vecta; *ipsa grata Musis*, quià PHILOSOPHA *vera*, *quià* chara scientiis, & *quià* ad spiritualia carmina numina, & Musas Poetarum excitat; *ipsa avium HORA*, quià expectavit *Augustinus HORAM*, qua ipsa abundaret ocio, ut *disputationibus*, & *collationibus* Augustini, Alipii, Navigii, Licentii, Zenobii, Trigetii assistere posset; cum ipsa adfuit ingenii face, & ex mentis canistro doctrinæ flores spargens, tunc fuit HORA, qua laudatæ intellectuales, & rationales aves cum literario concentu, & intellectuali melodià harmoniam dulcisonam eructarunt; Ergo AURORA mystica *alata MONICA*, *quià* cum ista adfuit, tunc fuit *HORA grata MUSIS*, tunc & fuit *avium HORA*.

Fuit tunc *avium HORA*? Ergo AURORA.

Cùr jam ex Apollodoro memorem fabulosos *quatuor physicè* AURORÆ filios Argestem, Zephyrum, Boream, & Notum? *Quatuor* Cardinales virtutes sunt nostræ mysticæ AURORÆ animæ soboles; si autem musicas symphoniarum rationes numerus quaternarius continet, ex relatis quatuor virtutibus inferas in *MONICÆ* animo spiritualem symphoniacam musicam, sed & hoc *mysticam* probat *AURORAM*; an sine cœlorum musico concentu ad nos veniat *physica AURORA*? Ergo si primum hujus lucubrationis tomum dicaram Magno Patri *AUGUSTINO*, Ecclesiæ SOLI, & sacro Musarum, sive scientiarum præsidi, non fabuloso, sed mystico Apollini, qui suà sapientià eas influit in omnes, cur tomum istum non sacrassem *MONICÆ* almæ, *AURORÆ* mysticæ, gratæ *MUSIS*, avium *HORÆ*, & *mystici* illius *MATRI* prænunciæ *SOLIS*? si unum munus obtuleram *PATRI*, cùr non sacrarem aliud *MATRI*? Quòd si in dedicatoriis epi-

sto-

ſtolis *protectio* quæritur, ubi, quàm in meo ſpirituali *PATRE*, certior? ubi, quàm in meà myſticà *MATRE*, amantior? Ergo ne lucubrationes noſtræ ſederent in tenebris, cùr non miſsiſſem ad *AURORAM*, *& SOLEM*?

AD EXCELLENTISS. POLITICAM

AURORAM

SANSEVERINO

CONSOLATORIA EPISTOLA IN TRIUM *FILIORUM OBITU.*

SEd ſi ſpirituali protectione præmiſsà, civilis, & politica etiam advocata accerſiri ſolet, ut iſtam operi adjicerem, ecce in Parthenopeà ſphærà rutilat *AVRORA S. SEVERINO*; *AVRORA alata*, quià volucri ingenio prædita; *ipſa* in pennigero Pegaſo vecta, quià *POETISSA*, & quià veloci ingenii acumine ad ſuperiora dubia literaria examinanda volat. *Ipſa* grata Muſis, quia PHILOSOPHA. *Ipſa* avium Hora, quia literarum Mecœnatiſſa ſtudioſi, literati, & POETÆ excitat ingenia, & ad cantus Palladeos, harmoniamque literariam, & Academicam in viridariis, & arboretis Minervæ, philomelas ſuà protectione roborat. *Ipſa* item avium Hora, quia cum ipſa favet, tùnc literatos Muſa fovet. *Ipſa* cum *face* doctrinæ, & virtutis, & quià initium ſapientiæ eſt timor Domini, hìnc eius lux clarior, & lucidior, quià fovetur charitatis oleo. AURORA *phyſica* colore *roſeo*, & velo *aureo*, ſive *pallido* figuratur, hæc in animo *politicæ* Neapolitanæ AURORÆ; ſi enim iſti colores ſunt *charitatis* ſymbola, colorem animi roſeum, & aureum

te-

testa ntur eleemosynæ ; tunc tibi *rosei* charitate digiti ; tunc *rubeus* currus , in quo ad cœlum via ; tunc è canistro facultatis misericordiæ , & pietatis spargis flores . Velum AURORÆ *physicæ* effingitur *pallidum* ; si velo *physicè pallido* non uteris , saltèm servitutis tuæ *pallida*, sive *aurea* LIBREA indicat , quòd civili AURORÆ servit,& quòd in palatio tuo *politica* vivit AURORA. At civilẽ apparatum glossare (etiam *honestè*) viderint profani ; ad me sola *literaria* , & *cœlestia* pertinent , quià & etiam hæc sola tibi placent . Scurrilia abhorres , nam & color *purpureus* AURORÆ *physicæ* in te AURORA *politicà* indicat majestatem animi . Te vera Philosophia docet, quòd sæculi pompæ , gentilitia insignia abeunt ut fumus ; sola virtus nos comitatur etiam post fata fida soror . Hodie videris catacumbas , quæ aliquando eminebant Capitolia ; ubi hodie palmæ , cras funebres pini ; ubi hodiè cedri libani , cras lugubres cypressi ; ubi hodie philomelæ canentes , cràs turtures gemitantes , & ex metropoli magnà cràs solos videmus campos , ubi fuit Troja . Rosæ pulchritudinem una dies aperit , conficit una dies ; ipsa *physica* ; quæ manè coruscat , citò fugax disparet AURORA ; effingitur *alata* , & in *alato equuo* , quia celer abit, volat . Gratulor , quià *spiritualia* te tenent , & Philosophia te occupat ; hæc Præficas non accersunt , Epicedia non optant, Libitinæ apparatus non inquirunt, quià colum , fusum , & forcipem Parcarum non metuunt. Te in curru Palladis sicùt in cathedrà *philosophantem* cygni canant Helyconii ; carmine enim esse dignum *fœminas* videre PHILOSOPHANTES , Ecclesiæ Doctor Pater subscribit AVGVSTINVS ; libro enim 1. de ordine cap. 11. tom. 1. narrat disputationes, & studiosa colloquia cum Zenobio, Licentio, Alipio , Navigio fratre,& Trigetio; S. MONICAMQUE matrem interrogasse , *an liceret* FOENINIS PHILOSOPHARI ; refertque sic: *Interea* MATER (nempe MONI-

„ CA)

„ CA) ingreſſa eſt , quæſivitque à nobis , *quid promo:*
„ *viſſemus*, nam & QUÆSTIO *ei erat* NOTA , cu-
„ jus ingreſſum , & rogationem cum ſubſcribi noſtro
„ more juſſiſſem , QUID AGITIS , inquit , *nunquid*
„ *nam in illis , quos legiſtis LIBROS , etiam* FOE-
„ MINAS *unquam audivi in hoc genus DISPVTA-*
„ *TIONIS inductas ?* Cui ego (reſpondet MONICÆ
„ matri filius AUGUSTINUS) ſic: *Mei* autem LIBRI
„ ſi quorum fortè manus tetigerint , lectoque meo no-
„ mine , non dixerint , *Ite , quis eſt iſte* , codicem-
„ que proiecerint, ſed vel curioſi, vel nimiùm ſtudioſi,
„ contempta vilitate hominis , intrare perrexerint,
„ ME TECUM, MONICA mater , PHILOSO-
„ PHANTEM *non moleſtè ferent*; nec (addit) quem-
„ quam iſtorum , quorum meis literis ſermo miſcetur,
„ fortaſsè *contemnent* . Et paulò infrà adiicit Sanctus
„ Pater matri ſic : *Nec* deerit mihi , crede , tale homi-
„ num genus, *cui plus placeat hoc ipſum* , quia mecum
„ PHILOSOPHARIS, quàm ſi hìc aliud aut iucundi-
„ tatis, aut gravitatis invenerit . Nam & FOEMINÆ
„ *ſunt apud veteres* PHILOSOPHATÆ, & PHILO-
„ SOPHIA *tua mihi plurimum placet* . Nam ne quid
„ MATER ignores, hoc GRÆCUM verbum , quod
„ PHILOSOPHIA nominatur , *latinè* AMOR SA-
„ PIENTIÆ dicitur . Unde etiam divinæ Scripturæ,
„ quas vehementer amplecteris , non *omnino* Philoſo-
„ phos, ſed Philoſophos *huius mundi* evitandos, atque
„ irridendos eſſe, præcipiunt . Nam quiſquis *omnem*
„ PHILOSOPHIAM *fugiendam* putat, nihil nos vult
„ aliud, *quàm non amare Sapientiam* . Contemnerem
„ te igitur in his literis meis, *Si Sapientiam non ama-*
„ *res*; non autem contemnerem , ſi eam *mediocritèr* a-
„ mares; multò minus, ſi tantum, quntum ego, amares
„ ſapientiam . Nunc cum eam multò plus diligas , ego
„ me non libenter TIBI DISCIPVLVM *dabo?*

„ Hæc omnia S.P. Auguſtinus, in queis laudat PHILOSOPHANTEM matrem MONICAM, & FOEMINAS debitè PHILOSOPHANTES; ergo cùr PHILOSOPHANTEM *politicam* AURORAM SANSEVERINO, ut *nobiles fœminę* ad *debitè* PHILOSOPHANDUM excitentur, ſine Doctricis laureà præterire paterer? Hìnc es AURORA, quia MUSIS grata. Cum PHILOSOPHARIS, eſt avium intellectualium, tecum philoſophantium, HORA; ergo & hìnc AURORA.

Cùr jàm memorem ex Fulgentio FOEMINAS eruditione coronatas, literarum ſplendore glorioſas? Cùr THESELIM Argivam doctiſſimam FOEMINAM, ſicùt & HYPPARCHIAM? Cùr DAMOPHILAM comitem Sapphi in doctrinà? Cùr ARETHAM, quæ Ariſtippi patris dogmata Socratica ſecuta, patre defuncto, *PHILOSOPHICAM* plauſu rexit *SCHOLAM*? Cùr ARGENTARIAM POLAM uxorem Lucani, tali præditam ingenio, ut eo è vivis erepto, cœptos à Lucano verſus æquà gravitate coronaverit? Cùr CORNIFICIAM Romanam puellam, quæ (imperante Auguſto) par Cornificio fratri eſt decantata in omni Poeticæ genere? Cùr SULPITIAM à Martiali celebratam, quæ carmine heroico Domitiani tempora flevit? Cùr ILDEGARDAM Germanicam, ingenio, eloquentià, & rerum ſcriptarum magnitudine præclaram? Cùr jàm miremur, quòd Athenienſes, multarum prudentiam *fœminarum* obſervantes, ſtatuerint, quòd in rebus attinentibus ad Senatum, *fœminæ* etiàm ſententiam dicerent, ac ſi Senatorià dignitate gauderent? Qui politicam AURORAM SANSEVERINO audiret *Poetiſſam*, & *Philoſophantem*, cur illas ãbiret audire *Poetiſſas*, *& philoſophãtes fęminas*? Si literæ in plebejo ſunt argentum, in nobili aurum, in Principe gemmæ, in fœminà clientelæ principe quid erunt?

erunt? *Sol?* saltèm (*quià Aurora est gemmarum margaritarum mater*) *politica* AURORA erunt.

Doles, quòd sis AURORA cum *RORE*, in continuo fletu pro *trium filiorum* obitu; at sine *RORE* quomodo AURORA esses? Si inter *physicæ AURORÆ* epitheta sunt, quòd sit *aurea, flava, rubicunda, serena, pulchra, clara, rosea, candida, crocea*, etiam sunt, quòd sit *lachrymosa, humida, roscida*, ergo quomodo sine lachrymis, sine oculorum humido *RORE politica* esses *AURORA*? Sis *AURORA* cum *RORE*, non enim est sinè *RORE* aliqua *AURORA*; at cum *RORE* oculorũ *ex spirituali gaudio*, non ex *dolore*. Aliud est *physicæ AURORÆ* epithetum, quòd sit *prævia, nuncia, & prænuncia SOLIS; fulgent* (est scriptum) *justi in COELO sicùt SOL in perpetuas æternitates*; tria tui pignora cordis, ex Christianà dispositione prævià *piè* opinamur, sunt ad *COELUM* trãslata; si ibi, coruscant ibi ut *TRES SOLES*; ergo si talis *AURORA* es, quæ *TRES SOLES* (*piè* ex divinà pietate auguramur) in *COELO prænunciasti*, cùr *DOLEAS*?

Alitèr *AURORA* non esses, si non fuisses prænuncia, nuncia, & prævia *SOLIS*; *AURORA physica* unicum *SOLEM* prænunciat, tu (*piè* à Deo speras) *SOLES* prænunciasti in Cœlo *TRES*, ergò *physicam* excedis *AURORAM*; ergò *roscida AURORA* sis, sis AURORA cum *humido* oculorum RORE, at ex *jubilo*, & *spirituali lætitiâ*, non ex anxietate, & dolore. SOL materialis *primo* die est creatus in terrà, die *quarta* fuit translatus ad Cœlum *quartum*; TRES SOLES *tui* sunt geniti in terrà, in visceribus tuis; tempore statuto sunt translati (*piè* ex divinà clementià, & eorum ad æternitatis viam Christianà præparatione fidis) ad EMPYREUM, si ita, rutilant in eminentiori throno, quàm sit SOL materialis in suà sphærà; ergo si (*piè* confidis) SOLEM materialem calcant, & coruscant in eminentio-

tiori ſolio, & ſplendidiori ſede, cur AURORA ſis *ex prolixà anxietate* cum RORE? Genuiſti tibi Oratores apud Deum; orant, optant, te expectant (*piè* fidis) coronati, ut ibi MATER (*Dei* auxilio) cum ipſis regnes; Ergò ope Dei fac, ut ibi videas ipſos, & ſis cum ipſis felix. Duciſsam te reliquerunt in terris, & Regnantem te cupiunt in Cœlis. Non ſunt mortui, ſed translati, ſemper (piè ſperas) victuri, & non morituri in æternum. Præierunt, ut tibi pararent ſedem. Hoc flere debuiſſes, illos reliquiſſe in ſœculo; mater ſeptem martyrum Machabæorum gaudebat, quòd ptærirent; fleret, ſi manerent. AURORA *myſtica* MONICA erat cum copioſo oculorum RORE, at pro filio *ſpiritualitèr defuncto*; quando Mediolani operà D. Ambroſii converſum ad fidem vidit *ſpiritualitèr vivum*, fuit AURORA cum RORE, at ex jubilo, cum tamen AUGUSTINUS, quià degens in terris, cœleſti adhùc non eſſet in portu. Filii tui (*piè* confidis) jàm *ſpiritualitèr* in perpetuum vivunt, ergò ſis AURORA cum RORE, at ex *ſpirituali* ZELO. AURORA, AURA, ARA, RORA; Si ſis AURORA *cum ſpiritus divini* AURA, tùnc eris *divini ſpiritus* ARA, tùnc & *ex jubilo ſpirituali RORA*. Non negaverim naturæ jura materna; ipſa AURORA *phyſica* non ſemèl inter matutinos nimbos, aquarum dilluvia, turbineſque fluctuat, at recta ratio dolori modum accommodet. Fleas, AURORA, ſuper te; ſuper nos & fleamus mortales cœteri; tui filii (*piè*) ſunt in tuto, nos fluctuamus in ſæculi Euripo inquieto. Erant Dei pignora, tibi commodata; repetiit Deus, ſolviſti debitum. Non deerunt hæredes terræ, quos tandèm brevis urna teget. Oras, & cum ex tuo ore audivi tuum modum orandi Deum, videbatur mihi, audire *AUGUSTINUM*, qui tomo 2. epiſtolà 121. ad *PROBAM fœminam divitem, & nobilem*, ei modum

oran-

orandi explicat; legas ibi, motiva consolationis invenies; & cum sis *PHILOSOPHA*, in verà *PHILOSOPHIA*, quæ est *MORALIS*, ex mare amaro planctus portum Elysæum quæras. In pag. 1056. hujus tomi, & à pag. 577. usque ad 594. tomi primi *PHILOSOPHIA MORALIS* contrà vulnera tui doloris balsamum moralem subscribit, nectar morale libat. Corrigià *AUGUSTINIANA* præcincta fulges in *ZONA Cœlesti AVRORA*; ubi socia *mystico SOLI AUGUSTINO*, & AVRORÆ *mysticæ* MONICÆ; cum itèm ZONA Augustiniana sit AVRORÆ supremæ MARIÆ V. sub CONSOLATIONIS titulo, quæ est pulchra LVNA, electa ut Sol, vide, quot tibi radios, & CONSOLATIONES accõmodes. Cum ex lachrymis AVRORÆ coallescant *margaritæ*, quæ ideò dicuntur AVRORÆ *filiæ*, si lachrymæ tuæ sint *ex spirituali gaudio*, quià Dei voluntas fuit, & tui filii (ut *piè* fidis) inter choros Angelicos canunt, quot tibi sint *lachrymæ*, tot tibi erunt *spirituales gemmæ*, quibus ornatus spiritus Eoos lapillos, Scythicas, & maris rubri baccas, & munera Ponti spernat. Sic eris *AURORA* cum Cœlesti *RORE*; & ut hoc nostrum litterarium opus esset (saltèm in parte) lectum in MERIDIE, placuit, quòd legi inciperet ab *AURORA*.

V. Excell.

D. O. S.

F. Didacus de Loya Augustinianus Hispanus.

TERTIA PORTICUS MORALIS AD PROBATICAM PISCINAM MYSTICÆ SANITATIS.

Ubi de Passionibus animi, & de earum moderatione.

PROOEMIUM.

Am tertia erigitur Porticus ad Probaticam piscinam mysticæ sanitatis; ubi doctrina de Passionibus animi, & de earum moderatione; moderationemque si ignores, sanitate morali privatus, solas patieris ægritudines, & animi morbos; in lectoque vitii paraliticus jacens, piscinam practicæ virtutis intrare non poteris. Gallo albo abstinendum, *ajebat Pythagoras; id est,* saluti cujusque purissimè favendum; *at si favendum saluti corporis, eò magis sanitati animi. Vide, quid addat:* In nive non scribendum, *id est, stupidis, & mollibus animis nihil committendum, ergo capacem, & paratum optat animum legentis; nec repugnes, nam illud symbolum adijciebat,* converso ad Solem vultu non clamandum, *id est, virtuti, veritati claræ, & rationi non resistendum.*

CAPUT I.

Cùr adhùc in hac Porticu, & duabus succeſſivis miſceamus ſymbola, Ænigmata, Figmenta Poetica, Emblemata, Hieroglyphicà, Proverbia, Parabolas; nempe, ut memoremus, quòd ſic docere fuit apud priſcos methodus, & jus lectoris Magiſtri publici, qui publicam Cathedram regeret. Ubi de Academiis primis.

ILlos publicos, & primos Græciæ magiſtros (inter quos primatum tenet Homerus) ſub figmentis Poeticis involuiſſe Philoſophiam, & Aſtronomiam, ſicut & quæ Theologica conciperent, mediocritèr erudito eſt notum, ut ideò in Græcià priùs fuerint Poetæ, quàm hoc nomine Philoſophi.

Poſteà Philoſophià incœpit explicari ſine involucris Poetarum, ſed non ab omnibus ità, ut nulla fuerit ultrà arcanica tradendi methodus, nam Pythagoras ſub ſymbolis difficilibus Moralem Philoſophiam involuit; & quidem ſunt ſymbola, in quibus cum utilitate morali acutum jucundè exerceatur ingenium.

Pythagorica ſymbola dedimus circà finem primæ Porticus; alia explicanda à pag. 1237. alia in diſcurſu operis, alia in fine hujus tomi 2. poſt indicem.

Ergo ſub *Poeticis involucris*, & ſub *ſymbolis* arcanicis erudire, apud illos publicos, & principes Magiſtros Græcos fuit in more.

Quantum ad PARABOLICAM methodum accipimus ex D. Hieronymo lib. 3. *comment.* in caput 18. Mathæi, quòd *familiare eſt Syris, & maximè Palæſtinis, ad omnem ſermonem ſuum PARABOLAS jungere, ut quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per* SIMILITUDINEM, EXEMPLAQUE *teneatur*. Hæc D. Hieronymus, & quidem per ſimilitudines, & exempla doctrina clarior datur, ſuaviùs percipitur, & firmiùs fixa in mentibus auditorum radicatur. Salvator docuit per PARABOLAS, ex quibus aliquas invenies in opere iſto breviter explicatas, omnes invenies ſacris in Evangeliis.

Si ad methodum *hieroglyphicam*, & *Ænigmaticam* attendas, eam invenies in more apud priſcos illos primos magiſtros orbis Adamum, ex quo apud illos antediluvianos, & NOE, & illas duas columnas hieroglyphicis plenas lateritiam unam, lapideam aliam, ut Academiam publicam, erectam ab Adamo per filios, diximus in primà porticu. Et NOE poſt diluvium ſic docuit *Abrahamum*, qui & Ægyptios. Obiter (quià conſonant dictis circà finem primi tomi, in articulo penultimo) non omittam, quæ de NOE ſcribit Beroſus lib. 3. Antiquitatum ſic: „ *Tunc* ſeniſſimus omnium pater NOE, „ jàm anteà doctos Theologiam, & ſacros ritus, cœpit etiàm eos erudire „ humanam ſapientiam; & quidem multa naturalium rerum ſecreta manda- „ vit literis, quæ ſolis Sacerdotibus Scythæ, & Armeni commendant; ne- „ que enim fas eſt ea ulli inſpicere, aut legere, vel docere, quàm ſolis Sa- „ cerdotibus, & inter Sacerdotes duntaxat, ſicut & quos rituales libros reli- „ quit. Docuit item illos aſtrorum curſus, & diſtinxit annum ad curſum „ Solis, & duodecim menſes ad motum lunæ, qua ſcientia prædicabat illis „ ab initio, quid in anno, & cardinibus ejus futurum contingeret; ob quæ „ illum exiſtimaverunt divinæ naturæ eſſe participem, ac proptereà illum „ *Olybama*, & *Arga*, id eſt, *Cœlum*, & *Solem* cognominaverunt, & illi „ plures Civitates dedicaverunt. Cumque iviſſet ad regendum *Ketim* „ (alii legunt *Cetim*) quam nùnc ITALIAM nominant, deſiderium ſui re- „ liquit Armenis, ac proptereà poſt mortem illum arbitrati ſunt in animam „ Cœleſtium corporum translatum, & illi *divinos honores* impenderunt. Et

„ ob

„ ob id solùm *hæc duo regna*, ARMENUM quidem, quià ibi cœpit, ITA-
„ LICUM verò, quià *ibi finivit*, *& docuit*, *& regnavit*, *naturaliumque*,
„ *ac divinorum*, quæ eos erudivit, libros pleniſſimè conſcriptos illis reliquit,
„ illũ *venerantur*, *&c.* Moyſes, prophetæ, David plura arcanicè docuerunt.

Fuit Salomon *eloquentiæ virtute* admirabilis; *in Poeſi*, atque *Muſicæ* clariſſimus; *Dialecticus* ſubtiliſſimus; fuit obſcuriſſimorum *ænigmatum* propoſitor; & ejus *Ænigmata* multum habuerunt Sapientiæ; ut ideò Regina Saba (ut habetur lib. 3. Reg. cap. 10.) auditâ famâ Salomonis, venerit tentare eum in *Ænigmatibus*; at Salomon erat non ſolùm propoſitor, ſed expoſitor acutiſſimus *ænigmatum*; & cum ænigmata propoſita à Regina Saba (ut inquit Pineda lib. 5. de *Rebus Salomonis* cap. 14. pag. mihi 405. col. 1.) eſſent diuturnâ præmeditatione inventa, & non vulgaris materiæ, neque jucundæ tantum, qualia erant illa *convivalia* (de quo diximus pag. 371.) *ænigmata*, ſed eſſent de obſcurioribus, & reconditioribus rerum naturis, de Aſtris, Cœlo, Mundo, ac de illis potiſſimùm, in quibus ſacræ literæ commendant Sapientiam Salomonis, de lignis, herbis, radicum virtutibus, volucribus, reptilibus, piſcibus, &c. tamen non fuit ſermo Reginæ Sabæ, qui Salomonem lateret, & cui non reſponderet Salomon. Ipſius autem Salomonis *ænigmata* erant repleta graviſſimis ſententiis, & ſimilitudinibus, & comparationibus ductis ex occultis rerum proprietatibus; unde in *Eccleſ.* cap. 47. v. 16. legitur de Salomone *Terram retexit* (id eſt revelavit, naturas rerum explicavit) *anima tua*, *& repleſti* (terram, nationes univerſas) *in comparationibus ænigmatum*, *in cantilenis*, *& proverbiis*, *& comparationibus*, *& interpretationibus miratæ ſunt terræ*. Euſebius lib. 11 de præparatione Evangelica cap. 3. dicit, quòd hæc pars componendi, & interpretandi ænigmata pertinebat ad ſcientiam *rationalem*, id eſt, erat *pars Logicæ*. Nec fuerunt *ænigmata* tantùm apud Hebræos, ſicut apud profanos, in uſu in *conviviis*, ſed etiam per *epiſtolas*, & in aliis *diſputatoriis congreſſibus*; quare Prov. cap. 1. v. 6. *celebria ſunt illa Sapientum ænigmata*, quaſi illa eſſet frequentiſſima ſapientum exercitatio, & illud quaſi certamen gymnicum, quod cum eſſet *certamen ſapientiæ*, ideſt propter Sapientiam initum, dicebatur *certamen loquelæ*; quare Sapientiæ cap. 8. v. 18. legimus. *In certamine loquelæ illius Sapientia*. Ænigmaque dictum eſt *ab acumine*, quia erat acutum, & argutum; ſignificat etiam *lætari*, & *gaudere*, quià in congreſſu certamen ænigmatum erat lætiſſimum. At enigmata Salomonis (ut dictum) non conſtabant materiâ jocosâ, & lætâ, ſicùt *convivalia*; ſed erant de rebus *ad abditas naturas* cognoſcendas, vel ad *mores* ſpectantibus, ideòque de Philoſophia *Naturali*, *& Morali*; ut ideò pag. 369. dixerimus de Philoſophiâ *Morali ænigmaticâ*, ut innueremus, quòd etiam ſub *ænigmatibus* eſt tradita, & occultata *Moralis* Philoſophia.

In *Phyſicâ* igitur materiâ, ſive in Philoſophiâ *Naturali* conſtabant *Parabolæ*, & *Ænigmata Salomonis*; quare lib. 3. Regum. cap. 4. v. 32. habetur, quòd Salomon diſputavit *à Cedro*, *quæ eſt in Libano*, *&c.* *&* *de jumentis*, *&c.* Quæ autem Salomon diſputabat in *phyſica* materia, ſimùl accommodabat ad *Mores*, ſive ad Philoſophiam *Moralem*; nam per ſingulas *rerum naturalium proprietates* indicabat ſingulas *animorum affectiones*, more illius arcanicæ Ægyptiæ hieroglyphicæ. In *ænigmatibus* eſſet *tropica* locutio, ſive Oratio *figurata*, qua diſcuſſa perveniretur ad intellectum, qui in *ænigmate* latitabat.

Fuit tandem Salomon peritus hiſtoriæ, Parabolarum, quas Hebræi appellant *Miſle*; & ex ipſa vocis proprietate ſignificant ſententias quaſdam plenas ſapientiæ, difficultatis, acuminis, auctoritatis, & quaſi poteſtatis. Atque

adeò

adeò parabolarum componendarum scientia apud viros sapientissimos fuit; apud quos erat potestas, & auctoritas dicendi per *Parabolas*, & per gravissimas quasdam sententias, quæ possent dici *Dignitates*, vel *Potestates*. Sic enim verbum originale *Masal* significat dominari, aut potestatem exercere, tanquàm Principem, cujus consiliis se populus adtemperat, & componit. Et qui *publicum* docendi *munus* ex auctoritate *publicà*, & sapientiæ prærogativà (sicut nunc Doctores, & moderatores Cathedrarum publici in Universitatibus literarum, sive in *publicis* studiis, & Academiis) fungebantur, hi proprio nomine apud Hebræos dicebantur *Mosselim*, id est, *parabolizantes*, aut *Parabolizatores*, vel *Proverbiatores*, ut Num. 21. v. 27. *Idcircò dicitur in proverbio*, &c. propriè ex Hebræo vertit Vatablus: *Parabolantes, vel qui Ænigmata usurpare solent, auctoresve Parabolarum, vel historici scriptores*. Pagninus: *Qui Parabolas scribunt*: Regia, *Parabolizantes*. Quarè proprio etiam nomine verterunt septuaginta *Ænigmatistæ*. Item lib. 1. Regum. cap. 24. v. 14. ubi nos habemus, *Ideò dicitur in Proverbio antiquo*, Chaldæus legit, *Dicunt assimilatores*: Vatablus, *Parabola auctoris antiqui*: Pagninus, *in Proverbio antiquorum*; notans antiquos sapientes, penes quos jus, & *publicum* munus fuit docendi populum per *parabolas*. Sed res manifestior Ezechielis cap. 16. v. 44. *Omnis, qui dicit vulgo Proverbium, in te assumet illud*: propriè in Originali est: *Omnis parabolizator parabolizabit super te*. Ubi intellige, non quemcumque è vulgò esse potuisse *Parabolizatorem*, sed peculiares quosdam Magistros proposuisse vulgo *parabolas*, ut scribit Philo lib. 3. *de vita Moysis*; & in libro, *quòd omnis probus liber sit*. Hi dicebantur Doctores symbolorum, & parabolarum. Uno verbo erat jus lectoris, sive Magistri *publici*, sicut nunc sunt Academici, *arcanicè* dicere; ideò ergo *arcanicè* dicendum, ut morem antiquum commemorem; explicabo etiàm clarè arcana, ut tempori nostro serviam.

CAPUT II.

De Hieroglyphicis duplicis, superioris nempe & inferioris, portionis hominis, & passionum portionis inferioris, ex literis sacris, & profanis.

CUm Passiones, de quibus agendum, sint *Passiones*, quas patitur homo, & quæ sunt affectus portionis inferioris hominis, prævenimus, Hominem esse *Animal rationale*, sive constare *animà*, & *corpore*; unde sponte clarescit, quòd duplex sit portio hominis; una *Rationalis*, quæ est *superior*, alia *Animalis*, sive sensitiva, & corporea, quæ est *inferior*, & communis brutis, quæ sunt etiam animalia sentientia; licèt in nobis talis pars habeat posse dirigi à Ratione, à quo privilegio bruta sunt penitùs aliena, cujus rei hieroglyphica in literis sacris, & profanis habemus.

Ut sacras debito jure veneremur literas, ab ipsarum aureis filis incipiamus ordiri telam. In Genesi cap. 1. v. 27. legimus, quòd Deus cum creavit hominem, *Masculum, & Fœminam fecit eos*; in sensu literali Adamum, & Evam; at in sensu morali *Masculum, & Fœminam* fecit eos, id est *spiritum, & carnem*; quare *vir* est symbolum Rationis; *fœmina* est symbolum carnis, quæ debet esse subdita viro, nam *Caput mulieris vir*, docente Paulo.

Item in Genesi cap. 15. v. 9. legas, Deum sic Abrahamo præcipere: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui* (nempe Abraham) *tollens universa hæc, divisit ea per medium, & utriusque partes contrà se altrinsecùs posuit, aves autem non divisit.* Huc sylva tom. 1. fol. 20. exponens interpretatur ità:

Di-

Divisit autem animalia sive Deus, sive Abraham, in duas partes, ut designetur in VACCA quidem, animam divisam in brutam partem, & rationalem. In Ariete verò, hoc est in ratione, divisionem ejus in verum, & falsum. In Capra autem, id est in sensu, partitionem ejus in imaginationem certam, & incertam. Et ponuntur contrà se partes, quià sunt hæc invicèm opposita. Ergo vacca divisa in duas partes erat symbolum duplicis portionis Animæ in homine, sive hominis, cujus duplex est portio, *Rationalis* una, *brutalis*, animalis, sive corporea, & sensitiva alia; aptèque Abraham posuit contrà se invicem partes, quià *Ratio*, *& sensus* sunt sibi contraria; militia est vita hominis, continuata lucta carnis adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem.

Jàm ex literis sæcularibus sunt alia hieroglyphica, ut propter obscuritatem, possint figurata dici Ænigmata. Quorsùm enim apud Poetas *Centaurus* cum medietate superiori hominis, & inferioritate *equi*? Quorsum *Minotaurus* cum portione superiori humana, & inferiori *tauri*? Quorsum simulacrum *Pan* cum portione superiori hominis, & inferiori *capræ*? Quorsum simulacrum *Argates*, portione superiori sub specie muliebri, at inferiori ab umbilico sub *piscis* specie? Quorsum *Triton* biformis portione superiore speciem præseferente hominis, at desinente in *piscem* portione inferiori? Quorsum *Sirenes* portione superiori humanà Virgineà usque ad medietatem corporis, at inferiore *piscis*, apud alios *Galli* pedibus, apud Servium inferiori parte desinente in morem *avis rapinæ*? Quorsum *Stymphalides* aves, quas aliqui dicunt easdem cum Arpiis, capite Virgineo, extremitate desinente in *anguem*? Quorsum apud Statium *Striges* vultu, collo, & pectore fœmineis, de reliquo à medietate more rapacis volucris? Quorsum *Lamiæ* vultu fœmineo, pedibus *equi*? Quorsum *pilosi* (de quibus Isa. cap. 13. lit. D. & cap. 34. lit. C.) quos Græci dicunt *Faunos*, vel *Panas*, Latini verò *incubos* vocant, quorum forma ab humana effigie incipit, sed bestiali extremitate terminantur? Quorsum Sphinges humanicipites, & reliquo corpore leonino? Quorsum Syrtes anguipedes cum Virgineis pectore, & facie, at extremitate anguinea? Quorsum tandem *Scylla* sub specie biformi, pubetenus muliere, succinta latrantibus infrà canibus, & horrida alia desinente in monstra, item videas lupos, ursos, tygres, angues, & alias feras, ut extrema inferiora Scyllæ? Certè sub his monstruosis involucris cultos, & utiles involuit poesis sensus; in discursu operis patefient aliqui, nunc jàm sine cortinà, sine velamine apparetis, qui ad præsens accersitur sensus. Judicare ænigmaticè fuit mens poetica duplicem portionem hominis, *Rationalem*, quæ est *superior*, unam; *brutalem*, animalem, corpoream, sensitivam, quæ est *inferior*, aliam.

CENTAURUS.

SI hoc sic, cur *Centaurus* inferiori parte sub *Equi* specie? Est *Equs* hieroglyphicum *Belli*, *& pugnacitatis*, *iræ*, *celeritatis cum impetu* temero, item est symbolum *Superbiæ*, *Pertinaciæ*, *Insolentiæ*, *cespitationis*, *meretriciæ procacitatis*, nam hinnitu impudentiam explicat, talis est *Equs*, talis est *sensus*, tales passiones inferioris portionis hominis, nisi ab equitante Ratione sensualis Equs, lubricus, & præceps, fræno virtutis dometur.

Est corpus nostrum *Equs ille fallax ad salutem*, de quo David Psalm. 32. *Equi* ad cursum celeres, & ad imperium fortes sunt malæ cogitationes, quæ ad cor velocitèr veniunt, & acritèr pugnant. *Equi* etiam sunt symbola sensuum corporis, & concupiscentiæ, quas ascendunt dœmones, quum eas in-

incitant. *Equi libidinosi* mulierum amatores symbolicè signant, & ipsam pravorum lubricam vitam; hi sunt, qui quemcumque sessorem admittunt, de quibus apud Jeremiam cap.5. lit.C. & Psalmum 31. Equites in his equis equitantes sunt dœmones, & Equitatus multitudo dœmonum, & superborum est. His *Passionibus* brutalibus, & *equinis* agitatur *equus sensus*, caro, corpus, portio hominis inferior. *Eques* dicitur, qui arte regit *equm*. At *ascensor* equi est, qui non arte regit ipsum, sed agitatur ab eo; hinc intellectus *prudens* dicitur *eques*; intellectus imprudens est *ascensor equi*. Apud *Cantica cap.1. lit. C.* Equitatus sponsi sunt viriliter pugnantes adversùs Dœmones, & Passiones pravas sicut contrà currus Pharaonis, qui erat symbolum Diaboli, & inordinatæ animalis portionis, quæ est inferior in homine; at virtutes animæ sunt equitatus sponsi; ergo Centaurus cum portione superiori hominis symbolo *Rationis*, sive *intellectus prudentis*, & cum inferiori *equi* symboli nostri *sensus*, non solum innuit, apud sapientes Poetas, symbolicè ænigmaticè duplicem portionem hominis *superiorem*, & *inferiorem*, sed indicat *Passiones inferioris portionis*, nempe corporis significati in equo; at corrigendas, & coercendas *à prudente intellectu*, *à recta Ratione* frœno virtutum; ita ut *Ratio* sit *eques*, nec admittatur Diabolus *ascensor* in Equo corporis. De quo plura infrà.

MINOTAURUS.

JAm autem *Minotaurus* cum portione superiori humanà, & inferiori *Tauri*, ad idem conspirat, nam & duplicem portionem *superiorem*, & *inferiorem* hominis, nempe *Rationalem*, & *Animalem* indicat, & *Passiones* portionis inferioris, sive animalis, corporeæ, & sentientis in hieroiglyphico *Tauri* demonstrat. Est *Taurus* hieroglyphicum *Petulantiæ*, ut deò *Caprificus Tauri* collo circumdata innuat hieroglyphicè frœno virtutis, & rationis coercitam lasciviam; ea enim est Caprifico vis, ut collo Taurorum circumdata, eorum quantumvis ferocientium naturam usque adeò compescat, ut eos propemodum immobiles reddat. Est *Taurus* animal præpotens inguine, iracundum, superbum, vindicativum, irruens, præceps, concupiscens viridiora pascua, ut ideò fluvii figurati sint sub specie tauri, & cornigeri, quià ad eorum ripas, quia amæniores, & viridiores, cum voluptate brutali tauri accurrunt, ut pabulo delicioso repleantur. Est *taurus* hieroglyficum avaritiæ, animique conglutinati *pecuniæ*, Athenienses enim Bovis effigie numismata signarunt, ut ideò Bos fuerit *pecuniæ* hieroglyphicum; imò uno verbo *Vacca* est hieroglyphicum *vitiosi*, & illud Psalmi 67. v. 31. *inter Vaccas populorum* (apud Eucherium) indicat hominem plenum vitiis, quæ sunt corporis. *Superbiam tauri* innuerunt veteres fasciculo fœni ad cornu tauri alligato, & indicarunt superbiam, ferocemque lasciviam, ex nimia pabuli ubertate manare. Hòc Horatius repetit ex philosophia *Proverbiali* dictum de superbo, & iracundo divite, *Fœnum habet in cornu, longè fuge*; & ex sacris literis Psalmo 21. adducimus, *Tauri pingues obsederunt me*, id est superbi, & potentes populi scribæ, & Pharisæi, & Sacerdotes Judæorum obsederunt Christum; & in *Ecclesiastici cap. 6. Cavendum, ne animo, veluti taurus extollamur.*

Ergo ne dum sub specie *Tauri in Minotauro* figuratur portio *Inferior* hominis, sed hujus brutalis Passiones *in Tauro* figurantur.

PAN

PAN, FANVS, SATTRI, STLVANI.

PAN effigiatus portione ſuperiori hominis, & medietate inferiori *Capræ*, pertinet ad idem; pluribus enim ſub brutalibus hieroglyphicis, & ſymbolis, Poetæ ſapientes inferiorem portionem hominis innuerunt, ut nos arcerent ab affectibus brutalibus, ſi reflectamus in multa nos *moraliter* converti bruta, cum Paſſiones brutorum ſectamur. *Capram* hieroglyphicum *libidinis* contradicit nullus mediocri eruditione tinctus; nota eſt capræ procacitas, immodicaque propenſio in libidinem; & quorſum niſi huc, quòd hædos *petulcos* Virgilius dicit? Cum item *Capræ morſus* ſit peſtilens, ideoque exitialis viti, & olivæ, arbuſculiſque teneris, cujus eſt ſymbolum niſi meretricis, ab ore cujus tot mortalibus ruinæ? *Capra* germina præcipuè tenera perveſtigat, quibus paſcitur avidiſſimè, meretrixque germina humanæ naturæ adoleſcẽtes præcipuè avidè ſolicitat; hinc & capra eſt etiã ſymbolũ gulæ ex lautitia, cum voluptas non niſi cibis nimis delicatis ſilet. *Hircus* ſeptima poſtquam natus eſt die, ſi credendum Æliano, ſi aliis, ſeptima poſt nativitatem hebdomada, rem aggreditur Veneream, licèt ſine prole, quia adhuc ſemen ſterile; quodque à Pauſania Venus referatur hirco inſidens, ad petulantiam bruti innuendam, conſpirare inquiunt; figmentumque Poeticum, *Herculem* domuiſſe *Caprum*, hùc reſpectare referunt, quòd virtus ſub nomine Herculis indicata imponit petulantiæ modum, ſupprimit libidinis æſtus, & procacitatis impetus.

Item in ſacris literis *Hædus*, quia animal petulans, & inquietum, & amans præcipitia, deſignat peccatores ſemper in præcipitiis; ſic in Geneſi cap. 27. lit. B. & cap. 27. lit. F. Idem deſignat *Capra* apud *Iſaiam cap.* 24. *lit. B.* Etiam igitur in aliquibus ſacræ Scripturæ locis *Hædus*, ſive *Capra*, unius cujuſque peccatoris fœtentem, ac luxurioſam, plenamque verbis impudicis petulantiam indicat; quandoque in chartis ſacris præcipitur, *reddi hircum pro peccato*, reddi jubetur ſcoria, fex, & quod ſuum eſt, Diabolo; ut quod Dei eſt, reddi Deo poſſit mundum. Eſt autem in *hirco* magis inveterata laſcivia, quàm in *hædo*, adeò ut valdè fœteat, ſicut & carnes nimiùm laſcivientium putrida carie ſordeſcunt, mephitimque ſpirantes, atriſque faucibus effundentes peſtiferum halitum, funeſtum etiam à corpore toto per aera virus ſpargunt. *Apud Cantica cap.* 1. *B. Hædi* ſignificare poſſunt cogitationes immundas, quas paſcit ſponſa, quum ignorat ſe.

Mathematicique mulierem nudam, quæ *Hircum* humero geſtet, vigeſimo ſecundo gradui Virginis adſcripſere; ex eo impudicitiam ſignificantes, qui eo oriente gradu natus eſſet. Aptè exponit Adamantius, quòd cum ſacræ literæ *Hircos*, *& Hædos immolari* ſtatuunt, nequitiam, *omnemque libidinem* jugulandam, intendunt.

Huc ad ludibrium memoratur *Hircus Mendeſius*, referente *Marſhamo in Canone Chronico Ægyptiaco*, *ſæculo* 4. *pag.* 65. ſic: *Quo tempore Boves* Memphi, & Heliopoli, eodem etiam tempore *Caper* Mendete ſacratus eſt. Mendes eſt *Delta* ad Mendeſium Nili alveum poſita. Pindarus Urbem ad mare collocat; ſed Ariſtides totum Nomum à mari procul eſſe docet. Ab ea Urbe *Nomus Mendeſius* (nempè una pars Ægypti) poſthàc nomen habuit; ætate autem Ptolemæi (Regis Ægypti) *Mendeſii Nomi metropolis*; quæ etiam Ammiani *Urbs maxima.*

De *Cultu Mendeſio* Herodotus ſic: *Capras*, *& Hircos* non mactant, hac de cauſa. Mendeſii numerant *Pana* inter VIII. Deos, quos ajunt XII. Diis extitiſſe priores; & Statuarii faciunt ſimulacrum *Panos*,

Caprina facie, & hircinis cruribus, non talem eum esse existimantes, sed similem Dijs cæteris. *Mendesii omnes* colunt *Capras*, sed mares magis, quàm fœminas; & *capreoli* in magno sunt honore; ex istis autem unus maximè, qui cum discesserit, luctus magnus toti Nomo Mendesio imponitur. Vocatur autem & *Hircus*, & *Pan*, *Ægyptiacè Mendes*. Rem (ait Marshamus) turpem non repeto. Strabo ait: *Capram*, & *Hircum* Mendesii colunt. Diodorus addit causam cultus, dicens: *Hircum* inter Deos retulerunt, ut apud Græcos *Priapum* coli dicunt *propter genitalem partem*; est enim animal hoc salacissimum. Nec tantùm Ægyptii, sed alii non pauci in mysteriorum ritibus religiosè habent, ut *causam* generationis animantium. Et Sacerdotes Ægyptii, paterna Sacerdotia accipientes, *isti Deo* primùm initiantur; etiam *Panas*, & *Satyros*, naturam *Hirci* imitantes, in templis dedicant; significantes *gratiarum actionem pro gentis suæ fœcunditate*. Ex quo Mendetis apud Mendesios sacrario (imò fœda cloacha) prodiit tota veterum superstitiosa, & vana Theologia de *Pane*, *Fauno*, *Sylvano*, *Silenis*, *Satyris*, qui etiam *Hircorum* nomen habent. Hæc *Marshamus*.

Exque monumentis Ægyptiacis accepit Pierius Valerianus dicere, quòd si Ægyptii vellent notare impudicitiam viri libidinosi, *Hircum* fingebant; Hircus enim celeriùs, quàm quodvis aliud animal inscendit, ideòque ab Horatio *libidinosus* appellatur; *cujus fœcunditatis causâ* insipienti sæculo *inter Deos* annumeratus aliquando est, perinde ac *Panes*, & *Satyri*. Is quippe apud Ægyptios, *Mendesiâ* Civitate in multarum, & formosarum puellarum collegio curabatur, sacro incluſus fano, cui selectiores *capras* non intelligenter educabant, Author est Plutarchus.

Ex quibus patet, cur in relatis hieroglyphicis sit à Poesi composita pars inferior *Capræ*, vel *Hirci*, nempe ad innuendam *libidinem*, quæ est portionis *inferioris* hominis *Passio*. Et sicut *Capræ* talis est ardor, ut cuncta attacta pastu exurere videatur, & ideò est hieroglyphicum *febris*, ita est symbolum *libidinis æstuantis* in portione *inferiori* hominis, quæ urit, vitiat, perdit cuncta, quę tangit,

Apud Isaiam cap. 13. D. & cap. 34. C. *Pilosi* (quos Græci, ut dictum, dicunt *Faunos*, vel *Panas*, Latini *incubos*) significare videntur incubos dæmones, quorum portio superior ostendit faciem humanam, inferior dicitur capræ more; & *pilosi* nomine (ait Sylva Tom. 1. fol. 186.) designatur *cujuslibet peccati asperitas*; quòd etsi quando quasi ab obtentu rationis incipit, semper tamen ad *irrationabiles motus* tendit, & quasi *homo in bestiam* desinit, dum culpa per *rationis* imaginem inchoans, usque ad *irrationabilem* effectum trahit; nam sæpè edendi delectatio servit *gulæ*, & servire se simulat *indigentiæ naturæ*; cumque ventrem in gluviem extendit, membra in *luxuriam* erigit; quare apud Isaiam cap. 13. v. 21. de Babylone, & *pilosi saltabunt in ea*, ad luxuriam Babylonis innuendam tendit. Ecce mythologicè, & moraliter, sivè Ethicè, quid sit indicatum à Poesi per PANES, SATYROS, FAUNOS, SYLVANOS, & alios, quos dixerunt Deos Sylvestres, cum portione superiori humana, sed inferiori *pilosi* more *Capræ*, seu *Hirci*; & licet PAN dicatur à Marshamo figuratus facie *caprina* apud *Ægyptios*, tamen legimus apud *Græcos* figuratum facie *hominis*, inferioritate *Capræ*; & quia tales execrandi Dii crediti sunt excessivè *libidinosi*, fuerunt non solùm figurati inferiori portione *pilosa*, & *capræ*, sive *Hirci* more, sed sunt dati socii *Bacho*, qui supponit pro *vino*; ut innuerent, quòd vinum calore libidinem acuit; ideòque Filosenus hæreticus *tres Satyros effigiavit*, vinum potantes, & propinantes mutuò; *Silenique simulacrum* in Græcia apud Eleos, symbolum ebrietatis, vas cum vino porrigebat. Unde patet,

quot

quot *passiones* brutas portionis inferioris hominis, nēpe sēsus, indicarit Poesis per portiones inferiores *pilosas*, *capræ*, *hœdi*, vel *hirci* more, nisi *à Ratione* regantur; quæ cum ignorat se, & obliviscitur muneris, carnique subjicitur subjiciendæ, gravida ab hirco sensu, sive corpore, quid nisi immundos hædos cogitationum parit?

ARGATES, TRITON, SIRENES.

JAm autē *Argates*, portione superiori *humana*, ab umbilico *sub piscis* specie, cur? figura humana *Rationem* indicat, Piscis sensū, libidinis domicilium; est enim *Piscis* hieroglyphicum *libidinis*; salsus enim est, libidinem irritat, ideoque Ægyptii superstitiosæ puritatis amantes salem aversabantur, pisces, & mare; Manilius que *Astronomicon.* 4. præsagit, libidinosos esse futuros, qui horoscopum habuere *piscis*; exque Philosophia Morali *symbolica Pythagorica* haurias symbolum illud, *à piscibus abstinendum*; id est, cohibendam libidinem. Ab umbilico *Argates* effingebatur desinens in modum *piscis*; cur ab umbilico? quia *Vmbilicus* est sedes *impuritatis* libidinosæ in fęmina, sicut *lumbi*, *& renes* in homine, ut ideò umbilicus, & lumbi, & renes sint libidinis lascivientis symbola; ex quo præceptum à Salvatore accipimus, *Sint lumbi vestri præcincti*; quid hoc? Continentiam jubet, puritatem castam præcipit.

Item in literis sacris apud *Job cap.* 40. B. Virtus Behemoth dicitur esse in umbilico ventris, ibi signatur libidinis locus in fęminis, & apud *Ezechielem cap.* 16. *A. Vmbilicus non præcisus* pronitatem *ad libidinem* innuit.

Piscis facilè putrescit, ideò in sordidos ex Philosophia Proverbiali sæculari emanavit, *Piscis repositus*; unde apud Plautum Proverbium, *Piscis nequam, nisi recens*; congruè inferior pars Argatis ab umbilico sub specie piscis, ut innuat non solam libidinem portionis inferioris hominis, sed facilitatem ut putrescat, & declinet in sordes; innuit igitur effigies Argatis non solam portionem superiorem, & inferiorem hominis, sed in hac sub specie piscis ab umbilico indicat turpes sensus affectus, sordidas perturbationes.

Sic & sic *Triton* superiori specie humana, inferiore *piscis*; sic *Sirenes* similiter figuratæ, licèt *muliebri* facie. At cur *Sirenes* etiam cum pedibus *Galli*? Non latet te, *Gallum* symbolum, *pugnacitatis* esse; *Galli* enim videntur ad pugnam inter se nati; pugnam, præsertìm semel cœptam, nescii cedere, idemtidem repetunt; quare ex Philosophia *Proverbiali* habes adagium *Insultat Gallus* contrà eos, qui pertinaciter vindicativi, & iracundi, redintegrant certamen; unde *Martis pullus* (qui putabatur cristatus, terrificusque belli præses) *Gallus* ab Aristophane est vocatus; illudque, artifice Phidia, simulacrum Palladis ex auro, & ebore, cum *Gallo in galea surrecto*, apud Eleorum arcem, pugnacitatis hieroglyphicum subscribit Pausanias; adque Minervam, sive Palladem (quam etiam dixerunt præsidem armorum, & belli) conspirare, ajunt. Ex pugna si *Gallus* evadat victor, cantu superbus victoriam plaudit; si autem victus, pudore ex superbia silet, nec ubi lateat, voce indicare audet. Quid de ipsius *impietate*? Gallinaceus, (ut Hippopotamus fluvialis in Nilo equs) matrem insalit; quare & in *Proverbiali sacrà Philosophià*, sive sapientia, Proverb. cap. 30. D. *Gallus succinctus lumbis* signat prædicatorem, qui inter hujus noctis tenebras verum manè nunciat *succinctus lumbis*, cum à membris suis fluxum luxuriæ restringit; ergo *Gallus non succinctus* etiam ex sacris chartis est *luxuriæ* symbolum. *Pedes igitur Galli* non succincti in *inferiori* portione *Sirenum*,

quibus *superior* ſpecies humana, *pugnacitatem*, *iracundiam*, *vindictam*, *luxuriam* (affectus qui ſunt inordinati in inferiori portione hominis) in ſenſu noſtro *iraſcibili*, & *libidinoſo* ſignificant. Si autem *pedes Sirennum* more *avis rapinæ* etiam obſerves, affectum, Paſſionemque *rapacitatis*, *ſævitiæ*, *avaritiæ*, in ſenſu noſtro *iraſcibili*, & *concupiſcente*, indicant.

Item *Sirenes* apud Iſaiam cap. 13. quòd in Babylone reſpondebunt *Sirenes in delubris voluptatum*, innuunt Dœmones, hæreticos, paſſiones, blandientes, ut inducant in errorem, & interitum.

STYMPHALIDES, SYRTES ANGUIPEDES.

QVòd *Stymphalides* aves figuratæ ſuperiori portione humana, ſint effigiatæ inferiori *anguinea*, non ſolùm ad intimandam duplicem portionem (*ſuperiorem*, & *inferiorem* hominis) tendit, ſed *Paſſiones*, ſive affectus, *inferioris*, nempe ſenſus; eſt enim anguis ſymbolum *calamitatis*, *voluptatis*, *cordis terrenis hærentis*, hæret enim terræ pectore anguis, repit; eſt ſymbolum *calliditatis*, *inſidiarum*, *vindictæ*, *hoſtem ulciſci* ambit, & noſcit; quòd ſatis eſt notum etiam ex literis ſacris; ergo *Stymphalides* portione ſuperiori *humanâ*, inferiori *anguinea*, Paſſiones portionis inferioris hominis congruo hieroglyphico admonent. Patet hinc, cur *Syrtes anguipedes*, quas ſuprà memoravimus, ſint figuratæ portione ſuperiori *Virginea*, inferiori *anguinea*. Vide pag. 499.

SPHINGES.

JAm Sphinges *humanicipites*, reliquo corpore *leonis* ſpecie, cum *leo* ſit ſymbolum *iracundi*, *vindicativi*, *raptoris*, *inſidiantis*, *ſuperbi*, *crapulæ*, *libidinis*, iraſcibilem, concupiſcibilem, libidinoſum ſenſum hominis, ejuſque feras, & brutales innuit paſſiones, ut *Ratione* reprimas, ne more *brutali* vivas.

STRIGES, LAMIÆ.

L*Amiæ* dicebantur olìm mulieres, quæ, *Strigum* inſtar, infantium ſanguinem ſugebant; vel ipſæ erant *Striges*. Vel ſecundùm aliquos ſunt quædam dœmonum phantaſmata, quæ *Larvæ* appellantur, & *Lemures*, & à nonnullis etiam *Empuſæ*; eſſeque, ajunt, ad amorem, & Venerem propenſas, & carnes humanas (maximè formoſorum) eſurienter appetere; ideoque formoſarum mulierum ſpecie aſſumpta, pueros, pariter & juvenes, libidinis cupiditate allicere, ut poſtea devorent; atque ideò deſignant dœmones libidinis præſidens apud *Iſaiam cap. 34. lit.* D v. 14. prædicentem contritionem, & perpetuam vaſtitatem Idumeæ illis (inter alia) verbis: *ibi cubavit Lamia, & invenit ſibi requiem*.

Lamia quoque fertur eſſe animal, faciens habens *muliebrem*, infernè verò pedes *equinos*; & poteſt deſignare (exponit Sylva Tomo 1. fol. 528.) duplicitatem, & fictionem Judæorum, & hæreticorum, & ad præſens *hypocritarum*, qui rationem prætendunt *humanam*, ſed finem habent *brutalem*; hypocritæ in prima facie, quod oſtendunt, quaſi ex ratione *ſanctitatis* eſt, ſed *beſtiale* eſt corpus, quod ſequitur, quia valde iniqua ſunt, quæ ſub boni ſpecie moliuntur. Chryſoſtomus Dion in intima Africa feras quasdam eſſe ſcribit muliebri facie, quæ & ipſæ Lamiæ dicuntur, uberi-

bus

bus autem, totoque pectore adeò ſpecioſo, ut nullo pectoris ingenio, ſimiles effingi qneant; quibus retectis, homines in fraudem alliciunt, captoſque devorant.

ONOCENTAURUS.

ONocentaurus dictus ab *aſino*, & *tauro* eſt animal monſtroſum, quod à parte *ſuperiori* ſpeciem hominis habet, à parte verò inferiori ſpeciem aſini expromit; apud *Iſaiam* cap. 34. v. 14. prædicentem acerbam Dei ultionem ſuper omnes gentes, & Idumeæ perpetuam vaſtitatem illis (inter alia) verbis *Et occurrent dæmones Onocentauris*, ponitur pro quibuſdam dæmonum phantaſmatibus. Significat *Onocentaurus* dæmones, & eos, qui ex parte aliquid *humanum* ſapiunt, & rurſum voluptatibus, & cœno turpitudinis abducuntur in vitia; qui ſubiecti luxuriæ vitiis inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerant; qui carnis ſuæ voluptatibus ſervientes, expulsà longè verecundià, non ſolùm amittere rectitudinem non dolent, ſed adhùc etiam de opere confuſionis gaudent. Haſque paſſiones ſymbolicè ſignant *taurus*, & *aſinus*, à quibus *Onocentaurus* dicitur, & quibus infernè conſtat.

Aſinus enim deſignat in homine motus beſtiales, ſive *aſini* poſſunt dici in homine beſtiales motus, & amor carnalis, unde jubemur non arare in *bove*, & *aſino*; aſinuſque (in *Exodo cap. 9. lit.* A. *& cap. 13. lit.* B. *& cap. 34. lit.* C. *& in Deuter. cap. 22. lit.* A.) inter animalia computatur *immunda*; imò aſinus poteſt omnia ſignificare vitia; & apud lib. 4. *Reg.* cap. 6. lit. F. *caput aſini* deſignat *ſuperbiam*, & deſignat libidini deditos apud *Prov. cap.* 12. A. & apud *Jeremiam cap.* 22. C. & apud *Num.* cap. 22. E. Aſina Balaam deſignat brutum vitæ propoſitum, cui omnis inſipiens inſidet. Item *aſinus* eſt ſymbolum pigritiæ apud *Deuteron.* cap. 22. A. Aſinus apud Exodum cap. 13. B. ſignat *immunditiam*: item corpus noſtrum ſignatur per *aſinum*. Eſt *aſinus* ſymbolum *impudentiæ*, quia caſtigationes contemnit, dummodo ſua aſſequatur commoda; hinc & eſt ſymbolum *inverecundiæ*, & quia petulanter rudit, & inſolenter, rem veneream aggreditur; hucque Plato ne propagaret Philoſophiam illam arcanicam Ægyptiam hieroglyphicam, ajebat, *eos*, qui *fœdis concupiſcentiis manus dediſſent*, *ventrique dediti per inertiam, atque laſciviam, ingloriam, inutilemque egiſſent vitam, nec quicquam penſi, pudoriſve habuiſſent, in aſinos poſt obitum dejici*.

Aſinus eſt item indocilitatis ſymbolum, quia ad diſcendum eſt minùs idoneus, & id innuit aſinus frœnatus; hucque Horatius.

Infœlix operam perdas, ut ſi quis aſellum
In campum doceat parentem ducere frœno.

Quare Onocentaurus, cum portione inferiori aſini, *paſſiones* portionis inferioris hominis ſignat, *affectus*, & *motus*.

SCYLLA.

JUſtinus in *Trogum.* 4. dicit, fretum Siciliæ fabulæ de Scylla, & Charybdi, materiam miniſtraſſe Poetis; ibi videas ſævum, tumidum, inquietumque undarum impetum, quaſi præ ira ſpumet; quaſi undæ pugnent, alias videas deſidere, alias vitrices efferri in ſublime; hoc ſtrepitu, & interiorum cavernarum ſtridore, jam canum latratus, jam leonum rugitus, jam luporum ululatus, jam ſerpentum ſibilos, jam plurimarum ferarum voces te audire percipies, jam gemitus, jam fremitus. Accedit perpetuum Ethnæ incen-

incendium, ex quo latratus, & tonitrua, æstus, ignes atri, saxaque jaculando emissa in sublime, quæ ex alto iterum recipiens caverna terrifico rebombo, navigantes timore collidit. Videas ex vaporibus talia in aere simulacra, ut terrifica videantur apparere monstra. Salluſtius *Scyllam* opinatur saxum, in mari prominens, quod speciem fœminæ imitetur, cum percipitur à longe; & quia fluctus illud percutientes jam canum latratum, jam luporum ejulatum imitari videntur, & serpentum, & viperarum sibilos, ortum hinc, quòd fuerit Scylla figurata portione superiori muliebri, inferiori autem constans diversis, variis, & horridis monstris.

Poetæ autem mythologicè hæc finxerunt, ut innuerent portionem *superiorem* hominis *Rationalem*, & *inferiorem* nempe *sensitivam animalem*, sive *corpoream*; hanc inferiorem effingunt tot variis horridam monstris, ut indicent sensus, sive corporis varios brutales, & feros affectus, sive animales (nisi à Ratione æquentur) Passiones.

Est *Canis* symbolum *impudentiæ*, *levitatis in moribus*, *adulatoris*, *scurræ*, *invidiæ*, *zelotypiæ*, *mordacis*, *& latrantis detractoris*, *impuri amatoris*. Est *lupus* symbolum *improbatitatis meretriciæ*, meretrices enim rapiunt, sicut lupi; ideòque meretricius locus dictus est *lupanar*; est item *lupus* symbolum guloſi, & *raptoris*. De crapula, ira, vindicta, concupiscentia, insidiis, superbia *leonis* satis supra dictum; sicut & de impudentia, ira, superbia, temero impulsu *Equi*. Est *Tigris* symbolum feri, sævi, iracundi rapidè, ultionis, sive vindicativi, & hostis Musicæ, quæ honesta, & devota, est symbolum virtutis, & concordiæ. *Tigris* enim cum musica harmonia tympani acriùs irritatur, & ita sonum tympani exhorrescit, ut eo audito, mirabiliter insaniat, adeòque furescit, ut se dentibus impetat; hinc est symbolum ejus, qui Musicam horreat, & Musicis, sive studiis honestis, & scientiis bonis, aversum habeat ingenium. Est *Panthera* symbolum *ebrietatis*, nam vino, & vini odore, ad quem accurrit, capitur; item est symbolum *varietatis morum*, quia variis est colorata maculis; est symbolum *dissimulatoris*, *iniquæ indolis*, *sive pravi ingenii*, *& maligni cordis*; fertur enim suavem odorem emittere, ad quem accurrunt mirè allicita alia bruta, habet tamen toruum caput, & horridum, à quo terrentur; ipsa astuta dolosè caput occultat, corpus odorum ostendit; sic allicit quadrupedes incautos, & devorat; hæc ipsi pro alimento solertia. De *serpente*, sive *angue* symbolo insidiantis, iracundi, vindicativi, hærentis terrenis pectore, & corde, obliquè ambulantis, nec in via Dei rectè, sicut & serpens non rectè, sed obliquè, & tortuosè repit, jam satis memoratum suprà. Ergo *Scylla* in portione inferiori figuratur constans his *brutis*, & *monstris*, ut indicetur, quòd relatis *Passionibus* pravis inficitur portio *inferior* hominis, & quòd in procelloso, & inquieto freto sensus horrida excitantur monstra *Passionum*.

Habes hieroglyphica duplicis portionis, nempè *superioris*, & *inferioris*, hominis. Sunt & alii sensus, inter quos indicantur effectus vitiorum, per quæ homo à dignitate rationali descendit in brutum. Item per Sirenes, Sphinges, Lamias, Stymphalides aves, Syrtes anguipedes indicantur ænigmaticè meretrices, pulchra facie allicientes, ut tandem fugant, rapiant, occidant, & cuncta devorent. De quo sensu fortè alibi uberiùs.

Item per hyeroglyphica suprà relata, quæ sint *muliebria* portione superiori, *inferiori* brutali (cum species *muliebris* sit symbolum *carnis*, sive portionis inferioris hominis, portio enim *superior*, nempe *Rationalis*, genere, specieque *masculis*, sive *viri*, significatur) intelligitur *caro*, quæ est portio *inferior* hominis; hæc autem hieroglyphicis ænigmaticis indicatur portione superiori *Rationali*, inferiori *brutali*, quia *caro* sub specie *Rationis* incipit

cipit appetere, at in extrema, sive fines talis appetitus, brutaliter, & inordinatè, descendit. Appetis pecunias, alimenta, vestimenta sub specie *Rationis*, ut sint vitæ honesta, & necessaria suffragia; appetis dignitatem sub specie *Rationis*, ut possis proficere aliis; at posteà, quòd ab specie *Rationis* incipit, in terminum *brutalem* labitur. Appetis nubere sub specie *Rationis*, quia melius est nubere, quàm uri; item ut generes cultores Dei, Patriæ propugnacula, bacula senectutis, familiæ munimina; at quod ab specie *Rationis* incipit, posteà in satiationem libidinis brutalis effrenis, & superbiæ ex fœcunditate, cadit.

At & *hypocritæ* etiam per omnia relata hieroglyphica specie superiori *humana* symbolo *Rationis*, inferiori *brutali* indicantur, quia sub specie *Rationis*, humanitatis, *justitiæ*, & *sanctitatis*, tanquam sit verè, & integrè superior finis intentus, feros fines, brutales carnis, & sensus, habent. Quæ ex superiùs dictis colligere, non erat arduum.

CAPUT III.

Adhuc duplex portio hominis superior, *&* inferior *hieroglyphicè, & symbolicè per Arcam Noe, vas obturatum, Ostream, Nucem, Amigdalum, Jugum ex leone, & capro, per Solem, & Lunam, & currũ Cereris, & Virgam Vlyssis, significatur.*

Arcam Noe non ignoras, quæ continebat in se homines, & bruta; ergo est idoneum symbolum hominis, qui ut arca continet in se, & portionem superiorem rationalem, per quam assimilatur Angelis, & portionem sensitivam, in qua communicat cum brutis. Tempestas autem aquarum diluvii signat procellas *passionum*, quibus agitatur homo in hac vita mortali.

Adde vas obturatum, & liquore repletum; sic in homine vas est corpus, liquor in vase est anima; liquor participat qualitates vasis, sic anima dum est in vase corporis, hujus *affectiones* participat, corporisque *passionibus* tangitur,

Quid in *Ostrea*? duo; *Ostrea*, & *concha*, in ista includitur illa, & ita conchæ est adglutinata Ostrea, ut hanc qualitates conchæ tangant; sic in homine concha est corpus, Ostreæ more anima; hæc est in corpore inclusa, ita adglutinata corpori, ut hujus affectus, motus, passiones participet, & non rarò adglutinata ita, ut immemor originis, oblita nobilitatis, reddita alieni, & inferioris juris, corpori, sive sensui subjaceat, & redditur serviens corpori, quæ erat à Deo nata, ut esset superior, Domina, & imperatrix.

Quid in *Nuce*, *vel Amigdalo*? *cortex*, *& nucleus*; iste includitur in illo, estque nobilior pars; aliquando ita nucleus fixus hæret cortici, ut non nisi cõfracto cortice, nucleus extrahatur. Cortex innuit corpus, nucleus intrà corticem corporeũ indicat animã in corpore; hæc symbolica comparatio. At ita anima in corpore est fixa corpori, ut non nisi confracto corporeo cortice, mortis malleo, animæ nucleus à passionibus corporeis *radicitùs* expediatur. Imò *Nux* (sicut *Amigdalus*) trinã habet in corpore suo unionem substantiæ, nẽpe *coriũ, testam, & nucleum*. In *corio*, sive *crustà* significatur hominis *caro*; in *testa* quia dura, indicantur symbolicè *ossa*; in *interiori nucleo* est symbolica *animæ comparatio*. Cortex est amarus, nucleus est dulcis; sic per amaritudinem, & pœnitentiam corporis, est dulcedo virtutis in anima.

In jugo *ex apro*, *& leone* invenitur symbolicum hominis simulacrum;

quia

quia per *aprum* obcœnitas ſenſuum, per *leonem* (qui eſt Rex ſylvarum, & propter aliquas nobiles proprietates) veluti quædam *Rationis* imago ſignificatur. Eſt *aper* ſuus ferus, & ſylveſtris, qui & *ſingularis ferus* ſolet nuncupari; etiam ipſis venatoribus periculoſum non ignoras; qui ſi in ſacris literis jam ſignat Judæos, qui *apri* ſævierunt in Salvatorem; jam hæreticos, & diabolum, qui exterminare nituntur animas vineam Dei Eccleſiam; tamen etiam innuit *aper* ſenſum, ſivè *corpus*, feris, & acutis dentibus paſſionum immodicarum, exterminare ſpiritum, intendens, ideò etiam ſpiritui eſt periculoſus, ut venatori *aper*.

Jam etiam per Solem, & Lunam, ſymbolicè ſignificantur portio *ſuperior*, *& inferior* hominis; illa per Solem, iſta per Lunam. Congruè Sol ſignat portionem ſuperiorem Rationalem hominis, rationalem animam; nobilior enim eſt Sol, quàm Luna, nobilior eſt anima, quàm corpus, & *Ratio*, quàm *ſenſus*. Sol cuncta vivificat, & illuminat; anima vivificat membra cuncta, præſtat corpori vitæ lumen. Sol motu ſuo ſublunaria regit, anima regit corpus, Ratio ſenſum. Sine Sole in tenebris cuncta, ſine anima corpus cadaver, & in mortis obſcuritate eſt. Quod eſt Sol in Mundo, eſt anima in corpore, Ratio in ſenſu. Vide pag. 19. & 31.

Sol ſe habet ut *vir*, Luna ut *fœmina*; quare gentes ignaræ putantes Solem, & Lunam virum, & fœminam, ſponſum, & ſponſam, exiſtimabant, Ecclypſim provenire ex rixa, & diſcordia inter ipſos, & quòd Luna tundebatur, & percutiebatur à Sole; ex qua exiſtimatione fœminæ in Ecclypſi plangebant, capillos (in ſignum doloris, & luctus) incomptos diſcriminabant, jejunabant, virgines ſpinis piſcium venas ſcindebant; ergo Sol eſt ſymbolum portionis ſuperioris *Rationalis* hominis, quæ ſe habet, ut *vir*; Luna eſt ſymbolum portionis inferioris hominis, nempe *carnis*, quæ ſe habet ut fœmina, & fœcundatur à Ratione, ut paſſiones æquatas edat. Vide pag. 514.

Luna eſt index portionis inferioris hominis; nam Luna ex ſe eſt obſcura, luce caret, niſi illuminetur à Sole; ita caro ex ſe obſcura, niſi ſplendore regiminis illuſtretur à Ratione. Luna mutationes plures ſuſtinet, caro multas mutationes, alterationes, varios affectus, & paſſiones. Luna dicta *Diana*, quaſi *Deviana*, quia deviat à medio, & à recta via, qua incedit Sol, ſic caro eſt *Deviana*, quia deviat *à medio*, in quo conſiſtit *virtus*.

Varia fuerunt Lunæ ſimulacra, quid ſignificarint *phyſicè*, vide à pag. 20. uſque ad pag. 32. Nũc *Ethicè*, ſivè *moraliter*. Videas ſimulacrũ Lunæ cũ corpore *fœmineo*, & facie *Accipitris*. Eſt Accipiter ſymbolum Solis, quia & eſt fœcundiſſimus, & talis eſt Sol; item eſt vivaciſſimus, & Pater viventium eſt Sol; item radios Solis firmiter intuetur; item, ut ajunt, Accipiter triceſimo quoque die ſolet fœminæ conſortium appetere, ſic Sol Lunæ conjungitur, eò circiter ſuperato intervallo temporis. Ex his Accipitrem Ægyptii habuerunt hieroglyphicum Solis. Luna autem habitu fœmineo eſt figurata cum capite Accipitris, ad innuendum, quòd Luna lucet à Sole, at ſimiliter caro lucet à Ratione; ſi in ſenſu ſit alicujus Moralis virtutis ſplendor, ab influxu, & directione Rationis eſt.

Aliud fuit Lunæ ſimulacrum in dextra tenens ſiſtrum, in ſiniſtra urnam, cujus anſam efformabat ſerpens in modum orbis circumvolutus, parte ſimulacri in medio aquarum. Siſtrum eſt ſignum Ecclypſis, erat inſtrumentum ſonorum, crepitans, æneum, & etiam argenteum; quando erat Ecclypſis Lunæ, cum hoc inſtrumento ſtrepebant, & ſic putabant ſuccurrere Lunæ laboranti. Ecclypſis Lunæ eſt per interpoſitionem terræ inter ipſam, & Solem; ſic *caro* patitur Ecclypſim, obſcuratur vitioſitate, cum interponuntur affectus terræ, & paſſiones immodicè appetentes ſenſibilia, terreſtria,

cor-

corporea, & caduca bona, inter ipsam, & Rationem. Vide pag. 23.

Item *sistra* dicuntur à Poesis *mollia*, non quia mollia fuerint, sed quia dulcedine soni homines efficerent effœminatos, & molles; sic portio inferior hominis *caro* mollis est, homines molles, venereos, & affœminatos parit. Sistrum erat instrumentum obstreperum, & talis est caro, talis sensus, qui fragore, & tumultu æstuantium passionum, strepitum facit in homine.

Urna, quam habebat in sinistra, cujus ansam efformabat serpens in modum orbis circumvolutus, symbolicè signat corpus, quod est quasi urna, & vas, in quo est infusus liquor animæ; sed serpens symbolum voluptatis, & affectuum terræ, innuit passiones voluptuosas, & terrenas, serpentes, & repentes, incarne. Simulacrum Lunæ, in medio aquarum, Ethicè symbolicè innuit carnem inter affectus immodicos rerum fluentium, & sensibilium, quæ labuntur aquæ more; item innuit, quòd caro labitur ad mortem, quia *omnes* sicut *aquæ* dilabimur; huc Ovidius 10. *Met.*

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas.

Adhuc apud veteres videas aliud Lunæ simulacrum cùm duplici cornu erecto in capite, habens Pantheram in dextra, leonem in sinistra; *Ethicè* duplex cornu (quatenus Luna est symbolum carnis, sivè sensus) innuere potest duplicem appetitum sensitivum, nempe *concupiscibilem*, & *irascibilè*; est cornu symbolum feritatis, & ideò Bacchus figuratus cornutus, ut innuerent, quòd immodicum vinum reddit feros; at relatus duplex appetitus cornigerat ferus contra Rationem, nisi à Ratione jugo virtutis dometur. *Panthera* symbolum *ebrietatis*, quia capitur vino, cujus est avida, item propter varietatem macularũ, sive colorum, quibus afficitur, est symbolum varietatis motuum animi ex passionibus corporis; item Panthera, & leo symbola feritatis, *Ethicè*, ad passiones sensus indicandas, conspirant.

Aliud simulacrum Lunæ *triformis* fuit cum una facie *equi*, alia *canis*, alia *suis* sylvestris; *Equus* concupiscit viridiora pascua, *canis* est petulanter libidinosus, sus sylvester est immodicè iracundus, & adeò, ut venatores etiam per cuspides lancearum se immittens, temerè invadat, & experientiâ noscimus, quòd post pugnam occumbens, & adhuc trepidans, dentes ita ignitos præsefert, ut si setas ab ipsius collo auferas, & dentibus applices, quasi applicatæ prunis crispentur, & si propriùs dentibus adhæresçant, crementur; quare *Equus*, *canis*, & *sus sylvester* possunt in simulacro *triformi* Lunæ (ut est symbolum portionis *inferioris* hominis, nempe *carnis*, sive *sensus*) innuere *triplicem* appetitum sensitivum, nempè *concupiscibilem*, *irascibilem*, & *libidinosum*. Dicunt alii, quòd in simulacro Lunæ triformis facies media non sit suis, sed *hominis inculti*, & *sylvestris*; at talis est facies animi, inculta, deformis, dum mediat inter libidines, & concupiscentias, effræneşque iras, more canis, & equi.

Tandem fuit aliud Lunæ hieroglyphicum, facem una tenens in manu, duos serpentes in alia, eratque pellibus cervorum vestitum. Quatenus Luna est symbolum carnis, sive sensus, quæ est portio inferior hominis, *fax* in manu simulacri Lunæ innuit symbolicè ignem libidinis carnis; quare faces passim dicarunt Cupidini, per quem ab ipsis impurus intelligebatur amor; & de amore captis dictum, *uri intimis medullis*, & Virgilius de Didone, *cæco carpitur igne*. Amor mutuus per duas faces accensas vinculo constrictas fuit symbolicè significatus. Fax in Nuptiis apud Romanos ad amorem conjugalem indicandum, respiciebat. Faceşque duæ inversæ amantium funera innuebant. Porcius, ob amorem, non putavit satis dicere hominem ignitum, sed ignem ipsum dicere non dubitavit. Cum Luna præsit nocti, imò & fax nocturno tempore serviat, *fax accensa* in manu simulacri

Lunæ, symboli carnis, non solùm *Ethicè* innuit *amorem*, sed *amorem impurum*, quia ut plurimum nocte scelera perpetrantur impura, tenebris enim gaudent turpes, adulteri. Serpentes *duo* possunt innuere duplicem appetitum sensitivum, *irascibilem*, & *concupiscibilem*. Cervus allicitur instrumento harmonico, vel aliquo suavi modulantium concentu, & sic capitur, estque symbolum hominis, qui capitur adulatione; hinc simulacrum Lunæ, symboli carnis, vestitum pellibus cervorum, *Ethicè* innuit, quòd caro blanditiis, & adulationi subjacet, & si Ratio non vigilet, homo adulatione capitur. De Cereris curru vide pag. 45. & 46. Virgæ Vlyssis portio extrema una homines convertebat in bruta, superior restituebat in homines; quia sensus reddit nos bruta; ratio superior, & suada rationalis, nos restituunt ad homines.

CAPUT IV.

De Portione determinatè inferiori *hominis*, *nempè* sensu, *cujus appetitus per Chimæram, & Cerberum trifaucem, & per Vulcanum in officina cum tribus Cyclopibus, fuit ænigmaticè indicatus.*

LIcèt Appetitus sensitivi *irascibilis*, *concupiscibilis*, & *libidinosus* satis sint indicati suprà per duo ultima simulacra *Lunæ*, sicut & capite elapso per extrema bruta, cum quibus sunt figurata, quæ ibi adducta sunt ænigmatica hieroglyphica, tamen adhùc sigillatim specialis pulsat explicatio. In *sensu*, qui est portio inferior hominis, & à quo (ut infrà dicetur) *passiones* sensitivæ pullulant, & in quo subiectantur, & manent, duplex distinguitur appetitus, *irascibilis* unus, *concupiscibilis* alius; sunt qui hos appetitus duos realiter distinguant, sunt qui putent realiter eandem æntitatem, sive æntitativè eundem, solùmque virtualiter diversum, sive duo diversa habentem munera. At cur in quæstionibus his conteramus tempus, cum Philosophia Moralis sola Moralia, & practica, non Metaphisicas cavillationes quęrat?

Ab Authore Naturæ duplex iste appetitus est *Naturæ* datus; *concupiscibilis*, ut sibi honestè consona, utilia, & necessaria quærat; *irascibilis*, ut vigore se à contrariis defendat; hinc ad conservationem Naturæ hi duo appetitus, ut duo præsidia, & propugnacula, tendunt. Si enim Deus dedit igni inanimato inclinationem sursum in suam sphæram, ubi conservaretur non extinctus, & simul eum munivit calore, ut à contrariis, in ipsius destructionem conspirantibus, se præservet, non est cur cum naturis animantium perfectioribus, similiter, imò eò magis providum, non laudes, & prædices Deum.

Qui dat formam, dat consequentia ad formam; hinc Deus dans Naturæ appetitũ ad conservationem, consequenter dat impetum ad conservantia, & ad releganda, & vincenda conservationis impedimenta; ad primum appetitus *concupiscibilis* inclinat, ad secundum *irascibilis* tendit.

Imò cur non reflectas, quòd etiam brutis non solùm summus providus Author dederit inclinationem, & appetitum ad ea, quæ sint conservatio vitæ, *homini* ad alimenta, tegumenta, domicilia, item & vim irascibilem, ut à contrariis se defendant, sed addiderit *brutis* naturalia arma, ut pro incolumitate certent? Dedit dentes cani, cornua tauris, ungues, dentesque leonibus, sic & aliis; leporibus, & cervis celeritatem in fuga pro armis dedit, avibus his in veloci volatu; aliis simul ungues, & rostra adunca dedit; hominem, quia animal nobilissimum, *intellectu* dotavit, & *manibus*, cum quibus pro præsidio, & defensione *juxtà Rationem*, armorum, & alimentorũ genera cuncta essent.

Et

Et quidem homo, quid appetis pro conservatione naturali vitæ sensitivæ, & corporeæ? *assequi* sensibile bonum, *fugere* sensibile malum; hoc appetis absolutè, secundùm se, & ex terminis; hoc autem ad appetitum *concupiscibilem* attinet, quia concupiscis naturaliter hæc. Ponamus nunc, quòd illud bonum sensibile, quod appetis *assequi*, sit arduè, & difficulter *assequibile*; ponamus, quòd illud sensibile malum, quod appetis *fugere*, & cavere, sit arduè, & difficulter *vitabile*, quomodo sine appetitu *irascibili*, ministrante vigorem, & animum ad vincenda obstacula, sensibile bonum *assequeris*, sensibileque malum vitabis? est ergo duplex iste appetitus, pro conservatione *Naturæ*, luce meridiana clarior.

Sunt, qui appetitum sensitivum dividant in *concupiscibilem*, *irascibilem*, *& libidinosum*; at hæc est divisio appetitus inordinati; imò *libidinosus* inordinatus etiam includitur in *concupiscibili* inordinato, quatenus inordinatè *concupiscit* bonum sensibile delectabile. Ordinatè autem impetus, sive appetitus *juxtà Rationem* ad propagationem speciei, etiam in *concupiscibili* ordinato continetur, sicut in toto pars.

Hos autẽ duos appetitus inordinatos ænigmaticè indicarunt Sapientes Poetæ (non leves, & garruli) per *Chimæram*, *& Cerberum trifaucem*.

Chimæra (inquit noster F. Ambrosius Calepino) est Lyciæ mons igni-vomus, in cujus cacumine *leones* habitant; in medio autem, ubi pasculis abundat, *capræ*; in radicibus autem *serpentes*. Hinc factus locus fabulæ, *Chimæram* monstrum esse, quòd *flammas* evomat, caput, & pectus *leonis* habeat, ventrem autem *capræ*, & caudam *draconis*; & quoniam *Bellerophontes* montem hunc habitabilem reddidit, Chimæram occidisse fingitur. Fuit autem *Bellerophontes*, sive *Bellerophon* Regis Ephyræ filius, inclyto decore conspicuus, & virtutis maximè; hic cum hospes à Stonobæa uxore Præti de coitu interpellatus esset, veritus hospitalis Jovis iram, fœminam repulit. Unde exardens repulsa mulier apud virum hospitem innocentem accusavit, qui hospitii jure motus, illum interficere domi non sustinuit, sed datis codicillis, sive literis, ad Jobatem socerum, in Lyciam misit. Lectis ergo codicillis Jobates in ultionem criminis, ad Solymos domandos, *Bellerophontem* misit, ut sub prætextu memorabilis pugnæ interiret. Verùm cum & Solymos facilè vicisset, & aliis plerisque periculis obiectus victor semper rediisset, postremò ad interimendam *Chimæram* missus est; quem etiam laborem, Pegasum equm alatum, natum è Neptuno, & Medusa, ascendens, summa cum laude superavit. Quapropter Jobates virtutem juvenis admiratus, alteram illi ex filiabus cum regni parte dedit uxorem.

Hæc jam *historicè*, jam *physicè*, jam *Ethicè* explicant; ad nos *Ethica* explanatio attinet. Cum *leo* sit symbolum *iræ*, sicut & ignis symbolum *iræ* est, ideoque *iratus* nimis dicitur evomere *flammas*; cum item *capra* sit symbolum *concupiscentiæ*, quia libidinosa est, & teneriora germina appetit; cum item *Draco* sit symbolum *peccati*, quod veneno occidit, & cauda suffocat, hinc per *Chimæram* monstrum cum anterioritate *leonis*, ore vomente *flammas*, & cum medietate *capræ*, voluerunt innuere immodicos appetitus *irascibilem*, *& concupiscibilem* in sensu; quibus ideò data cauda *draconis*, quia *peccatum*, & *mors* sunt fines, & extrema hujus duplicis appetitus, si sit inordinatus; peccatum, & mors sunt cauda inordinati appetitus, & huc ex Philosophia morali symbolica Pythagorica, *cavendum ab his, quibus sit nigra cauda*. Solonis erat vox, *Respice finem*; ergo provide, vide procul, prævide, & si *niger sit finis*, id est, infelix, & nocivus, *absline, cave*.

Bellerophontis autem nomine intelligitur *Ethicè* virtus; diciturque Bellerophon vicisse insidias, & monstra, quia virtus, sive sapientia *vera*

(alati Pegasi auxilio, id est acuti ingenii prudente acumine, & diligentia veloci, & impigrâ) ardua omnia vincit.

Jam quorsum *Cerberus triceps*? *Cerberus* à Poetis (inquit ipse Calepinus) fingitur esse *canis triceps*, inferorum custos, quem ab Hercule catenâ ab inferis tractum esse, iidem fabulantur. Mythologi terram interpretantur, dictumque volunt *Cerberum* à voce Græca, latinè *carnem vorantem*; quòd terræ proprium est, quæ consumit omnia sibi credita corpora. Alii *serpentem* fuisse volunt, cujus veneno mortales extinguebantur, & quoniam in Tænaro Læconiæ promontorio ad inferos dicitur esse aditus, Ditis canem dixerunt, & janitor inferni; quem serpentem cum Hercules trucidasset, nata est fabula, *canem tricipitem* interemisse. Addunt, quòd *Cerberus* janitor orci, venientes recipiebat placidè, cum caudâ plaudens, & cum lætitia; at volentes exire terrebat dentibus, & latratu. Adjiciunt, quòd venenum spumabat ab ore, imò è capite angues pro villis pendebant. Alii fingunt in ipso *tria* capita, alii *quinquaginta*, alii *centum*; & ipsi erat draconis cauda. Aliter dicunt, Herculem ab inferis illum extraxisse ad auras, Cerberumque, visa luce, evomisse venenum.

Mitto physicos sensus; *Ethici*, sive *Morales* nos advocant. Nomine Cerberi intelligunt *avaritiam*; diciturque Cerberus apud inferos, quia avarus thesauros occultat sub terra. Dicitur *janitor orci*, quia avaritia est janua inferni. Dicitur Cerberus *tria*, *quinquaginta*, *centum* habere capita, quia sunt numeri symbola multitudinis, & multa peccata etiam capitalia pullulant ex una radice, sive collo avaritiæ, tonante Paulo: *Radix omnium malorum avaritia est.*

Dicitur Cerberus evomere venenum, & è capite pendere angues pro villis, quia obliquę, malignæ, dolosæ, venenatæ sunt omnes cogitationes avari, cogitationum enim symbola sunt capilli; item sunt verba dolosa, maligna.

Dicitur Cerberus, habere caudam draconis symboli peccati suffocantis veneno, & caudâ, spiritum, & moraliter animam, quia perire est avaritiæ finis.

Dicitur canis Cerberus, omnibus ingressuris placidissimè adblandiri, egressuris terrificis dentibus, & latratu resistere, quia avarus omnes opes placidissimè recipit, at ne egrediantur, tenax, & ferus resistit; etiam ne fiant necessarii sumptus, virus evomit, reclamat iracundè terrificus. At *Herculem*, per quem intelligitur *virtus*, dicitur, intermisse Cerberum, quia virtus enecat vitium.

Dicunt aliter, Herculem eduxisse Cerberum ad auras ex inferis, quia virtus thesauros, quos avaritia occultat sub terra, extrahit ad publicum beneficium.

At ad præsens nomine *Cerberi* intelligitur corpus, sive *sensus*; qui dicitur *inferni janitor*, tum quia est portio *inferna* hominis, tum quia est janitor *inferni* immodicarum, & tumultuantium *passionum*, sive *perturbationum*, cum quibus est more *inferni* confusio, & perturbatio in homine; est sensus janitor inferni vitiorum, unde januam aperit inferno æterno pœnarum post mortem.

Dicitur *Cerberus* ingressuris adblandiri placidè, terrificè autem dentibus, & latratu, egressuris resistere, quia sensus placidè, jucundè, delectabiliter recipit vitia, januam aperit lætus *passionibus* sensitivis *immodicis*, *vitiosis affectibus*; at si velis postea vitia repellere, exterminare ab inferno sensus passiones pravas, & vitia, tunc Cerberus *sensus* latrat, resistit; ergo ex Philosophia morali Proverbiali *principiis obsta*, januam sensus præcludat

dat Ratio clave virtutis, nec claves permittat Cerbero ſenſui.

Dicitur Cerberus *triceps*, & tribus hiantibus oribus; caput *triplex* indicat ab eodem *ſenſu triplicem* inordinatum appetitum, *iraſcibilem*, *concupiſcibilem*, *& libidinoſum*; & congruè figurantur *capita*, & ſtygii fontes.

Effigiantur ore *hiante*, quia appetitus *iraſcibilis* inhiat vindictam, *concupiſcibilis* utilia bona, *libidinoſus* bona ſenſibilia delectabilia ore hiante, & aperto, inhiat, adſpirat, ſitibundè appetit. *Febribus* vindictæ, avaritiæ, ambitionis, libidinis *tres relati appetitus* torrentur, ideò *hiante* ore aquas fluxas, & fugitivas ſenſibilium bonorum immodicè ſitibundè appetunt, & phrenetici contra medicam rationem, fervente delirio, contrà ipſam rebelles, mediocritatem, in qua conſiſtit ſanitas virtus, non tolerant, & ad læthales exceſſus rapiuntur inſanè præcipites.

Hinc congruè à ſapiente Poeſi compoſitum, quòd *Cerberus* evomit venenum, & angues in capite habeat pro villis, quia ſenſus ſic vitiatus quid niſi mortale peccati venenum diſtillet? Quas cogitationes, in capillis ſignatas ſymbolicè, habeat miſer homo ſenſui ſubditus, niſi obliquas, & tortuoſas more repentis ſerpentis? Quas habeat in via, & lege Domini rectas? anguineas habet, terrenas, voluptuoſas, vindicativas; more ſerpentis hæret corde, & pectore, ideoque affectibus, terræ. At quæ his exceſſibus cauda? quod extremum? quis finis? cauda draconis, venenum peccati occidens, diabolus, in dracone ſignatus, ſuffocans, & occupans hominem.

At Hercules, *virtus*, hoc monſtrum occidit, & hominem ad decorem rationalitatis reſtituit; *ipſa* Cerberum ſenſum extrahit ab inferno vitiorum, & ad auras vitales elevat, cum ſenſus *Rationi* ſubjicitur, & hinc *rationalis* per participationem redditur; cumque ſic ad auras, & lucem, *rectæ rationis* ſalubres evehitur, evomit virus vitiorum; unde purgatione facta, remanent ſani animus, & ſenſus; ſunt enim *paſſiones immodicæ ſenſus* etiam *animi morbi*, cum quibus ægrotat, cum ſocium corpus vitioſè tabeſcit.

Etiam ſenſus ſignificatus eſt per *Vulcanum* in ſpelunca cum *tribus* Cyclopibus; eſt figuratus Vulcanus faber, ferrugineus, nudus, Pigmæus, deformis, claudus, non acceptus ad menſas Deorum, cum pileo in capite, ipſi conjux Venus, non meruit Minervam habere conjugem; leones, & canes Vulcano dicarunt; addunt Cyclopes miniſtraſſe arma Jovi contra Gigantes; alia mitto, ne in nimium abeam; & ne morer, ab explanatione phyſica abſtineo, ad *Ethicam* tranſeo, procul ab omni *Gentilitia* ſuperſtitione.

Vulcani ſpelunca ſignat *ſenſum* in corpore. *Tres Cyclopes* figurant *triplicem* appetitum ſenſus *iraſcibilem*, *concupiſcibilem*, *& libidinoſum*. Hi tundunt, ſtrepunt in officina ſenſus, contrà *Rationem*. Vulcanus ſupponit pro *igne*, & ſignat in ſenſu calorem appetitus, & febrem, qua æſtuat, & ardet, ut *vindictam*, bona ſenſibilia *utilia*, *& delectabilia* immodicè appetat. *Relati tres appetitus* ſi ſiſtant *in medio*, in quo conſiſtit *virtus*, & *Rationi regenti* obediant, miniſtrant Jovi (per quem intellecta etiam fuit *Ratio*, *mens*, ſive portio *ſuperior* hominis) arma contra Gigantes, quià contra monſtra gigantea vitiorum (ſi tales *tres* appetitus ſint æquati, & obedientes *rectæ rationi*) miniſtrant virtuoſos actus temperantiæ, fortitudinis, continentiæ, qui à ſenſu *eliciuntur*, & in ipſo *ſubjectantur*, licèt *imperativè*, *& regulativè à Ratione*, *& voluntate*, pendeant. At cum *Vulcanus* nempe *ſenſus*, & *tres* Cyclopes nempe *tres* relati appetitus in ſpelunca, & officina corporis, ſe habent *immodicè*, nec *Rationi* regenti obediunt, ſunt deformes, nudi à rectitudine virtutis; ſic etiam *Vulcanus*, nempe ignis *ſenſus* deformis eſt, & claudus, nec rectè incedit, claudicat à ſemitis rectis,

nec

nec tendit ſurſum rectus ad Rationem, & Deum; nam etiam apud ſacras literas dicuntur, & ſunt claudi, qui greſſum bonorum operum perdiderunt, & qui divina præcepta non implent; & apud Levit. cap.21. D. & Deuteron. cap. 15.B. & Pſalm.17. & Prover.cap.26.A. & apud Lucam cap.14.C. claudicans erat Synagoga, quæ non benè incedebat in lege Domini; claudique dicuntur, qui non benè in lege Domini incedunt. Hinc Vulcanus effingitur non admiſſus ad menſas Deorum, quia homo, cujus ſenſus ſic ſit claudicatione morali vitiatus, eſt odioſus Deo, & cœleſtibus incolis, animuſque ipſius, quia ſenſum non coercet, claudicat.

Pileus datus Vulcano cum ſit *ſuprà caput ejus*, ſignat *Rationem*, quæ eſt in homine ſuperior *ſenſui*, & illi iſte ſubjici debet.

Vulcano Venus effingitur data *conjux*, quia ſi Vulcanus ſupponit pro igne, & Venus ſponſa Vulcani pro libidine, ignis, ſive calor ſenſus immodicus eſt libidini ſtimulus.

Dicitur, Vulcanum conjugem non meruiſſe Minervam, per quam à ſapientibus (procul ab idolatriæ odore) intelligitur *vera Sapientia*, item *virtus vera*; at Vulcanus effingitur, Minervam non meruiſſe conjugem, quia ſenſui impuro nullum eſt cum virtute conſortium, nec in malevolam animam introibit Sapientia.

Leo, & *Canis* Vulcano dicati *paſſiones* (in explicatione Scyllæ relatas) indicant immodicas ſenſus, & ſocias ipſi, cum à regimine *Rationis rectæ* divertit, & perverſo ordine, *Ratio* corrupta, & vitiata, ſubjicitur *ſenſui*. Vide pag. 38. & 44. in alio ſenſu.

CAPUT V.

Vnde homini relata calamitas inordinationis Paſſionũ, *& tot mala; eſt in dicatũ à Poeſi ſapiente per MEDUSAM, PANDORAM, PARCAS, FURIAS, FLVMINAQVE INFERNI.*

MEduſam dicunt aureis capillis, & venuſtate ita pulchram, ut omnium oculos ad ſe converteret; at quia coivit in templo Minervæ (quæ eadem ac Pallas) cum Neptuno, Dea irata eam à templo repulit, & capilli aurei Meduſæ ſunt converſi in ita horridos angues, ut omnes jam ab illa oculos, & faciem averterent, convertebanturque in ſaxa, qui illam reſpicerent. Alii effingunt, id ſupplicium contigiſſe, quia Meduſa capillis aureis comata, & pulchritudine ſpecioſa, auſa ſit contendere de pulchritudine cum Minerva. Cum autem multi illam ſpectantes, converterentur in ſaxa, Minerva miſerta calamitatis, miſit Perſeum, qui illam occideret. Hæc de Meduſa pro vitæ inſtitutione Morali ſufficiant ad præſens. Explanemus.

Scimus, quòd univerſæ Philoſophiæ Moralis (inter alia) præcepta occultantur ſub his Poeticis figmentis; ante Ariſtotelis enìm, & Platonis tempora, apud antiquiores Philoſophos Homerum, & alios (nam antiquitùs inter Græcos Philoſophi erant Poetæ) omnia Philoſophiæ Moralis, & Naturalis dogmata occultè, obſcurè, & non apertè tradebantur ſub quibuſdam figmentis, ut illam Philoſophiam arcanicam Ægyptiam à vulgo, ſive plebe arcerent, ne familiaritate, & vulgaritate ſapientia vileſceret. Cumque aliæ fabulæ ſolùm ſenſum *hiſtoricum*, aliæ ſolùm *Philoſophicum Naturalem*, aliæ ſolùm *Ethicum*, ſive Moralem ſenſum involvant, tamen id

eſt

est observatum in Græcorum fabulis, quòd *triplicem* sensum simùl continere soleant. Hìnc illas scientias, quas S. Abraham docuit Ægyptios, ab his acceperunt Græci; item ab Hebræis, & sanctis hominibus Hebræi populi, & à Scripturis sacris Hebræorum, acceperunt Græci multa; at cuncta, quæ accipiebant, sub involucris fabulosis occultabant. De illis hieroglyphicis Ægyptiis datis ab Abrahamo ex Noe, patet, quòd primùm fuerunt instituta ad sanitatem, & Religionem, & Dei cultum, ad probitatem, fidem, justitiam, & innocentiam, & scientias, licèt postea Diabolus fraudulentus per sceleratos homines, & imperitum vulgus in perniciem, & superstitionem, & idola, converterit. Est, qui etiam opinetur, fabulas antiquorum Græcorum Philosophorum Poetarum sic similiter puro fine fuisse confictas, postea à Diabolica fraude per iniquos homines, & vulgus ignarum, quod rem non caluit, fuisse in ruinam conversas. At de Græcis Philosophis Ethnicis antiquis Poetis, non ità *purè* existimo; fateor, quòd voluerint occultare sub involucris fictitiis sacras Doctrinas, quas potabant ab Hæbræis; at delinquentes fuerunt, quia debuerunt vitare involucra superstitiosa, superstitiosaque vocabula inaniũ Deorum, qui jam putabantur Dii à cœcis Gentilibus. Videamus nunc, quid ex nostris sacris literis per Medusæ figmentum intenderint innuere, quòd ad præsens nostrum institutum pertineat.

Nomine Medusæ pulchræ, aureisque capillis (qui sunt cogitationum, & scientiarum, habituumque animi symbola) intelligere potuerunt Naturam humanam à Deo creatam pulchram corpore, item animi scientiis, & habitibus congruis ornatam. Nomine Minervæ intellexerunt Sapientiam; nomine Neptuni, qui supponit pro mare, quod est salsum, & est symbolum appetitus voluptuosi, & pruriginosi, intelligitur appetitus sensitivus; itaque Natura humana creata pulchra in templo Minervæ *purè* intellectæ, nempè in Paradiso terrestri plantato à divina Sapientia, coivit cum inordinato appetitu sensitivo comedendi de ligno vetito; hinc Minerva, nempe Divina Sapientia irata, Naturam humanam ejecit è templo, dum Adamum, & Evam relegavit à Paradiso exules; unde ex illo peccato venerunt Naturæ humanæ tot mala, deformitas per peccatum, horror, capilli anguinei, nempè cogitationes pravæ, passioneſque vitiosæ in sensu serpentes. Qui Medusam nempe Naturam humanam primitùs speciosam, & auream, viderat, post peccatum ità inspiceret horridam, in saxum converti compositum, quia stupor, more saxi, reddebat immobilem; quare & perterriti, & stupore confusi fuerunt Adam, & Eva, cum se viderunt nudos, & à pristina felicitate in talem elapsos miseriam.

Potuerunt etiam nomine Neptuni, quod supponit pro mare, & flexuosè fluit, & symbolum (quia salax, & libidinem irritans) voluptatis est, intelligere serpentem, qui decepit Evam, effingiturque Medusam coivisse cum Neptuno, quia Eva serpenti credidit; & hìnc relatæ contrà Medusam pœnæ.

Quòd aliter alii effingunt, prædicta mala accidisse Medusæ (per quam intellexerint *humanam naturam*) quia ausa est de pulchritudine, aureisque capillis contendere cum Minerva (per quam est intellecta *Sapientia*) potuit apud Poetas conspirare ad innuendum, quòd Natura humana appetivit *Sapientiam æqualem Deo*, cum Eva crediderit serpenti, dicenti, quòd si ederent de ligno vetito, essent *sicut Dii, scientes bonum, & malum*; hìnc nostræ naturæ humanæ calamitas, hìnc damna, hìnc pœnæ.

Addunt, quòd Minerva miserta calamitatis miserit Perseum, qui truncaret Medusam; quòd huc respectare, conjiciunt aliqui eruditi fabularum interpretes, quòd *Divina Sapientia* nostræ calamitatis miserta, misura erat

(quando

(quando hæc ab illis antiquissimis Græcis Poetis artificiosè involvebantur) *Perseum*, cujus nomine *Salvatorem* tunc *futurum* intelligunt, qui Medusam truncaret, id est, deformitatem nostræ naturæ occideret; quòd est factum, *cum mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit*. Nec in interpretatione hujus, & similium fabularum, omnia petas ad unguem accommodata, & explicata, quia multum involvebant, & addebant, ut magis occultarent arcanum, & ne unde à vulgo ignaro, & otiosis, perciperetur, odor esset, si ipsi non explicarent eis, quos dignos sapientiâ putarent.

Etiam nomine Medusę coeuntis cum Neptuno in templo, intellexerunt voluptatẽ libidinosam, & sacrilegam in templo, & loco sacro; perque pœnas inflictas Medusæ supplicia, quæ ultor Deus fulminat contrà impuros sacrilegos, profanatoresque templorum, voluerunt indicare; sicut & quantæ ruinæ sit incautis puellis nimia pulchritudo occasio, quæ nec in templo sint tutæ ab aliquo Neptuno impuro, qui deformet, deturpet, & labefactet.

Si autem (ut alii effingunt) fuit calamitas Medusæ derivata ex eo, quòd de pulchritudine, & aureâ cæsariæ ausa sit contendere cum Minerva, hinc pro institutione vitæ nostræ, fuit Poetis propositum significare damna ex arrogantia, & superbia, maximè contrà Divina, Sacra, & Cœlestia.

Tandem ab ea aurea coma Medusæ derivatam effingunt ipsius ruinam, inde enim Neptunus effingitur amore captus; O fœminæ, o juvenes, mementote, quòd aurei capilli convertuntur in horridos angues; crementur suppositiciæ aureæ, & annulatæ comæ; arceantur, si sint naturales; rade, ut radatur calamitatis occasio.

Quid de *Pandora*? alibi dictum, effingi à Poesi mulierem gratiosissimam, & formosissimam, antequam nullus fuerat fœmineus sexus; quam ut exornarent, competebant Dii; *Venus* dedit pulchritudinem, *Mercurius* sermonem, sive locutionem suavem, & facundam, *Apollo* musicam harmoniam, *Minerva* Sapientiam &c. ea habebat in manu pyxidem, in qua claudebantur omnia bona; vanè curiosa voluit examinare, quid esset intus, aperuit pyxidem, tunc omnia bona avolarunt, vas malis est impletum, & sola spes remansit in labris vasis.

Hoc figmentum congruè etiam conspirat, ad innuendam naturam humanam à Deo creatam perfectam; pyxis in manu innuit, quòd in vase corporis Eva, sicut Adam, multa includebant bona, item quòd in manu hominis erat amplum vas Mundi, nam cuncta Deus creavit propter hominem, & ut præesset; Eva curiosa voluit videre, quid esset extra paradisum, occurrit serpens, & decipit; hinc avolarunt bona, venerunt mala, & sola remansit spes remedii per Salvatorem, Adamo jam pœnitenti promissum ad sui, & filiorum consolationem. Multos sensus una solet continere fabula; nec ad unum sensum pertinent cuncta, quæ in eadem fabula sunt composita, sed alios sensus connotant. Quæ dixerim (addens suprà dictis) ne pro uno sensu petas cuncta, quæ in aliqua fabula sint figmenta; nec respuas à parte fabulæ unum sensum, quia fortè tali sensui alia pars fabulæ appareat opposita; nam & cum ista oppositione occultiùs Poetæ involvebant arcanum, ne aliis (nisi explanare vellent) fieret notum.

Etiam per fabulam Pandoræ voluerunt Poetæ innuere vanam curiositatem fœminarum, & multa mala nata ipsis ex curiositate vana, & innumera mala propter pulchras fœminas accidere, ut ideò Hesiodus finxerit; Panndoram missam à Jove in hominum perniciem, ut innueret, fœminas esse malorum originem.

Alii aliter fabulam recitant; ajunt, in pyxide Pandoræ omnia fuisse

inclu-

fuisse inclusa mala, fuisse pyxidem omni malorum, & morborum genere refertam; quam cum vana curiositate aperuisset, innumerabilia calamitatum genera tum primùm homines invaserunt, una tantùm spe in labris remanente *pyxidis*, quam alii fabulantur fuisse *dolium*. At ut sic, innuit Poesis Pandoram, id est, Naturam humanam, Evamque, felicem cum possessione tali omnis boni sibi congrui in paradiso in statu innocentiæ, ut omnia mala essent, ut ita dicam, clausa, præclusa, ne possent nocere; at Pandora dicitur aperuisse pyxidem, cum Eva consensit serpenti, vidit lignum vetitum, aperuit os, ut comederet fructum, & viro dedit, & iste consensit, & aperuit etiam os, ut ederet; tunc mala, quæ finguntur inclusa, ne possent nocere, avolarunt ad ipsos, & posteros, & cunctos infecerunt. Mythologi *Pandoram* ad *corpus humanum* referunt, nomine enim fœmineo indicatur (ut dictum alibi) *caro*, sive *sensus* portio *inferior* hominis; hæc aperuit pyxidem, ut omnia mala avolarent ad homines, dum primi parentes comederunt de ligno vetito; vidit Eva fructum, quòd esset pulcher ad vescendum, comedit; ecce *corpus*, ecce *sensus*, ecce *caro*, ecce *Pandora* aperuit pyxidem, unde mala avolarunt ad nos, quæ nos vexant. Tunc primi parentes pati incœperunt; quod amiserant bonum, scierunt; & huc ex Philosophia Morali Proverbiali adagium, *Malo accepto stultus sapit*.

Damna nobis à primo peccata illata etiam per *Fluvios inferni* Satis Poesis plorabat. Flumina inferni dicta à Poesi *Styx*, *Lethe*, *Cocytus*, *Phlegeton*, *Acheron*. Ex quibus *Lethe* interpretatur, oblivio, *Phlegeton* avernalis ardor, *Styx* mæror, *Cocytus* luctus, sive amaritudo, *Acheron* fluvius dolorum.

Primò, Dicuntur fluvii *inferni* à Poesi sapiente, ad innuendas damnatorum pœnas.

Secundò, cum etiam nomine *inferni* intelligeretur hæc portio inferior Mundi, innuerunt pœnas, quibus immergitur orbis, & hæc vita mortalis, ubi *oblivio* nostri muneris, *avernalis ardor* Belli, iræ, & concupiscentiæ, *mæror*, *luctus*, *amaritudo*, *dolores*.

Tertiò, etiam nomine *inferni* intellexerunt portionem *inferiorem* hominis, nempè *sensum*; ex cujus rebellione est nobis *Lethe*, id est, oblivio rerum cœlestium; *Phlegeton*, id est, avernalis ardor libidinis, tartarea flamma immodicæ iræ; est nobis *Styx*, idest, in corpore, & animo mœror; est nobis *Cocytus*, id est, luctus, & amaritudo vitæ, sive vita amara inter adversa, & morbos; est nobis *Acheron*, id est, fluvius dolorum, quibus submergimur. Hi fluvii percurrunt infernum, nempè corpus, & animam perturbant, cum in inferno corporis est.

Quartò, voluerunt innuere animi hominis (jam, jam morituri) perturbationes.

Primum fluvium, quem animas morituroru pertrãsire effingebant, est *Acheron*, qui interpretatur *fluvius dolorum*, & innuit *dolores* illos, quos patitur moriturus homo vicinus morti non solo corpore, sed animo, cum cogitat prœterita crimina, de quibus timet, reddendam rationem, & pœnas post mortem; profluit hinc *Phlegeton*, qui interpretatur *avernalis flamma*, cum moriturus, qui vitam scelestam egit, timore inferni torquetur; hinc succedit *Styx*, idest, *mœror*, sive *amaritudo* animi, & corporis; hinc *Cocytus*, idest, luctus, & gemitus ipsius, tum propter dicta, tum quia relinquit in mundo chariſſima, & ab ipsis divellitur; item & *Cocytus*, qui *à querelis*, *& lamentationibus* dicitur, innuit conjunctorum, & amicorum lamentationes, lachrymas, suspiria ex anxio corde. Jam moriturus cum est in mortali sopore, anxiaque agonia, fluit *Lethe*, qui interpretatur *oblivio*, quia

tunc ſopitus obliviſcitur ſęculi; vel cum moritur, pertranſit fluvium *Lethe*, quia mors eſt cunctarum ſęculi rerum oblivio. Nec quis ad inferos, nempe ad mortem, & ſepulchrum deſcendit, niſi (ſi agnoſcat ſe moneri) per hos fluvios amaros, id eſt, per has turbulentiſſimas animi cogitationes deſcendens; imò ex quo naſcitur homo, fluvios hos amaros navigare incipit.

Alii exponunt, quòd *Acheron* eſt *dolor* ille (ſive triſtitia) quæ naſcitur in homine morituro è præteritarum recordatione ſcelerum; hinc debet fluere *Styx*, id eſt, *mœror* de peccatis commiſſis; debet ſuccedere *Cocytus*, id eſt, luctus, & gemitus, nempe pœnitentia. *Phlegeton* autem id eſt, *avernalis flamma*, quæ imminet, ſi ſine pœnitentia deceſſeris, ad pœnitendum etiam ſtimulet. His factis effingunt *Charontem*, qui animas trajiciat; interprætatur enim *lætitia*, & innuitur conſolatio, quam moriturus, pœnitentiâ facta, ſpe veniæ acquirit. Etiam nomine *Charontis* ſquallidi congruè intellexerint *agoniam* morituri, & *expirationem*; ſi enim de *Charonte* effingunt, quòd *trajiciat* animas ex fluviis inferni, nempe pœnarum, quibus vexatur ægrotus, ad oppoſitam ripam, agonizatio ægroti expirantis animam ipſius quaſi trajicit ad ripam oppoſitam huic ſæculo, nempe ad æternitatis regionem; ægrotuſque expirans ſquallidus eſt.

Hinc ſuccedit *Canis Cerberus* janitor orci, nempe terra, ut corpus in ſepulchro recipiat, & voret.

Addiderunt Poetæ tres Furias *inferni*, quæ *primò* innuunt in parte iſta inferiori orbis *bellum*, *famem*, *& peſtem*, propter ſcelera hominum; ideò dictæ ſunt ad hominum vindicem pœnam propter crimina miſſas à Jove, ut innuerent, quòd his tribus Furiis Deus punit crimina hominum. *Secundò*, in inferno, nempe in ſenſu, ſive corpore noſtro, innuunt tres paſſiones immodicas *iram*, *concupiſcentiam*, *libidinem*; dictæ *Furiæ* à furore, quo iſtæ paſſiones agitantur in nos. Videas ipſas figuratas cum tœdis, & anguibus vicecapillorum, & in manibus, ut indicetur ater ignis, & avernalis harum paſſionum, quæ more anguium ſerpunt in corpore, & agitant animum, & opera ſignificata in manibus edunt voluptuoſa, obliqua, veneno peccati ſerpentina, & horrida.

Etiam per has *tres Furias* in morituro, jam imminente morte, poſſunt ſignificari *memoria* præteritorum criminum, *cognitio* periculi prę ſentis, cum præſente remorſu conſcientię, *prævidentia* pœnæ futurę, cujus homo, qui deliquit, eſt reus. Iſtæ *tres* conſiderationes animum morituri affligunt, vexant, trium Furiarum more.

Addiderunt Judices inferni tres *Minoem*, *Radamanthum*, & *Æacum*; cum enim vulgus imperitum non intelligeret præmia, & ſupplicia, quæ poſt mortem Divina Juſtitia decernit, illi Poetæ, ut vulgus arcerent à vitiis, effinxerunt *hos inferni judices*, quos poſt mortem animas mortuorum judicare effingebant. Cuncta, ajunt, tendebant, & ut homines arcerentur à vitiis, & ut cogitationes, & timores jam jam morituri propter imminens judicium indicarentur, & ut morituri judicium prævidentes, ad pœnitentiam acuerentur.

At Plato, cui hæc figmenta attribuuntur Authori, fuit reus; non enim gravia, & neceſſaria vera intelligentia digna, debuit occultare ſub ſuperſtitioſis etiam judicum fabuloſorum involucris, ſed clarè, & nudè docere; cum ex fabuloſo iſto more docendi apud vulgus ignarum errores induxerit, putabat enim gens ignara, ut ſonat; & Charontem ità verè putabant animas trajicientem, ut ſuperſtitioſè in ore cadaveris poſuerint in ſepulchro monetam, qua Charonti trajicienti putato defunctus trajectionem ſolveret.

Fig-

Figmentum trium *Parcarum* (de quo pag.537.) ad innuendum à primo instanti vitæ cursum nostrum ad mortem, conspirat.

Has legisti pœnas, has nobis miserias. Sed unde manarunt? Hesiodus effingit Parcas *Noctis* filias. Lycophron *Eumenides*, id est, *Furias* dicit *Noctis* filias. Hesiodus Charontem *Erebi*, & *Noctis* filium; cumque Nox sit symbolum peccati, *à peccato* has ærumnas cum fluviis amaritudinum nobis derivatas, ex sapientibus Hebræis, Poetæ innuunt.

Si alios parentes,& originem fluviis inferni alii tribuant,symbologiam cum peccato habent. Et quidem in sacris chartis habemus, quòd *per peccatum mors introivit in mundum*; & aptè *peccatum* intelligitur nomine *Noctis*, quia à peccato Adæ tenebræ factæ sunt super universam terram, quousque natus est Sol justitiæ Christus, qui solvens maledictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. Hinc & ab Hebræis acceperint Poetæ dicere *Noctem nutricem Mortis*, quia à nocte peccati est nata, & nutrita *Mors*; & si *Nox* à *nocendo* dicitur (quia *noctis* humor est infestus hominibus, ut testantur febre, & scabie, & morbis affecti, qui gravius vexantur in nocte, & morbi pernoctem graviores fiunt, pœnaliùsque infestant) patet, à nocumentis, quæ intulit *peccatum*, congruè à Poesi ex Hebræis indicatum fuisse peccatum sub metaphora, & nomine *Noctis*; & *Noctis*, id est, *peccati* mala, quæ patimur, esse soboles.

Sic & per Eurydicem à serpente percussam, & hinc descendentem ad inferos, fuit indicata à poesi natura humana læthaliter à serpente percussa, cum fraudi serpentis credidit Eva; hinc ad pœnalitatum, & inordinationis, & confusionis rebellium sensus passionum, descendimus inferos. Vide pag.434.

Perque *Lampodophoria*, in quibus cursores accensis facibus currebant, indicarunt præsentis vitæ cursum molestiis, & perturbationibus plenum, quæ si cessent, à vitæ cursu cessandum est; nulli est speranda quies, dum vivit; lampades cursores priores dabant succedentibus, quia cum parentes dant filiis vitam, simul lites,morbos, ærumnas corporis, perturbationes animi tribuunt; at horum fuit peccatum stygius fons, & origo.

CAPUT VI.

AUGUSTINUS explicat, omnia mala, quibus vexamur, animique & corporis passiones, & perturbationes, *esse pœnam primi peccati, à quo ut avernali fonte manare; quæ non patiebatur homo ante lapsum.*

HUc Sanctus Pater Augustinus gemit, & dolet. Itaque lib. 14 de Civitate Dei, cap. X. explicat, primos homines(Adamum, & Evam) „ in paradiso constitutos, nullis *perturbationibus*, priusquam deliquerint, „ fuisse affectos. Quid autem, ait, timere, vel dolere poterant,illi homines „ in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ul„ la corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas „ adipisceretur, nec inerat, quod carnem, animumve hominis fœliciter „ viventis, offenderet? *Amor erat imperturbatus in Deum*, atque inter se „ conjugum fida, & syncera societate viventium, & ex hoc amore grande

„ gaudium, non desistente, quod amabatur ad fruendum. Erat *devitatio*
„ *tranquilla peccati*, qua manente, nullum omninò aliunde malum, quod
„ contristaret, *irruebat*. Hæc S. Pater ibi.

„ Qui paulò infrà addit: *Quàm* igitur felices erant primi homines,
„ & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum læde-
„ bantur incommodis! Tam felix universa societas esset humana, si nec il-
„ li malum (nempe peccatum) quod in posteros trajicerent; nec quisquam
„ ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.

Hinc Sanctus Pater in eodem lib. 14. cap. XI. agit de lapsu primi hominis; & cap. XII. de qualitate primi peccati per hominem admissi; & cap. XIII quòd in prævaricatione Adæ ad opus malum mala præcessit voluntas; & cap. XIV. agit de superbia transgressionis, quæ fuit ipsa transgressione deterior, quia se excusabant; mulier, *serpens seduxit me, & manducavi*; Adam, *Mulier, quam dedisti mihi, hæc de ligno dedit, & edi*; nusquam hìc sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ; nam licèt isti non sicut Cain, quòd commiserunt, negent, adhuc tamen superbia quærit in alium referre, quod perperam fecit; superbia mulieris in serpentem, superbia viri in mulierem; sed *accusatio* potiùs, quàm *excusatio* vera est, ubi mandati divini est aperta transgressio. Capite autem XV. agit de justitia retributionis, quam primi homines pro sua inobedientia receperunt. Et inter
„ alia ait: Denique, ut breviter dicatur, in illis peccati pœna, quid inobe-
„ dientiæ nisi inobedientia retributa est? Nam quæ hominis est alia misе-
„ ria, nisi adversùs eum ipsum inobedientia ejus ipsius, ut cum noluit,
„ quod potuit, quod non potest, velit? In paradiso enìm etiam non om-
„ nia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat,
„ & ideò poterat omnia, quæ volebat. Nunc verò sicut in ejus stirpe co-
„ gnoscimus, & divina Scriptura testatur, homo (ex psalmo 143.) vanita-
„ ti similis factus est. Quis enìm enumeraret, quàm multa, quæ non po-
„ test, velit, dum sibi ipsi, id est, voluntati ejus ipse animus ejus, eoque
„ inferior caro ejus, non obtemperat? Ipso namque invito, & animus ple-
„ rumque turbatur, & caro dolet, & veterascit, & moritur, & quidquid
„ aliud patimur, quod quòd non pateremur inviti, si voluntati nostræ no-
„ stra natura omnino, atque ex omnibus partibus, obediret &c. Hæc Au-
gustinus, in quibus clarè ostendit, rebellionem sensus, passiones, & perturbationes inordinatas pœnam esse à primo peccato derivatam.

Libro autem XXII. de Civitate, cap. 22. agit de miseriis, ac malis, quibus humanum genus merito primæ prævaricationis obnoxium est, & à quibus nemo, nisi per Christi gratiam, liberatur. Et explanat: „ *Nam*
„ quod ad primam originem pertinet omnium mortalium progeniem fuis-
„ se damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis ple-
„ na, testatur. Quid enìm aliud indicat horrenda quædam profunditas
„ ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso
„ quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timo-
„ re non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum, &
„ ex hoc mordaces curæ, *perturbationes*, mœrores, formidines, insana
„ gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia,
„ adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia,
„ homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia,
„ impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contrà na-
„ turam utriusque sexus tot stupra, atque immunditiæ, quas turpe etiam
„ est dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, periuria, oppressiones inno-

cen-

„ centium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia,
„ iniqua judicia, violentia, latrocinia,& quicquid talium malorum in men-
„ tem non venit, & tamen de vita hominum non recedit? Verùm hæc ho-
„ minum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & perversi amoris radice
„ venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat, cum
„ quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est, &
„ cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere,
„ homo veniat in hanc vitam, ita ut si dimittatur vivere, ut velit, & face-
„ re quicquid velit, in hæc facinora, & flagitia, quæ commemoravi, &
„ quę commemorare non potui, vel cuncta, vel multa perveniat? Sed di-
„ vina gubernatione non omnimodo deserente damnatos, & Deo non con-
„ tinente in ira sua miserationes suas, in ipsis sensibus generis humani pro-
„ hibitio, & eruditio contrà istas, cum quibus nascimur,tenebras, vigilant,
„ & *contra hos impetus* opponuntur, plenę tamen etiam laborum, & dolo-
„ rum. Quid enìm sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis
„ parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid pędagogi, quid magistri, quid
„ ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta
„ dicit, *dilecti filii latera esse tundenda*, ne crescat *in domitus* domarique
„ jam durus, aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his pœnis
„ omnibus, nisi ut *debelletur* imperitia, & prava cupiditas refrenetur, cum
„ quibus malis in sęculo vivimus? Quid est enìm, quòd cum labore memi-
„ nimus, sine labore obliviscimur, cum labore discimus, cum labore ne-
„ scimus, cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hìnc ap-
„ paret, in quid velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura, &
„ quanta ope, ut hìnc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia,
„ negligentia, vitia sunt, utique quibus labor fugitur, cum labor ipse,
„ etiam qui est utilis,pœna sit.

„ Sed pręter pueriles pœnas, sine quibus dici non potest, quod majo-
„ res volunt, quot, & quantis pœnis agitetur genus humanum, quæ non
„ ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent,
„ miseriamque communem, quis ullo sermone digerit, quis ulla cogitatio-
„ ne comprehendit, quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus,
„ atque luctu, à damnationibus, à deceptionibus, & mendaciis hominum,
„ à suspitionibus falsis, ab omnibus violentis facinoribus, & sceleribus alie-
„ nis, quandoquidem ab eis, & deprædatio, & captivitas, & vincula, &
„ carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & privatio
„ sensuum, & oppresio corporis ad obscænam libidinem opprimentis ex-
„ plendam, & alia multa horrenda sæpè contingunt? Quid ab innumeris ca-
„ sibus, qui forinsecus corpori formidantur, æstibus, & frigoribus, tem-
„ pestatibus, imbribus, alluvionibus, coruscatione, tonitru, grandine, ful-
„ mine, motibus hiantibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab of-
„ fensione, & pavore, vel etiam malitia jumentorum, à tot venenis fructi-
„ cum, aquarum, aurarum, bestiarum, ac ferarum, vel tantummodo mo-
„ lestis, vel etiam mortiferis morsibus, à rabie, quæ contingit ex rabido
„ cane, ut etiam blanda, & amico suo Domino bestia nonnunquam vehe-
„ mentiùs, & amariùs, quàm leones, draconesque metuantur, faciatque
„ hominem, quem fortè attaminaverit, contagione pestifera ita rabiosum,
„ ut à parentibus, coniuge, filiis pejus omni bestiâ formidetur? Quæ mala
„ patiuntur navigantes?

„ Hìnc: Jam verò de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut
„ nec libris medicorum cuncta comprehensa sint; in quorum (malorum
„ corporis) pluribus, ac penè omnibus, etiam ipsa adjumenta, & medica-

menta

„ menta tormenta sunt, ut homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur
„ auxilio. Ipse postremò *somnus*, qui propriè quietis nomen accepit, quis
„ verbis explicet, sæpè somniorum visis quàm sit (animus) inquietus, &
„ quàm magis, licèt falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quod-
„ ammodo exprimit, ut à veris eas discernere nequeamus, animam mise-
„ ram sensu perturbet? Ab hujus tam miseræ, quasi quibusdam *inferis* vi-
„ tæ, non liberat nisi gratia Salvatoris Christi Dei, ac Domini *nostri*. Hæc
„ S.P. Augustinus.

In quibus aureè explicat mala nobis inducta ex primo peccato; illìnc nostras scaturire miserias, illìnc *affectus*, *passiones*, *perturbationes animi*. Et cur verba mea angusta, ferrea, & plumbea adducerem, si Augustinus verba *augusta*, *aurea*, *bonaque* eructat, & fundit? Jucundiùs accipis ex Augustino; & efficaciùs te movent à spiritu Augustini prolata.

CAPUT VII.

De Definitione PASSIONUM.

PAssionem, quæ varios sensus suscipit, in præsenti accipimus pro affectu, sive motu appetitus sensitivi. Itaque Passiones appetitus sensitivi solent dic *Passiones*, *perturbationes*, *motus*, *affectus*, *appetitus*.

Dicuntur *Passiones ab effectu*, quia *passio* sensitiva non contigit sine aliqua corporis mutatione, sive alteratione sensibili, in qua aliquid corpus patitur, non enìm contingunt sine aliquo voluptatis, aut doloris effectu.

Dicuntur *Perturbationes*, quia non contingunt sine perturbatione; nam gaudio, vel tristitia perturbamur, metu, dolore, ira, spe, desperatione &c. ut in se reflectenti patet.

Dicuntur *motus*, quia sunt impetus, semper cum illis cõmovetur sensus; & medicè loquendo, tàm in bono sensibili appetẽdo, quàm in ipso difficili cõsequendo, tàm malum fugiendo, quàm ipsum patiendo, cor afficitur, & pulsus perturbantur; & *in gaudio* cor plus solito dilatatur, ac effunduntur spiritus; in dolore verò, & timore constringitur cor, spiritusque ad centrum revocantur; hæc autem non contingunt sine motu, sive commotione; sunt enìm alterationes, & mutationes.

Dicuntur *affectus*, ab aliis *affectiones*, quia nos afficiunt aliquo motu, aliqua mutatione, alteratione, & novitate; dicuntur igitur *affectus ab afficio*, qui à tali affectu, sive motu, mutatione, novitate, alteratione, perturbatione, passione, afficicitur animus.

Dicuntur *appetitus*, quia sunt impetus, motus appetitus sentientis. Sunt enìm illa inclinatio actualis, qua appetitus actualiter tendit in bonum prosequendum, aut in malum fugiendum, aut in accepto bono quiescendum, & hæc appetit sensus.

Ista deducas ex deffinitionibus Passionum, & licèt diversis vocibus tendunt ad idem.

S. Pater Augustinus lib. 9. de Civitate Dei cap. 4. deffinit Passiones per *motum*, sic: *Passio est motus animæ*. Et Tomo 9. Tract. 46. in *Joannem*, ait: *Affectiones nostræ motus animorum sunt*. Et lib. 8. de Civitate Dei cap. 16. *Passio est actus, sive motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni, aut mali sensibilis*. Alii placuit passiones definire sic: *Passiones sunt commotiones animi, à sanguinis, aut spirituum agitatione excitatæ*. Alii sic: *Passio*

est

est motus ex affectione, seu impressione sensibili ortus. In aliquibus ex his deffinitionibus non solùm continetur *quiditas* Passionum, sed principium *excitativum*, & *elicitivum* earum; nam excitativum proximum est *apprehensio*, sive *imaginatio* boni sensibilis, hinc appetitus excitatur ad id appetendum; vel si sit apprehensio mali sensibilis, excitatur appetitus sensitivus, ad id fugiendum. Principium elicitivum *passionum* est ipse appetitus sensitivus, à quo prosiliunt, pullulant, emanant tales motus.

Hæc dexterè etiã medicè explicat in nostro Neapolitano publico Lycæo primarius in Cathedra Medicinæ moderator, olim Innocentii Summi Pontificis medicus Lucas Tozzi dicens: „ *Congruè* Appetitus sensitivus „ dicitur fons, unde scaturiunt *Passiones*, cum ad variam ipsius affectionem, „ variè etiam sensus externi coafficiantur. At distinguendum, ait; aliud „ enim est loqui de fonte, unde *elicitivè* scaturiunt, & emanant *Passiones*, „ quod dicitur, & est principium ipsas *eliciens*, sive unde *elicitivè* resultant; aliud est loqui de fonte originali *excitativo*, sive unde primò excitantur, & moventur, quæ dicitur vis *motrix*, sive *excitans*. Certè *Passiones* istæ *motiones quædam* animi sunt per spiritus, & sanguinem, in cunctas corporis partes delatæ, proindeque varias *perturbationes* inferentes; „ ideoque absque motrice aliqua vi, quæ moveat, agitet, atque perturbet, „ fieri nequeunt. Motrix autem ista *vis*, seù potentia in organis, „ *motui* destinatis, potissimùm in fibris, tum rectis, tum obliquis, tum „ transversalibus, aut curvis dictis, atque adeò in contextu, plexuque illo interno cerebri, unde etiam nervi originem sumunt, & ubi per arteriolas purior, ac tenuior sanguinis pars in spiritus volantes, seu in purissimum, limpidissimumque liquorem, quem succum *nerveum* vocant, „ vertitur, sita est; quare pro varia affectione, impressionæque eidem illata, diversimodè spiritus ipse, ac sanguis, commoventur, fibræque nervorum exagitantur, ex obiectis nimirùm jucundis, vel injucundis, vim „ illam, internumque sensum afficientibus juxtà variam, diversamque simulacrorum in Phantasia representationem, sive ad bonum, sive ad malum *incitantium*. Hæc noster laudatus Medicæ artis antistes, & facilè Princeps Lucas Tozzi, cujus verba transferre licuit, tum quia nervosè explicantia, medicàque, & Anatomicà dexteritate allicientia; tum quià aureè explanant deffinitiones *Passionum* Augustinianas, sive suprà *ex Sancto Patre Augustino* in medium adductas, ut reflectenti illas, & explanationem istam, consona harmonia suadet.

Consonè ideò cum *Augustino* noster celebratus primarius deffinit Passiones animi, sic: *Sunt motus appetitus sensitivi circà bonum, vel malum sensibile opinatum, sive apprehensum, & judicatum ut tale, ab Imaginatrice, seu Phantasia, cum aliqua involuntaria corporis mutatione.* Rectè dicit *motus* cum Augustino, quia verè in *Passionibus* excitatur appetitus, & ad obiectum commovetur, imaginatrix potentia vehementer concutitur, & cor, ac corpus universum plurimùm afficitur, & perturbatur, commotis unà simul spiritibus, & sanguine, per totum diffusis, ut patet in Ira, Gaudio, Timore, Mœstitia, ita ut aliquando facies etiam palleat, aut rubeat, cutis horreat, lingua titubet, caput vacillet, atque aliter, aliterque corpus concutiatur. Et sunt cum quadam *involuntaria, seu naturali corporis mutatione*, quia semper aliqua corporalis mutatio contingit ex illis; sive cum ex Gaudio cor plus justo expanditur, & facies, ac oculi apparent vividiores; & cum ex *Timore, & Mœstitia* cor plus justo contrahitur, & oculi pallent, & caligant, ut explicat ipse Author; & ad id, quod docet, conspiravit Augustinus Tomo 8. cap. 28. *de Vera Religione circa finem*, dicens:

Nec

Nec ipsi oculi fallunt, non enim renunciare possunt animo nisi affectionem suam; in quibus satis indicat, quod etiam cognoscuntur in corpore affectiones animi. *Et Tomo* 1. *de Genesi contrà Manichæos lib.* 2 *cap.* 21. *post medium* ait: *Nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis.* Et Tomo 3. *lib.* 2. *de Doctrina Christiana* cap. 1. post medium docet: *Vultus irati, vel tristis, affectionem animi significat.*

Ex dictis liquet, quòd affectus omnis non solùm in quadam animi commotione est positus, sed etiam cum aliquo motu corporis est conjunctus. Quod enim discrimen affectus, sive passionis ab actu voluntatis? hęc est lenis, placida, & tranquilla, illa nempe passio est concitatior, & turbidior, ideò congruè dicta *perturbatio*. Quatenus enim anima sic pendet à corpore, ut sanguinis, aut spirituum agitationem sequatur, tunc appellatur appetitus sensiens, illiusque motus, qui cum sanguinis, & spirituum commotione sunt conjuncti, *perturbationes animi*, sive *affectus* appellantur. Vbi anima est omnis affectus expers, tunc sedata, & tranquilla est more stagnantis aquæ; sed cum spirituum affluxu, & rei jucundæ, aut molestæ incursu commovetur, tunc ferè, ut aqua lapidis injectu, motuum recurrentium, velùt undulatione quadam agitatur. Ideò in illa animi commotione, quæ ex bona, aut mala opinione, sive ex apprehensione boni, vel mali sensibilis, quamque sanguinis, & spirituum agitatio comitatur, *passionis* natura potissimùm consistit; deque his affectibus in præsenti potissimè loquimur, qui ex judicio, Phantasia, imaginatione, & apprehensione excitantur cum commotione spirituum, & sanguinis; ideòque quique contingunt, cum objectorum impressiones per externos sensus ad interiorem traductæ notam aliquam boni, aut mali, commodi, aut incommodi, jucunditatis, vel doloris, secum habent adjunctam; unde hos affectus ipsa imaginatio, seu sensus interior excitat, quatenus appetitum sensientem excitat, & sic sanguinem, & spiritus commovet.

Non autem *potissimè* agimus de affectibus illis, qui citrà ullum judicium, vel opinionem, naturaliter excitantur, & à solo sensu oriuntur, & sunt corporis affectus, sicut cum defectus alimenti famem, defectus potus sitim infert, unde desideria cibi, & potus in corpore excitantur, hique affectus dicuntur pertinere ad appetitum naturalem; quia naturaliter sine prę-via apprehensione appetit cibum famelicus, licet posteà apprehensio possit accendere appetitum, & si apprehendatur difficultas cibi excitetur in appetitu sensiente, aut animali, dolor cum agitatione sanguinis; si apprehēdatur facilitas cibi, excitetur lætitia. Duplex est appetitus, *naturalis*, qui exteriorē, & *animalis*, qui interiorem sensum consequitur; de isto præcipuè edimus.

Spirituum autem agitatio, & commotio sanguinis non solùm subsequitur ad passiones appetitus animalis, sive sententiis, ex apprehensione, sive imaginatione boni, vel mali sensibilis; at etiam ad actus voluntatis, & intellectus, etiam qui non referuntur ad corpus; cum enim Author naturæ animam cum corpore conjunxit, tali lege sancivit, ut animi motus, etiam qui ad corpus non referuntur, quædam spirituum commotio sensibilis comitetur; sunt enim ita socia anima, & corpus, ut sicut illa tangitur ab affectibus hujus, ita hoc ab affectibus illius; hinc quando patitur corpus, perturbatur animus, quando patitur animus, perturbatur corpus, & afficitur affectibus animi, etiam qui non referuntur ad corpus; & sicut anima ipsa spirituum velut inundatione commovetur, nam quæ corpus afficiunt, ad se pertinere putat, unde illæ alterationes corporis sunt commotiones, & perturbationes animi; ita corpus commovetur actibus intellectus, & voluntatis, etiam qui non referuntur ad corpus, quia ex consortio intimo ea,

quæ

quæ afficiunt animam, corpus ad se pertinere sentit; sunt enim utriusque motus omninò reciproci.

Hinc experiris, si sis virtutis amasius, quòd amorem justitiæ, aut virtutis certa spirituum commotio sensibilem facit; ut quia rerum intellectualium perceptionem impressa cerebro vestigia commitantur, & roborant; at in præsenti est sermo de Passionibus appetitus sentientis, & commotione sanguinis ex hujus affectibus. Hoc est discrimen, quòd illa agitatio spirituum animalium, quæ subsequitur ad actus voluntatis est tranquilla, & lenis, & placida; at ubi appetitus sentiens vehementer concutitur, statim & sanguinis æstus oritur, & spiritus adeò tumultuantur, ut vix animus possit eos componere; nam agitati spiritus non statim subsidunt, nec æstus, aut commotio sanguinis facilè sedatur. Hæc sic explicat Philosophia vetus, & nova tom. 3. à pag. mihi 407.

De Passionibus sub nomine *passionis*, *& perturbationis* loquitur Sanctus Pater Augustinus Tomo 4. lib. 83. quæstionum, quæstione 77. in initio sic: *Omnis* perturbatio passio, *omnis cupiditas* perturbatio, *omnis igitur cupiditas* passio. Postquam syllogismum proposuit, addit: *omnis autem* passio *cum est in nobis, ipsa* passione patimur, *& in quantum* passio *est, patimur. Omnis autem* passio, *inquantum ipsa* passione *patimur, non est peccatum: sic & si patimur timorem, non est peccatum.* In quibus non solùm pro eodem accipit *passiones*, *& perturbationes*, sed ostendit (de quo infrà) quòd passiones reduplicativè *solùm inquantum* passiones, non sunt moraliter malæ.

Quòd Neoterici vocant *passiones*, *& appetitus*, Græci appellant voce, latinè, *affectus*, *affectiones*, *perturbationes*, aliquando *animi morbos*. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. 16. Tomo 5. definit etiam sic: *Passio est motus animi contrà rationem*; quæ definitio non est passionis inquantum passionis, cum per Augustinum in Christo Domino fuerint veræ passiones, & tamen in subiecto inpeccabili non erant motus contrà rationem; relata igitur hæc deffinitio Sancti Patris est de *passione in natura vitiata* per originale peccatum. Damascenus *Passionem* definit ut suprà: *Passio est motus appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni, vel mali.* De Passionibus animi vide Sanctum Patrem Augustinum lib. 10. confess. cap. 14. per totum, Tomo 1. Et item Tomo 1. de Genesi contrà Manichæos lib. 2. cap. 20. per totum. B. D. Ægid. de finit. *Passio est animi motus, vel affectio, qua tendimus in bonum, vel fugimus à malo.*

CAPUT VIII.

De causa *efficiente* PASSIONUM.

PAssiones considera *Physicè*, *& Moraliter*. Causa efficiens physica *prima* est Deus, qui creavit naturam, & dedit appetitus consonos ad conservationem, & propugnationem naturæ. Causa *secunda* efficiens, aut *quasi* efficiens physica, est *triplex*; externa una, internæ duæ. Externa causa, sive externum principium, est obiectum, quod per sensuum exteriorum organa commovet Phantasiam; unde enim fontaliter accidit, quòd appetas hoc, vel illud bonum, odio habeas hoc, vel illud malum, nisi quia per sensus externos mittitur ad phantasiam, sive imaginativam, species obiecti boni, vel mali, consoni, vel dissoni? Ideò ostendis ramum viridem ovi, & trahis; nuces puero, & allicis; panem cani, & atrahis; baculum, lapidem, & fugit; & sic de obiectis aliorum sensuum externorum consonis, vel dissonis naturæ propensioni.

Illa est vox Augustini *lib.* 11. de *Trinitate* cap. 8. Tomo 3. *sensus accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus*; & hæc species mittitur in sensum interiorem, qui dicitur *Imaginativa*. Vt enim docet idem noster Augustus aureus Pater Aurelius Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 12. *Duo sunt genera rerum, quæ sciuntur*; unum *earum, quæ per sensus corporis percipit animus*; alterum *earum, quæ per se ipsum*. At species bonorum, vel malorum sensibilium per externos sensus certè percipit animus. *Sensus* (ait serm. 33. de verbis Domini, cap 3. Tomo 10.) *carnis hujus quinque inveniuntur; in oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnibus membris.* Hinc per istas quinque januas intrant ad Phantasiam sensibilium bonorum, vel malorum, species. Ideò 10. *Categoriarum, cap. 5. Tomo* 1. dicit: *Sensibus tenemus, quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut gustando, aut odorando, cognoscimus.* Et quòd quinque sensibus ut servis, & ministris utatur anima, innuit ipse Sanctus Pater Tomo 1. cap. 20. *de moribus Ecclesiæ*, illis verbis: *In ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis præferendum.* Item Tract. 15. in Joannem post medium, Tomo 9. promit: *Quinque sensus mulcet voluptas, offendit dolor*; ecce hinc excitatur Phantasia, ut percipiat bonum sensibile mulcens, & malum sensibile offendens. At Phantasiâ sic excitatâ, vel tali specie commotâ, statim excitatur, & commovetur appetitus sensitivus, ut bonum sensibile apprehensum, imaginatumque conveniens appetat, & amet, vel ut malum sensibile apprehensum ut disconveniens odio habeat, abominetur, & fugiat; ex variis enim impressionibus, quas spiritus in cerebro inurunt, varios, ut ità dicam, sensus, seu affectus, ut amoris, aut odii, aut alterius passionis, innuit animus. Si bonum, aut commodum, nobis judicamus, resultat quædam in illud obiectum propensio; nam antè ejus boni conspectum, & imaginationem, aut boni communis, & indefiniti, aut alterius amore, erat occupatus; at ubi obiecti boni novitate est perculsus, vehementer, & sensu intimo, in illud impellitur, quia judicavit, sive apprehendit bonum, & hinc sensus appetiit. Si impressio, sive species sit mali, & sic sit imaginatio, statim sensus refugit, & odio habet.

A bono, vel malo apprehensis excitantur naturaliter, & in instanti, in appetitu sensitivo motus, affectus, alterationes, commotiones, perturbationes in tali appetitu, in corde, & corpore toto; & ut sapienter explanat laudatus noster primarius *Lucas Tozzi* medicâ & anatomicâ eruditionis notitiâ, cum tàm Phantasia, quàm appetitus sensitivus ad portionem inferiorem hominis, nempe sensitivam, sive animalem attineant, statim commovent fibras nervorum, per quos canales ducitur in cor impressio, & commotio; subindeque sanguis per arterias influens, diversimodè affectus, & concitatus, fertur per cunctas corporis partes; unde postmodum universalis, & manifesta concussio, ac perturbatio, sive horroris, sive frigoris, rigiditatis, vel laxitatis membrorum; sive ruboris, exardescentiæ, & caloris; sive pallidi, aut rosei coloris, alius vè pro varia *Passionum*, quæ sunt excitatæ, affectione. *In Ira* enim plerumque rubet facies, oculi splendent, ignescunt, scintillant, cutis ardescit, quia concitatus sanguis bullit, fervet. In *Mœstitia, & Timore*, livescit, pallet, refrigeratur, & contremiscit, quia in suo motu lentescit sanguis, concrescit, & quodammodo congelascit. In *Gaudio, & Lætitia*, roseo, purpureove colore perfunditur facies, oculi alacriores, & vividiores apparent à sanguine vividiori, & magis expanso; cumque Passiones in singulari calamus percurrat, effectus cujuslibet sigillatim *Passionis* non retinebit avarus.

Igitur obiectum sensibile *externum* perceptum à sensu externo est primum

mum principium excitativum Passionum; hinc duo adhùc sunt principia interna, *Phantasia* unum, *appetitus sensitivus* aliud; Phantasia *movet*, proximè excitat; appetitus sensitivus *elicit*; passionesque sunt ab Appetitu sensitivo non propriè *efficienter*, quia non fiunt per aliquam actionem prævium, sed *emanativè*, *eliciviè*, *illativè*, sic lux emanat à Sole, non efficitur à Sole.

Prævia autem requiritur apprehensio in phantasia, ut appetitus sensitivus moveatur; nam sicut Appetitus Rationalis voluntas non fertur in obiectum incognitum, unde axioma *Nihil volitum, quin præcognitum*, nempe ab intellectu, ita Appetitus sensitivus non fertur nisi in obiectum apprehensum; est enim in linea sensitiva Phantasia Appetitui sensitivo, quod est in linea rationali intellectus voluntati. Hæc de causis efficientibus, & *quasi* efficientibus physicis Passionum, si considerentur in esse: *physico*.

Moraliter autem si sint bonæ, sive juxta rectam rationem, prima causa efficiens est *Deus*; secunda in nobis, ope Dei, *est voluntas cum recta ratione* coercens, & moderans sensum.

CAPUT IX.

De causa materiali (sive subjectiva) *formali, finali passionum.* Subjectiva *est significata à Poesi per vultures duos discerpentes Jecur Tizyi.*

NUnc causa *Materialis* accipitur prò *subjectiva*, nempe pro subiecto, in quo recipiuntur; ista causa est Appetitus sensitivus, à quo eliciuntur, emanant, & in quo manent; quia non sunt motus transeuntes in terminum alium; sunt immanentes, & manent in principio, à quo eliciuntur; sicut in linea Rationalis appetitus, volitio manet, subjectatur, & recipitur in eodem principio, à quo egreditur, nempe in voluntate.

Sunt, qui opinentur affectus animi subiectari in *cerebro*, ubi est ipsa *Imaginativa*; ibi habere sedem; sunt enim, ajunt, spiritus instrumenta appetitus sentientis, qui hujus impetus primùm excipiunt, eosque in cor ipsum, quasi in rotam hujus machinæ primariam, & hinc in partes corporis dissitas perferunt; at hos *imaginatio* determinat, & in nervos emittit, unde ad cor, & reliquum corpus deferuntur. Quòd quidem fit incredibili celeritate; nam in momento ferè, aut in ictu oculi impressio ab obiecto per sensuum organa ad phantasiam traducitur; species boni, seu commodi, aut noxii exprimitur, appetitus commovetur, spiritus cum certo delectu quosdam nervorum funiculos subeunt; nervi quippe ex infinitis, ajunt, prope funiculis constant, qui in ipsa origine, tanquam in radice divisi in unum nervum, ut in truncum, plures coguntur; tum rursus in ipso itinere sparguntur, & in suas quoque partes abeunt.

Tota itidem *cerebri* substantia ex fibrillis constat, quæ in nervos colliguntur, citrà ullam, ut probabile est, confusionem. Quare spiritus ab *imaginatione* directi nervorum fibrillas subeunt, & in varias corporis partes propelluntur, atque in eas tendunt, quarum maximè interest. Sic viso suavi cibo statìm spiritus in nervos gustatorios profluunt, tumque lingua grandulas palati premit, & salivam exprimit. Cerebri, nervorum, & musculorum fibræ ità sunt à natura coagmentatæ, ut certa corporis motio perceptionem ipsam boni, aut noxii, statìm consequatur; quod quidem sum-

mo artificio disposita corporis fabrica, nervorum tensio, spirituum tenuis, actuosa, & mobilis substantia, efficiunt. Hinc inferunt, Affectus, sive passiones in cerebro, ubi est imaginativa, habere sedem, maximè quia dicunt subiectari in *appetitu sensiente*, quem non distingunt ab *imaginativa*.

Sed hinc cur inferant? hæc solùm probant, imaginativam esse causam *excitativam* affectuum, non *subiectivam*; imò relata sunt relatio texturæ cerebri potiùs, quàm argumenta.

Replicant, quòd *affectus* sunt in appetitu sensiente, istum autem non distingui ab *imaginativa*.

At cur non distinguantur? *imaginatio* cognoscit, *appetitus* motu quodam veluti pondere in rem propositam ruit; obiectum *imaginativæ* est *verum* sensibile, obiectum *appetitus sensientis* est *bonum* ab imaginatione perceptum, ergo si imaginativæ, & appetitui sensienti sunt diversi actus, diversaque obiecta, cur tales facultates non sint distinctæ? Adde quòd appetitus diffunditur corpore toto, non sic imaginativa, quæ solùm in cerebro, ergo realiter distinguntur *imaginativa, & appetitus*.

Item vis appetendi sentitur *in pectore*, ac potissimùm, & principalissimè *in corde*, quòd variè agitatur pro varietate affectuum; vis imaginandi est *in ea parte cerebri*, quæ est nervorum principium, in quam desinunt nervi, aut fibræ, quæ sunt organa sensuum; ergo *imaginativa* est *in cerebro*, *appetitus sensiens*, unde elicitivè emanant *affectus*, in pectore, præsertìm in corde; ergo non solùm distinguntur illæ facultates, sed affectus subiectantur, & sedem habent *in pectore*, præsertìm *in corde*.

Nec dicas, sufficere, imaginativam, & appetitum sentientem esse eandem entitatem munera, & officia diversa exercentem, unum imaginandi, excitandique passiones, aliud appetendi; non, inquam, nam limitatio creaturæ pro diversis officiis, obiectis, & actibus, diversas entitates exigit.

Item ubi resideant passiones, nisi ubi afficiunt, alterant, commovent, effectumque patiendi, & suos effectus formales præcipuè præstant, & vim præcipuam exercent? at concupiscentiæ præcipuè afficiunt cor, ibi sunt desideria animalia amoris, gaudii, ibi affectus, timoris; ait enìm Salvator, *in corde esse*, quòd coinquinat hominem; ideò veteres dicebant cor receptaculum animæ, & apud Hieremiam cap. 4. *Ventrem meum, ventrem meum doleo*; Hesychius exponens quærit: *Nam quem ventrem?* respondet: *Et sensus cordis mei conturbati sunt*. Hinc laudantur *mundo corde*, quia ibi sunt affectus mundi, id est, puri; sicut cum reprehenduntur, qui sint immundo corde, innuitur, in corde residere affectus immundos. Sicut lingua est destinata, adjudicandum de *saporibus*, auditus de *sonis*, ita *cor* opinor non solùm vitæ, & omnium motuum principium, sed etiam affectuum ad amanda bona, vel fugienda sensibilia mala, prout imaginativa excitet, & quasi proponat. *Iracundiæ*, & *bilis* sedem dicunt in fele, & si qua Planetis in humano corpore vis, fel à Marte regi dicitur.

Hinc falsò dicunt, nec appetitum, nec vim motricem ab imaginatione esse distinctam, aut re ipsa, aut organis; distinguntur enìm appetitus sentiens, & imaginatio. Item vis motrix, sive excitans est duplex, una propria imaginativæ, quæ imaginando bonum, vel malum excitat, & movet, *quasi propositivè*, ut ita dicam, *consiliativè*, *suasivè* appetitum sentientem, ut bonum amet, malum fugiat; & hæc vis motrix, & excitans non distinguitur ab imaginativa. Alia est vis motrix, & excitans in appetitu sentiente, qui jam motus, & excitatus *quasi propositivè* ab imaginativa, sic motus, & excitatus prorumpit in proprios motus, cum quibus & movetur, sive alteratur, & hinc sanguinem, & spiritus excitat, commovet, alterat;

quare

quare vis motrix appetitus sentientis est vis motrix *elicitiva* motuum; vis motrix imaginativæ, qua movetur appetitus, est vis motrix, ut ita dicam, quasi *propositiva*, *suasiva*, qua appetitus sentiens movetur; sicut intellectus movet voluntatem *proponendo* obiecta, at voluntas est, quæ vi sua suos actus *elicit*.

Nec dicas cum aliis *imaginativam*, & *appetitum* organis non distingui; non, inquam, nam illa est *in cerebro*, iste *in pectore*, præcipuè *in corde*; Plato sedem appetitus *irascibilis* putavit in *corde*; sedem concupiscibilis putavit sub diaphragmate, seu septo transverso, quòd truncum corporis in duas partes secat, in jecore, liene, aut aliis visceribus videtur collocasse.

Quicquid de loco proprio, & subiecto individuo passionum sit, saltem *in pectore* est, & in *appetitu sentiente*, distincto realiter *ab imaginativa*, appetitusque ipse sentiens est in pectore.

Nec tibi cantes victoriam opponens, quòd appetitus ibi residet, ubi primò incipit; incipit, ais, in cerebro.

Non sic: nam in cerebro incipit *excitativè*; at *subiectivè* non est in cerebro, sed in *pectore*.

Huc illud conspirat figmentum Poeticum, in quo effingitur, Tityum captum amore Latonæ, matris Apollinis, eam de stupro interpellasse; quare Apollo iratus sagittis ipsum confodit, & ad inferos relegavit, & ibi postratum, & ligatum fuisse, ut se movere nullo pacto posset, ejusque jecur vulturibus duobus laniandum apposuit, & ab illis jecur assiduè laniari, & comedi finxerunt, hac lege, ut jecur consumptum renasceretur illicò, & sic nunquam vultures à discerpendo cessarent, nec ipse à patiendo, ut narrat Homerus. Hesiodus fingit, jecur Tityi tantum nocte accrescere, quantum die fuerat absumptum à vulture. Physicè hæc fabula continet totam serendi, metendique tritici, & panis conficiendi rationem; at sensus Moralis invitat.

Sanè illas fabulas putes præstantiores, quæ pluribus sint fæcundæ Moralibus sensibus. Tantæ magnitudinis erat Tityus Gigas, quantam describit Ovidius 4. Met. ubi: *Viscera præbebat Tityus dilanianda, novemque jugeribus distractus erat*; & Tibullus.

Porrectusque novem Tityus per jugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aves.

Itaque in hac fabula voluerunt innuere, superbiam retundi; fortitudini justitiæ robur giganteum cedere; justitiam Numinis irati à nullo etiam potentissimo sæculi vitari posse; scelera contra Deum, & contra homines commissa, à Deo puniri; obscænitates, venereasque cupiditates, pœnis affici; quòd gravissima sunt pericula, maximè si contrà fœminas principes intendas. Vultures illos rodentes viscera Tityi etiam ad remorsus, quibus propter scelera commissa, torquetur conscientia, conspirant; brevis est delectatio, postea recordationes sceleris perpetuò torquent, & animum dilaniant.

At ad præsens per Tityum intellexerunt sensum, sive portionem inferiorem hominis, quæ appetit illicita, fingitur damnatus ad inferos, quia nomine *inferni* intellexerunt etiam sensum, qui est portio infera animæ. *Duo* vultures signant *duos* appetitus sensitivos *irascibilem*, & *concupiscibilem*; finxerunt, vultures duos rodere, dilaniare jecur, quia concupiscentiæ torquent, & concupiscentiæ sedem præcipuam putarunt *in jecore*. Cõcupiscentię rodent, quia sensus, & animus ipsâ concupiscentiâ torquentur; quo magis sensus se concupiscentiis tradit, eò magis ab ipsis affligitur, & discerpitur; ipsæ concupiscentiæ sunt vultures, quæ viscera dilaniando vexant; ipsæ sunt

pecca-

peccatum, & simul peccati pœna. Sensus non cessat ab appetendo, sic nec cessat ut vultur à lacerando, & discerpendo, nec conscientiæ remorsus à mordendo. Finxerunt, jecur Tityi tantum nocte crescere, quantum die fuerat absumptum, quia nocte in silentio crescunt concupiscentiæ cogitationibus avaris, & impuris, nocturnisque desideriis, & rerum meditatione turpium. Aptè fingitur Tityus ad inferos relegatus, & ibi ligatus, quia animus concupiscens turpiter, totus est in inferiori portione animæ, totus est in sensu. Cum item per duos vultures intellexerint duos appetitus sensitivos, existimo per jecur intellecta fuisse viscera, quæ sunt in pectore; & dictum à duobus vulturibus rodi non solùm, ut innuerent sævos pravarum passionũ utriusque appetitus effectus, & perturbationes; sed ut innuerẽt, quòd isti duo appetitus sentientes, eorumque affectus, & impetus non sint subiectivè *in cerebro*, sed sedem præcipuam habent *in pectore*; videas tu quid aptius, an concupiscibilis in corde, an in jecore, & an irascibilis in corde, vel in fele.

Hìc reflectas passiones esse diversas, & vehementiores, vel minus vehementes, pro diversa habitudine temperamenti naturalis, & complexionis, unde provenit, quòd aliqui sint magis venerei, vel minus; magis iracundi, vel minus; timidiores, vel minus. Bilioſi sunt magis iracundi, phlegmatici magis molles, timidi, tardi, pigri. Legas in imargine.

Causam *formalem* si requiras physicam, non invenimus, quia sunt motus, & motus non datur motus, per quem formaliter motus fiat; sicut nec unionis datur unio, nec modi datur modus; nec formæ in linea, in qua forma est, datur alia forma; non enim est albedo albificans albedinem, sed albedo sibi est, & forma, quæ albificat subjectum; se habet Passionis motus ad modum actionis, at actionis non datur actio, per quam actio sit.

Si autem quæras causam *formalem Moralem* Passionum, non negamus. Itaque vel Passiones sunt Moraliter bonæ, vel Moraliter malæ; si bonæ, causa *formalis* eas Moraliter bonas constituens, est *conformitas cum recta ratione*, quæ est regula bonitatis Moralis; si sint Moraliter malę, ideò sunt, quià à recta ratione deviant; quare *disformitas à recta ratione*, sive *non conformitas cum ratione recta*, est forma formaliter constituens Moraliter malas Passiones.

Causa earum *finalis* satis clarescit ex dictis; Physica est, ut vitam conservemus, & tueamur; *finalis* præcipua est Deus, ut conservemus vitam, & tueamur ad exercenda ea, quæ sint ad gloriam Dei, & utilitatem proximi; ipsaque retinendo rectæ rationi subiectas, sint scala, per quam ascendamus ad Deum, dicente Augustino Tomo 4. cap. 6. de *Patientia*: *Qui passione rectè utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur.*

REFLEXIONES. Huc ex sylva tom. 1. fol. 471. etiam in sacris literis, quas exponit, Jecur vituli, vel arietis apud Exodum cap. 29. D. & Levit. cap. 1. C. & cap. 3. B. & cap. 4. 7. 8. & apud Proverb. cap. 7. D. *occulta desideria* significare potest, & præterea *iram*, secundùm quã Jecur inflammatur. Designatur etiam *concupiscentia*, & *voluntas*, & apud Hoseam cap. 13. B. *interiora Jecoris dirumpit Deus*, quum castigat peccata *concupiscentiæ*, & *voluptatis*. Quare vultures Jecur Tityi discerpentes signant affectus iræ, & concupiscentię dilaniantes viscera, & in Jecore residere.

CAPUT X.

PASSIONES, sive PERTURBATIONES animi cadunt in sapientem virum pro Peripateticis *contrà* Stoicos, *ut dicitur; at utrosque concordamus ex parte.*

PAssiones non ignoras dictas *ægritudines*, sive *animi morbos*; ut enìm hauris ex Chrysostomo *homil. 35. in 1. Corinth. Quemadmodum qui febre laborant, nauseant omnia, sic perturbatæ mentes undique percelluntur.* Item homil. 34. in Joannem ait: *Sicut vires corporis moriuntur, & vires amit-*

amittunt, ita & anima cum multis detinetur affectibus, virtuti moritur, & si quid attulerit, non sentit, seu supplicium, sive quodcumque aliud minatus sit, nullo sanè sensu movetur.

Item Passiones perturbant animum, & à tranquillitate removent.

Zeno Passiones definit: *Sunt affectus irrationales, ut redundantes animi commotiones, in animi naturam irrumpentes*; nempe commotiones animæ ut sentientis.

Alii deffiniunt: *Affectus* (sive passio) *est aversa à recta ratione, adversùs animi naturam, commotio*. ut commune est, cum binas humana anima (tàm Aristotelis, quàm Platonis sententià) partes sortita sit, *rationalem*, & *rationis expertem*, sicut ex *rationali* parte omnis honorabilis, ac laudabilis emanat sensus, ita ex irrationali (nempe sentiente, sive animali portione hominis) nascitur affectus, quem Latini modò dicunt *affectum*, modò *affectionem*, modò *perturbationem*, aliquando *morbum*; Neoterici dicunt *passionem*, & *appetitum*; etiam dicta sunt *pathemata animi*.

Putarunt aliqui (& putatur *Stoicorum* opinio) hæc omnia longè debere distare à viro sapiente, ideòque *Passiones* non cadere in sapientem virum, cui est animi sanitas, non animi morbus, & ęgritudo; item cui est æquo animo serenitas, non perturbatio animi; à quo tandem affectus contra rectam rationem debeat distare.

At isti in æquivoco laborant; aliud enim est loqui de passionibus *nudè*, aliud de passionibus moraliter bonis, aliud de passionibus *vitiosis*; istę non cadunt in sapientem virum; *primæ, & secundæ* cadunt. Nam in nobis *passiones, ut passiones* solùm, sunt illi *primi motus* sensus, illi improvisi ictus, sive impetus, sive commotiones, aut motiones, aut appetitus, aut affectus (voca, ut velis) *repentini* sensus, quibus homo perstringitur sicut ab inexpectata vi fulguris, qui præveniunt omnem deliberationem rationis, & voluntatis consensum, & intellectus advertentiam; quare solùm sunt repentinæ *physicæ* commotiones; at *moraliter* nec sunt bonæ, nec malæ; posteà succedit, si tu statìm eas *passiones* & motus rationi subjicias, si eos reprimas fræno rationis, tunc sunt *moraliter bonæ*; *utroque modo* cadunt in sapientem virum. *Primo* modo, quia etiam vir sapiens in carne habet sensum, & cum eo appetitum sensitivum, qui in eos motus *physicos* repentè prosilire potest, ut imaginativa excitarit. *Secundo* modo, nempe ut illi *primi motus contra rationem*, subjiciuntur, & coercentur à ratione, & sunt moraliter boni, sunt solùm virorum sapientium, quibus residet virtus, qua subjectivè reprimuntur, & in quos *verè* sapiens dominatur *ratio*, non *sensus*. Item est sapientis, quantum possit, domare sensum, ne hujus motus pręcurrant rationem.

Imò *istæ passiones* sunt nobis ratione præditis, si coerceantur, gradus ad virtutem, scala ad gloriam; bona, vel mala voluntas illas parit moraliter bonas, vel malas; dicente *Augustino* lib. 14. de Civit. cap. 6. *Interest enim qualis sit voluntas hominis, quia si perversa est, perversos habet motus; si autem recta est, non solùm inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt.* Item lib. 14. de Civitate cap. 6. per totum, & cap. 7. post medium, ait: *Animæ affectiones, aut pravæ habentur, aut rectæ secundùm qualitatem voluntatis humanæ*. Et lib. 14. de Civitate cap. 9. *Quia rectus est amor Civium sanctæ Civitatis, omnes affectiones rectas habent*. Item serm. 176. *de Tempore* docet Augustinus: *Si unusquisque nostrum subdere sibi studeat vitia, & passiones suas, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum constituit, quo ad superiora conscendere possit. Elevabunt nos, si fuerint infrà nos.*

De vitiis nostris (id est *de passionibus*, quas fortè etiam dicit *vitia*, quia illi primi impetus contra rationem, præcedentes advertentiam intellectus,

ctus, & consensum voluntatis, licèt non sint peccata, sive formaliter vitia, sunt tamen *inchoatiuè*, & ex natura per peccatum originale corrupta, & vitiata) *scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus*. Hæc S. Doctor.

Consone hùc Polyanthea dicit: *Certè videtur natura has homini commotiones ingenerasse, ut posset capere virtutem, sicut è mota terra culturam.*

Et quidẽ *Ira* est *passio*; nec tamen statim ac *ira* est *mala*, sed potest esse sancta, si finis sit cũ prudentia sanctus; dicẽte Augustino *lib* 9. de Civit. cap. 5. *In disciplina nostrà nõ tam quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; non utrum sit tristis, nec utrum timeat, sed quid timeat; irasci enim peccatori, ut corrigatur, contristari pro afflicto, ut liberetur, timere periclitanti, ne pereat, nescio utrum quispiam sana consideratione reprehendet.*

Imò Salvator *doluit, flevit, contristatus est, gavisus*; nam videns Jerusalem flevit, & doluit, dicens, *si scires &c.* flebat futuram Solymorum ruinam. Item vicinus morti in horto dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Item in resurrectione Lazari *gavisus est*. Jesus erat sapientissimus omnium, & virtute heroica præditus, & tamen habuit *passiones*, quas Theologi dicunt *propassiones*, quia vulgò *passiones* accipiuntur in malam partem *pro motu rationem præveniente, & ad vitium inclinante*; & prout sic à Christo Domino, homine Deo, inpeccabili ab intrinseco ratione unionis hypostaticæ, erant prorsus alienæ, & distantes.

Passiones ut prævenientes rationem, & voluntatem, & ut sunt impetus contrà rationem solùm sunt in nostra natura vitiata per peccatum originale, & rationi reluctante; at in Jesu Domino, quia inpeccabili, & qui non fuit conceptus per seminalem propagationem ex Adamo opere viri, sed Spiritu Sancto operante, nec fuerunt illi primi motus prævenientes rationem, nec ulli contra rationem, sed sustinuit passiones, quas voluit; at nos sustinemus etiam nolentes, quantum ad primos, & improvisos motus; quare Sanctus Pater Tract. 60. in Joannem, exponens turbationem Christi de qua Joannes cap. 6. ait: *turbatur, qui non turbaretur, nisi volens; eum consolatur, qui turbatur, & nolens.*

Ideò Augustinus lib 14. de Civitate Dei, cap. 9. *Ipse Dominus in vita, servi formam dignatus agere humanam, adhibuit passiones, ubi adhibendas esse judicavit; nec enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat hominis affectus*. Item apud Joannem cap. 11. de Jesu: *turbavit semet ipsum*, hoc est, *sponte in se turbationem excitavit.*

Ex dictis patet *passiones* præcisè *ut passiones*, & ut passiones *moraliter bonas*, posse cadere in sapientem virum, ut ideò Sanctus Pater Augustinus Tractatu 60. in Joannem, Tomo 9. dixerit: *pereant argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum.*

Sapientia, quæ dicitur asseruisse, passiones non cadere in sapientem virum, attributa est (ut dictum) Stoicis, & quòd contrà eos agebatur à Peripateticis, & Platonicis. Id explicat Sanctus Pater Augustinus lib. 9. de Civitate Dei, cap. 4. apponit titulum capitis sic: *De perturbationibus, quæ animo accidunt*; & incipit sic: „ *Duæ* sunt sententiæ Philosophorum de his „ *animi motibus*, quos nostri, aut quidam, sicut Cicero, *perturbationes*, qui„ dam *affectiones*, vel *affectus*, quidam verò expressiùs *passiones* vocant. Has „ ergo *perturbationes*, sive *affectiones*, sive *passiones* quidam Philosophi di„ cunt, etiam *in sapientem cadere*, sed *moderatas, rationique subiectas*, ut eis „ leges quodammodo, quibus ad necessarium redigantur modum, *dominatio* mentis imponat. Hoc qui sentiunt, *Platonici* sunt, sive (reflecte, pu„ tat eosdem Platonicos, & Aristotelicos) *Aristotelici, cum Aristoteles* discipulus

AD LECTOREM.

PRimi motus, sive impetus præcurrentes rationem, & contrà rationem sunt vitia, & morbi, sive ægritudines naturæ *lapsæ*, non erant in naturà *integra*, & ante pestem primi peccati; ut ait Aug. de *Nat. & Gat. cap.* 3. sunt pœna originalis peccati; non sunt peccata nec vitia PERSONALIA, si non consentiat ratio, ideo docente S. P. Augustino in Psal. 4. Tomo 8. *Si surgit motus animi, qui jam propter pœnam peccati non est in nostra potestate, saltèm ei NON CONSENTIAT RATIO, & mens*. Et de Nupt. & Concupisc. lib. 2. cap. 34. Tom. 7. *Quamvis hominibus gratiâ regeneratis sit carnalis concupiscentia, non tamen nocet aliquid, nisi ejus motibus ad illicita consentiatur.* Non enim sunt illi primi motus peccata *personalia*, si non consentiat voluntas, quare lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. ait, *Quod motus primi concupiscẽtiæ præter nostræ voluntatis legem non sunt peccata*, ut enim docet lib 3. de lib. Arbitr cap. 1. *Motus quo hùc, atque illùc voluntas convertitur nisi esset voluntarius, neque laudandus, nec culpandus esset.*

Tandem vitia, id est, morbi naturę *lapsę* sunt fomes peccati, concupiscentia: at si hæc *moderemur*, hinc scala ad Cœlum.

Discrimen inter invidiam, & Nemesim, vide in pag. 1122.

„ pulus *Platonis* fuerit, qui sectam *Peripateticam* condidit. Aliis autem
„ sicut *Stoicis* cadere ullas omninò hujuscemodi passiones in sapientem non
„ placet. Hos autem, id est, *Stoicos*, Cicero in libris *de finibus bonorum*,
„ *& malorum*, verbis magis, quàm rebus adversùs *Platonicos*, seu *Peri-*
„ *pateticos* certare convincit &c. Ibi Sanctus Pater narrat, Aulum Gellium
„ in libro Stoici *Epicteti* (in quo erant scripta, quæ congruerent decretis
„ Zenonis, & Chrysippi, qui fuerunt Stoicorum principes) legisse, Stoicis
„ placuisse, quòd animi *visa*, quas appellant *phantasias*, nec in potestate
„ esse, utrum, & quando incidant animo: cum veniant ex terribilibus, &
„ formidabilibus rebus, necesse est etiam, sapientis animum moveant, ità
„ ut paulisper vel pavescat metu, vel tristitiâ contrahatur, tanquam *his*
„ *passionibus* prævenientibus mentis, & rationis officium; nec ideò tamen
„ in mente fieri opinionem mali, *nec approbari ista, eisque consentiri*; hoc
„ enim, ajunt, *esse in potestate*; idque interesse censent inter animum *sa-*
„ *pientis*, *& stulti*, quòd *stulti animus eisdem passionibus cedit*, atque ac-
„ commodat mentis assensum; *sapiens autem* (nempe animus) *quanvis eas ex*
„ *necessitate patiatur*, *retinet tamen de his*, *quæ appetere*, *vel fugere ratio-*
„ *nabiliter debet*, *veram*, *& stabilem inconcussa mente sententiam*. Hæc
„ (inquit Augustinus Sanctus Pater) ut potui, non quidem commodiùs Au-
„ lo Gellio, sed certè breviùs, & ut puto, planiùs exposui, quæ ille se in
„ Epitecti libro legisse commemorat, eum ex decretis *Stoicorum* dixisse,
„ atque sensisse. *Quæ* (concludit Augustinus) *si ità sunt*, *aut nihil*, *aut pe-*
„ *nè nihil distat inter Stoicorum*, *aliorumque Philosophorum opinionem de*
„ *passionibus*, *& perturbationibus animorum*; *utrique enim mentem*, *ra-*
„ *tionemque sapientis ab earum dominatione defendunt*; *& ideò fortasse* di-
„ cunt (Stoici) eas in sapientem non cadere, quia nequaquam ejus sapien-
„ tiam, qua utique sapiens est, ullo errore obnubilant, aut labe subver-
„ tunt; accidunt enim animo sapientis *salva serenitate Sapientiæ*. Hæc S.
„ Pater ibi, qui & in eodem lib. 9. de Civitate, cap. 5. ponit titulum capi-
„ tis sic: *Quòd passiones*, *quæ Christianos animos afficiunt*, *non in vitium*
„ *trahant*, *sed virtutem exerceant*. Et incipit: *Non est nunc necesse copiosè*,
„ *ac diligenter ostendere*, *quid de istis passionibus doceat scriptura divina*,
„ *qua Christiana eruditio continetur*. *Deo quippe illam mentem subjicit re-*
„ *gendam*, *& juvandam*, *mentisque passiones*, *ita moderandas*, *atque fræ-*
„ *nandas*, *ut in usum justitiæ convertantur &c.* Hæc ex Gellio.

Et lib. 1. Quæstionum super Genesim cap. 30. refert prolatum studiosis Stoici Epitecti librum, *ubi legebatur non ità placuisse Stoicis*, *nullam talem perturbationem cadere in animum sapientis*, *quasi nihil tale in eorum appareret affectibus*; *sed perturbationes ab eis definiri*, *cum ratio talibus cederet*; *cum autem non cederet*, *non dicendam perturbationem*.

Ergo, *si sint ità*, Peripatetici, & Stoici *nihil*, aut *penè nihil distât*; nã hi, & illi concedunt passiones, non vitia, in animũ sapientis cadere posse; & solùm discrepant illi, & isti in eo, quòd Stoici *passiones* solùm dicunt *perturbationes*, cum *ipsis ratio cedit*, & cum sunt *vitia*, & moraliter *malæ*, & sic verè non cadunt in animum sapientis; Peripatetici verò *passiones* dicunt etiam *perturbationes*, quanvis *ratio ipsis non cedat*; dicunt, *passiones* esse *perturbationes*, etiam quando sunt primi motus, & affectus (quibus commoventur sanguis, & spiritus animales, & hinc agitatur, & perturbatur animus) & præveniunt rationem, advertentiam intellectus, & consensum voluntatis, quando non sunt *formaliter* vitia, nec moraliter *bonæ*, aut *malæ* formaliter.

Quòd autem *perturbationes* ex terminis non sint contrariæ sapienti viro, & animo, & in sapientem cadere posse. Vide ex Augustino.

Itaque Sanctus Pater Tract. 6. in Joannem, Tomo 9. ad illa verba Joannis cap. 6. „ *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & protestatus est,* „ *& dixit, Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*, quærit: „ quid est ergo, quòd tunc *turbatus est* spiritu, cum protestatus est, & dixit, Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet? An quia jam „ fuerat expressus, ut non lateret in cæteris, sed discerneretur à cæteris, „ & ideò *turbatus est spiritu*? An quia ipse traditor jam fuerat exiturus, ut „ Judæos, quibus Dominus ab eo traderetur, adduceret, *turbavit* eum „ imminens passio, & periculum proximum, traditoris impudens manus, „ cujus erat præcognitus animus? tale quippe hoc est, quòd Jesus *turbatus* est spiritu, quale etiam illud, quod ait Joannes cap. 12. *Tunc anima* „ *mea turbata est: & quid dicam? Pater salva me ex hora hac, sed propterea veni in horam hanc*; sicut ergo nunc ejus anima *turbata* est, hora appropinquante passionis, ita etiam nunc exituro Juda, atque venturo, & „ propinquante tanto scelere traditoris, *turbatus* est spiritu. *Turbatus* est „ ergo potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens „ iterùm sumendi eam. *Turbatur* tam ingens potestas, *turbatur* petræ firmitas; an potiùs in eo nostra *turbatur* infirmitas. Ità verò nihil indignum „ credant servi de Domino suo, sed cognoscant se membra in capite suo; „ qui mortuus est pro nobis, priùs *turbatus* est idem ipse pro nobis. Qui „ ergo *potestate* mortuus est, *potestate turbatus* est; qui *transfiguravit* corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, ita *figuravit* etiam „ in se *affectum* infirmitatis nostræ, compatiens nobis *affectus animæ suæ*. „ Proinde cum turbatur magnus, certus, fortis, invictus, non ei timeamus, „ quasi deficiat; non perit, sed nos, inquam, nos omninò sic quærit; nos „ ipsos in illius *perturbatione* videamus, *ut cum turbamur, non desperatione pereamus. Cum turbatur, qui non turbaretur nisi volens*, eum consolatur, *qui turbatur & nolens. Pereant* (concludit) *argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum.*

Ex quibus pro Peripateticis contra Stoicos patet, *perturbationes* (ex terminis *perturbationum*) non esse alienas à sapiente animo, sed in sapientem cadere posse.

CAPUT XI.

Adhuc instruimur ab AUGUSTINO, nõ solùm passiones *cadere in sapientẽ, sed quę sapientum sint propriæ, & nos debeamus habere, ut sapientes simus; explicat, quales in nobis debeant esse* quatuor *passiones* Metus, Desiderium, Dolor, *&* Gaudium; *& contra* Stoicos *etiam* tristitiam *in sapientem cadere posse*. Passiones *posse esse* bonas, *vel* malas moraliter; ut tales ex se *esse in linea* Morali *indifferentes*.

ALmus Pater lib. 14. de Civitate Dei, cap. 9. agit de *perturbationibus animi, quarum affectus rectos habet vita justorum*, & iste est titulus „ capitis. Incipit, & procedit sic: *Verùm his Philosophis* (loquitur de Stoicis) quod ad istam quæstionem de *animi perturbationibus* attinet, jam „ respondimus in nono hujus operis libro: ostendentes, eos non tam de rebus, quàm de verbis cupidiores esse contentionis, quàm veritatis. Apud „ nos autem juxta Scripturas sacras, sanamque doctrinam, cives Sanctæ

Civi-

„ Civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione ſecundùm Deum viventes,
„ *metuunt*, *cupiuntque*, *dolent*, *gaudentque*; & quia *rectus eſt* (ecce no-
„ minavit quatuor paſſiones animi) *amor eorum*, illas omnes *affectiones* re-
„ ctas habent.

„ *Metuunt* pœnam æternam, *cupiunt* vitam æternam; *dolent* in ſe,
„ quia ipſi in ſemetipſis adhùc ingemiſcunt adoptionem, expectantes re-
„ demptionem corporis ſui; *gaudent* in ſpe, qua fiet ſermo, qui ſcriptus
„ eſt, *Abſorpta eſt mors in victoria*.

„ Item *metuunt* peccare, *cupiunt* perſeverare, *dolent* in peccatis, *gau-*
„ *dent* in operibus bonis. Ut enìm *metuant* peccata, audiunt, *Quoniam*
„ *abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*. Ut *cupiant* perſeve-
„ rare, audiunt ex Matth. cap. 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic*
„ *ſalvus erit*. Ut *doleant* de peccatis, audiunt ex Joanne 1. cap. 9. *Si dixerimus,*
„ *quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non*
„ *eſt*. Ut *gaudeant in* operibus bonis, audiunt ex Paulo 2. Corinth. cap. 9.
„ *Hilarem datorem diligit Deus*.

„ Item ſicut ſe infirmitas, eorum firmitaſque habuerit, *metuunt* ten-
„ tari, *cupiunt* tentari, *dolent* in tentationibus, *gaudent* in tentationibus.
„ Ut enìm *metuant* tentari, audiunt, *ſi quis præoccupatus fuerit in aliquo*
„ *delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu manſuetu-*
„ *dinis, intendens te ipſum, ne & tu tenteris*. Ut autem *cupiant* tentari,
„ audiunt quendam virum fortem Civitatis Dei dicentem in Pſalmo 25.
„ *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum*. Ut *doleant*
„ in tentationibus, vident Petrum flentem. Ut *gaudeant* in tentationibus,
„ audiunt Jacobum dicentem: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum*
„ *in tentationes varias incideritis*.

„ Non ſolùm autem propter ipſos *his* moventur *affectibus*, verùm
„ etiam propter eos, quos liberari *cupiunt*, & ne pereant, *metuunt*, & *do-*
„ *lent*, ſi pereunt; & *gaudent*, ſi liberantur. Hæc S. P. ibi.

„ Addit: *Hi motus, hi affectus* de amore boni, & de Sancta Charitate
„ venientes, *ſi vitia vocanda* (agit contra Stoicos, qui (ut dicunt) paſſiones ab-
„ ſolutè dicebant morbos, ægritudines, vitia animi) *ſunt*, ſinamus, ut ea,
„ quæ vitia ſunt, virtutes vocentur. Sed cum *rectam rationem* ſequantur
„ *iſtæ affectiones*, quando ubi oportet, adhibentur, quis eas tunc *morbidas*
„ (ecce paſſiones ſolùm dicit *morbos*, ſive ægritudines animi, quando ſunt
„ contra *rectam* rationem) ſeu *vitioſas paſſiones* audeat dicere? Quamob-
„ rem etiam ipſe Dominus in forma ſervi agere vitam dignatus humanam,
„ ſed nullum habens omninò peccatum, *adhibuit eas, ubi adhibendas eſſe*
„ *judicavit*; nec enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis
„ animus, falſus erat humanus affectus. Cum ergo ejus in Evangelio iſta
„ referuntur, *quòd ſuper duritia cordis Judæorum contriſtatus ſit*;
„ quòd dixerit, *gaudeo propter vos, ut credatis*; quòd *Lazarum ſuſcitatu-*
„ *rus etiam lachrymas fuderit*; quòd *concupiuerit cum diſcipulis ſuis man-*
„ *ducare paſcha*; quòd *propinquante paſſione triſtis fuerit anima ejus uſque*
„ *ad mortem*, non falsò itaque (ecce Auguſtinus explicavit *quatuor* paſ-
„ ſiones in Chriſto Domino) *referuntur*. Verùm ille *hos motus* cer-
„ ctus eſt homo.

„ Proinde quod fatendum eſt, etiam cum *rectas*, & *ſecundùm Deum*,
„ habemus *has affectiones*, hujus vitæ ſunt, non illius, quam futuram ſpe-
„ ramus.

„ Itaque aliquando quanvis non culpabili cupiditate, sed laudabili „ Charitate moveamur, etiam dum volumus, flemus.

„ Habemus ergo (concludit Augustinus Pater) *eas*, nempe *passiones* „ ex humanæ conditionis *infirmitate*; non autem ità Dominus Jesus, cu- „ jus & infirmitas fuit ex potestate. *Sed dum vitæ hujus infirmitatem geri-* „ *mus, si eas omninò nullas habeamus, tunc potiùs non rectè viuimus.* Vitu- „ perabat enim, & *detestabatur* Apostolus quoldam, quos etiam esse dixit „ *sine affectione*. Illos etiam culpavit sacer Psalmus 61. de quibus ait: *Sa-* „ *stinui, qui simul contristaretur, & non fuit*. Nam *omnino non dolere*, „ dum sumus in hoc loco miseriæ, profectò sicut quidam etiam apud sæcu- „ li hujus literatos sensit, & dixit, *non sine magna mercede* contingit *imma-* „ *nitatis* in animo, *stuporis* in corpore. Hæc Sanctus Doctor ibi, ubi adji- „ cit alia, videnda ibi.

„ Item Tractatu 60. in Joannem, Tomo 9. explicat quæ debeant esse „ *passiones* animi Christiani, sive *turbationes*, dicens: *Turbetur* planè ani- „ mus Christianus, *non miserià, sed misericordià.*

„ *Timeat*, ne pereant homines Christo; *contristetur* cum perit aliquis „ Christo; *concupiscat* acquirere homines Christo; *lætetur*, cum acquirit „ Christo. *Istæ* (ait Sanctus Pater) *sunt* certè *quatuor*, quas *perturbationes* „ vocant, TIMOR, & TRISTITIA, AMOR, & LÆTITIA; habeant „ eas *justis de causis* animi Christiani; nec Philosophorum *Stoicorum*, vel „ quorumcunque similium consentiatur errori, qui profectò quemadmo- „ dum *vanitatem* existimant *veritatem*, sic *stuporem* deputant *sanitatem*, „ ignorantes sic *hominis animum*, quemadmodum corporis membrum *de-* „ *speratiùs ægrotare*, quando & *doloris amiserit sensum.*

Agit in his ultimis verbis Sanctus Doctor contrà *Stoicos*, qui excludebant à viro sapiente, & perfectè virtuoso passionem *doloris*, sive *tristitiæ*; contrà quos præsertìm agit lib. 14. de Civitate Dei, cap. 8. cui apponit titulum: „ *De tribus perturbationibus, quas in animo sapientis Stoici esse uo-* „ *luerunt, exclusis dolore, siue tristitia, quam* (putabant) *virtus animi sen-* „ *tire non debet.*

Incipit in relato capite Augustinus sic: „ *Quas* Græci appellant (vo- „ cabulo Græco, quod defectu caracteris Græci ab impressore nequit signa- „ ri in ista charta) latinè Cicero *constantias* nominavit, Stoici *tres* esse vo- „ luerunt, pro *tribus perturbationibus* (perturbationes enim in sapientem „ cadere negabant) *in animo sapientis*; pro *cupiditate* VOLUNTATEM; „ pro *lætitiâ*, GAVDIVM: pro *metu* CAVTIONEM; & pro *ægritudine* „ verò, vel *dolore*, quem nos, ambiguitatis causà vitandæ, *tristitiam* ma- „ luimus dicere, *negauerunt esse posse aliquid in animo sapientis*. VO- „ LUNTAS quippe, inquiunt, appetit *bonum*, quod facit sapiens. GAU- „ DIVM de bono adepto est, quod ubique *adipiscitur* sapiens. CAVTIO „ devitat malum, quod *debet* sapiens devitare. *Tristitia* porrò, quia est „ de malo, quod jam accidit: *nullum autem malum existimant posse acci-* „ *re sapienti; nihil in ejus animo pro illa esse posse, dixerunt*. Sic ergo illi „ (Stoici) loquuntur, ut *velle, gaudere, cauere, negent, nisi sapientem; stul-* „ *tum* autem non nisi *cupere, lætari, metuere, contristari*. Et illas *tres* esse „ *constantias*; has autem *quatuor* esse *perturbationes* secundùm Cicero- „ nem; secundùm plurimos autem *passiones*. Hæc S. Doctor.

„ Post pauca autem explicat relatas passiones convenire bonis, & ma- „ lis; bonas illis, malas istis. Probat, quòd etiam *volunt, cavent, gaudent* „ boni, & mali, dicit: *Proinde volunt, cavent, gaudent* boni, & mali; atque

ut

„ ut eadem aliis verbis enunciemus, *cupiunt, timent, lætantur*, & boni, &
„ mali; sed illi *benè*, isti malè, sicut hominibus, seu *recta*, seu *perversa* vo-
„ luntas est.

„ Ipsa quoque *tristitia*, pro qua Stoici nihil in animo sapientis inve-
„ niri posse putaverunt, reperitur *in bono*, & maximè *apud nostros*. Nam
„ laudat Apostolus Corinthios, quòd *contristati fuerint* secundùm Deum;
„ ideò in epist. 2. ad Corinth. c. 7. ait: *Video, quòd epistola illa et si ad ho-*
„ *ram contristauit vos; nunc verò gaudeo, non quia contristati estis, sed*
„ *quia contristati estis ad pœnitentiam.* Hæc S.P. ibi.

Ex dictis infertur, passiones (*ut passiones*) non esse *determinatè* moraliter *malas*, sed posse esse *moraliter bonas*, vel *malas*, & à *bona*, vel *mala voluntate* determinari ad bonitatẽ, vel malitiam; & præter adducta in capitibus duobus elapsis, si relegantur cum reflexione, in quibus legisti passiones in linea *boni*, cum tamen etiam in impiis sint passiones in linea *mali*, sive *moraliter malæ*, adhùc Sanctus Pater lib. eodem 14. de Civitate, cap. 7. explicat, „ *Amorem, & dilectionem indifferenter, & in bono, & in malo, apud*
„ *sacras literas inveniri*, & agit ibidem contra eos, qui putarunt, aliud es-
„ se *dilectionem*, sive charitatem, aliud *amorem*; dicunt enim dilectionem
„ accipiendam esse in *bono*, amorem in *malo*. Jesus Joan. cap. 21. dixit bis
„ Petro, *diligis me?* tertiò interrogat, *amas me?* Petrus triplici interroga-
„ tioni respondit, *Tu scis Domine, quia amo te*; unde intelligimus, ait Au-
„ gustinus, quòd etiam cum dicebat Dominus, *diligis me*, nihil aliud di-
„ cebat, *quàm amas me*; & consequenter non distingui dilectionem ab amore,
„ & amorem posse in *bono*, sicut dilectio. Et quòd *dilectio* etiam, sicut
„ *amor*, possit esse in *malo*, patet ex Psalmo 10. ubi: *Qui autem deligit*
„ *iniquitatem, odit animam suam*. Vidisti dilectionem in *malo*. Nunc vi-
„ de dilectionem, quòd possit esse in *malo*, vel in *bono*, apud Joannem Apo-
„ stolum 1. cap. 2. *Si quis dilexerit Mundum, non est dilectio Patris in eo*;
„ ecce dilectionem *Mundi*, & hæc est *mala*; legisti *dilectionem Patris*, &
„ hæc est *bona*; ergo dilectio potest esse *bona*, vel *mala*

„ Nunc vidisti *amorem in bono* in interrogationibus, quibus Jesus in-
„ terrogavit Petrum, & in responsionibis Petri; vide jam *amorem in malo*
„ apud Paulum 2. Timot. 3. *Erunt enim homines se ipsos amantes, amato-*
„ *res pecuniæ. Recta itaque voluntas est bonus amor, & voluntas peruersa*
„ *malus amor*.

„ *Amor* ergo inhians habere, quod amatur, *cupiditas* est; id autem
„ habens, eoque fruens, *lætitia*. Fugiens, quod ei adversatur, *timor* est;
„ idque acciderit sentiens, *tristitia* est. Proinde *mala* sunt ista, si *malus*
„ est amor; *bona*, si *bonus*. Quod dicimus de scripturis probemus.

„ De *cupiditate*, sive *desiderio*, quæ est passio subsecuta ad amorem,
„ *concupiscit* Paulus ad Philip. 1. *dissolvi, & esse* cum Christo. Item Psal. 118.
„ *concupiuit* anima mea desiderare judicia tua in omni tempore, & si ac-
„ commodatius (inquit Augustinus) dicitur, *Desiderauit anima mea concu-*
„ *piscere judicia tua*; *& Sap. cap 6. Concupiscentia Sapientiæ perducit ad*
„ *regnum*. Hoc tamen loquendi obtinuit *consuetudo*, ut si *cupiditas*, vel
„ *concupiscentia* dicatur, nec addatur, cujus rei sit, non nisi in malo pos-
„ sit intelligi.

„ *Lætitia* apud Psalmistam *in bono* est, Psalm. 31 *Lætamini in Do-*
„ *mino, & exultate justi*; & Psalm. 4. *Dedisti lętitiam in cor meum*; & Psal.
„ 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*.

„ *Timor* in *bono* est apud Apost. ad Philip. 2. ubi ait: *Cum timore, &*
„ *tremore vestram solutem operamini*; & ad Rom. cap. 11. *Noli altum sa-*

pere,

„ *pere, sed time*; & 1. ad Corinth. cap. 11. *Timeo autem, ne sicut serpens*
„ *Euam seduxit astutià suà, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate,*
„ *quæ est in Christo*.

„ De *tristitia* verò, quam Cicero magis *ægritudinem* appellat; *dolo-*
„ *rem* autem Virgilius Æn 6. ubi ait:

„ *Hinc metuunt, cupiuntque, dolentque, gaudentque* in quibus bre-
„ viter numerat *quatuar* passiones, *metum, cupiditatem, dolorem, & gau-*
„ *dium*, sed ideò malui (ait Augustinus) *tristitiam* dicere, quia ægritudo,
„ vel dolor usitatiùs in corporibus reperitur, scrupulosior quæstio est, utrum
„ inveniri possit in *bono*; probat autem (ut dictum capite elapso contra
„ Stoicos) cap. 8. ejusdem lib. 14. de Civitate, quòd *tristitia* etiam inveniri
„ possit in *bono*. Hæc *Augustinus*. Vide dicta cap. elapso, & pag. 669. & 674.

Ergo passiones ex quiditate sua non sunt determinatè *moraliter malæ*, sed *indifferentes* ex se; jam possunt esse *malæ*, ut in impiis; jam moraliter *bonæ*, ut in sapientibus, modo explicato ab *Augustino*; qui lib. de *spiritu, & Anima* cap. 4. ideò ait: *Animæ affectus omnium sunt vitiorum, & virtutum, quasi quædam principia, & communis materia*.

Ecce explicuit Augustinus non solùm *passiones*, sive *perturbationes* cadere in sapientem, sed *quatuor* passiones inter principales, & qualiter debeant exerceri à nobis; & contrà Stoicos, etiam *tristitiæ* passionem ex voluntate *rectas* in sapientem cadere. Quia Augustinus explicabat, meum ex meo non fuit *dicere*, sed *discere*.

CAPUT XII.

Passiones inordinatæ hieroglyphicè per turbines, vepres, pedes, calcaneum, uvam fellis. Tres *lanceæ Joab, fixæ in corde Absalonis*, tres *affectus* iræ, cupiditatis, & libidinis, *innuunt.*

PEr *turbinem* non ignoras plura in sacris literis signi ficari. Est *turbo* ventus cum fragore maximo obiecta quæque deturbans, prosternensque, ac involvens ex depressæ nubis specu ortus. In sacris chartis *turbo* jam signat *iram, & punitionem Dei*, sic apud Job cap 3. A. & cap. 9. B. & apud Isaiam cap. 4. B. jam signat *diem judicii*, qui appellatur *dies turbinis* apud Joel cap. 2. A. & & Amos cap. 1. D jam signat *turbo* impetus *tribulationis, & tentationis* apud Isaiam cap. 4. B. & cap. 21. A. idemque signat *ventus turbinis* apud Ezechielem cap. 1. A. Item *turbo* apud Isaiam cap. 28. A. & Habachuc cap. 3. D. signabat exercitum Assyriorum adversùs Hierusalem.

At ad præsens per *turbines* significantur passiones nostræ, quæ priusquam perfectè subjiciantur rationi rectæ, cum fragore interiori excitatæ, animum, & corpus deturbant, & vento valido agitant; ita ut animus inter ipsas perturbetur more navis in medio ferventis procellæ, quam hinc illinc pericula, undæ, & ventus exagitant; & significantur etiam in Assyriis concitatis contra Hierusalem, quia insurgunt animales affectus contra Hierusalem, nempe rationem.

Hùc pulsat ex Plutarcho *in libello de virtute morum*, ille, qui se navi æquiparat, passionesque ventis assimilat, ut ipse Plutarchus applicat, & addit: *Conciderant venti, jam & tranquillus sine vento Pontus erat, namque ipse Deus sedaverat turbines insanos, rabidosque cupiditatum motus restinguente ratione*. Passiones ergo cum nos *turbent*, apto symbolo in *turbinibus* indicantur.

Item

Item *affectus* noſtri appetitus ſignificantur per *ſpinas*, quæ apud Geneſim cap. 3. D. ſive v. 18. ſignificant voluptates, & pravas inclinationes, tribulique ſunt concupiſcentiæ inordinatæ. Sententiam protulit Deus contrà Adam, *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinobit tibi*; id eſt, in ſenſu *literali*, ſpinæ, quæ paucæ, & ad terræ ornatum anteà germinaverant de terra, modo ſpiſſiſſimæ ad ſupplicium tuum prodeant; in ſenſu autem *morali*, habebit homo ſpinas tentationum, quæ vexent; habebit ſpinas *ſub ſe*, *circa ſe*, *juxta ſe*; nempe *ſub ſe* divitiarum *ſpinas*, nam illarum cupiditates hominem pungunt; habebit ſpinas *circà ſe*, nempe *falſos fratres*, qui lacerant, & cruentant; habebit ſpinas *juxta ſe*, nempe paſſiones, voluptates, affectus, qui moleſtent, & quietem animi lacerent.

Hìnc *tres lanceæ*, quas fixit Joab in corde Abſalon, tres paſſiones *iræ*, *cupiditatis* avaræ, & ambitioſæ, & *libidinis* ſignificare poſſunt; iſtæ *tres* lanceæ cor transfigunt, affigunt, torquent, & enecant, niſi dexteritate rationis iſtæ tres lanceæ à triplici appetitu ſenſitivo, *iraſcibili*, *concupiſcibili*, *& lidinoſo*, vibratæ impediantur. An paſſiones inordinatæ ſint ſpinæ pungentes cor, lanceæ illud ferientes, experiris tu, ſi ſenſus non ſubjaceat rectæ rationi.

At & *pedes* ſunt idoneum hieroglyphicum vitioſarum paſſionum, impetuumque, ſive affectuum, qui propenſi ad terrena, non propendunt ad ſuperiora.

Cur apud *Leviticum* cap. 1. lit. B. ſtatuit, Moyſes, *pedes hoſtiæ lavandos*? ad innuendum, voluptatis fulcra, aut fomenta mundanda. Veteres enim, qui *pedes* pro abiectiſſima parte corporis poſuerunt, hieroglyphicum voluerunt pravorum affectuum; ſunt enim quid in anima maximè abiectum, & erumpunt, & recipiuntur in ſenſu, qui eſt abiectiſſima animæ portio; ita ut, ſi cauſa explicationis liceat dicere, pes animæ ſit animalis, & ſenſitiva portio, nempe quatenùs corpus informat. Quid congruentius ſacris literis, quàm quòd *pedes recti* ſignent bonos affectus? *recti pedes* quatuor animalium apud Zechielem, quid ſignabant, niſi rectos affectus? apud Poeſim ſapientem, *pedes retorti*, *& anguinei*, cum quibus finguntur gigantes ſymbola iræ, & ſuperbię, & quia carneæ turres ſymbola voluptatum carnis, quorſum conſpirant, niſi ad pravos impiorum affectus ſignificandos? Doctor adeſt David Pſalm. 125. ubi impiorum ambulationes *obtortas*, ambagibuſque circumactas, declarat.

Quid innuebat, Jeſum lavare Diſcipulorum pedes, niſi ipſos mundare ab affectibus pravis? Cur repugnanti Petro lotionem, dixit Jeſus, *ſi non lavero pedes, non habebis partem in Regno meo*? ut indicaret, ſordidos pedes eſſe ſymbola ſordidorum affectuum, à quibus ſi non mundetur homo, non habebit partem in Chriſti Regno.

Et cur *pedes* non ſint item hieroglyphicum noſtrarum pravarum inclinationum, & terreſtrium affectuum? pedes hærent terræ, nituntur in terra; ſic affectus hominis terræ hærent, terreni ſunt, niſi ope Dei recta ratio præſervet; terræ hęrent hominis animalis, & carnalis affectus, & impetus, niſi ope Dei recta ratio elevet.

Iam hìnc patet, cur etiam *calcaneus* ſit pravarum paſſionum ſymbolicum ſignum; nam & *calcaneus* eſt abiectiſſima humani corporis pars, & terræ, conatu, & firmiter, hæret; *calcaneus* eſt, qui calcitrat; at tales ſunt pravi affectus, abiectiſſimi ſunt; terræ, ſive rebus terrenis, hærent; recalcitrant contra rectam rationem; ideò *calces* ſignant affectiones terrenas; & apud Pſalmum 48. calcaneus ſignat veſtigia peccatorum; affectus *contra rationem rectam* calcei ſunt, quos ſenſus contra illam immittit.

Fig-

Figmentum illud *Poeticum*, quòd mater Achillis hunc illinivit, & lavit Stygià aquà, cum immersit fatalibus undis, illoto manente talo, sive calcaneo, unde illum tenebat, ne mergeretur in undis; at hinc resultasse, in reliquis corporis partibus inviolabilem fuisse, & in solo *talo*, sive *calcaneo* periisse saucium? hùc conspiravit, quòd *calcanei* sunt symbola *passionum immundarum*, *& terrestrium*; sunt symbolum *sensus* in quo residet; sunt index *illius portionis animæ*, quæ in corpore *terrenæ adhæresit naturæ*, quæ in voluptates illicitas, & pravos affectus est labilis; uno verbo sunt hieroglyphicum *appetitus sensitivi*, qui his sordibus deturpatus deturpat & animum; si hunc calcaneum non mundes à sordibus vitiosis, animus erit moraliter saucius.

Ajebant Isidorus lib. 11. *Ethimol.* sic: *Anima*, dum vivificat corpus, *anima est*; dum vult, *animus est*; dum scit, *mens est*; dum recolit, *memoria est*; dum spirat, *spiritus est*; dum aliquid sentit, *sensus est*; & hæc est portio infima animæ, sive infimum munus, ubi passiones sunt; hæc est pes, & calcaneus animæ; hancque oportet esse mundam, labari, ut sit animus purus. *Calcaneus* ita purus, & *virtute* validus, conterit serpentis, nempe appetitus sensitivi rebellis, caput; *calcaneis suis* properarunt primi parentes ad arborem prohibitam, hinc serpens sensus erexit contra rectam rationem caput; ergo lava calcaneum, lava sensum à sordibus; & sic ratio recta, cum virtute morali in ipso appetitu senti ente recepta, conteret serpentis sensus caput; non se attollet iste voluptuosus serpens contra rectam rationem; item & vincet diabolum, in serpente significatum, & calcatis Diabolo, & appetitibus sensus, corona securitatis erit.

At & *uva fellis* pravas cupiditates innuit apud *Deuter.* cap. 32. lit. C. ubi *uva* intelligitur pro *actu concupiscentiæ*; & dicitur ibi *uva fellis*, quia & concupiscentia est *amara* animo, quem perturbat, & ducit *ad amaritudinem* inferni.

CAPUT XIII.

PASSIONES domandæ, *subjiciendæ* rectæ *RATIONI* ex *literis sacris*. *Possunt passiones domari*, *non extirpari*, *& eradicari*, *dum vivimus in carne*.

PVlchrè Augustinus de *Essentia divinitatis* libro uno, Tomo 4. scribit „ *Ad imaginem* quippe suam Deus hominem fecit, non in corpore „ sed in anima; non in corpore, sed in sensu, non *in exteriore homine*, sed „ in *ratione*. Animaque hominis, ut dictum est, ideò ad imaginem Dei fa„ cta esse perhibetur, quia spiritualis creatura est, invisibilis, & incorpo„ rea, atque immortalis; *non de substantia Dei* originem trahens, sicut Ma„ nichæi, & Priscillianistæ hæretici falsè opinati sunt, sed ex nihilo à Deo „ creata; quæ initium habet, finem habere nescit. *Quæ humana anima* „ ob hoc, quod à Deo *rationalis*, quod *intellectualis* facta est, *imago Dei*, „ dicitur. Inest enim illi per naturam *rationalis sensus*, per quem (accipit „ rationalem sensum pro *intellectu*) intelligit, sapit, atque inter bonum, „ malumque discernit. Inest illi *memoria*, per quam transacta recordatur. „ Inest, *voluntas*, per quam, quæ vult, eligit. Inest & *sensus*, per quem & „ sentit. Inest & *ratio*, per quam & occulta, & invisibilia contemplatur, „ per quam Deum Creatorem suum intelligit, per quam vera à falsis di-

scer-

„ scernit, per quam invisibilia, & Deum oculis cordis contemplatur, seu
„ speculatur. In his omnibus *anima hominis ad imaginem Dei* facta esse
„ narratur; hæc omnia communia habet cum Angelis, corpus cum anima-
„ libus brutis, quæ intellectu carent. Hujus animæ origo occulta est, &
„ soli Deo cognita. Ipsa quoque animæ hominis pro eo, quòd *spiritalis* crea-
„ tura est, aliquando in sacra Scriptura *spiritus* dicitur, aliquando verò
„ *natura*, aliquando etiam *vita*, non nunquam verò *cor* esse dicitur. Et
„ cum sit una in natura sua, propter varios effectus diversa vocabula sorti-
„ ta est. Similitudo verò Dei in homine refertur ad opus *justitiæ*; sicut
„ enim *imago Dei ad naturam pertinet animæ*, ità *similitudo* refertur ad
„ *justitiam*, dicente Domino in lege *Levit. cap.* 19. *Sancti estote, quia ego*
„ *sanctus sum Deus vester*. Hæc S. P. Vide item lib. 14. de *Civit. cap.* 19.

In quibus & distinguit duplicem portionem hominis, *superiorem*, nempe *rationalem*, *& inferiorem*, nempe *animalem*, sive corporeè sensitivam; & addit, in quo communicat homo cum Angelis, in quo communicat cum brutis; quòd *ratio* speculatur, & contemplatur invisibilia, & Deum oculis cordis; Deum Creatorem intelligit, vera à falsis discernit; quòd anima nostra Dei imago, & similitudo est.

At ut hæc *imago*, *& similitudo* servetur, oportet *imaginem* non sordescere, non defigurari, nec decolorari fumo atro vitiosarum passionum; oportet, & *similitudinem* conservari *rationalem*, nec hominem in bruta converti, cum passionibus brutorum adglutinatur. Hoc bonum non erit, nisi *ratio* in homine *superior* Domina sit, & *caro* sit *ancilla*, quæ serviat *Dominæ suæ*. *Ratio*, cujus est meditari, & respicere *æterna*, debet reprimere *sensus*, ne homo descendat *in brutum*, & ut operibus *justitiæ*, sive virtuosis, sit homo *similis Deo*. *Rationis* est discernere *vera a falsis*, ne homo allicitus *à sensu* sensibilia, *apparenter* bona, *veris bonis* præponat *æternis*.

Hùc quod scriptum est in Genesi cap. 1. de Adamo, & Eva, quòd Deus *masculum, & fœminam fecit eos, & benedixit eos Deus*, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*.

Sanctus Pater Augustinus iib. 1. de Genesi contra Manichæos, cap. 19. Tomo 1. sic: „ *Rectissimè quæritur*, quemadmodum accipienda sit conjun-
„ ctio masculi, & fœminæ ante peccatum, & ista benedictio, quà dictum
„ est: *Crescite, & multiplicamini, generate, & replete terram*, utrum *car-*
„ *naliter*, *& spiritualiter* accipienda sit. Licet enim nobis eam etiam *spi-*
„ *ritualiter* accipere, ut in carnalem fœcunditatem post peccatum conver-
„ sa esse credatur. Erat enim priùs casta conjunctio masculi, & fœminæ, il-
„ lius ad regendum, hujus ad obtemperandum accommodata; & spiritalis
„ fœtus intelligibilium, & immortalium gaudiorum, replens *terram*, id est,
„ vivificans *corpus*, *& dominans ejus*, scilicet ita *subjectum habens*, ut nul-
„ lam ex eo adversitatem, nullam molestiam pateretur. Quod ideò sic cre-
„ dendum est, quia non dum erant filii sæculi hujus, antequam peccarent.
„ Filii enim sæculi hujus generant, & generantur, sicut Dominus dicit (*apud*
„ *Lucam* cap. 20.) cum in comparatione futuræ vitæ, quæ nobis promitti-
„ tur, carnalem istam generationem contemnendam esse demonstrat. Et
„ quod eis dictum est: *Habete potestatem piscium maris*, *& volatilium cæ-*
„ *li*, *& reptilium omnium*, *quæ repunt super terram*, salvo quidem intel-
„ lectu, quo manifestum est omnibus, his animalibus hominem *ratione* do-
„ minari, rectè tamen intelligitur etiam *spiritualiter*, ut omnes *affectiones*,
„ *& motus animi*, quos habemus istis animalibus similes, *subditos* habere-
„ mus, & *eorum dominaremur per temperantiam*, *& modestiam*. Cum enim
„ *non reguntur* isti motus, *erumpunt*, *& pergunt in fœdissimas consuetu-*

„ *dines, & inuersas, pernicioſaſque delectationes nos rapiunt, & faciunt*
„ *ſimiles omni generi beſtiarum*. Cum autem *reguntur, & ſubjiciuntur,*
„ *omninò manſueſcunt, & nobiſcum concorditer vivunt. Non enim alieni*
„ *ſunt à nobis motus animi noſtri*. Paſcuntur etiam nobiſum cognitione ra-
„ tionum, & morum optimorum, & vita æterna, tanquam herbis ſeminali-
„ bus, & lignis fructiferis, & herbis viridibus. Et hæc eſt *hominis vita bea-*
„ *ta*, atque tranquilla; *cum omnes motus rationi, veritatique conſentiunt,*
„ *& vocantur gaudia, amores ſancti, caſti, & boni*. Si autem *non conſen-*
„ *tiunt*, nihilominus dum negligenter geruntur, *conſcindunt, & diſſipant*
„ *animum, & faciunt vitam miſerrimam, & vocantur perturbationes, &*
„ *libidines, & concupiſcentiæ malæ*. De quibus (ab Apoſtolo 1. Corinth.
„ cap 15.) jam nobis præcipitur, ut eas cum quanto poſſumus labore *crucifi-*
„ *gamus in nobis*, donec abſorbeatur mors in victoriam. Dicit enim Apo-
„ ſtolus ad Galatas cap. 5. *Qui autem Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam cru-*
„ *cifixerunt cum perturbationibus, & concupiſcentiis*. Hæc Almus Pater,
cujus omnia ſunt verba; ſunt aliqua, quia ſpecialiſſimè ad præſens, ſignata.

Huc adhuc pulſant illa verba Gen. cap 1. v. 27. *Maſculum, & fœminam creauit eos*; literaliter, quia naturaliter non poterat creſcere, & multiplicari homo ſine fœmina, ideò creato Adamo maſculo, addidit Deus ædificare Evam. *Moraliter*, Maſculum, & fœminam creavit eos, id eſt, *ſpiritum, & carnem*; ſed quia inter ſpiritum, & carnem, eſt continua rixa, dicente Apoſtolo ad Galatas, cap. 5. v. 17. *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem, hæc enim ſibi* invicem adverſantur; id circò infrà, *fœminæ*, id eſt, *carni*, dicitur in *Gen. cap. 3. v. 16 ſub viri poteſtate eris*, id eſt, *ſpiritus dominabitur tui*. Vnde ſi velit anima cœleſti benedictione creſcere in multiplicatione gratiæ, inſoleſcentem ut vir reprimat, & refrænet, fœminam, id eſt, carnem, hujuſque retundat ſuperbiam.

Apud Geneſim cap. 16. quòd Agar ancilla deſpexit Saram Dominam ſuam, quid moraliter innuit niſi carnem rebellem rationi? flagellatur Agar à Sara, caſtigandus eſt ſenſus à ratione; caro ancilletur, ratio ſit Domina; nam & apud Geneſim cap. 2. v. 19. dicitur: *Formatis* igitur, Dominus Deus, *de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volucribus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*; explicuit Deus in hoc dominium Adami in bruta; *moraliter*, cum per *bruta* intelligantur *ſenſus*, ſive *caro*, ejuſque *affectus*, & per Adamum intelligatur *ratio*, quid innuitur in dominio Adami in bruta, niſi imperium rationis in carnem? Adamo ſubiecta bruta, ſit rationi ſubiecta caro.

Quare apud Geneſ. c. 30. quid exiſtimes ſignificari per ancillas Rachelis, & Liæ, niſi potentias inferiores, deſervientes potentiis ſuperioribus, vel ad contemplandum, vel operandum? ancilla quidem Rachelis, per quam intelligitur *ratio*, eſt *imaginatio*; ancilla verò Liæ, per quam oculis lippis intelligitur caro, eſt *Affectio, & ſenſualitas*; at pulchra Rachel prælata fuit à Jacob Liæ, quia ratio eſt præfenda ſenſui.

Senſum, ſive carnem dixeris *terram*, rationem *colonum*; inculta terra germinat ſpinas, ſique *ratio* aratro pœnitentiæ, ligone cilicii, non exerceat carnem, germinabit vitioſas pravorum affectuum vepres; *moraliter* hoc fuit juberi Adamo, coleret terram, nempe quòd carnem mortificatione tunderet, ne rationi eſſet rebellis, utque virtuoſos germinaret affectus.

Corpus dicis *puteum*? more putei eſt, in quo ſunt *aquæ* affectuum; at apud *Geneſim cap. 26. D. & Num. c. 21. D.* Quid eſt *fodere puteum*, niſi purgare ſenſus à terrenis affectibus? igitur *caro* eſt *puteus*, purga; *caro* eſt

ter-

terra, excole; tibi ligones sint disciplinæ, virgæ, jejunia, cilicia; *ratio* est *agricola*, in sudore vultus panem virtutis comedat.

Huc ex Philosophia sacra parabolica, *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, & locavit eam agricolis*; ad præsens vinea est anima quam plantavit Deus in corpore tuo; agricolæ sunt potentiæ superiores; ergo, ut germinet, fode vineam; quid est fodere vineam? curas mundanas ab anima auferre, & mollire duritiam cordis. Circumfodis ficum, ut utiliter germinet; *circumfode* animę ficum, fode cum pœnitentiæ ligone corporis terram, & ficus animæ proferet grossos suos. Huc ergo etiam illa sacra Parabola ficus apud sacras literas.

Illud Davidicum Psalm. 50. *Et in peccatis concepit me mater mea*, quam matrem indicat? naturam ipsam per peccatum Adæ corruptam; unde fit, ut omnes, qui in illa concipiuntur, in peccatis concipiantur; sed à vulnere, & corruptione vitii ratio provida, ope Dei, pharmaco virtutis sanat.

Affectus pravos *pulverem* dicis? non erras, & cum ipsis lutescit anima; quid ergo? *absterge pulverem* à pedibus tuis, à sensu pravas abstergas passiones. Quid enim existimes significatum à Luca cap. 10. *per abstergere de pedibus pulverem*? excutere terrenos affectus.

Corpus dicas *asinum*, voluptatum, & vitiosorum, symbolum; ascendat super asinum *ratio*, ut sit subiectus rationi; nam & apud Isaiam cap. 21. D. quid est *ascendere super nitentes asinos*, nisi designare eos, qui corpora sua *rationi* subiecta habent? apud Genesim cap. 24. G. quid est ascendere *super camelos*, nisi carnem subjicere? apud Gen. cap. 30. G. quid designant moraliter *mares* in grege *ascendentes super fœminas*, nisi rationem imperantem sensualitati? Si sensus est *equus*, est *eques* ratio, domet equm, frenum virtutis apponat, regat, freno coerceat; vide, time si aliter, quia equs indomitus mittit in præceps. Est ergo sensualitas *asinus*, *camelus*, *fœmina*, *equs*; ascendat casta ratio, sit caro rationi subiecta; ascensor horum *in bonum* animam signat, quæ corpus suum regit.

Quid est caro? ejus est symbolum *byssus* genus tenuissimi lini, ex quo fit tenuissima tela; tenuis est caro, fila sunt affectus; quomodo ex illis fiet candidissima, byssinaque *moraliter*, uno verbo tela virtutum? *retorquendo* byssum, retorque linum, affectus sensus inclinantes ad carnem retorquendo ad rationem; macera carnem vigiliis, & meditationibus: maceratur enim & byssus, & superfluitates expurgantur, ut candorem recipiat; byssus enim retortus etiam in chartis sacris carnem maceratam significat; sic byssо macerato carnis, & retorto vi mortificationis, byssinà virtutum stolà induitur anima.

Si caro est *fœmina*, admonemur in sacris apud Deuteronomium *cap.* 12. A. *abominabile esse, mulierem indui veste virili*, aut virum veste fœminea; contra naturam enim est, fœminam exercere officia viri, virumque fœminæ; at cum per *virum* intelligatur *ratio*, per *fœminam caro*, quid moraliter indicatur, nisi abominabile esse, carnem dominari rationi, ut virum, rationem autem ut fœminam subjici sensui? contra naturam est, quòd caro dominetur spiritui, & sic induatur veste virili. Væ domui, in qua *fœmina* est vir.

Jam si reflectas hieroglyphica illa capite 2. memorata, quibus portio superior *humana*, inferior *brutalis*, conspirant hùc, quòd *ratio* significata per figuram humanam, sit superior, & dominans; caro autem significata in figura brutali, sit inferior, & subiecta rationi; ratio quia vir viriliter induatur. At è converso legas apud Ægyptios hieroglyphica cum portione *inferiori* figurata *humana*, & jam cum capite *porci*, jam *asini*, jam *equi*, aut *al-*

terius bruti; in quibus indicatur caro dominans rationi, & istam subjiciens; innuitur, quòd caro in vitiosis est vir, est caput; o abominabile monstrum! Si tua caro dominetur rationi, est tibi caput porci, asini, lupi, ursi; tale monstrum es animo, quale tibi apparet illud, quod reprobas, & horrescis, figuratum ob oculos.

Scias, quòd apud Genesim cap. 37. B. Sol, Luna, stellæ adorantes Joseph innuunt intentionem mentis, subtilitatem rationis, chorum virtutum, cum rationi obediunt.

Vide ex primo peccato insolentiam sensus; est per naturam servus rationis, & audet contendere de imperio. Ergo rebellem servum tundat, retundat *ratio*; asinum corpus renuentem procedere in via virtutis, admone cilicii flagello; equm sensus recalcitrantem contra rectam rationem, freno, verbere, & diminutione hordei, & feni, jejunio, castiga; vires vitiosas attenua.

Ductu rationis, ope gratiæ Christi, confide, bella passionum quiescunt; nam apud Josue cap. 11. D. & cap. 14. D. Bella, à quibus quievit terra tempore Josue, designant pugnas concupiscentiarum, & reliquarum perversarum affectionum tempore Christi, quando vires earum sunt imminutæ.

Dictum à consilio, *passiones esse subjiciendas rationi*, corrigendas, domandas, retundendas, reprimendas, mortificandas; non diximus *extirpandas*, *eradicandas*; nam sapientis (id est, *perfectè virtuosi*, vera enim Sapientia est virtus, quâ reddimur boni, contemplantes, colentes Deum, & amantes) est *domare* passiones sensus, *subjicere*, non penitùs *eradicare*, & *extirpare*, dum vivit in *carne*; nam *caro* est *radix* passionum, sed dum sumus in carne, non exuimus carnem, ergo cum sumus in carne non exuimus *radicem* passionum; dum autem nobiscum est radix earum, ipsas non possumus eradicare; ignis earum potest mortificari, non penitùs extingui, quousque homo descendat in cadaver; ideò docente Hieronymo Epist. 88. *Affectus, & perturbationes, quandiu in tabernaculo corporis hujus habitamus, & fragili carne circumdamur, moderatè regere possumus, amputare non possumus.*

Rixa (apud Gen. cap. 13.) inter pastores Abraham, & Lot, cum per illum indicetur *ratio*, & per istum *caro*, signat rixam affectuum carnis contra affectus rectæ rationis; discedente Lot ab Abrahamo cessavit pastorum rixa, nec cessaret aliter; innuitur, quòd quando anima, & caro separentur, tunc cessabit rixa affectuum carnis contra affectus rectæ rationis; dum tamen caro sit socia animæ, rixa potest temperari, non penitùs cessare; quia possunt domari carnis affectus, non tamen cessare penitùs, dum sumus in carne; & huc ex Levitico cap. 22. D. quid innuit *sub matre manere animal septem diebus*? per matrem intelligitur nostra natura vitiata per originale peccatum; per *septem dies* intelligitur hujus vitæ cursus, cujus dicuntur septem ætates, *infantia*, *pueritia*, *adolescentia*, *juventus*, *virilitas*, *senectus*, *decrepita*; per hos septem dies sumus sub matre, quia sumus sub natura corrupta per peccatum, dum vivimus; quare à corruptionis vitiosæ impulsibus, dum in natura corrupta vivimus, non possumus penitùs evacuari, possunt tamem corrigi cum pharmacis illis virtuosis, quæ subscribat medica *recta ratio*. Huc Bernardus *de diversis affectibus*, ait: *Appetitus reprimendus, quem omninò restinguere non possumus.*

Carnis symbolum *vacca*; sit caro vacca assueta jugo virtutis, quod recta ratio ponit. Apud Deuter. cap. 28. C. *Bos designat corpus nostrum*, ergo ne vitulus sit taurus, castra vires vitiosas; bos signat corpus assuetum laboribus; sit corpus subjugo rationis; apud *Deuteron. cap. 21. A. Vacca non assueta jugo carnem brutam, & vitiosam demonstrat.*

Ideò

Ideò Augustinus lib. de spiritu, & anima cap. 4. „ *Quoniam* virtus est „ habitus mentis benè compositæ, componendi, instituendi, atque ordinan- „ di sunt animi affectus ad id, quod debent, ut in virtutes proficere pos- „ sint. Cum ergo prudenter, modestè, fortiter, & justè, *amor*, & *odium* in- „ stituuntur, *in virtutes* exurgunt, scilicet Prudentiam, Temperantiam, „ Fortitudinem, & Justitiam. Vide etiam Augustinum lib. 1. de libero arbi- trio à cap. 8. & 11. Tom. 1.

CAPUT XIV.

Etiam literæ sæculares, & Poeticæ, per Perseum, Orpheum, Herculem, Minervam, Aeolum, monent, passiones *esse subjiciendas* rationi; *item per quatuor* humores *symbolicè indicatur, æquandas; hocque proficere non solùm valetudini animi, sed etiam sanitati corporis.*

MAgister eloquentiæ orat Cicero 1. offic. Efficiendum est, ut appeti- „ tus rationi obediant, eamque nec præcurrant, nec propter pigri- „ tiam, aut ignaviam deserant; sintque tranquilli, omnique perturbatione „ animi careant; ex quo elucebit omnis constantia, omnisque *moderatio*. „ Item 1. Tusc. addit: Cum præcipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc „ præcipitur, ut RATIO coerceat *temeritatem*.

Plutarchus in *Moral.* docet: *In* magno fluctu non sistitur navis, nisi „ pondus anchoræ retineat alto fixæ vado; sic in magnis rerum procellis „ SVMMA RATIO debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur. „ Vt velis utendum pro navis magnitudine, ita cupiditates pro facultate „ sunt *moderandæ*.

Huc (ut sparsim alibi dicta, in hoc loco, ut in propria sede, compendiosè memoremus) Poetæ per *Perseum* obtruncantem Medusam anguibus crinitam, innuerunt rationem jugulantem inordinatos affectus. Quid per *Orpheum* Eurydicem sponsam percussam in calcaneo à serpente, raptam ad inferos, hinc ab Orpheo citharæ harmonia reductam, indicare voluerunt? Eurydix, percussa à serpente in calcaneo, signat animam affectibus vitiosis carnis infectam, & in inferno passionum captivam; hinc autem extrahitur ab Orpheo, per quem significatur *ratio*, cum *cithara* virtutis sedat, & pacificat perturbantes affectus. Anima sic cedens carni est tota in inferno sensus, in inferno vitiorum, nisi à recta ratione citharâ trium chordarum animæ, quæ sunt *intellectus*, *memoria*, & *voluntas*, ope Dei, extrahatur; cum *intellectus* contemplatur æterna, agnoscit turpitudinem vitii, & huius pericula, & damna; cum *voluntas* amat æterna, odit vitiosa; cum *memoria* recordatur vitæ malè actæ ad pœnitentiam, & beneficiorum Dei ad humilitatem, tunc *Orpheus ratio* cum ista cithara sopit infernæ portionis hominis, nempè carnis, inquietos affectus, & sic anima ex illo inferno virtuosas assurgit ad auras, favente Deo.

Sed & per Herculem, suffocantem *tres leones*, indicare voluit Poesis *rationem* reprimentem impetus feros appetitus triplicis *irascibilis*, *concupiscibilis*, & *libidinosi*; perque eundem Herculem plura domantem monstra symbola vitiorum, pravarum passionum, innuere voluerunt rationem clavâ virtutis subjicientem rebelles passiones. Item & Minerva, per quam intellecta fuit à sapientibus *ratio*, figurata cum lancea transfigente draconem, innuebat rationem lanceâ virtutis domantem sensum, & pravos, vitiososque

acci-

occidentem affectus. Aptè *Minerva*, per quam intelligitur *ratio*, fuit figurata *armata galeà*, *thorace*, *ſcuto*, *lancea*, quia militia eſt vita hominis, & continuata lucta ſpiritus adversùs carnem; innuit *galea* in capite prudentiam, *thorax* in pectore fortitudinem, *ſcutum* in manu temperantiam, *lancea* quia recta juſtitiam; ſic armata ratio ſubjicit ſenſum, transfigit vitium.

At & per Aeolum imperatorem, & Regem ventorum, voluerunt ſignificare *rationem*, quæ imperare debet motibus animi, quorum ſymbola venti; ideoque dictum, antequam Aeolus ventis imperaret, accidiſſe certamina multa, quæ devaſtarunt regiones, & infeſtarunt, quia ſi *ratio* non coerceat paſſionum varios ventus, hinc emanabunt animi, & corporis ruinæ, tibi, & aliis calamitas. Quid innuerunt fabulantes, Vlyſſem ab Aeolo ventos in utrem incluſos accepiſſe, niſi quòd *ratio* ſtringit animi motus in utre ſenſus, ne aſſurgant in animi tempeſtates? Sic & per Mercurium, occidentem Argum centum oculis cuſtodem vaccæ, ſignificarunt *rationem*, libidines refrenantem.

Coercendos itaque à ratione motus animi etiam literæ ſæculares, & Poeticæ clamant. Et quidem ſi immodicæ paſſiones ſint, ſunt morbi animi, & corporis; oportet à ratione æquari, ut ſit integra ſanitas.

Humores corporis dicas ſymbolum *affectuum animi*; eſt corpus infirmum, quando non ſunt æquati humores; eſt animus infirmus, quando non ſunt æquati affectus; tunc eſt febris læthalis, *febris* enim noſtra *avaritia* eſt, *febris* noſtra *ambitio* eſt, *febris* noſtra *libido* eſt. Pendet à ſimetria humorum ſanitas corporis, eorum ametria generat morbos; hucque Galenus lib. de *Humoribus*, *Aphoriſmo* 2. *ſect.* 2. *lib.* 6. *Epidem* ſcribit: *Humores enim qualitate temperatos, & quantitate æquatos eſſe oportet, ut præſens ſanitas perſiſtat, atque abſens redeat.*

Diſcurre per humores: *bilioſus* humor excedens tertianas generat, febres ardentes, choleras, ideò juvenes præcipuè his morbis vexantur, quia calidum, & bilioſum (ut plurimùm) temperamentum habent; & quia æſtate prævalent calor, & ſiccitas, quæ ſunt qualitates humoris bilioſi, ideò tunc graſſantur tertianæ febres, ophthalmiæ ſiccæ, vomitiones, & ſimiles morbi; cauſat item humor bilioſus excedens dolores mordaces, ideò dicente Galeno lib. 3. de *locis affectis*, ſic: *bilioſa excrementa afficiunt dolore mordaci*. Item bilis exceſſus macros, graciles, ſiccos, macilentos cauſat, quia ſanguis non eſt nutritioni membrorum ſatis idoneus, eò quòd temperamento, aut potiùs intemperamento *calido*, & *ſicco*, exuſtus eſt.

Exceſſus humoris *melancholici*, quia *frigidus*, & *ſiccus*, facit *trementes*; hinc ſenes quia frigidi, & ſicci, & ſine congruo calore, tremunt: & Saturnus ſymbolum melancholici eſt figuratus ſenex, ut innuerent, quòd talis humor eſt frigidus, & ſiccus, ſicut frigidi, & ſicci ſunt Saturnut, & ſenes.

Item fictum eſt, quod Saturnus ſub terra fuit vintus cum Rhea, ad innuendū, quòd ſi nomine Saturni intelligitur melancholicus humor, & nomine Rheæ terra, ille eſt frigidus, & ſiccus, ſicut terra frigida, & ſicca eſt. Hinc melancholici ſunt tardi, & corpore graves; hucque conſpirat, quòd Saturnus melancholici ſymbolum ſit figuratus humi jacens, ligatus, & compeditus. Quia *melancholici* vaporum veluti atramento abundant, & atro fuligine ſunt opaci, *meticuloſi* ſunt; illi enim vapores atri effuſi cerebro, ſpectra, horrida phantaſmata, & dęmones in ſomnis repræſentant. A melancholico ſucco excitatur famis, ideò melancholici fame vexantur. Melancholia eſt mœſtitiæ mater; *melancholicus* eſt vitæ brevis, quia caret calido, & humido, quibus paſcitur vitæ lampas, calido, ut flamma, humido ut oleo.

Sanguineus humor ſi excedat, profluvia ſanguinis cauſat, quod contingit

tingit ut plurimum juvenibus tempore veris, quia magis sanguinei, & tunc germinat sanguis. Humor *pituitosus*, sive phlegmaticus excedens, quia *frigidus*, & *humidus*, pigros, inertes, otiosos, somnolentos, ingenio stupidos generat, debiles, molles.

Vidisti quot morbos corpori humores non æquati accumulent; si excedant, vel deficiant, morbi erunt; *æquatos* esse oportet *qualitate*, & *quantitate*, & in *medio*, ut sanitas conservetur. Sic affectus animi si excedant, vel deficiant, & non sint *æquati à ratione* in medio, in quo consistit virtus, *morbi* animi erunt. Huc Ricardus de Sancto Victore, cap. 34. de statu interioris hominis scribit: *Quod sunt* quatuor humores in corpore, hoc sunt
„ quatuor affectiones in corde. AMOR itaque ODIVM, GAVDIVM, &
„ DOLOR sunt quatuor principales affectiones cordis, ex quibus cætera
„ omnia desideriorum, voluntatum, affectionumque originem trahunt.
„ Quemadmodum autem humores in corpore, sic affectiones in corde, se-
„ cundùm quod ordinem, modumque congruum perturbant, *varias infir-*
„ *mitates procreant.* Ad idem diximus ex Chrysostomo pag. 862. in fine.

Pulsat *Tullius lib. 4. Tusc. quæst.* admonet: *Quemadmodum cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis; in corpore morbi, ægritudinesque nascuntur; sic pravarum, opinionum conturbatio, & ipsarum inter se repugnantia, sanitate animum spoliat, morbisque perturbat.* Chrysippus item morbos animi comparavit morbis corporis.

Rationis ut *Medicæ* igitur est *moderari* passiones animi, ne labantur in morbos; *moderor* dictum *à modo*, hinc moderari passiones est ad debitum modum reducere illas, & quòd sint debito modo. Illos numeros Arithmeticà dicit perfectos, qui in singula dividi possunt, & quasi tenent medium, ideò sunt symbolum virtutis, quæ (ut dicetur in quarta Porticu latiùs) consistit in *medio*, & est animi sanitas.

Vide, quantum noceant *animo*, & *corpori* inordinatæ passiones.

Animus est inquietus, dicente *de Kempis* lib. 1. de imitat. Christi, cap. 6. *Quandocumque homo inordinatè appetit aliquid, inquietus est.* Quantum crucient passiones, & animum dilanient, satis indicatum pag. 750. & 862. & hinc colligitur à Poesi indicatum, quantum crucient vitiosæ passiones, quando sensum, in quo tales passiones immodicę sunt, dixerunt *infernum*, & ipsas passiones *Furias inferni*, & pleraque symbola voluptatum tandem figurarunt cum unguibus avis rapacis, jam portione leonis, jam cum cauda draconis, ut innuerent earum effectus, quia dilaniant animum, & de quo pag. 870. cap. 12. videas. Animus inter ipsas est navis inter procellas.

At & *corpori* nocent; ea enim affectuum vis est, ut non animum tantum, sed ipsum corpus afficiant. Repentinum gaudium, aut inopinata tristitia sæpè morbum causat; sunt & exempla non rara, quòd fuerunt mortis repentinæ causa. Dolor animi magnum corporis est tormentum. Dolor corporis etiam est animi dolor, qui ideò de remedio laborat solicitus. Amor est febris, & præ amore inordinato non pauci languerunt. Ideò Galeni est consilium libro de ludo pilæ, cap. 1. *Majorem industriam adhibendam esse in regendis animi Pathematibus, quàm in mitigandis, & moderandis corporis motibus; atque eò magis, quò animus corpori dignitate præcellit.* Rationem adjicit medicam: *liquet ab ipsis* (nempe à benè valentibus) *caveri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, invidiæ; hęc enim alterant, & à naturali statu corpus auertunt.* Ergo passiones moderari, animo, & corpori, proficit.

CA-

CAPUT XV.

De Medicina Morali ad moderandas, & coercendas pravas passiones; ubi de Medicina Morali prælervativa, *&* sanativa. *Est Philosophia Moralis facultas medica animi; contra animi morbos pharmaca, & medicamenta subscribit; ex quibus* divini auxilii implorationem per Bellerophontem, Jasonem, & alios, *indicavit Poesis.*

ILla est vox Chrysostomi super Genesim homil. 32. *Affectionibus singulis pharmaca quærēda.* Nunc damus in genere, postea in specie, cū loquamur de passionibus singulis. *Recipe* in primis, & ante omnia, *implorationem Divini auxilii*; id ex literis sacris; item & Poesis id etiam innuit per Vlyssem, Bellerophontem, Herculem, Perseum, & Jasonem.

Animum si dixeris *navim* fluctuantem in salso corporis mare, non erras; est enim corpus mare æstuans, fervens, spumans passionum agitatum procellis; hinc affectuum adversantium rationi agitatur anima navis; imminet naufragium, si Palinurus *ratio*, ope implorata Dei, clavum dexterè non teneat, & non firmet virtutis anchora. Apud Matthæum cap. 8. v. 24. quid designabat illa navicula, quæ operiebatur fluctibus? Sic est historia sacra: *Et ascendente eo*, nempe Jesu; *in naviculam secuti sunt eum Discipuli ejus*; *& ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus*. Navicula in mari animam designat in corpore; *ecce motus magnus factus est in mari*, cum repentè excitantur vehementes *motus* sensus passiones; navicula anima operitur fluctibus? imminet naufragium? age. Vide, quomodo Apostoli discrimen evaserint: *Ipse verò* (Jesus) *dormiebat*; *& accesserunt ad eum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes*; *Domine, salva nos, perimus*; agitaris vehementia pravorum affectuum? navis *anima* vi motuum est in discrimine? invoca Jesum; dic, *Domine, salva nos, perimus*; invocarunt Apostoli, & *facta est magna tranquillitas*. Cum Jesu, ubi Jesus, quid timeas? Erat Jesus in navi, & timuerunt Apostoli, ideò reprehenduntur à Salvatore: *Et dicit eis Jesus. Quid timidi estis, modicæ fidei? tunc surgens, imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt*, dicentes: *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Venti, & mare (passionum sensus, & ipsius sensus symbola) obediunt Salvatori; si sis sine Jesu, time, sed confidenter invoca; pius est, si *corde* invoces; si cum Jesu, cur timeas? Vide, quòd *venti, & mare obediunt ei, imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Apud Apocal. cap. 8. Naves designant homines; apud *Gen. cap.* 49. C. *Navigatio* dici potest *vita præsens*, quam transigimus inter hujus sæculi fluctus; naufragium fit in homine, quando mens non imperat, & gubernat. sed caro. Navicula est homo, cujus nautæ sunt cogitationes rectæ rationis, hominem gubernantes.

Ipsum etiã *corpus* est *navis* in hoc sæculi salo; quid portat? vitia, quorum symbola mures, araneæ, naufragia, si non gubernes. Naves *Tharsis* apud Psalmum 47. possunt designare *corpora nostra*; naves *Tharsis*, seu Carthaginis, signat in sacris chartis hæreticos, horum libros, & gentiles, portantes doctrinas pravas; item corpus nostrum portans concupiscentias vitiosas; unde & apud Prov. c. 20. C. Navis potest dici ipsa iniquitas, & fragilitas, & inconstantia, qua homines in hujus sæculi fluctibus, circumferuntur omni vento luxuriæ, & vanitatis; navesque Tyri, & Tharsis in sacris literis superbiam

biam gentium, & errores significant; hæc portat nostri corporis navis; at pondere tanto, & inter procellas, motus, ventosque passionum impios, navis perit, si non exoneres navim; eja ergo *ratio* pondera ista foras projiciat è navi; & navis anchora firmæ virtutis tuto teneatur fixa vado.

Huc conspirabat Plutarchus *in Moral.* dicens: *In magno fluctu non sistitur navis, nisi pondus anchoræ retineat alto fixæ vado. Sic in magnis rerum procellis SUMMA RATIO debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur; ut velis utendum pro navis magnitudine, ita cupiditates pro facultate sunt moderandæ.* Hæc verba jam citata sunt pag. 877.

Id ajebat Seneca epist. 28 *In navi onera immota minùs urgent; inæqualiter convoluta citiùs eam partem, cui incubuere, demergunt.* Ergo æquanda onera in navi corporis, æquandi à ratione affectus, ut sint *in medio*, in quo consistit virtus; sed pro hoc in primis est *implorandum auxilium Dei*; clama, *Domine salva nos.*

Etiam apud Ethnicos fuit proverbium, *à Jove principium Musæ*, ut innuerent (apud nos purè, & procul ab omni superstitione) quòd à Deo incipiat nostra actio.

Cum Poesis effinxit, *Perseum* Minervæ scuto, & item talaribus, & ense falcato, à *Mercurio* acceptis, se muniviſſe, ut truncaret *Medusam* symbolum *voluptatum*, conspiravit ad indicandum, quòd sine *auxilio cœlesti* victoria de passionibus pravis non comparatur.

Sed ad idem conspirat figmentum de *Ulysse, & Circe*. Dicta est *Circe* venefica, quæ *quatuor* haberet *ancillas*, quæ in conficiendis venenis, & in legendis herbis, herbarumque floribus, assistebant, ut veneficia conficeret, quibus homines in varia bruta, & feras, convertebat; cum enim illis porrigebat cibos, poculo hausto, cum virga quadam tangebat illos, addens magica verba, sic repentè vertebantur in bruta. Cum cæteri fuissent calamitatem experti, solum Ulyssem in brutum non potuit vertere, quia *à Mercurio* acceperat *antidotum*, nempè radicem *moly*; putata sunt contra veneficia remedia *moly*, salix, lapillus jaspis, stella marinus piscis, pulicaria, aliaque plantarum, animalium, lapillorum genera.

Relicto sensu Philosophico Naturali, à Poesi sub hoc involucro imbibito, *Moralis* explicatio ad nos attinet. Quid per *Circem* nisi *carnem* portionem inferiorem hominis indicatur? Quid per *quatuor ancillas* Circis, nisi *quatuor* passiones præcipuè appetitus concupiscibilis, *Amor*, *odium*, *gaudium*, *tristitia*, indicantur? *istæ*, *cum Circe carne*, homines convertunt in bruta, cum passionibus brutalibus se homo tradit. Quid nomine *prudentis Ulyssis* intelligitur nisi *ratio*, sive portio superior hominis? at cum dicitur, solum Ulyssem pharmaco ipsi à *Mercurio* dato de Circe triumphasse, & in specie hominis se conservasse, nec in brutum descendisse, quid indicare voluit Poesis, nisi quòd sine *auxilio Divino* homines alliciti carne, & hujus quatuor ancillis, *quatuor* præcipuis affectibus, descendunt in mores brutorum, & solo *auxilio Divino* munitos posse veneficia, & illecebras carnis vincere? Quòd Ulysses (consilio *Palladis*) mendici habitu sumpto post omnes procos cæsos, tranquillus in patria fuerit post discrimina longa, huc respectat, quòd solùm cæsis procis, nempe voluptatum, & libidinis, sive passionum inordinatarum animi stimulis, qui proci sunt animæ nostræ, pervenimus ad quietem, & felicitatem; at effinxerunt, non sine *auxilio Palladis* sic contigisse Ulyssi, ut innuerent, non nisi *ope auxilii Divini*, procos animi nostri hostes, nempè motus, & appetitus inordinatos, subjici. Utque suaderent ipsi Poetæ, *divinam bonitatem* adesse implorantibus, composuerunt, Ulyssem ab Aeolo, Rege Numine ventorum, ventos in utre inclusos accepisse;

pisse; non enim sinè auxilio Dei coercentur passiones, & Divina Pietas adest implorantibus, ut coerceant, & doment. Non enim sufficere vires humanas ad superanda pericula, vel titillationes voluptatum, ad quas humanum genus obstupescit, sed requiri primò, & præcipuè opem Divinam, satis indicavit Poesis, sub relatis involucris; sicut cum effinxit Bellerophontem equitem in pegaso equo, arte Minervæ domito, vicisse Chimæram symbolum *vitiosorum* affectuum, & Herculem tintinnabulo à Minerva dato fugasse Stymphalides aves symbola concupiscentiarum, conspirat ad idem.

Quòd Jason edoctus à Chirone horrida monstra præterierit incolumis, & tauros ignivomos, ac æripedes domuerit, cum per hæc indicentur nostræ passiones, & per varia monstra varii vitiosi affectus, & per tauros ignivomos, ac æripedes, ira, & pertinacia, & per Chironem *ars medendi*, quid indicatur in hoc, nisi *Medicina Moralis* contrà animi morbos? Philosophia Moralis facultas medica enim subscribit antidota adversùs voluptates immodicas, qua animi temperantià sit placanda ira, qua evacuanda, vel releganda avaritia, prostendenda libido, ambitio excludenda; at, non *nisi Diis adjuvantibus*, dicitur, Jasonem tot superasse monstra, ut indicarent, non sufficere, quòd Philosophia Moralis medica facultas animi pharmaca, antidota contra morbos passionum subscribat, nisi *Divina virtus faveat.*

Poetæ illi sapientes fortè nomine Mercurii, Jovis, Saturni, Junonis, Neptuni, Cereris &c. non intelligebant Deos inanes, sed planetas, & elementa, & intendebant id, quod ex influxu Planetarũ, aut ex ipsis Planetis, poterat symbolicè indicari. Vel in aliquo sensu *puro*, qui posset cõpetere nostro Deo uni, & vero, illa nomina Jovis, Saturni, Jani &c. intelligebãt de Deo nostro uno, & vero, ut pag. 105. 108. 110. dictũ; vel per talia nomina intelligebant aliquid nõ idolatricũ; quod si fecerunt, antequam oriretur idolatria, qua Planetæ, & elementa adorabantur ut Numina, non fuerunt illi Poetæ delinquentes, utendo ad involucra sua nominibus Mercurii, Jovis, Junonis &c. quia id faciebant tunc sine periculo ruinæ in vulgo ignaro. Si autem usi sunt illis nominibus, quando jam erat idolatria, & adorabantur Planetæ, & elementa, ut Dii, tunc fuerunt delinquentes, utendo vocabulis inanium Deorum, nam sic vulgus ignarum confirmabant in erroribus, & debuerunt vitare occasionem scandali pusillis; & licèt ipsi ea solùm intelligerent apud se de auxilio dato à Deo uno nostro, & vero, debuerunt pro vulgo clarè loqui sine timore veritatem, nec species inanium Deorum apud vulgus talibus involucris confirmare superstitiosis. At ut cumque voluerunt indicare, *sine auxilio Divino* nihil boni posse ab hominibus obtineri.

Hinc relictis superstitiosis invulucris inanium Deorum, sub quibus (fortè ex timore idolatrarum) Poetæ occultarint, *non nisi ope Divina* posse à nobis subjugari passiones, re *purè*, *& catholicè* ad unum, & verum Deum nostrum, relata, ad moderandas passiones animi primus nostræ Moralis scientiæ medicæ aphorismus est, *implorandum Divinum auxilium*. Et iste aphorismus servandus tàm ut medicina *præservativa*, ne incidas in morbos, quàm ut *sanativa*, nempe ut *saneris* ope Dei, si jam fragilis in morbos incidisti.

Adde nunc pro Medicina *præservativa*. Diximus passionum tria esse principia, unum *externum*, nempe sensus exteriores, per quos ad *phantasiam*, sive *imaginativam*, sensibilium species mittuntur; secundũ, atinternũ, phantasia, excitans appetitum sensitivum; tertium, & eliciens passiones, est ipse sensus. Ergo cum ascendat mors per animi fenestras, nempe per sensus exteriores, hos corrige, rege, moderatione tene, ne plusquàm oportet, & quomodo non oportet, percipiant. Si jam Phantasia sit speciebus occupata,

excu-

excute imaginationes ſuperfluas, imò cogitationes vitioſas, quæ excitant appetitum ſenſitivum; ſunt enim caput, id eſt, initium paſſionum; apud Geneſim enim cap. 3. caput ſerpentis, quod conteritur à muliere, ſignat initium ſugeſtionis; ſicut apud Job cap. 20. B. caput aſpidum ſignificat idem; caput enim ſumitur pro initio; ergo calca, contere imaginationes vitioſas, ſuggeſtiones in imaginativa excitatas, ſic enim te præſervas à morbis animi. *Allide parvulos ad petram*; quid hoc? animi motus inordinatos naſcentes ſtatim allide, retunde, occide. *Affectus* pravos naſcentes ſtatim gladio, utraque parte acuto, *rationis*, & *virtutis*, jugula.

Febris in exordio non exurit nimia ſiti; ſi inflammetur, & conſiſtat, movet incendia. Planta recenter humi conſita facilè evellitur, ergo calca affectuum vitioſorum caput; initia, incentiva, imaginationes, unde incipiunt, ſtatim repellas. Contere caput ſerpentis, dum naſcitur, ne creſcat in colubrum, & draconem. Gigantes ex infantiâ parvâ creverunt in monſtra.

Apud Leviticum cap. 14. A. capilli capitis radendi deſignant cogitationes, & imaginationes ſuperfluas, & vitioſas, prorsùs excutiendas, & relegandas.

Paſſionum noſtrarum ſymbolum eſt *ignis*; nos enim accendunt cupiditates, quare ignis, ſeu flammæ nomine, ſæpè ſignificantur in ſacris noſtris literis (ut apud Geneſim cap. 19. F. & Exodum cap. 33. F. & apud Leviticum cap. 10. A.) *paſſiones animi*, ſeu affectus ipſum inflammantes, ut *amor, cupiditas, ira, invidia &c.* & apud Numerorum caput 21. F. *ignis accendens Moab* eſt perturbatio, quæ fit per concupiſcentias, mentem inflammantes, & incentivum libidinis; & hunc ignem unumquemque ſibi accendere, indicatur in Prov. cap. 6. C. & in Iſaia cap. 50. D. *Iſtæ paſſiones* (apud Job cap. 1. C. & 10. D.) ſunt *ignis de Cælo cadens*, cum à Diabolo, qui de Cœlo cecidit, in mentibus noſtris excitantur.

Ergo ut te *præſerves* ab animi morbis, ſi imaginationes, cogitationes malæ, & ſuggeſtiones ſunt *caput* paſſionum vitioſarum, *contere ſerpentis caput*; ſi cogitationes, & imaginationes malæ ſunt capilli, obnubilantes rationem, *rade caput animi*, etiam ut evaporent foràs; ſi paſſiones animi ſunt *ignis*, aquâ lachrymarum irriga, ne accendatur.

Tandem (multa enim alia Moralia pharmaca contra toxicum immodicarum paſſionum ſubſcribi poſſent) pro Medicina *præſervativa* à morbis animi, & vitioſis affectibus, *Recipe* hoc morale ſyrupi: *Omnia incitamenta libidinis, voluptatumque, & paſſionum contra rectam rationem caveas, principiis obſta; bibe ſanas doctrinas, & cogitationes ſalubres; miſce pulveres illos, de quibus dicitur, Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris; memento mori, quia ſcriptum eſt, Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Item *Recipe* (intellige moraliter, & ſymbolicè ſignificata) *radicem moly, adde ſtellam piſcem marinum, rhamnum, ſalicem, pulicariam, lapillos jaſpidis, coque, & recipe.* Dicunt enim, quòd præſervent à veneficiis; quod ſi ita ſit, ſunt ſymbola *virtutum*, quæ rectè coctæ, id eſt, *perfectæ*, præſervant à *vitiis*. Ergo ſic moraliter *recipe*, & *repete*; nam *repetitis* actibus acquiritur, firmatur, & roboratur, *virtus habitualis*, quæ eſt permanens animi *ſanitas*.

Item *verè recipe, & repete*; nolis ſimulare apud Medicum, te *recepiſſe, & repetiviſſe*, cum ſic non feceris; vide, quòd contrà te ſimulas, morbos, & mortem animi tibi accerſis, ſi fingas; conſidera, quòd cœleſtis Medicus, ex cujus doctrina ſubſcribimus hæc, *non poteſt fallere, nec falli.*

Nec hæc recipias, & repetas semel, aut iterùm, sed *crebrò*; nec subscribimus per scrupulos, drachmas, uncias; sed *bibe*, *recipe abundè*, quantum *recta ratio* dictet.

Pro Medicina *sanativa* si jam te corrumpunt immodicarum passionum morbi, *Recipe pharmaca evacuantia vitiosos humores*; ista sunt salubria consilia, quibus, *ope Dei*, virtutum aquas aureas bibis; istæ enim passiones vitiosas evacuant. *Misce pulverem*, *& cinerem*, symbola mortis; *bibe aquas considerationis mortis improvisæ*, *judicii Dei*, *pœnæ damni*, *& sensus post præsentem vitam*, *si cum morbis vitiorum decesseris*. Leprosus es animo? *Vade*, *ostende te Sacerdoti*, confessori medico animi; *Vade*, *laba te in aquis Siloe*, id est, pœnitentiæ veræ, & lachrymosæ. Hucque respectat & ista alia medica moralis subscriptio.

Recipe absynthium distillatum, *misce aquam maris*, *myrrham*, *aloem*; hæc enim, quia amara, sunt symbola pœnitentiæ, qua fleas amarè, & cor amaritudine distilletur in lachrymas.

Aloe herba est *gustu amara*, cujus succo concreto maximè utuntur in medicamentis; præcipuè *ad purgandum*, & confirmandum stomachum; valet etiam *ad ulcera*, *& ad præservandum à corruptione*. Apud *Cant.* cap. 4. D & Joan. cap. 19. G. Aloe significare potest continentiam, & carnis incorruptionem. Quando subscribit tibi Philosophia Moralis facultas medica animi *aloem*, myrrham, absynthium, & quid simile, nolis intelligere literaliter, hoc enim ad Medicinam physicam, & pro salute corporis attinet. Intendimus tibi significata moraliter per hæc symbola. *Aloe* est herba gustu *amara*, est symbolum pœnitentiæ; est herba medicinalis pro corpore, sed pœnitentia pro animo. *Aloe* purgat à vitiosis humoribus corporis, pœnitentia purgat à vitiis animi. *Aloe* confortat stomachum, pœnitentia animum. *Aloe* valet ad ulcera corporis sananda, *pœnitentia*, ut sanentur vulnera animi. *Aloe* præservat à corruptione, *pœnitentia* purgat à vitiis corruptionibus moralibus animi, & præservat in posterum.

Absynthium est herba *amara*, ideò symbolum pœnitentiæ. Est *absynthium* herba contrà multos corporis morbos salubris, sic *pœnitentia* contra animi morbos. *Absynthij* contusa folia succo suo vomitum extorquent, sic pœnitentia facit, te vomere peccata per confessionem.

Myrrha est saporis *amari*, ejus cortice inciso defluit *lachryma*, quæ & ipsa *mirrha* vocatur; apud Exod. cap. 30. C. mirrha amaritudinē lachrymosę pœnitentiæ significare solet, & continentiam, quæ luxum voluptatis, & fluitantia carnis incentiva desiccat. Ecce quid voluimus symbolicè indicare, cum hæc pharmaca tibi subscripsimus.

Tunde disciplina asinum corporis, diminue hordeum, exerce jejunia, ara corporis terram aratro cilicii, fuge pericula, te associa probis, fuge otium, libros pios perlegas; reflecte, quòd passiones immodicæ non solùm torquent animum, sed sunt lęthales corpori, lampadem vitæ extingunt, famam, & decus denigrant, substantiam rei familiaris attenuant, vel omninò dissipant; & reflecte, quòd unum instans delicti destruit sęcula multa meriti. Primarius, & ultimus finis virtuosæ vitæ sit Deus; reliqua juvant, ut ab affectuum immoderatione divertant.

Relata moralia antidota contra venena vitiorum *Recipe*, *repete*, *si vis sanus fieri*; nam *applicata juvant*, *repetita sanant*.

Item *recipe balnea*, ut saneris; mitte te in aquas piscinæ mysticæ sanitatis, in aquas Philosophiæ Moralis *practicæ*, quæ exercet virtutes, & passionum moderationes, & ad quam pervenies per *Quinque Porticus Morales doctrinales* Philosophiæ Moralis *speculativæ*; es paraliticus animo? Noli di-

li dicere, *hominem non habeo*, cujus ope in aquas, & balnea piscinæ salutaris virtutum intres, *invoca Iesum verè*, ecce sua ope adest.

Si hæc feceris, *Vade in pace, & noli amplius peccare.*

CAPUT XVI.

De Numero *Passionum. Appetitus duplex inordinatus sensitivus* irascibilis, & concupiscibilis, *per DATHAN, & ABIRON.* Duodecim *passiones præcipuè per* duodecim socios Vlyssis, *& per duodecim monstra, quæ fuerunt domita à duodecim* præcipuis laboribus *Herculis.*

APtè appetitus *irascibilis*, ut datus ab authore naturæ ad nostram tutelam, & vitæ defensionem, signatur ex sacris literis per *Abisai*, qui erat comes Davidis, & auxilium in his, quæ indigebant animo forti; ideò est index appetitus sensitivi irascibilis, cujus auxilio aggredimur fortia; at ut habetur lib. 1. Reg. cap. 20. aggrediebatur *Abisai*, sed cum Davidis consilio; instruimur aggredi fortia, sed juxta rationem, & quæ *prudentia* (significata per David, sicut & *ratio*) approbet; aliter contra rationem tàm irascendo, quàm concupiscendo, affectus erunt vitiosi. Apud *Ezech.* cap. 1. C. *Bovis facies* in anima significare potest vim *concupiscibilem.*

Hinc appetitus duplicis inordinati sensitivi *irascibilis*, & *concupiscibilis* sunt figura *Dathan*, & *Abiron*; fuerunt hi, ut constituerentur principes populi, principes seditionis contrà *Moysem*, & *Aaron*, ut habes in *Num.* cap. 16. A. & in Psalmo 105. & in Ecclesiastici cap. 45. C. sunt igitur hi duo *Dathan*, & *Abiron* rebelles (& principes seditionis contra Moysem, & Aaron) symbola *duplicis inordinati* appetitus sensitivi *irascibilis*, & *concupiscibilis*, qui duo sunt rebelles contra rationem, & spiritum; sive contra rationem rectam, & voluntatem rectam, & ut sint principes in homine, tumultuantur, & suis affectibus pravis seditionem excitant contrà portionem superiorem hominis; plebs vitiosorum affectuum sequitur ipsos duos appetitus sensitivos rebelles, & inordinatos, seditionis interioris principes.

Horum passiones numerantur *duodecim*; ad appetitum *concupiscibilem* pertinent *sex*, & aliæ *sex* ad irascibilem. Illæ numerantur *Amor*, *Odium*, *Desiderium*, *Abominatio*, *Gaudium*, & *Tristitia*, ex quibus *Gaudium* solet etiam *Delectatio* dici, & *Tristitia* est solita *Dolor* nuncupari. Appetitus irascibilis *sex* dicuntur, nempe *Spes*, *Desperatio*, *Timor*, *Audacia*, *ira*, & *Mansuetudo*.

Conantur aliqui, *passiones* solùm esse *undecim*, eò quòd *Mansuetudinem* solùm dicunt *virtutem*, & determinatè de linea boni; pugnant, non esse *passionem*, quæ ex se determinatè nec est moraliter bona, nec mala, sed indifferens.

At non solùm dari Mansuetudinem *virtutem* sed etiam Mansuetudinem *passionem sensitivam*, patet quia passiones sensitivæ sunt illæ, quæ ex se sunt communes brutis, sed etiam in brutis agnis, & ovibus, est mansuetudo; ergo est etiam Mansuetudo, quæ est passio sensitiva communis brutis præter Mansuetudinem virtutem, quæ solùm potest convenire homini. Et quidem in sacris literis *Jesus* dicitur metaphoricè *agnus*, ut indicetur ipsius *mansuetudo*; ideò apud Jeremiam cap. 11. de Jesu: *Quasi agnus*

man-

manſuetus, qui portatur ad victimam; & alibi in ſacris literis, *Quaſi ovis coram tondente non aperuit os ſuum*. Manſuetudinis enim Ethymologia eſt *aſſuefacto ad manus*, at hoc etiam propriè convenit animalibus, quæ ad noſtras aſſuefiunt manus, ut canes, agni, oves, cervi nutriti domi, columbę; quæ recipiunt cibum à manibus noſtris, & patiuntur tractari, & duci. Item omnis paſſio habet paſſionem ſibi oppoſitam, ut *Amor Odium*, *Gaudium Triſtitiam*, ſed etiam manſuetudo habet oppoſitam paſſionem, nempe *iram*, ergo eſt etiam manſuetudo *paſſio*.

Sunt igitur duodecim paſſiones *principales*; quibus & aliæ *minùs principales* ſunt *annexæ*, & reducibiles ad aliquam ex relatis *duodecim principalibus*; ut ideò hæ principales non reducantur ad alias, at minùs principales & annexæ ad *duodecim principales* reducantur.

Inter *minùs* principales, & annexas numerantur *Zelus*, *Gratia*, *Nemeſis*, *Miſericordia*, *Invidia*, *Verecundia*, ſive *Erubeſcentia*, quæ equidem ſunt verè paſſiones, commotiones, & perturbationes animi, nam ex ipſis commovemur, & perturbamur; item ex ſe ſunt communes brutis.

Zelotypia paſſio ſenſitiva, & quæ eſt circa bona corporalia (nam zelus, qui eſt circa bona ſpiritualia, eſt virtus, & ſoli conveniens homini, quia petit rationem, eſt enim virtus habitus electivus ſecundùm rationem) eſt communis brutis, nam *canis mas* inſequęs canem fœminam, alios canes inſequentes mordet *ex Zelotypia*; *& leo* dilaniat *leęnam*, ſi ex odore agnoſcat, eam ſe miſcuiſſe *pardo*; quod malum leæna naturali inſtinctu timens, ſi pardo ſe miſcuerit, ne ex odore poſtea concipiatur à leone, currit, ut ſe lavet in aquis.

Item in brutis etiam eſt *Gratia*, ſive beneficientia paſſio ſenſitiva erga eos, quos amore ſenſitivo amant; hinc bruta etiam alunt filios, fovent, defendunt; & Aquilæ pullos defendunt à ſerpentibus, & ut præſervent nidum ad his, quodam lapide virtuoſo contra ſerpentes, illum muniunt.

Eſt item *Invidia* in brutis ſenſitiva paſſio; quare canis invidet alteri cani, cui patronum videat blandiri, & porrigere panem, indignatur, pœnitet & latratibus, & ſaltibus ſuam manifeſtat *invidiam*, *& Nemeſim*.

Miſericordiam paſſionem ſenſitivam etiam eſſe in brutis, probatur ex Elephante; nam Elephas iter faciens inter agnos, oves, & pecora, ne ſua mole ipſa conterat, & ne lædat, aut conculcando offendat, manu propriâ leniter ea avertit, & divertit; imò ſi percutiatur ſagittâ elephas, alii elephantes promuſcide ſagittam extrahunt, & quandam applicant medicinalem herbam; & ſi aliquis in via ſit infirmus, ſenex, invalidus, aut feſſus, eum in medio ſuſcipiunt alii duo elephantes, ut ipſis hæreat, & ſic adjuvent eum, & ſuſtentent, ne ſuccumbat. Sed & de formicis dicitur, quòd defunctas alias ſepeliant; & de apibus, quòd juniores ad colligendos ſuccos florum exeant ex alveario, & ſenes quia jam feſſæ ſolùm intra domum, ſive alvearium, fatigent. De leone refertur, quòd obvius fœminæ, ſe proſternenti, & flenti, & gemitu vitam roganti, pepercerit. Si porcus vexetur, & clamet, quaſi implorans auxilium, cæteri porci accurrunt miſericordiâ ſenſitivâ, ut defendant. Hùc refertur *pietas* ſentitiva paſſio erga parentes, cum Ciconię filiæ alunt in nido patres ſenes.

Sed & *Verecundia*, ſive erubeſcentia ſenſitiva paſſio etiam invenitur in brutis; ſunt enim animalia, quæ verecundantur de coitu, & ad receſſum confugiunt, ut legitur de camelis, & aſinæ, ut pariant, quærunt receſſum.

Si item per *Gratiam* non ſolùm intelligas *beneficentiam*, ſed etiam *gratitudinem*, etiam *gratitudo* ſenſitiva paſſio reperitur in brutis, nam canes ſunt grati, & fideles patrono benefactori, ſicut & gneroſi equi. Aquila, legi-

gimus, quòd tempore frigoris capiat passerem, inter cujus pennas calore passeris ungues nocte foveat; at die lucente, Aquila volatura ed rapinam, passerem illum, à quo beneficium caloris accepit nocte, non lædit, imò libertate præmiat, emittit immunem; & ne ipse postea casu sit præda, si sit volatura ad rapinam occidentem versùs, passerem benefactorem emittit, ut volet versùs orientem. At & de ipsa Aquila fertur, quòd erat in lucta contrà serpentem; agricola videns, falce serpentem occidit, aquilam præservat, & liberat. Contigit, agricolam postea æstu vexatum, & sitientem pergere ad fontem, ut sitim relevet; aquila erat in arbore, speculatur; agricola jam jam se prosternente, ut aquam biberet, aquila repente volatu festino descendit, se interponit inter faciem agricolæ, & aquam, ne biberet; pennis agitatis, bibere negat; agricola iratscitur, quia liberaverat eam, & nunc levamen sitis, & refrigerium impediat: casu aliorsum respicit, videt socios agonizantes, qui biberant; contigerat, serpentem veneno infeciisse aquam, hoc aquila viderat, & ne suus benefactor periret, *grata* benefactori, cui erat debitrix vitæ, vitam benefactori defendit.

De Leone accipimus, quòd vexatus spinà in pedem fixa, accurrit supplex ad hominem, qui extraheret, extrahit iste; qui lapsus in crimen, postea Romam advehitur, ut dilaniaretur à feris; solvuntur feræ, ut devorent; inter quas leo ille, à cujus pede spinam extraxerat, sorte Romam allatus; statim ac leo videt hominem, non solùm non invadit, sed se à latere ponit defensor; pugnat contra feras alias, huminem dilaniare conantes; miratur turba hominum adstans; clamat homo miser, & dicit: *Miramini inspectores; scitote; hic est leo, à cujus pede spinam in Africa extraxi, benefactorem agnovit, gratus benefactorem defendit*; commota sunt viscera turbæ hominum adstantis; clamat, *liberentur homo, & leo*. Vidisti præfatas *passiones*, quæ *duodecim* principalibus dicuntur *annexæ*, *passiones sensitivas* esse, cum & nos turbent, & communes sint brutis.

Rectè autem *hæ passiones* dicuntur *minus principales*, non quia sint minus efficaces, *cruciant* enim *invidia*, *& zelotypia*, & omnes *concitant*, *& perturbant animum*; sed dicuntur minùs principales, quia reducuntur ad principales; nam *Zelotypia*, *Gratiâ beneficentia*, *Gratiâ gratitudo*, *& Pietas* reducuntur ad AMOREM; *Misericordia*, qua *dolemus* infelicem, & patientem, *Invidia*, qua aliquem *pœnitet* de prosperitate alteriùs, & *Nemesis*, qua quis *indignatur* putans *indignè* ab alio possideri felicitatem, reducuntur ad TRISTITIAM. Potest enim quis *contristari* vel de *malo*, vel de *bono* alterius; si de *malo*, est *misericordia*, si de *bono* alterius contristetur, & pœniteat, est *Invidia*; si contristetur, quia judicat, alium *indignè* prosperari bonis, est *Nemesis*; sed *Invidia*, & *Nemesis*, ut explicantur, non multum videntur differre. Si inquiras de *Verecundia*, hæc reducitur ad TIMOREM, est enim Verecundia *timor amittendi decus*.

Discrimen inter invidiam, & Nemesim, vide in pag. 1122.

Nec excludas *Invidiam à passione*, dicendo, passionem *ex se* nec esse *moraliter bonam*, nec *moraliter malam*, sed *indifferentem*, & ut determinaverit voluntas bona, vel mala; *invidiam* autem esse *determinatè malam*, quia determinatè est *vitium*, ergo non est *passio*.

Non, inquam, excludas, nam sicut datur *mansuetudo virtus*, & *mansuetudo passio*, & hinc indifferens ut sit *bona*, *vel mala moraliter*; nempe *bona moraliter*, *& virtus*, si sit *juxta rationem*, *& mala moraliter* si sit *contrà rationem*, *& nimia*, ex qua nullum vituperetur, reprehendatur, aut puniatur scelus, nullaque contrà peccata detur *sancta ira*; ità est *Invidia determinatè* moraliter *mala*, sive *vitium*, *& Invidia passio*, quæ hinc potest esse *moraliter bona*, sive *virtus*, si sit juxtà rectam rationem, & potest esse *moraliter*

ter mala, sive *vitium*, si sit *contrà rectam rationem*. Hoc tibi apparet durum? fateor, stando consuetudini, & mori communi loquendi, & concipiendi, ex quo jam prævalet, quòd statim ac auditur *Invidia*, statim accipitur *in malo*, & intelligitur ut *vitium*. At scias aliter esse, stando rigori ethimologico *Invidiæ*; nam *Inuidia* dicitur *à videndo in alio*; at *videre in alio* non statim *ac videre in alio* est *vitium*, ergo nec *Invidia* (stando rigori ethimologico) statim ac *Invidia* est *vitium*. Nam si tu *vides in alio bonum*, sed te non pœnitet, nec tristaris de bono alterius, nec indignaris, *sed laudas Deum*, qui alium bonis locupletavit, & licèt tu non habeas, conformis es cum voluntate Dei, tunc sic *videre in alio*, & consequenter hæc species *Invidiæ* non est *vitium*, imò actus *virtuosos*. Hæc circa bona *sensibilia*. Nunc circa *spiritualia* Tu *vides in alio sanctitatem*, *& sapientiam*; non te pœnitet, nec indignaris, imò ad gloriam Dei lætaris, & laudas Deum, & quin te pœniteat, quia vides in alio hæc bona spiritualia, & gaudendo, quòd in ipso sint, tu etiam ad gloriam Dei, utilitatem proximi, & animæ tuæ, velles illa habere, & optas, & Deum precaris, & piè, & purè sancto fine procuras imitari eum, quem vides bonis talibus præditum, ut à Deo habeas, quę *vides in illo*, sic *videre in alio* non est *vitium*, imò *virtus*; & consequenter *Invidia* (*à videndo in alio* dicta) *sub* ista consideratione, & ethimologia, non est *vitium*, imò *virtus*; est enim laudabilis, & sancta *æmulatio*, de qua dicebat Paulus, *Æmulamini charismata meliora*. Si autem *contra rectam rationem* videas *in alio*, & te pœniteat de bonis illius, quia felix est, & indigneris, fineque recto, & sancto careas, solùmque tibi sit affectus malignus, tunc *videre in alio*, & hinc hæc *Inuidia* est *moraliter mala*, *& vitium*; & ut sic magis propriè dicitur *Invidentia*, quàm *Invidia*. Unde Calepinus ait, quòd *Invidia* cadit tàm in eum, qui invidet, quàm in eum, qui invidetur; invidentia autem solùm accipitur *activè*.

Ergo contigit huic voci *Invidia*, quòd huic *cupiditas*, sive *concupiscentia*; hæ enim voces ex usu communi loquendi (ut pag.869 dictum ex Sancto Patre Augustino) statìm ac audiuntur, accipiuntur in malum, & determinatè ut vitia; cum tamen etiam (ut ibidem ostendimus ex almo Patre) etiam sint *cupiditas*, *& concupiscentia* in linea moraliter bona. Item contigit voci *Inuidia*, quod voci *Voluptates*, quæ ex usu communi loquendi, statim accipiuntur in *malum*, cum tamen etiam sint *Voluptates in linea bona*, *& spirituali*, ut dictum pag.458. Item vox *dæmon* statim ac auditur, accipitur in malum ex communi more loquendi, & concipiendi; cum tamen in rigore ethimologico etiam sit *dæmon* in bono sensu, ut latè dictum à pag.717.

Nunc restat ostendere, solùm esse *duodecim* principales passiones appetitus sensitivus, *sex* attinentes ad *concupiscibilem*, *& sex* ad *irascibilem*; & dicimus *principales* non solùm quia *annexæ* relatæ sunt minùs principales, sed etiam quia tot sunt species affectuum, sive passionum, ut vix numerari possint. Considera, si possis, varietatem obiectorum, quę excitare possunt affectus nostros, & tanta potest esse varietas nostrorum affectuum; imò idem obiectum diversimodè apprehensum diversos affectus excitat, nam dignitas eadem alio modo nos movet, cum promittitur; alio modo cum conceditur; alio modo cum eripitur. Et addit Philosophia *Vetus*, *& noua* pag. 349. ea est inter impressa cerebro vestigia connexio, ut quando spirituum motu unum ex his excitatur, statìm plures fibræ cerebri in eandem societatem veniunt.

Hinc multæ oriuntur perceptiones, quæ præcipuam veluti idæam comitantur; ex iis multiplices affectus soboleſcunt. Nam ut vestigium cerebro

inu-

inustum perceptionem excitat, sic perceptionem affectus animi statum consequitur, & ex affectu spiritus commoventur. Ideò Aristoteles certum numerum passionum non assignavit; sed ut occasio obtulit, variè recensuit. Refert Philosophia vetus, & nova ibi, quòd Stoici quatuor affectus velut primarios statuere, *Voluptatem*, *dolorem*, *cupiditatem*, & *metum*; at Stoicos non putasse sic, colligitur ex his, quæ pag. 868. diximus ex Sancto Patre Augustino.

Itaque ne abeamus in nimiũ, nostri Augustiniani ex nostro Doct. B. Ægidio Romano *duodecim* principales affectus dicunt, & sic ostendunt. Passiones vel sunt circà bonum, & malum *absolutè*, vel *quatenus difficilia*, & *ardua*. Primo modo pertinent ad appetitum sensitivum *concupiscibilem*, secundo modo ad *irascibilem*. Si sunt circa bonum *absolutè*, hoc ut primò apprehensum excitat *amorem*; prout appetendo tendimus in ipsum, excitatur *desiderium*; si assequimur bonum amatum, & desideratum, ecce *gaudium*, sive delectationem. Quoniam autem appetitus sensitivus concupiscibilis appetit sensibile bonum, hinc ex amore boni concupiscit vitare malum, quod impedit ipsi bonum; quare malum primò apprehensum excitat *odium*; ex odio mali succedit *abominatio* mali, sive fuga ab ipso; quod malum si patiatur, tunc est *tristitia*, sive dolor. Istæ sunt passiones *sex* principales, ut patet, ad appetitum sensitivum concupiscibilem spectantes.

Nunc *sex* ad irascibilem. *Passiones appetitus sensitiui irascibilis*, vel sunt circa *bonum arduum*, vel sunt *circa malum arduum*. Si sunt *circa bonum arduum* difficilè assequendum, vel in illud tendimus, & sic est passio *spes*, si enim non speraremus, non tenderemus in illud; vel fugimus, & sic est *desperatio*. Si passiones appetitus irascibilis sunt *circa malum arduum*, vel illud est *absens*, vel *præsens*; si est *absens*, sive futurum adhuc, & aggredimur, ut avertamus, tunc est *audacia*; vel fugimus, & sic est *timor*. Si malum est præsens, vel impatienter insurgimus ad illud vindicandum, & sic est *ira*, vel patienter sustinemus, & à vindicta abstinemus, & sic est *mansuetudo*. Ergo sunt *sex* passiones appetitus irascibilis, nempe *spes*, *desperatio*, *audacia*, *timor*, *ira*, *mansuetudo*; & *sex* sunt appetitus sensitivi concupiscibilis, nempe *Amor*, *odium*, *desiderium*, *abominatio*, *gaudium*, & *tristitia*, & istæ duæ aliis terminis dicuntur delectatio, & dolor; *sex*, & *sex* sunt *duodecim*; ergo 12. sunt principales appetitus sẽsitivi passiones, & adhas reducuntur quælibet aliæ; sicut & 12. sunt præcipuę virtutes morales, ut ęquẽtur.

Ex passionibus *sex* appetitus *concupiscibilis* magis principales ipsius sunt quatuor, nempe AMOR, ODIUM, GAUDIUM, TRISTITIA; nam *desiderium* boni manat *ab amore* boni, & *abominatio* mali ab *odio* mali; & amor, & desiderium boni, si hoc sit adeptum, terminant in *gaudio*; odium, & abominatio mali, si non vitetur, & sustineatur, terminant in *tristitia*; quare appetitus concupiscibilis circa bonum ab *amore* incipit, & in *gaudio* quiescit, at circa malum ab *odio* incipit, & in *tristitia* terminat; sunt igitur *Amor*, *odium*, *gaudium*, *tristitia* quatuor passiones *magis* principales inter *sex* principales appetitus sentitivi *concupiscibilis*.

At loquendo de appetitu sensitivo *absolutè*, & *adequatè*, nempe *irascibili*, & *concupiscibili*, sive loquendo de utroque appetitu *absolutè* *quatuor* sunt passiones (inter omnes passiones *duodecim principales*) *principalissimæ*, nempe SPES, GAUDIUM, TIMOR, RRISTITIA; jureque principalissimæ etiam inter duodecim principales dicuntur, quia omnes aliæ passiones ad relatas *quatuor* ordinantur; & item omnis passio vel est de præsenti bono, vel de futuro, si de bono futuro est SPES, si de bono præsenti est GAVDIVM; si de malo futuro est TIMOR, si de præsenti est TRISTITIA.

Duodecim passiones innuit Poesis vetus per *duodecim socios Vlyssis*; cum enim per Vlyssem intelligatur *ratio*, sive *sapientia*, duodecim passiones concordes *rationi* sunt *sociæ ipsi*, & in viro sapiente portio inferior *socia* est portioni superiori, quia obediens non discrepat. *Duodecim ergo socij Vlyssis* indicant *duodecim præcipuos animi motus*. Composuit Poesis Vlyssem *aliquos socios* amisisse, cum Scyllam, & Charybdim pertransiit; ejus socios (contrà ipsius mandatum) plura animalia è gregibus Solis læsisse, propter quod scelus, naufragium passi, morte luerunt crimen; item multos socios inter Phæacum delicias, inter fructuum Lotophagorum suavitatem, & per jucundissima Circis pocula, & inter cantus Sirennum perdidisse, alios à Cyclope Polyphemo, & à Lestrigonibus voratos; alios in multas difficultates se immisisse, quia dormiente Vlysse, utrem vento plenum datum ab Aeolo, solverunt, unde agitatæ in navigatione procellæ.

Sed quid ità *Moraliter* innuunt? *Duodecim* (diximus) passiones principales esse *Duodecim socios* Vlyssis, nempe *rationis*; at *aliquos* ex his sociis amittit ratio *inter pericula Scyllæ*, *& Charybdis*, quia multi animo deficiunt *ex timore*, *& desperatione* in adversis; *alios amittit* ex comedendi intemperantia, qui lędunt *greges solis*, nempè affectus, qui erant temperanter subordinati rationi. *Alios* amittit inter *Phæacum* delicias, & fructuum *Lothophragorũ* suavitatem, quia virtuosi affectus amittuntur inter delicias. *Alios* amittit *inter Circis pocula*, quia per hanc intelligitur libido, itẽ fęminę, & meretrices, multosque bonos affectus, & castos amittit ratio impulsu libidinis, & ex conversatione viri cum fœminis. *Alios* perdit *inter cantus Syrennum*, quia casti affectus amittuntur inter cantus muliebres. *Alios* amittit devoratos *à Cyclope*, & Lestrigonibus inhumanis symbolis superbiæ, & feritatis, quia boni affectus *humlitatis*, *& humanitatis* pereunt per superbiæ, & feritatis passiones. *Alii* socii in multa pericula naufragii se immisserunt, quia sine consilio Vlyssis solverunt utrem, in quo erant inclusi venti, quia in plura pericula homo se mittit, cum agit sine consilio rationis, & ventos passionum à ratione restrictos relaxat licentiosè; item impulsu avaritiæ utrem *spe* vana solverunt, ut celerior esset navigatio ad lucra, unde fuere ipsit procellæ, naufragii repetita pericula, in quo innuit Poesis pericula, in quę immittit affectus avarus. Mortui sunt, qui contrà mandatum *Vlyssis* occiderunt *ex gregibus solis*, quia pereunt, qui agunt contra mandatum *rectæ rationis*, religionem contemnunt; reverenter enim servanda, quę attinent ad Deum, cujus symbolum Sol.

Ecce non solùm Poesis *duodecim* passiones *principales* innuit *socias rationi*, cum ei obediunt, sed addit, quomodo pereunt boni affectus socii, & quòd sint vitandæ delinquendi occasiones, nam inter Phæacum delicias, Sirennum cantus, Scyllam, & Charybdim &c. fingunt Poetæ sapienter, Vlyssis periisse socios.

Sed & per *duodecim præcipuos labores Herculis*, quibus vicit tot monstra, innuerunt *duodecim* præcipuas passiones, quas rebelles labore vincit *ratio*, indicata sub nomine Herculis; *virtutesque duodecim* principales etiam significatæ sub nomine Herculis, tales *duodecim* principales æquant passiones, & sic dejiciuntur, & suffocantur monstra vitiorum. Alii labores minùs principales Herculis innuunt passiones minus principales, & *annexas* præcipuis *duodecim*, utque subjiciantur, *laborem* etiam requiri *rationis*, nec sine virtute vinci. Caveat ratio adhærere sensui; adhæret os carni, cum ratio sensualitati consentit, osque adhærens carni est symbolum rationis perversæ. Abraham, qui prolem habuit ex ancilla, significat rationem, quę bonos affectus in carne generat.

CA-

CAPUT XVII.

QVATVOR passiones principaliores appetitus sensitivi concupiscibilis *AMOR, ODIVM, GAVDIVM, TRISTITIA hieroglyphicè, sive symbolicè, indicatur per* quatuor *principales humores corporis.*

BILIS FLAVA

Est symbolum passionis, quæ dicitur AMOR.

QVatuor humores principaliores sunt *bilis flava, bilis atra, humor sanguineus, & pituita*; ex quibus bilis *flava* admixtione seri fit *pallida*; ideò significata symbolicè in colore pallido; bilis *atra* est *nigra*, ideò symbolicè indicata in colore *nigro*. Humor sanguineus est *ruber*, significatur in colore *rubro*. Humor pituitosus, sive phlegmaticus, quia frigidus, & humidus, quæ complexio *albicantes* facit, significatur in colore *albo*.

Hinc quatuor relati humores sunt symbola *quatuor* principaliorum passionum appetitus concupiscibilis, quæ sunt AMOR, ODIVM, GAVDIVM, TRISTITIA, sive *dolor*.

Bilis flava est symbolum AMORIS, quia est *pallida*, & talis est color *amantium*, ideò dicente Ovidio, *pallet omnis amans*. Et quidem aurum symbolum amoris etiam est coloris pallidi, vel flavi. Item bilis *flava* est calida, & sicca, est ignea; at talis est AMOR *ignis*, qui urit, & exsiccat amantes, qui ideò dicuntur poeticè ardere in rogo, & pyra amoris; amor dicitur flamma, amans dicitur pyrausta, sive papilio, ardens in illa. Sicut in æstate calore agitatur amans: quare & *spicæ* hieroglyphicum æstatis, sicut ipsa æstas calida, & sicca, sunt etiam hieroglyphicum *bilioſi, & amantis*. Humor *biloſus*, quia *igneus*, facit audaces, *militares*, fortes; ideò est symbolum AMORIS, qui pro re dilecta reddit *audaces, & militantes*. Equsque quia pugnax, & bilioſus dicatus est Marti; & Mars (quia igneus, calidus, & siccus, & influens ardorem bellicum) est symbolum bilioſi, & amantis. Ideò Ovid. 3. Art.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice, crede mihi, militat omnis amans.
Quis nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis,
Et denso mistas perferet imbre nives?

Hinc ipsa Regni Neapolitani Sulmonia Philomela canora Ovidius Epistola 9. *Amorem* ita strenuum militem cantat:

Quem non mille feræ, quem non Athenelejus hostis,
Non potuit Juno vincere, vincit AMOR.

Et Italus Mantuanus Cycgnus Eclog. 10.

Omnia vincit AMOR, & nos cedamus AMORI.

AMOR, sicut *bilis*, causat dolores mordaces, ideò Ovidius 2. de Arte:

Quod juvat, exiguum est, plus est, quod lædit amantes,
Proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,

Cærula quot vaccas Palladis arbor habet,
Littore quot conchæ, tot sunt in AMORE DOLORES.

Bilis facit *vigiles, siccos, macros, graciles*, quia calida, & sicca cum sit, non sunt humidi vapores abundè pro somno conciliando; calore, & siccitate absumitur pinguedo, & sanguis calore, & siccitate, exutus est nutritioni membrorum minùs idoneus; *talesque* facit AMOR, ideò Ovidius pœnam expertus monuit:

Sed tamen hæret AMOR, crescitque dolore repulsæ,
Et tenuant vigiles corpus miserabile curæ,
Adducitque cutem macies.

Et Epist. 12.

Fugerat ore color, macieque obduxerat artus;
Sumebant nimios ora coacta cibos,
Nec somni faciles &c.

Bilis facit *iracundos, præcipites*, sic AMOR; ideò Seneca in *Medea* de AMORE, quòd

Cæcus est ignis *stimulatus irâ,*
Nec regi curat, patiturve frenos;
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos obvius enses.

Item *bilis* facit *oculos micantes*, irati oculi micant, ita ut lumen profundere videantur; ardente enim bile cor quodammodo ebullit, unde spiritus evocantur in extremas partes, cumque per tralucentes oculos facilior sit exitus, in oculis congregantur; ideò hieroglyphicum bilioſi leo, cujus oculi ardere ita putantur, ut terreant intuentes; sic AMOR ardet in oculis, isti sunt indices flammæ cordis.

Est bilioſus vindictæ appetens, ultor injuriarum, sic amans pro re amata, si sit obex impediens.

Humoris *bilioſi* tanta est *acrimonia*, ut si aliquam in intestinis moram faciat, pariat *vulnera*, etiam si duplici sint munita membrana; sic AMOR est acer; ideò Cupidini datæ sagittæ, quia cor vulnerat AMOR. Huc Virgilius;

At Regina gravi jamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Ergo in humore *bilioſo* symbolicè indicatur AMORIS passio; cave igitur sit inordinata, dicente Ovidio 1. de Remed.

Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente,
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

BILIS ATRA *est symbolum* ODII.

MAnet bilem *flavam* esse symbolum passionis AMORIS; nunc ostendendum objicitur, bilem *atram* esse passionis ODII symbolum; solet dici *Melancholicus humor*, de quo vide pag. 239. & 243.

Ex medicæ artis primatibus disco, quòd bilis *atra*, sive *Melancholicus succus*, generatur à temperatura, sive totius corporis, sive hepatis *frigida, & sicca*, qualis est declinante ætate, & *autũno*, ut ideò *autumnus* frigidus, & siccus, sicut senectus, sint etiã succi Melancholici symbolũ; cur enim tempore autumni nudantur arbores foliis, & cadunt, nisi quia exsiccatum est humidum? Etiam alimenta frigida, & sicca, sicut omnia frigidum, & siccum, & crassum succum producentia, sunt umoris Melancholici patres. Est Melancholicus humor fœculentior, & therrestrior sanguinis portio, quæ à liene

trahi-

trahitur; est similis fęci vinorum crassorum, unde non est mirum, si ad *nigredinem* vergat, quare ex coloribus *niger* est symbolum humoris Melancholici, ut ideò Hyppocrates lib. 2. *de morb.* talem humorem dicat voce græca, latinè *fœcem*, *& nigram*; & ex maculis *nigris* conjectant Medici, morbum procedere ex excessu *melancholici humoris*; sicut ex maculis *pallidis*, procedere ex *flava bile*, sive cholera; & ex *rubris* maculis inferunt morbum genitum ab excessu humoris *sanguinei*, vel à corruptione sanguinis; & conjiciunt ex maculis *albis*, procedere ex redundantia *pituitosi*, sive *phlegmatici humoris*. Melancholicus humor potest dici *terra humorum*, tum quia est *niger*, sicut hæc, nam terra, quæ *nigra*, est *optima*; tum quia est frigidus, & siccus, sicut terra frigida, & sicca est, ut ideò ex elementis *terra* sit humoris *Melancholici* symbolum. Et quidem cur bilis *atra* dicitur *atra*? quia *atrum* dicitur à *terra*, quæ *nigra* est, & talis bilis est *nigra*, & humorum *terra*. Æschyllius tristem, & melancholicum animum dicit *pullatum*, *& nigrum*; morbique derivati à *Melancholia*, non sunt *sine nigredine*, ut patet in *cancere*, qui lividus, & *nigricans* est, & in *pustulis nigris*; adde varices, melas, quæ à barbaris dicuntur *morphæa nigra*.

Vide quanta sit nigredo *atræ bilis* ex Gordonio *in lilio med. p.* 2. *c.* 11. *de Scotomate*, *& Vertigine*, ubi ait, morborum causã per colores rerũ, & vaporũ, animo obversantium inquiri; si vapor est ex *sanguine corrupto*, apparent dormienti corpora *rubea*; *si ex cholera*, *sive bile flava*, apparent *citrina*, sive *flava*, & videtur ægroto in somno, quod *volet*; si ex *pituita* est vapor, apparent corpora *alba*, & in somno videtur pituitoso, quòd sit *in aquis*. Si ex *succo Melancholico* sit vapor, apparent Melancholico dormienti corpora *nigra*, & quòd transeat per *angusta* loca; generat enim Melancholia terribilia somnia, nempe Melancholico videtur, videre mortem, cadavera, sepulchra, cruciatus, dęmones; generat enim iste humor spiritus *atros*, qui deinde in cerebro exhalant horrendas imagines.

Melancholia expedit *tristes*, *taciturnos*; ideò *Saturnus* planeta hieroglyphicum *Melancholici* dicitur (lib. 7. Epigram. Græcorum) voce Græca, latinè *tristis*; Firmianique Materni sunt verba: *Saturno in secundo signo ab Horoscopo per diem existente*, *reddi homines melancholicos*, *latentes*, *absconsos*, *solitudinis amantes*; effingiturque Saturnus *digitò appositò ad os*, quod est *silentii*, & taciturnitatis symbolum, ut indicetur, melancholicos esse *taciturnos*, tum quia tristes, tum quia sunt frigidi, & sicci, & cum frigus actiones viventium retardent, parciùs linguam movent.

Sunt item Melancholici *tenaces propositi*, ut ideò eorum hieroglyphicum sit *polypus*, piscis tenax, quem si vellis evellere ab scopulo, ita tenaciter hæret, ut non nisi discerpendo avellas, potiùsque patitur lacerari, quàm relinquere, quòd apprehendit. Melancholia expedit *timidos*, *& solitarios*, cujus ideò humoris est symbolum *lepus*, animal *timidum*, & ita *solitarium*, ut vix lepores duos in eodem cubili reperias; caroque leporina efficit melancholicos.

Melancholici sunt *vigiles*, *& brevis somni*, quia siccitas cerebri somno obstat.

Melancolici sunt *macri*, quia *spiritus tristis exsiccat ossa*, ut habemus in *Prov.* cap. 17. Item cum sint frigidi, & sicci, laudabili sanguine carent; quorum ideo symbola *lepores*, *& cuniculi*, non enim pinguescunt.

Melancholici *dulcia omnia* refugiunt; amant, ut plurimùm *cibos salarios*, quod procedit ex *humore acri*, *& sicco*, tunicis ventriculi impacto; ideò Melancholici, etiam ex hoc capite, symbolum *polypus*, quia aquas falsas amat, dulces refugit; unde in mari Ponto abundantissimo aquarum

dul-

dulcium affluxu ; non inveniuntur *polypi*.

Melancholia expedit (nisi motus hos ratione refrænes) *invidos*, *fraudulentos*, *malignos*, *insidiantes*, quia *atris spiritibus* animalibus affecti, & speciebus nigris opaci, & recessus amantes, ibi maligna cogitant; hinc eorum symbolum *polypus*, qui fraudulentus, & insidians est. Vide pag. 878.

Igitur humor *melancholicus* (ut alia omittam) est *niger*, *nigra idola in cerebro causat*, *expedit tristes*, *taciturnos*, *tenaces*, *vigiles*, *macros*, *dulcia refugientes*, *falsa amantes*, *invidos*, *fraudulentos*, *malignos*, *insidiantes*, item, & *edaces*, quia humor melancholicus est *acidus*; omnes autem *acidi succi*, ut primùm ventriculos attingunt, appetentiam movent; *acidis* enim *aceto*, *omphacio*, & similibus, appetitus dejectus excitatur.

Talis est humor *melancholicus*? ergo est symbolum passionis, quæ dicitur ODIVM. Dicebat Boetius lib. 4. de *Consolat. Prosa* 4. *sicuti corporum languor*, *ità odii vitiositas quidam est morbus animorum*. An *Odium* non concipitur ut *nigrum*, nigrasque, tenebrosas, & opacas imaginationes excitat? An odio habens horrida non somni at, & videre diabolos? imò Basilius de Institut. Monach. t. 2. ait: *Sicut qui charitatem habet*, *Deum habet*; *ita qui odium habet*, *diabolum habet*. Melancholia expedit *tenaces*, odium *est ira tenax*, *& vetus ex pluribus causis collecta*, *diuturno tempore perseverans*, ut definit *Augustinus lib. de def. & de serm. Domini in monte lib.* 2. *cap.* 19. *Odium est inveterata ira*. Unum ex epithetis *odii* est, quòd sit *tenax*. An *odio habentes* non sunt *tristes*, malignè *taciturni*, *solitudinis amantes*, ut maligna machinentur? an non sunt *vigiles*, & parci somni, quia vehementiâ passionis agitatur, & exsiccatur cerebrum, & contrà odio habitum cogitat horrenda? an non sunt *frigidi* charitate, *sicci* beneficentiâ? an non sunt *macri*, ipsa quos passio exsiccat, attenuat? at non refugiunt *dulcia*, & diligunt *falsa*, cum dulcedinem conversationis honestæ, & quietæ, refugiunt, & amaras operationes contrà odio habitum eligunt? an odio habentes non sunt *maligni*, *fraudulenti*, *insidiantes*? an non sunt *edaces*, honorem, famam, vitam, substantiam odio habiti, deglutire appetentes? an odio habentes nõ sunt *inuidi*? definit Augustinus lib. 50. Hom. at Hom. 5. Tom. 10. *Est Invidia odiũ felicitatis alienæ*. Imò Odiũ *physicos* effectus melãcholię causat.

Melancholicus æger *destipit ex atra* bile, an odium non reddit insanos? Deffinit Medicina: Melancholia *ægra* est *affectus mentem lædens*, *cum vehementi tristitia*, *& amicorum aversione sine febre*; *nonnullis*, *si multa bilis accesserit*, *stomachum lædit*, *ita ut vomitione rejiciatur*, *simulque hoc modo mens vitietur*; an hæc non causat immodica passio odii? Non Melancholia *naturalis*, & benigna, sed ægra, acerba, acris, rodens, acida, splendens, elevans terram modo fermenti, & aceti acerrimi, affectum læthalem *Odii* symbolicè prædicat.

Ergo *Melancholicus succus*; sive *atra bilis*, est symbolum passionis appetitus sensitivi *concupiscibilis*, quæ dicitur ODIVM.

HVMOR SANGVINEVS est symbolum passionis, *quæ dicitur GAVDIVM.*

PAssionis GAVDII cur non sit symbolum *sanguineus humor*? hujus temperatura benigna *calida*, *& humida*, expedit placidos, alacres, gratos, festivos, Musicæ amantes, saltationum anteſignanos; toto exultant pectore, jocantur. Si saltandum, primi tripudiant. Si cantandum, pleno ore jubilant. Comessationibus gaudent, ut ideò *Comus* conviviorum (apud Ethnicos

cos Deus) fuerit *ſanguinei* ſymbolum. Fuit figuratus *Comus* ſpecioſus juvenis flore juventæ; ipſi data *tibia*, quæ concinnitate harmonica excitat; ipſi data myrtus dicata Veneri, quia facilè *ſanguinei* amorem concipiunt; ipſi datus *fractus* radius, qui inter alia ſignificat inſtrumentum, quo raduntur menſuræ, quia *ſanguinei* ſunt liberales, & dant ſine menſura. Sunt *ſanguinei* placidi, urbani, concinni, ideò apti Principum aulis. Non enim ſunt proni ad iram, quia humiditate ſanguinis, & benignitate, fervor bilis obtunditur. Sunt pulchri, quia humiditas expedit albedinem, calor colorem accenſum, quare lilia mixta Roſis, & Gratiæ, lucent in eorum gennis, & quaſi ver animatum cernas, unde & ver (quia lætum, & floridum) *ſanguinei* ſymbolum eſt. Sanguinei potatores vini, quià humidi, & alacres, at vinum lætificat cor hominis. Tandem ex metallis, *cum ferrum* ſit ſymbolum *bilis*, ſive *choleræ*, quæ pugnaces, & ideò ferro armatos expedit, *cum plumbum*, quia grave, ſit ſucci Melancholici ſymbolum, *cum* argentum, quia *album*, ſit humoris pituitoſi, ſive phlegmatici, ſymbolicus index, *aurum*, quia lætificans cor, eſt humoris *ſanguinei* hieroglyphicum. Cum hęc ita; ergo eſt *ſanguineus humor* ſymbolum paſſionis, quæ dicitur GAVDIVM; gaudentes enim alacres ſunt, feſtivi, jocoſi, rubeſcunt, oculos explicant vividos, placidos, & feſtivos.

PITVITOSVS, ſive PHLEGMATICVS humor eſt ſymbolum *paſſionis, quæ dicitur DOLOR, ſive TRISTITIA.*

ISte humor pituitoſus, ſive phlegmaticus, eſt *frigidus*, *& humidus*, expedit *albos*; hinc fœminæ (quia ut plurimum pituitoſæ) magis albicant, & qui ſunt ex regionibus humidis, & frigidis, ut Flandri, Angli &c. albedine candicant. Eſt enim complexio aquea, ſive ſimilis aquæ, quæ frigida, & humida eſt, & in candido colore ſymbolicè indicatur. Ipſa nix, quę frigida eſt, & humida, albedine, ſive candore, noſtris oculis explicatur. Phlegmaticus humor ideò ſignificatur in Nympha, latinè *lympha* voce muliebri, id eſt, *aqua*, quæ albicare videtur. Maculæ albæ, morbum ex humore pituitoſo excedente, innuunt derivari. Hinc cur iſte humor *pituitoſus* non ſit ſymbolum paſſionis, quæ dicitur DOLOR, ſive Triſtitia? dolore affecti, quia ſanguis à gennis ad interiora recedit, colorem explicant album.

Adde effectus doloris. *Pituita* expedit *frigidos*, ſic paſſione vehementi *doloris*, ſive triſtitiæ, corpus *rigeſcit* more cadaveris.

Pituita expedit *humidos*: ideò fœminæ, quia pituoſæ, humidæ, dicente Hyppocrate *lib. de diæta*, ſic: *In univerſum mares ſunt calidiores, & ſicciores; fœminæ humidiores, & frigidiores*; & ideò ſæpè generantur flante Auſtro, humidiſſimo ventorum. Si autem Pituita expedit humidos, ita *Dolor*, ſive *triſtitia*, nam ita commovet viſcera dolor, ut incitet fletus; hinc ex dolore noſtros plangimus mortuos.

Pituitoſi, quia frigidate organa torpent, ſunt *otioſi*, *inertes*, *pigri*; ſic *triſtitia* reddit otioſos, quia afflicti, ſoli dolori addicti, ab opere ceſſant.

Pituitoſi ſunt *debiles*, ut patet in fœminis, deficit enim calor pro vigore, quia ſunt frigidæ, & humidæ, quare Ariſtotelis eſt ſententia, nequius eſſe occidere fœminam, quàm virum, quià licet iſte ſit dignior, tamen illa, quia debilis, minus nocere poteſt. At & *dolor*, ſive *triſtitia*, etiam *debiles* cauſat, imò exanimes; dolore enim acerbo affecti ſine viribus languent.

Pituo-

Pituitosis sunt *motus tardior*, *pulsus tardus*, *rarus*, *mollis*, ut in fœminis patet; talisque est pulsus, sunt tardi & motus ejus, qui sit *dolore* vexatus.

Pituitosi cum excessu sunt *stupidi*, *stolidi*, *fatui*, *hardi*; frigiditas enim hebetat organa, vapores congelat; quarè & sunt hebetis ingenii, ut patet (ut plurimùm) in fœmis, vigor enim ingenii oritur ex calore innato, qui in pituitosis non est; at etiam & *doloris*, sive *tristitiæ*, *vehementia* reddit *stolidos*, nec ingenio, & discursui locum præbet.

Pituitosi sunt *somnolenti*, ut patet in pueris, & fœminis, quòd ex Avicenna discimus, à frigiditate, & humiditate procedere, unde & *papaver* somnum concilians, symbolum pituitosi est; *frigiditate* enim condensantur vapores, quibus præcluditur sensus communis via, & primum sensorium ligatur, retineturque, ne per ipsum è cerebro spiritus animales deferantur ad sensus externos; *humiditate* verò vapor à frigore condensatus diutiùs conservatur; hìnc lethargus, qui est altus somnus, ab his qualitatibus derivatur. Si autem *Pituita* expedit *somnolentos*, ità *tristitia* sopitos, & somnolentos parit.

Pituita expedit *immemores*, nam propter fluxilem humiditatem idola, imagines, sive species, diu conservari non possunt, & propter frigus actiones animales torpent; Galenusque *lib. de Art. Med.* inter signa humidioris cerebri, oblivionem ponit; organum in pituitosis obstat memoriæ; & *dolore*, sive tristitia vehemente vexati redduntur immemores, nam vehementia *doloris* oblivionem inducit, & memoriæ obstat. Ergo si similitudo tanta inter PITVITAM, & DOLOREM, sive TRISTITIAM, congruè *pituita*, sive *phlegmaticus humor* dictus est symbolum passionis appetitus sensitivi *concupiscibilis*, quæ dicitur TRISTITIA, voce alia DOLOR.

Ergo *quatuor* principales passiones appetitus sensitivi concupiscibilis, AMOR, ODIVM, GAVDIVM, TRISTITIA, aptè per QVATVOR symbolicè significantur Humores.

CAPUT XVIII.

Item adhuc QVATVOR passiones principales appetitus sentitivi concupiscibilis *AMOR, ODIVM, GAVDIVM, TRISTITIA per QVATVOR ex* coloribus, *per QVATVOR ex* metallis, *per QVATVOR* stationes anni, *per QVATVOR* elementa *hieroglyphicè*; Poeticè *autem per QVATVOR* ancillas Circis, *ænigmaticè* indicantur.

BReviter explicatur. Ex coloribus *pallidus* signat AMOREM, quia pallet omnis amans; *niger* signat ODIVM, quia nigris, & atris imaginationibus, & affectibus opacatur animus; *ruber* signat GAVDIVM, quia gaudentis vultus redditur roseus; *albus* color indicat TRISTITIAM, quia vehementi tristitia, sive acerbo dolore, albescit facies. Hæc inferuntur ex dictis in capite elapso.

Nunc cum AMOR sit ignis, indicatur ex Planetis per *Martem*, qui est igneus; ODIVM per *Saturnum*, qui filios devorans figuratur; GAVDIVM per Solem, quo oriente gaudium universale; TRISTITIA per Lunam, quæ & albicat, & dominatur in aquas, & nocte symbolo tristitiæ lucet.

Ad

Ad hæc: cum AMOR ut ignis per oculos ſcintillet, indicatur ſymbolicè ex metallis per *ferrum*, quod candens, & contuſum, ſcintillas jaculatur. ODIVM ſignatur per plumbum, eſt enim gravis ponderis, coloris obſcuri, tale eſt Odium inordinatum obſcurum, & ita grave, ut ad petenda ſublimia, impediat, mentem attolli. Gaudium ſignatur per *aurum*, quià naturali virtute lætificat cor; per *argentum*, quia albicat, & refert ex humoribus pituitam, quam diximus cap. elapſo ſymbolum doloris, indicatur *Dolor*, ſive *triſtitia*, quæ præ vehementia vultum reddit album.

Ex *ſtationibus* anni *æſtas* ſignat *Amorem*, cor enim amans æſtuat, ardet. *Autumnus* ſignat *odium*, quia talis ſtatio noſtræ ſaluti, & vitæ adverſatur, tunc ab arboribus folia cadunt; ſunt vires infirmiores, quàm in reliquo anno; adverſatur veri, quod *calidum, & humidum* eſt, ideò conſervationi vitæ, & ſanitati, magis idoneum, quam duæ qualitates relatæ tutantur; *autumnus frigidus, & ſiccus* eſt, quæ *duæ* qualitates ſunt infenſivæ incolumitati vitæ; item & tempore autumnali ſunt infirma ſuſtentacula vitæ non ſolùm in animalibus, verùm etiam in plantis, quartanarumque febrium feraciſſimus eſt *autumnus*; hinc iſta ſtatio, ita adverſa vitæ, congruè odii hieroglyphicum eſt; an non inſidiatur vitæ alterius, qui eum odio habet? GAVDIVM ſignificatur in *vere*, quæ eſt ſtatio florida, amæna, & tunc metaphoricè rident prata.

Triſtitia ſignificatur in hyeme, quæ eſt frigida, humida, nivibus cana; *triſtitia* autem frigidos reddit, humidos planctu, colore albo. *Aper*, à quo fingitur percuſſus Adonis, cum aper ſit animal hiſpidum, aſperum, luti amans, eſt ſymbolum hyemis, quæ eſt aſpera, & præ aquis lutoſa, & *triſtitiâ* nos afficit, cum Adonidem, nempe Solem, nobis occultat; imò & hyemem ſub ſymbolo hominis ſenis, canitie nivea, & *triſtem* cernimus figuratam.

Jam per *Quatuor* elementa relatæ *quatuor* ſunt ſymbolicè indicandæ paſſiones. *Ignis* ex elementis ſignat *Amorem*; amor ignis eſt animi. *Terra* eſt ſymbolum *Odii*, quia terra optima eſt coloris nigri, & atri, & ater eſt animus ejus, qui odio habet. *Gaudium* ſignificatur in *aere*, qui lucidus gaudia excitat, purus ſanitatem; at facilè mutatur aer, facilè, & evaneſcunt gaudia Mundi, & *luctus occupat* poſteriora gaudii. In elemento *aquæ* ſignatur ſymbolicè *dolor*, tum quia apprehenditur *albo* colore, & *dolor*, ſive *triſtitia*, reddit faciem albam; tum quia *aquæ* ſunt ſymbolum *amaritudinis* juxtà illud Pſalmi, *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam*; at triſtitia animum reddit amarum.

Quòd Poeſis per *quatuor ancillas* Circis innuerit *quatuor* relatas paſſiones inordinati appetitus *concupiſcibilis*, jam pag. 881. dictum.

CAPUT XIX.

QVATVOR paſſiones principaliſſimæ utriuſque appetitus, duæ appetitus ſenſitivi concupiſcibilis *GAVDIVM, & TRISTITIA, duæ appetitus ſenſitivi* iraſcibilis *SPES, & TIMOR, hieroglyphicè non ſolùm etiam per* quatuor humores *principaliſſimos, ſed per* quatuor *principaliſſimos* ventos, *per* quatuor *equos, per cornua* quatuor, *ſignificantur hieroglyphicè.*

APud Sanctum Patrem Auguſtinum *lib.* 10. *confeſſionum*, cap. 4. Tom. 1. legimus: „ *Dico* quatuor eſſe perturbationes animi, CVPIDITATEM, LÆTITIAM, METVM, TRISTITIAM. Nos pag. 868. ex

„ S. Patre memoravimus *quatuor* perturbationes; dictæ sunt TIMOR, &
„ TRISTITIA, AMOR, & LÆTITIA. Item lib. 14. *de Civitate cap.*8.
„ refert ex Virg.6. Æn. quatuor perturbationes sic:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque,

„ nempè quatuor hæ assignantur perturbationes: sunt istæ *quatuor* METVS,
„ CVPIDITAS, DOLOR, GAVDIVM. *Libro autem uno de spiritu,*
„ *& anima cap.* 4. *Tomo* 3. *eximpressis Venetiis*, sic disco à Sancto Patre: Ex
„ duabus substantiis constat homo, animà, & carne; animà cum ratione,
„ carne cum sensibus suis, quos tamen sensus non movet caro absque animæ
„ societate; anima verò rationale suum tenet sine carne. Est siquidem *ra-*
„ *tionalis, concupiscibilis, & irascibilis*; per *rationalitatem* est habilis illu-
„ minari ad aliquid cognoscendum *infrà se, & suprà se, & juxtà se*. Co-
„ gnoscit siquidem Deum *suprà se, & se in se, &* Angelos *juxtà se*, & quic-
„ quid cœli ambitu continetur *infrà se*. Per *concupiscibilem, & irascibi-*
„ *lem*, habilis est affici ad aliquid appetendum, vel fugiendum, amandum,
„ vel odiendum; & ideò *de rationalitate* omnis *sensus* oritur animæ, & de
„ *aliis* omnis *affectus*. *Affectus* verò *quadripertitus* esse dignoscitur, dum
„ de eo, quod *amamus*, jam *gaudemus*, vel gaudendum *speramus*; & de eo,
„ quod *odimus*, jam *dolemus*, sive dolendum *metuimus*. Et ob hoc de *con-*
„ *cupiscibilitate* GAVDIVM, & SPES, & de *irascibilitate* DOLOR, &
„ METVS oriuntur. Quidem QVATVOR AFFECTVS *animæ* om-
„ nium sunt *vitiorum, & virtutum* quasi *quædam principia, & commu-*
„ *nis materia*. Affectus siquidem operi nomen imponit; & cum virtus sit
„ habitus mentis benè compositæ, componendi, & instituendi, atque or-
„ dinandi sunt dicti affectus ad id, *quod* debent, & *quomodo* debent, ut in
„ virtutes proficere possint, alioquin *in vitia* facilè decident. Cum igitur
„ *prudenter, modestè, fortiter, & justè* AMOR, & ODIVM instituuntur,
„ in *virtutes* exurgunt; *Prudentiam* scilicet *& temperantiam, fortitudi-*
„ *nem*, atque *justitiam*, quæ quasi origines, & CARDINES sunt *omnium*
„ *virtutum*. Et hæc omnia cum *affectuosè, & virtuosè* in anima consti-
„ tuuntur, per *odium* mundi, & sui, proficiscitur in *amorem Dei, & pro-*
„ *ximi*; per *contemptum* temporalium, & inferiorum, crescit *in deside-*
„ *rium æternorum, & supernorum*. Sensus verò *unus* est *in anima*, & quod
„ ipsa; & cum *corpus non* sit, *corporeus* dicitur, quia *corpus non transcen-*
„ *dit*, vel quia *à corporeis exercetur instrumentis*; unde & ob numerum in-
„ strumentorum *quinque pertitus* dicitur, cum intùs non sit nisi *unus*. Ve-
„ rum tamen *propter* varia exteriora *variatur*, & variè *nuncupatur*. Dici-
„ tur namque *sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia*; & hæc
„ omnia in anima nihil aliud sunt, *quàm ipsa, aliæ, & aliæ proprietates*
„ *inter se propter varia exercitia*; sed *una* essentia *rationalis, & una* anima;
„ proprietates quidem *diversæ*, sed essentia *una*; secundùm *exercitium* multa
„ sunt, secundùm *essentiam* verò *unum sunt* in anima, & *idem*, quod *ipsa*.

Hæc Sanctus Pater, quæ placuit non omittere, quia licèt non omnia verba ad præsens attineant, tamen illuminant præsentem tractatum de *Passionibus*, & confirmant hucusque dicta, & notitiam de Anima nostra explicant.

Ad præsens: licèt *cupiditatem, & lætitiam, metum, & tristitiam* dicat *quatuor* perturbationes animi, sicut licèt suprà dicat *quatuor* perturbationes *Timorem, Tristitiam, Amorem, Lætitiam*, & ubi suprà dicat etiam *quatuor* perturbationes METVM, CVPIDITATEM, DOLOREM, GAVDIVM (quæ enumerationes in substantia parùm differunt) has dicit *quatuor*, non quia non sint aliæ passiones, sed quia memorat ex pluribus illas *quatuor*; item *Gaudium*, & *Spem* ex passionibus

appe-

appetitus *concupiscibilis*, DOLOREM, & METVM ex passionibus *irascibilis* dicit *quatuor* principalissimas passiones, dum has *quatuor* dicit *omnium* vitiorum, & virtutum, *quasi quædam principia, & communem materiam.*

At observo, quòd S. Pater *principalissimas* ex utroque appetitu passiones *quatuor*, suprà immediatè relatas, numerans, asserit SPEM, ut passionem appetitus *concupiscibilis*, cum hanc passionem communiter dicant, & dixerimus nos, esse passionem appetitus *irascibilis*; item DOLOREM (sive *tristitiam*) numerat, ut passionem appetitus irascibilis, cum hanc passionem communiter dicant, & diximus nos, esse passionem appetitus *concupiscibilis.*

At nos retulimus in sententia *Peripatetica*; affectus autem alii aliter, ut libitum est, inire solent, & est in hoc varietas; nam de Stoicis vidimus pag. 868. ex Augustino, cum tamen alii (inter quos Philosophia vetus, & nova) dicant quantùm ad sapientem, Stoicos *quatuor* affectus primarios statuisse *Gaudium*, *dolorem*, *cupiditatem*, & *metum*, nisi fortè non sint in hoc loquuti in sapiente:

Gaudeat, an doleat, metuat, cupiatve, quid ad rem?

Alii (ut Philosophia vetus, & nova) primarios affectus, ad quos cæteri referuntur, dicunt *voluptatem*, & *molestiam*, nam illam (ait) propter se expetimus, hanc defugimus; cæteri affectus videntur comparatè boni, aut mali, ut voluptatem, aut molestiam creant; unde cum omnes affectus ex boni, aut mali, opinione nascantur, ii omnes ad voluptatem, & molestiam referuntur, & circumstantiis ab his differunt, cum circa eadem bona, vel mala versentur, ac temporum duntaxat differentiis inter se discrepent. Voluptas quidem, & molestia (sive tristitia, quæ & dolor) ex obiecti boni, aut mali præsentia oriuntur; sed obiectum etiam futurum, aut præteritum, mens sibi ut præsens potest exhibere.

Duos generales affectus, qui omnes differentias temporum complectuntur, dicit eadem Philosophia vetus, & nova *Amorem*, & *odium*; hi quippe (ait) affectus non modo voluptatem, & molestiam, sed etiam res ipsas, quæ voluptatem, aut delectationem creant, ità respiciunt, ut ad omnes temporum differentias pertineant. Cum bonum adest, tunc dicitur *Amor* fruitionis, unde & bonum amatur ob voluptatem, quam effluit Vbi bonum futurum est, tum in id motu quodam fertur appetitus, qui *Cupiditas*, aut *spes*, dicitur. *Spes* (ait) nihil ferè addit *cupiditati*, nisi opinionem, quod res expetita sit futura.

Sic (ait eadem Philosophia) ex odio mali præsentis (quæ est tristitia, sive dolor) *molestia*; si futurum sit, *fuga*, & *metus*; fuga *cupiditati*, metus *spei* opponitur, & opinionem, quod malum futurum sit, habet adjunctam; non enim (ait) *desperatio spei*, sed *fidentiæ* opponitur. *Fidentia ex spe*, *desperatio ex metu* oritur. *Fidentiam* consequitur *audacia*, & *desperationem* sequitur *pusillanimitas*. *Ira* denique (ait eadem Philosophia) supereſt, quam *solam*, & sine *pari* esse voluerunt, *quòd ex aliis ferò* omnibus constet, tametsi *fortè* adversatur *iræ lenitas*, quæ *mansuedo* à nobis alibi dicta. Concludit relata Philosophia sic: *Hic itaque affectuum numerus* iniri potest, *Amor*, & *Odium*: *voluptas*, & *molestia*: *Cupiditas*, & *fuga*: *spes*, & *metus*: *fidentia*, & *desperatio*: *audacia*, & *pusillanimitas*: *ira*, & *lenitas*; quare numerat passiones *quatuordecim*. Commodiùs putat dividere affectus in *simplices*, & *compositos*; illos dicit *Admirationem*, *amorè*, & *aversationem*, ex quibus *cupiditas*, *delectatio*, & *tristitia oriuntur* &c. vides diversitatem in assignando numero passionum; sic & est in assignando, ad quem appetitum tales, & tales pertineant; sed hoc disputare esset inutiliter conterere tempus, & non rarò discrepantia est penes verba. Congruè autem S. Pater no-

minat *quatuor* principaliſſimas *Gaudium*, *& ſpem*, *dolorem*, *& metum*, ſive triſtitiam, & timorem; nam omnes aliæ paſſiones ordinantur ad *ſpem*, *gaudium*, *timorem*, *& triſtitiam*; nam vel aliæ paſſiones ſunt reſpectu boni *futuri*, ut *futurum* eſt, & ſic eſt *amor*, qui tranſit ad *deſiderium*, & deſiderium tranſit ad SPEM, & *hìc* appetitus circa bonum *futurum*, ut *futurum* eſt, *ultimò ſiſtit*. Vel ſumitur circà bonum, *ut præſens*, & ſic ultimò terminatur appetitus ad delectationem, ſeu GAVDIVM; & ideò *aliæ* paſſiones, quæ ſunt *reſpectu boni*, ordinantur ad SPEM, & DELECTATIONEM, quæ etiam dicitur GAVDIVM. Nunc vel aliæ paſſiones ſunt reſpectu mali *futuri*, *ut futurum* eſt, & ſic *odium* ordinatur *ad abominationem*, & abominatio ad TIMOREM, & *hìc ſiſtit ratio mali futuri*; vel procedunt ad malum *præſens*, *ut præſens*, & ſic ultimò terminatur ad TRISTITIAM, ergò paſſiones *circa malum* ordinantur ad TIMOREM, & TRISTITIAM; at *circa bonum* (ut dictum) ad SPEM, & GAVDIVM, ergo aptè *quatuor* paſſiones principaliſſimæ, ad quas ordinantur aliæ, aſſignantur à S. Patre Auguſtino, SPES, GAVDIVM, DOLOR (ſive *triſtitia*) & METVS, ſive *timor*.

Congruè item S. Pater dicit SPEM paſſionem appetitus *concupiſcibilis* in hac conſideratione, quòd appetitus *concupiſcibilis* eſt, qui *concupiſcit* bonum, quod *ſperat*, nec *ſperaret*, ſi non concupiſceret; imò Philoſophia *vetus*, *& nova* pag. 323. dicit, *ſpes* nihil ferè addit *cupiditati*, niſi opinionem, quod res expetita ſit *futura*, ideò dicit: *cupiditas*, *aut ſpes*, quaſi ſint idem, quia parùm differunt, licèt autem *ſpes*, *originaliter*, *& excitativè* attineat ad appetitum *concupiſcibilem*, quia oritur ex *cupiditate* boni, & ab hac excitatur, in quo ſenſu eſt intelligendus S. Pater Auguſtinus, tamen *formaliter*, *& expreſsè* attinet ad *iraſcibilem*, qui reſpicit bonum *arduum futurum*.

Item *congruè* Sanctus Pater dicit *dolorem paſſionem* appetitus ſenſitivi *iraſcibilis*, quia licèt *dolor primariò*, *& ex terminis* attineat ad *concupiſcibilem*, cujus eſt amare, & deſiderare, ſive concupiſcere bonum, ut delectetur, & gaudeat, odioque habere, abominari, & fugere malum, ne *doleat*, *patiatur*, *& triſtetur*, tamen non niſi appetitu iraſcibili luctante contra malum, id patitur; quòd cum iraſcibilis non poteſt vitare, etiam *patitur*, & *dolet* iſte, quia ſenſitivus eſt; & à multis dicitur *uterque* appetitus *idem* cum muneribus tantum *diverſis*.

Imò appetitus *iraſcibilis* eſt quaſi fidus Achates appetitus concupiſcibilis, & qui arrigitur, ut pugnet, & avertat impedientia bonum, quod *concupiſcit* appetitus *concupiſcibilis*, quæ ſi non poſſit avertere, & malum ſit præſens, *patitur*, *& dolet*, ut ſocius *concupiſcibilis*, & per modum *unius* cum ipſo; & hinc *dolor* dicitur etiam paſſio appetitus *iraſcibilis*; at *expreſsè*, *& formaliter* eſt paſſio *concupiſcibilis*, qui ex terminis *concupiſcit non pati* malum, non triſtari, non *dolere*, & ideò *dolor* refertur, ut paſſio *magis propriè* ipſius. Item dicit S. Pater Auguſtinus *dolorem* paſſionem appetitus *ſenſitivi iraſcibilis*, quia ſenſus, ſive natura, naturaliter ex *dolore* contra *dolorem*, quem naturaliter ægrè fert (licèt alias *recta ratio* conformitatem cum divina *voluntate* ſuadeat) iraſcitur; at *ex terminis* attinet *ad concupiſcibilem*, concupiſcentem non vexari malo.

Sed non immoremur in præciſſionibus, nec in his, quæ parùm diſtant; hæc eſt ſubſtantia, ſcire paſſiones, ut moderemur, & corrigamus, ſive ad *concupiſcibilem* attineant, ſive ad *iraſcibilem* ſpectent.

QVATVOR tales principaliſſimæ ex utroque appetitu paſſiones *ſpes*, *gaudium*, *dolor*, *timor*, ſymbolicè etiam ſignificantur in quatuor humoribus

bus principaliſſimis. *Spes* in bile *flava*, quia hæc ut ignea expedit animoſos, nec ſine anomiſate ſperamus. *Gaudium* (ut dictum cap. 12.) in humore *ſanguineo*. *Dolor* in phlegmatico, propter eodem capite dicta. *Metus*, ſive *timor* in *melancholico*; melancholia enim cum ſit *nigra*, *& atra colore*, ſpiritus animales (qui puri, ſubtiles, & clari eſſe debent) incraſſat, infuſcat, opacat, & quodam veluti fumo obtenebrat; unde omnia obiectivè repreſentantur ſenſibus interioribus ſub ſpecie opaca, & horrenda, & hinc TIMOR. Vapor ergo melacholiæ, quia *niger*, *& piceus*, in ſubſtantiam cerebri fertur, eam involuit quibuſdam tenebris, quibus anima circumfuſa perturbatur, & formidat; non quia illa melancholica caligo *animam* immediatè turbet, ſed *animales ſpiritus*, qui ſunt primum animæ ſentientis inſtrumentum; qui cum debeant eſſe ſplendidi, ſi vapore melancholico obſcurentur, venit hinc, quòd phantaſia privata ſplendore, quem à ſpiritibus habere debet, *conturbatur*, & ex conturbatione *timet*. Videmus enim pueros, & rudes mulierculas, atque etiam viros, minimè viriles, ſi in aliquo ſint loco opaco, & ſine lumine, *timore perhorreſcere*, & imaginari dæmones, lemures, lycanthropos, & ſimilia ſibi adeſſe; hinc eadem ſimillima ratione *melancholici*, vaporibus *nigris*, *& tenebroſis humoribus* perturbantur, & *timent*; ut ideò *polypus* ſit ſymbolum *meticuloſi*, quia *meticuloſus* eſt, & minimo ſtrepitu audito, vel piſcatore viſo, ſtatim (ut ſcribit Athenæus lib. 7. & Plinius *lib.* 9. ex Ariſtotele *lib.* 9. Hiſtoriæ animalium) *colorem mutet*, *& timore* effundat atramentum; quod ſi in lucernam, amotis reliquis luminibus, infundatur, adſtantes omnes picea nigredine fœdatos oſtendit, ita ut videantur Æthiopes. Hinc *polypi Melancholici*, *& timidi*, ſymbolum eſt, ut ideò aptè *in melancholico humore* indicetur ſymbolicè ex paſſionibus TIMOR.

Ex *ſacris* autem literis habemus in *Daniele cap.* 7. ſic: *Ecce ergo QVATVOR VENTI cœli pugnabant in mari magno*, ſatis aptè intelliguntur *quatuor* relatæ paſſiones, cum & comparentur turbinibus, & ventis, ut pag. 870. dictum, & hinc illinc agitatur, in ſæculi mare, animæ navis, ita ut inundetur, niſi (ope Dei) gubernet Palinurus *ratio*. Hùc Eccleſ. cap 30. v. 2. *Sapiens non odit mandata*, *& juſtitias*, *& non illidetur quaſi in procella navis*.

Item in *ſacris* literis *equi* dici poſſunt ſenſus corporis, & concupiſcentiæ, quas aſcendunt dæmones, cum eas incitant. Equus *mas* poteſt dici furor, aut vis *iraſcibilis*; equs *fœmina* verò poteſt dici *concupiſcentia*, ſive vis *concupiſcibilis*. Et de his indomitis à ratione dicitur *Zach. cap.* 12. *v.* 4. *In die illa dicit Dominus*, *percutiam omnem equm in ſtuporem*, *& aſcenſorem ejus in amentiam*, *& omnem equm populorum percutiam cœcitate*. Quatuor equi (in literis ſacris) ſunt *quatuor animi perturbationes*, nempè *Cupiditas*, quæ parum differt ab *ſpe*, item *timor*, *voluptas*, *& dolor*.

Apud Zachariam autem cap. 1. D. *cornua quatuor*, *quæ ventilaverunt Judam*, ſignant *quatuor* præcipuos affectus animi, de quibus agimus; iſte enim animum ventilant, cum per eas dejicitur. Sed de hoc ſatis.

CAPUT XX.

De Ordine Duodecim paſſionum, quæ nempe ſint priores, quæ poſteriores.

HÆc eſt doctrina noſtri Cardinalis Fundatiſſimi Doctoris Beati Ægidii Romani 3. parte, lib. 1. de Regimine Principum, cap. 2. *Quia* docet,

cet, nullus benè seipsum regere potest, nisi sciat, quæ passiones sint fugiendæ, quæ prosequendæ, & quia intendimus determinare de regimine sui, videndum est, *quot* sunt passiones, & *quem ordinem* habent adinvicem, & *quæ* sunt magis *principales*, & quæ *minùs*, *& quomodo* una passio reducitur ad aliam, *quia* ex omnibus his magis innotescit nobis natura ipsarum passionum; *qua inspectà*, cognoscere possumus, quæ sunt laudabiles, & *quæ* sunt vituperabiles, & *quæ* sunt sequendæ, & *quæ* sunt fugiendæ. Viso ergo, *quot* sunt passiones, & *quomodo* accipitur earum numerus, videndum est, *quem ordinem habeant ad se invicem.*

Ordo autem *dupliciter* potest accipi, vel *singulariter*, vel per *combinationem*; id est, possunt considerari passiones, vel binæ, & binæ, vel sigillatim.

Loquendo de passionibus per *combinationem*, sive si considerentur *binæ*, *& binæ*, dicere possumus, quòd duæ *primæ* passiones sunt *Amor*, *& Odium*. In secundo verò gradu sunt *desiderium*, *& abominatio*. In tertio verò *spes*, *& desperatio*. In quarto autem *timor*, *& audacia*. In quinto autem *ira*, *& mansuetudo*. Vltimæ autem passiones sunt *delectatio*, *& tristitia*. Consequntur autem *delectatio*, *& tristitia* ad omnes alias passiones; nam quacumque passione quis passionetur, vel *delectatur*, vel *tristatur*. Ideò hæ *duæ* passiones *post* omnes alias collocandæ sunt.

Amor autem, & *odium* sunt *simpliciter* passiones *primæ*; nam sicut *delectatio*, *& tristitia* ad omnes alias passiones *consequuntur*, *quia* omnes aliæ passiones vel terminantur *ad delectationem*, vel *ad tristitiam*; sic *amor*, *& odium* alias passiones *præcedunt*. Quare omnes aliæ passiones sumunt *originem*, vel ex *amore*, vel ex *odio*. Quicumque enim passionatur aliqua passione, vel sic passionatur, *quia amat*, vel *quia odio* habet.

Post *amorem* autem, & *odium*, esse habent *desiderium*, *& abominatio*; nam *desiderium* immediatè innititur *amori*; cum enim *amamus* aliquid, vel *desideramus* ipsum habere, vel si ipsum *habemus*, desideramus *conservari* in habendo ipsum. *Abominatio* verò immediatè innititur *odio*, quia statim cum *odimus* aliquid, illud *abominamur*. Quare sicut *amor*, *& odium* sunt passiones *primæ*, sic *desiderium*, *& abominatio* sunt passiones *secundæ*.

In *tertio* autem loco ponendæ sunt *spes*, *& desperatio*; nam *spes*, *& desperatio* cum sumantur *respectu boni*, præcedunt *timorem*, *& audaciam*, *iram*, *& mansuetudinem*, quæ sumuntur *respectu mali*.

At *timor*, *& audacia* præcedunt *iram*, *& mansuetudinem*; nam cum aliquid priùs sit *futurum*, quàm *præsens*, hinc *timor*, *& audacia*, quæ sumuntur respectu mali *futuri*, præcedunt *iram*, *& mansuetudinem*, quæ sunt respectu mali *præsentis*. Planè ergò patet, quem ordinem habeant dictæ passiones, si sumantur *binæ*, *& binæ*.

Si accipiantur singulariter, & divisivè, una, & alia, sic ordinari debent. *Amor* est prior odio: *desiderium* abominatione: *spes* desperatione: *timor* audacià: *ira* mansuetudine; *delectatio* tristitià.

Amor enim est prior *odio*, quia semper passio sumpta respectu *boni* (secunquod hujusmodi) est *prior* passione sumptà respectu *mali*; namque appetitus *per se*, *& primò* tendit in *bonum*; si autem refugit *malum*, hoc est ex consequenti, in quantum fugere *malum*, habet rationem *boni*. Amor ergo est omninò *primus* motus, & *prima* passio. Nam ipsum *odium* ex *amore* sumit originem; nam nisi amaremus aliquid, nihil abominaremur, vel haberemus odio, quia non esset contrarium bono, quod amamus. Nam quia diligimus bonum, & justitiam, abominamur fures, & injustos.

Desi-

Desiderium autem, quod innititur *amore*, præcedit *abominationem*, quæ innititur *odio*.

Spes verò præcedit *desperationem*; nam si *primum volitum* est *bonum*, & quod est *volitum*, est volitum sub ratione *boni*, passio, quæ magis conjungit nos bono, secunquod hujusmodi, præcedit alias passiones; & quia tendere in bonum est magis conjungi bono, quàm deficere ab ipso, *spes*, per quam tendimus in *bonum*, præcedit *desperationem*, per quam deficimus ab ipso.

Timor autem præcedit *audaciam*; nam sicut quia appetitus *per se*, & *primò* intendit conjungi *bono*, ideò passio, quæ tendit in *bonum*, est *prior* passione, quæ deficit *ab ipso*; sic quia refugere *malum*, habet rationem *boni*, ideò *timor*, per quem refugimus *malum*, *prior* est *audacià*, per quam aggredimur ipsum.

Ira autem in genere passionum est prior *mansuetudine*.

Delectatio autem, quæ est respectu *boni*, est prior *tristitiâ*, quæ est respectu *mali*.

Et hucusque de passionibus quasi in genere, at de illis, quæ *non* habent propriè esse *nisi* in appetitu *sensitivo*; *appetitus enim intellectivus* (inquit Beatus Doctor Ægidius 3. *p. lib.* 1. *de Reg. Principum*) *quia non est virtus in corpore, sive non est virtus affixa organo, ab hujusmodi passionibus est semotus*. Et quidem omnis passio (ut hic de passione loquimur) est in appetitu *sensitivo*; agimus enim in præsenti tractatu de passionibus *sensitivis*, quæ fundantur in appetitu *sensitivo*; dari etiam passiones fundatas in appetitu *rationali*, seu *intellectuali*, qui est *voluntas*, fortè non est dubitãdum, nam dęmones, & animæ separatæ infelices *timent*, *odio habent*, *tristantur*, *desperant*; dęmones *invident* plùs hominibus, quàm quicumque inimici adinvicem; *exultant* in pessimis, *lætantur*, cum malefecerint, est ipsis fallendi *cupiditas*. Nunc de passionibus in specie.

CAPUT XXI. de AMORE.

AVgustinus lib. 11. de Civitate, cap. 28. Tomo 5. sic: *Ità corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur*. Et lib 13. confes. cap. 8. Tomo 1. *Pondus meum AMOR meus; eò feror, quocumque feror*. Est igitur AMOR pondus, vis propendens, impetus inclinans; ideò repetente Augustino Epist. 89 quæst. 2. Tomo 2. *Animus, velut pondere, AMORE fertur, quocumque fertur*. Sed quò fertur? Cardinalis B. Doctor noster Ægidius 2. p. lib. 1. de Regim. Principum, cap. 3. *Dicere possumus, quòd semper obiectum amoris* est BONVM. Ideò Stoici definiebant: *Amor est boni, & pulchri cupiditas*. Academici sic: *Amor est desiderium perfruendæ rei, quæ bona, & pulchra judicatur*. Plato in Lysíde sic: *Amor est impetus quidam, & propensio ad id, quod pulchrum, scù formosum est*. D. Dionysius 4. *de Divinis nominibus* sic: *Amor est quædam vis, quà animus bono, & pulchro adhærescit*. Et licèt contingat, peccatorem amare mala, non amat ut mala, & quia mala, sed quia perversa ratio apprehendit bonum; dicente August. lib 2. confes. cap. 5. *Nec ipse Catilina amavit facinora sua, sed utique aliud, cuius causa illa faciebat.*

DIVISIO AMORIS.

DIviditur *Amor in Naturalem, Animalem, & Rationalem*:

Naturalis est *quædam rerum, etiam ratione, sensuque carentium, incli-*

inclinatio in suam perfectionem; in quo sensu *lapis* amat centrum, & descendere deorsum; *ignis* sursum inclinat, ut centrum; magnes amat, & atrahit ferrum, *vitis* ulmum, palea electrum; palmaque fœmina, & mascula (ut dictum pag. 98.) adinvicem naturaliter se amant, in hoc sensu, quod naturaliter altera ad alteram inclinat; & hunc *Amorem Naturalem* dant Peripatetici in materia prima ad formam, per quam perficitur, & talem naturalem *Amorem*, sive inclinationem dicunt appetitum innatum; in quo sensu, & avis naturaliter amat volare; & hùc Claudianus:

Et lapides suas ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

Animalis Amor est *vehemens rerum sensu præditarum impulsus in rem amatam*; qualem habent bruta, & homines voluptuosi, sensum, non rationem sectantes.

Rationalis Amor est *voluntatis in verum bonum propensio*, ut definit Aristoteles 2. *Reth.* Ità homines virtutes, honores, bona naturæ, & fortunæ diligunt; & hic est *propriè* Amor, nam reliqui duo suprà memorati amores potiùs *instinctus naturæ* in brutis, & in inanimatis *sympathia* Græcè, latinè *consensus*, sive *convenientia* vocantur.

Amor *Rationalis* est *duplex*, amicitiæ, seu benevolentiæ *unus*; concupiscentiæ, seu utilitatis *alter*. Ille, sive primus, est *affectus, quo præcisè volumus bonum alteri, non nostri, sed sui gratiâ, sive causâ*, id est, propter ipsum. *Secundus* Amor, nempè *concupiscentiæ*, seu utilitatis, est *cum bonum* utile, & delectabile sensibile *volumus nobis ipsis*. Amor (sensitiva passio) potest esse *moraliter bonus*, vel *moraliter malus*; *primùm* si sit *ordinatus*, & juxtà rectam rationem, cuncta, ut debes, referendo ad Deum, animæque salutem; *secundùm*, si sit *inordinatus*, sive contra rectam rationem, cuncta referendo ad se, & ad temporalia, ut ultimum finem, qui amor à Græcis dicitur *Philaucia*, nempe *Amor sui, rationi non consentaneus*. Ideò Augustinus lib. 14. de Civitate cap. 7. loquendo de his duobus *amoribus*, ait: *Nomen amoris indifferenter, & in bono, & in malo in sacris literis invenitur*. Vide pag. 869. loquensque de his duobus item amoribus lib. 14. de Civitate cap. 28. ait: *Fecerunt Civitates duas* AMORES DUO; *terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei usque ad contemptum sui*. Et Psalmo 64. Tomo 8. sic: *Duas Civitates faciunt duo amores. Hierusalem facit amor Dei, Babylonem facit amor sæculi*.

Hinc repelle, cave *amorem* Civitatis *terrenæ*, ut foveas amorem Civitatis *cœlestis*, monente Augustino libr. Meditationum, cap. 35. Tomo 9. *Duo amores, alter bonus, alter malus, non se simul capiunt in eodem pectore*. Quare lib. 50. *Homil.* Homil 37. cap 3. Tomo 10. dictat: *Est amor utilis, est amor noxius; amor amore impeditur; amor noxius recedat, & utilis succedat*. Ideò lib. 15. de Civitate cap. 22. ait: *Amor ordinatè amandus est, quo benè amatur, quod amandum est*. Et lib. 15. de Civit. *Omnis creatura cum bona sit, & benè amari potest, & malè*; benè, *scilicet ordine constituto*; malè, *ordine perturbato*.

Est item Amor *pudicus*, & *honestus*, quo amatur virtus; & amor *impudicus*, quo amantur carnis illecebræ; ille est plenus honoris, iste dedecoris. Imò cum *amor* tendat ad *bonum*, & detur triplex bonum *honestum, utile, & delectabile*, sive jucundum, distinguitur *triplex* amor; nempe *amor honesti*, qui est amor virtutis, & *amor utilis* boni, & *amor boni jucundi*, sive *delectabilis*. Amor *virtutis* est juxta rectam rationem; amor boni *utilis, & delectabilis*, sive jucundi, possunt (ut monuimus suprà) esse *juxtà*

re-

rectam rationem, *& contra rectam rationem*; primum, si sint ordinati, & juxta voluntatem Dei, secundum, si sint inordinati, & deficiant à rectitudine, & à Divina voluntate. At ad præsens, ut dentur remedia contra inordinatos amores sensibilium bonorum, distinguimus in amoribus (qui sunt passiones sensitivæ, & terminati ad bonum sensibile) *amorem sui*, amorem boni *utilis*, nempe divitiarum, & dignitatum; amorem boni *jucundi* sensibilis, sive *delectabilis*. Et adhuc intrà hanc lineam, distinguimus *amorem voluptatum omnium sensuum*, & determinatè amorem voluptatum *tactus*, & amorem voluptatum *gustus*. De quibus posteà. Nunc de causis amoris.

DE CAVSIS AMORIS.

AMor *sensibilis boni* vel est *moraliter bonus*, *& rectus*; vel moraliter *malus*. Si *primùm*, prima causa est *Deus*, fons omnis bonitatis; & qui creando naturas, dedit impetus, propensiones, inclinationes, motus, & affectus, ad earum conservationem, & speciei; quare est *Augustini* doctrina *lib. 3. de Genes. ad lit. cap. 13.* quòd *Deus* cum benedixit animalibus, amorem dedit, ut haberent affectum ad prolem; & dedit eis inclinationem ad bona conservantia, & defendentia vitam; & huc respectat illud axioma, *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*. Si amor sit inordinatus, ideòque moraliter *malus*, ideoque defectuosus, prima causa est voluntas nostra; hæc enim est *primum deficiens*; Deus enim est ipsa prima regula bonitatis, propter ipsius summam perfectionem impotens à bonitate deficere.

Secunda causa *amoris*, qui est sensitiva passio, est bonum *sensibile*, quod in appetitu sensitivo caulat *efficienter* actum amoris; est enim appetitus de genere potentiarum *passivarum*, *& immanenter* agentium, quæ ab obiectis *moventur*, *& actuantur*; sicut in linea *intelligibili* species impressa obiecti actuans intellectum, & fæcundans potentiam intellectivam, est *causa efficiens intellectionis*, axiomate ex Augustino stante, *ex obiecto*, *& potentia paritur notitia*; *species* enim obiecti est quasi *semen* decisum ab obiecto, virtus vicaria ipsius, fęcundans intellectivam potentiam.

Tertia causa amoris est similitudo in affectibus, genio, complexione, humoribus, hæc est simpathia, unde conciliatur amor. Item societas in scholis, in studiis pueritiæ, in peregrinatione, in periculis, in captiverio, in laboribus, magisterium erga discipulos, discipulatus erga magistrum, protectio, dona, animi nobilitas, suavitas indolis, constantia, urbanitas, pietas, humanitas, affabilitas, clementia, misericordia, obsequia, æquitas, fortitudo, conciliant amorem, ut experientiâ probatur.

Et quidem si loquamur de *donis*, omnium voluntates, præsertim vulgi, conciliat, ideò ajebat Ovidius:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Et alibi:

Munera, crede mihi, placant hominesque, Deosque,
Placatur donis juppiter ipse datis.

Et 2. de Art.

Quid faciet sapiens? stultus quoque munere gaudet,
Ipse quoque, accepto munere, mitis erit.

Ex sacris habemus Genes. cap. 22. quòd Jacob timens iram fratris Esau dixit: *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum; forsitan propitiabitur mihi.* Et ex sacra Proverbiali sapientia Prov. c. 19.

Multi sunt amici dona tribuentis; & ibidem cap.22. v.9. *Qui dat munera, animam aufert accipientium*.

Ex prophanis Tacitus lib.2. Hist. *Munificentia munerum grata*.

Si loquamur de *urbanitate*, ajebat Euripides, *multum habere lucri, & pusillum laboris*. *Vrbanitas* penetrat corda; vincit, quòd ferrum, & arma non superant. *Vrbanitas* est laudabilis venefica, quę ligat, & atrahit corda. Vrbanitatis monetà emitur amor; nullus dicat, se emere non posse, quia nullus, qui tali monetà, si velit, careat.

DE EFFECTIBVS AMORIS.

PRimò, est effectus Amoris unire amantem cum amato, imò ex duobus *affectivè* facere *idem*; cujus ideò est hieroglyphicum arbor insita, cum stipiti unius arboris inseritur ramus alterius, & ex duobus fit idem, cum fit arbor eadem; fit Emblema, si addas lemma, *è geminis unum, & idem*. Item vitta duo aliqua copulans est symbolum amoris, qui amantem cum amato ligat; adde epigraphe, *copulat duo*, desumptum ex Augustino, *Quid est amor, nisi quædam vitta, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, quod scilicet amat, & quod amatur?*

Hinc duo amantes sunt duæ animæ in corpore uno; communicantur corda: ideò sponsus apponit annulum digito annulari sponsæ, in quo est vena pertingens ad cor, ut innuat communionem cordium, & quòd ex duobus idem: dextræque porrigit dextram, ut innuant, quòd si in dextra est vis præcipua cordis, cum dextræ uniuntur, corda ligantur.

Derivatur hinc, quòd *amor* efficit concordes, benevolos, socios; nec ista possunt separari à *vero* amore, sicut nec candorà nive, frigus à glacie, calor ab igne, radius à Sole.

Ita Augustini cor expertum est erga amicum istum effectum amoris, ut amico defuncto, anxius Augustinus diceret, se non mori, amico mortuo; non ut viveret ipse, sed ne, ipso vivente, esset penitus amicus mortuus; cum enim amicus sit *alter ego*, & cum amante *idem*, dum vivebat Augustinus, in ipso vivebat amicus, erat iste semidefunctus, non unde quaque mortuus.

Secundus effectus amoris est *reciprocatio*; quia enim quis amat alium, amando generat amorem in illo, hùc ex sacris *Cant. cap. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi*. Si vis amari ama; noli dicere, *amare nequeo*; amoris moneta emitur amor; cave dicere, emere nequeo, monetà careo; voluntatem habes: voluntas est officina, & domus monetæ amoris: ibi cuditur amor, qui est moneta, qua emitur *amor*.

Tertius affectus amoris est *dolere*, si non assequatur amatum; dicente Augustino Psalm.37. Tomo 8. *Quicquid amamus, & non habemus*, necesse est, *ut doleamus*; *nam ille & amat, & non dolet, qui habet, quod amat*.

Quartus effectus amoris est *laudare* eum, qui amatur; quare S.Pater Augustinus serm. 2. de diversis, cap. 3. Tomo 10. scribit: *laudes ejus, quem amas, cantare vis*. Et Psalm. 85. *Amas, & laudas; desinis amare, si desinis laudare*.

Quintus effectus amoris est *extasis*, sic dicta ab *stare extra se*, quia amans est in amato, ideò dicente Augustino, *Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat*; hinc verè *amans* potiùs eligit mori, quàm sine re amata vivere; cujus ideò symbolum papilio, quæ amatrix flammæ perit in illa,

cui

cui ideò epigraphe, *gratius mori, quàm sine te vivere.* Ideò Augustinus de vera Religione cap. 47. Tomo 1. *Hoc sine amore aderat, quòd sine dolore discedit.*

Ità amans extrà se it, & stat, ut fervidè amans se habeat ut *amens*; amor est febris, at delirium causat febris, quæ maximè ardet. Ideò ait Bernardus: *Mens, amore occupata, sui juris non est.* D. Dionysius Areopagita de Divinis nominibus cap. 4. *Amoris effectus sunt amantes extra se ponere, & quasi de statu removere, nec sinere illos esse suos, sed eorum, quos amant.*

Sextus effectus amoris est *onerosa, & gravia* reddere *levia, suavia*, dicente Augustino serm. 39. ex additis à Sirmondo: *Interrogatur amor, & imponitur labor; quia ubi major est amor, minor est labor.* Et Tract. 48. in Joan. Tomo 9. sic: *Non recusatur labor, si adest amor; quoniam qui amat, non laborat.* Et de musica lib. 4. cap. 9. Tomo 1. *Labor nullus, amor magnus.* Et de Moribus Eccles. cap. 28. Tomo 1. *Nihil est tàm durum, ac ferreum, quod non amoris igne vincatur.* Ideò amoris symbolum pisces inter aquas maris: sunt salsæ, & amaræ, at ipsis amantibus dulces ut lac; quibus inter amaras undas maris inscriptio, *quasi lac sugent.* Quare idem Sanctus Pater Augustinus lib. 12. confess. Tom. 1. *Verus amor non sentit amaritudines, sed dulcedinẽ, quia soror amoris est dulcedo, sicut soror odii est amaritudo.* Et ibidẽ: *Qui amat, non laborat, omnis enìm labor non amantibus gravis est. Solus amor nomẽ difficultatis erubescit*, aut nõ est labor, aut labor amatur.

Septimus effectus amoris est *languor*; Cant. 2. *Amore langueo*; hinc colorem pallidum, quia languidum, symbolum amoris memoravimus.

Octavus effectus amoris est *zelus*, dicente Augustino Psalm. 118. conc. 18. Tomo 8. *Zelus effectus amoris est*; quia enim amor intenditur, conatur removere omne id, quod assecutionem boni amati impediat.

Nonus effectus amoris est *movere bella*; si amor est *honestus*, movet bella contra vitia, & scelera. Si amor est *divitiarum*, vel *dignitatum*, & *inordinatus*, rixas, & seditiones, & bella generat. Si amor est *impurus*, quot discordias non incitet? Ex amore impuro, quo flagravit Paris erga Helenam, incendia Trojæ.

Decimus effectus amoris est, commoda amati præponere propriis; ideò Cupido figuratus nudus, ut indicetur, quòd amor omnia donat; ut dilectum vestiat, se ipsum spoliat.

Alios effectus amoris colliges ex cap. 17. hujus Porticus, qui & relati effectus in sensu laudabili conveniunt etiam amori honesto; at in sensu vituperabili amori illicito.

DE REMEDIIS contra AMOREM inordinatum sui. Vbi hujus EFFECTVS per simiam, e Narcissum in fabulis.

AVgustinus *serm.* 47. *de diversis, cap.* 2. *Tomo* 10. sic: *Prima hominis perditio fuit AMOR sui; si enìm se non amaret, & Deum sibi præponeret, Deo esse semper subditus vellet. Non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam; hoc est enìm amare se, facere voluntatem suam.* Et lib. 9. de Trinitate cap. 2. Tomo 3. *Quid est amare se, nisi præstò esse velle, ad fruendum se?* eodem autem serm. 47. suprà citato, cap. 2. *Vitium est, se amare; nam qui amat se, fidit in se; incipit enìm, deserto Deo, amare se, & diligendo, quæ sunt extra se: amare te cœpisti, sta in te, si potes.*

Ergo quod *remedium* contra amorem sui, & ne fidas in te, qui sine Deo non potes stare in te, nec sustentare te? *abnega te*; dicente Augustino *serm.* 23. *ex additis à Sirmondo*, Tomo 10. *Homo amando se, perdidit se, negando*

se, invenit se. Luctuosa res est perdere quod amas; sed interdum & agricola perdit, quod seminat: iste *perditor avarus est messor*. Ergo plus tibi lucri negando, & perdendo te, ideſt, amorem inordinatum tui, quàm amando te. Si negas te, invenis te, quia per affectum in Deo, in quo contineris, es. Non prohibemus absolutè *amare te*, sed *inordinatè*, *& perversè amare te*: præferatur amor Dei, ad hujus gloriam ordinetur amor *tui*; ideò ajebat Divus P. Augustinus ubi suprà: *Homo perversè amando animam suam, perdit se. Nemo est, qui non se amet; sed rectus amor est quærendus, perversus cavendus. Quisquis enim dimisso Deo, amaverit se, Deũque dimiserit, amando se, non remanet nec in se, sed exit & à se. Exit exul pectoris sui, contemnendo interiora, amando exteriora.*

Diligis te? Ergo dilige Deum; dictat enim Augustinus Epist. 52. Tomo 2. *Non oportuit dare præceptum, ut homo se ipsum diligeret; quia in eo diligit seipsum, cum diligit Deum*. Quare lib. 20. de Civitate cap. 4. Tom. 5. docet: *Vt homo se se diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia, quæ ageret, ut beatus esset*. Considera ex eodem S. Doctore de Genesi ad literam lib. 11. cap. 15. Tomo 3. *Perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eumque coarctat miseria, jam per iniquitatem satiari cupientem*. Audi ex libr. 22. de Civitate cap. 22. Augustinum dolentem, & clamantem: *Amor sui fons omnium vitiorum, & malorum.*

Ex Philosophia Morali symbolica *simia* est symbolum amoris inordinati *sui*; se enim ità amat, & sibimet pulchra apparet, ut habens speculum præ oculis, se avidè, & fixè ità consideret, ut cœca reddatur ex splendore crystalli; ideò simiæ in illa actione lemma, *ipsa se seducit*. Scias ex Plutarcho, *Qui amat, hallucinatur, ac cœcutit in eo, quod amat*. Tonat Paulus *Gal. cap. 6. v. 3. Si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Amorem tuum insere in Deo, & erit margarita in divino annulo.

Recogita *actus, & effectus* dissonos amoris inordinati *sui*; qui amat se ipsum *inordinatè*, se pro fine habet; repugnat subesse; pro suo commodo caduco anxiùs semper laborat; honorem, & reverentiam nimiè optat; turbatur timore contemptus; anxiè appetit curiosa; gaudet nimiè ad terrena lucra; nimiè tristatur de temporali damno; inclinat ardenter ad vanitates; propria, non publica, cum amaritudine animi amat; gloriatur nimiè de nobili prosapia; torquetur, si nobilis non habeatur; appetit anxiè agnosci, laudari, & alia, quæ pendent à voluntate aliena, quæ non assequendo, cruciatur, suimet est cruciator, & tortor.

Reflecte *has, & suprà relatas* miserias ex amore inordinato *tui*, & eas considerare, etiã ne eas patiaris, sint tibi contrà inordinatum amorẽ *remedia*. Amans se nimis est *gibbosus, & curvus*, inclinatus demississimè *ad se*; age, erige caput, oculos, mentem ad Deum, eris rectus, & pulcher; te enim vultu erecto creavit Deus. Scias Narcissum in fabulis, qui se respiciens in undis, imagine sui, & amore allicitus, se præcipitem misit, & periit; indicavit Poesis finem infaustum amoris inordinati *sui*.

REMEDIA contra AMOREM inordinatum *Divitiarum, qui est AVARITIA. Vbi avari symbola, & de avaritiæ curru.*

AMor inordinatus divitiarum est *avaritia*; at radix omnium malorum est avaritia, quæ definitur: *Est inordinatus appetitus divitiarum*; & si inordinatè eas ames, eas inordinatè appetis. *Avarus* (ait Augustinus) *non*

solùm

solùm est, qui rapit aliena, sed etiam qui cupidè servat. Hi sunt avaritiæ effectus, quibus addas, *avarum* (ex Augustino lib. 11. de Civitate cap. 25.) *ultimam* æxistimationem concipere de divitiis, assiduum desiderium divitiarum fovere (non sine eximia tortura) in pectore; superfluas curas, ut divitias congreget, susscipere; varias artes, & modos illicitos excogitare, ut divitias acquirat; aliis debitam mercedem, victum, debitorumque solutionem negare; sibimet etiam debitam sustentationem, & alimenta necessaria, subtrahere; cor obduratum gerere erga miseros, & pauperes. Sudant, ut acquirunt avari divitias, ne fruantur eis. Habent lucrum in arca, damnum in conscientia. Abundant, & patiuntur penuriam; hucque conspirat figmentum Poeticum, quòd Midas petiit à Baccho, quem hospitem acceperat, daret ei hoc lucrum, quòd quicquid tangeret, aurum fieret, conceditur; famelicus tangit vestem, potum, & cibum, lectum &c., convertuntur in aurum; auro abundat, & nudus, sitiens, & famelicus torquebatur. Abundat avarus auro, & est cor anxietate, & timore turbidum; ideò *Hermus* fluvius, turbidus auro, est avari symbolum. Avarum dicas Tantalum, totus ex figmento Poetico erat inter aquas usque ad labia, & sitiebat, nec poterat bibere aquam rapidam, sed & sunt rapidæ divitiarum aquæ. Quæ habet avarus, eis non fruitur, & non parta sequitur, quare nulla re gaudet, cujus ideò symbolum *accipiter*, qui avem tenens in unguibus, eam non comedit, & aliam volantem insequitur. Avarus hydropici more bibit, & bibit, & nunquam satiatur, imò ardentiùs flagrat sitis. Avarum si dicas rotam asinariam, attigisti; nam est in continuo motu sine requie; incontinuato gyro; sibi est labor, farina est aliis; alii comedunt, quæ avarus acquirit; isti damnum, aliis commodum. More porci solùm in morte prodest avarus, qui nulli, nec sibi, est utilis vivens. Symbolum avaritiæ est pallida figurata mulier, aspectu agitata, melancholica, perturbata, hydropico corpore, lupus animal rapax ad latus, manum tenens suprà corpus dolentis more: altera manus ligatam, & strictissimè retentam, explicat bursam, avidis oculis intuens illã. Hoc symbolũ innuit clarè calamitates, & rapinas, & ardentem sitim, & ex curis pallorem avari. Nunquam mare conspicis sine fluctibus, nunquam animus avari sine perturbationibus. Vrsi, & lupi, satiati rapinam relinqunt; avaris semper perturbatio, quia nulla satietas. Avarum dicas *infernum*, devorat, & devorat, & nunquam dicit *satis*. Homo avarus est Sol post occasum, neminem viventium exhilarat. Est avarus more effodientium metalla, non laborant sibi, sed aliis; est more custodis alienæ vineæ, non custodit vites, & uvas sibi, sed aliis. Est avaritia improbitatis omnis metropolis, ideoque effinxerunt Poetæ, quòd avaritia sociorum Vlyssis, qui utrem recluserunt, fuit multorum malorũ, & calamitatum origo. Est avarus servus, non liber, cui divitiæ non serviunt, sed ipse illis. Ex Philosophia proverbiali, *à mortuo tributum exigis*, dictum de avaro, qui nihil dàt. Item *in explebile dolium* fuit contra avaros adagium. *Serpens nisi edat serpentem, draco non fit*, adagium contra potentes, & avaros, qui crescunt ex aliorum damnis. Manus sinistra digitis compressis est avaritiæ hieroglyphicum; tenax est avarus, & sinistra, non dextera, sunt opera ejus.

Ergo *remedia* contra *inordinatum* divitiarum amorem, sint relata reflectere mala; item sint remedia meditari à nobis dicta à pag. 556. usque ad pag. 564.

Adde: Medicina, ut præserveris, vel à tali morbo inordinato saneris, est cœlestes considerare divitias, quæ sunt veræ, & inamissibiles opes; thesaurizare in cœlis; quò fur non appropriat, nec tinea corrumpit; brevitatem mediteris vitæ hujus, cui relinquendæ modica, & necessaria sufficiunt, ideò

brevi

brevi nido, quem format passer, recessurus breviter à loco illo, datum epigraphe, *relicturo satis*. Effingunt Poetæ Harpyas rapaces ad supplicium Phinæi à Jove, vel Neptuno immissas, & eum excœcatum ab Harpyis finxerunt, ut innuerent, quòd avaritia excęcat, & supplicium est grave, si avaritia possideat hominem: & quia modico non erat Phinæus contentus, avaritià, significata in rapacibus avibus, ut pœnà punitur; relicturo enim, *satis* est *modicum*; ideò David, *Nec divitias, nec paupertatem, sed tribue victui meo necessaria*. Sed aptè Poesis effinxit Phinæum à symbolis avaritiæ Harpyis excœcatum, dicente Augustino lib. de Doctrina Christiana: *Avarus est cœcus; credendo enim dives est, non videndo. Amas pecuniam, o cœce, quam nunquam videbis; cœcus possides, cœcus moriturus es; quòd possides, hìc relicturus es*.

Regnum Dei, & justitiam ejus ardenter quære; & quia avarus est dives plenus superfluis affectibus, expurgentur, evacuentur humores. Si divitiis abundat, quæ sunt civilis sanguis, evacua sanguinem, scinde saccorum venas, effunde pauperibus. Evome divitias, ut pauperes sùbleventur, sacci obturati evomant pecunias, nam à Siracide Eccles. 31. v. 25. habes: *Si coactus fueris à tuis cupiditatibus in edendo multum, surge è medio, evome, & refrigerabit te, & non adduces corpori, & animo tuo infirmitatem*. Ex Luca 25. v. 9. *facite amicos de Mammona iniquitatis*.

Exitum funestum avaritiæ præ oculis habeas. Scias ex Bernardo *serm.* 39. quòd avaritiæ currus vehitur rotis *quatuor* vitiorum, sùnt *pusillanimitas*, *inhumanitas*, *contemptus Dei*, *mortis oblivio*; jumenta, trahentia currum, sunt *tenacitas*, & *rapacitas*; his duobus unus auriga præsidet, nempe *habendi ardor*; ergo in isto curru descendit avarus ad Orcum. Vide, quod per Cerberum canem janitorem Orci indicavit avaritiam Poesis, ut innueret, quòd rabidè latrat pro lucro, ore aperto inhiat; & effingitur janitor Orci, quia avaritia est inferni janitrix, imò & ut intret avarus, ipsa infer ni porta. Reflecte, quòd etiam Poesis Plutonem Præsidem divitiarum effinxit prędidem inferni. Tandem tuba sacra sonat, *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*.

REMEDIA contra AMOREM inordinatum *dignitatum, honorum, dominii, qui appetitus est AMBITIO; hujus effectus per* Icarũ, & Phaetontem, & Gigantes *in fabulis.*

SInt *Remedia* illa recogitare, quę legas à pag. 545. usque ad pag. 555.

Augustinus lib. 5. de Civitate Dei, cap. 12. sic: *Magis ambitio, quàm avaritia animos hominum exercet; nam gloriam, honorem, imperium, bonus, & ignavus æquè sibi exoptant*; id est, æquè optant relata idonei, & inepti. Hinc eò magis ut præservetur homo, vel sanetur à tali morbo, indiget *remediis*. Addit Augustinus Tract. 2. in epist. Joan. *Ambitio sæculi superbia est*. Et lib. 1. de Civit. cap. 31. *Honorum continuandorum facultas non esset, nisi ambitio prævaleret; minimè autem prævaleret ambitio, nisi in populo avaritià, luxuriàque, corrupto*. Vide, quot morbi cum morbo ambitionis, *superbia, avaritia, luxuria*. Ambitio (ajebat Angelus scholarum 2. 2. qu. 131. a. 1.) *est appetitus inordinatus dignitatis, & honoris*. Est ambitio inimica patientiæ; est igneus impulsus, quo ambitiosus æstuat, & cruciatur; est misera servitus, qua indignè ambitiosus se subjicit eis, à quibus honores quærit. Si ambitiosus non assequatur, prosilit in improperia. Est *ambitio* febris ita ardens, ut ambitiosum in deliria, & insaniam, impellat; est hydra,

quæ

quæ multiplicat furorem, oppressa: est ambitio bellorum genitrix; est præcipitium virtutis, animæ pestis; est ventorum soror, quæ ad auras dignitatum evolat. Est ambitio *lepra*, quæ inficit more pestis; est *scabies*, quæ alterat venas; est in intimo cordis *pruritus*, quo continuò torquetur; est *fornax*, quæ ultrà terminos flammam dilatat; est *torrens*, qui in præcipitia fluit; est *Pandoræ vas*, quod in urnam malorum vertitur. Ambitiosus canescit desideriis.

Cur symbolum ambitionis mulier *juvenis*? ad innuendum, quòd ambitio non senescit, sed vigore crescit indies. Cur habitu *viridi*? quia semper durat in virore, & spe; item *juvenis*, *& viridi habitu*, quia ut plurimum in ætate juvenili ex sanguinis fervore est vividior ambitio.

Cur *habitu succincto*, *& pedibus nudis*? ut indicetur diligentia ambitiosi, qui est continuus in motu, viator non quiescens, ut hùc, illùc, unde honores habere possit, faciat iter; item ut indicetur abiectio, qua ambitiosus se deprimit, ut ab alio assequatur honores; habitus succinctus, & pedes nudi sunt etiam in *servitutis* symbolo, sed etiam in symbolo *ambitionis*, ut indicetur, quòd ambitiosus, ut assequatur, servituti se mancipat; fit *servus*, qui est *liber*. Cur figuratur ambitio *cæca*? quia ambitiosum excęcat ambitio. Cur figuratur sibi imponens confusè *coronarum* catervam? quia non est contenta, qui sufficiant, honoribus; per totum orbem titulos disponere, & fasces occupare prætendit.

Ambitionis etiam symbolum *Catharrus*; descendit à capite, perditur appetitus cibi; sic ambitio est elatio capitis, descendit ad pectus, appetitum honoris inducit; hinc ambitiosus, agitatus curis, caret appetitu cibi animi, imò & corporis. O quot mala ex catharro! descendit ad guttur, spargitur ad palatum, pulmonem, & stomachum, & non rarè ea vulnerat; jam descendit ad nervos, ad remotiora membra, & generantur aliquando sanies, & pleuresis, extenuatio, præcipuè si catharrus sit acutus, & calidus; item dolores stomachi, ventris, intestinorum, si catharrus sit acetosus, & salsus. Est enim catharrus *defluxus humoris excrementitii à capite in alias partes, geniti propter coctionem capitis læsam, vel alteratricis vitio, vel alimenti*.

Tot mala ex catharro, plures animi morbi ex ambitione; imò & ambitio cum continuata cogitatione agitet caput, fluxiones generat, quæ descendentes ad pectus, etiam corpori plura nocumenta afferunt. Verè ambitio est filia iniquitatis, semen ruinæ, mater dolorum, fons præcipitii, ut indicavit Poesis per Icarum, & Phaetontem in fabulis, & per ambitiosos Gigantes fulminatos à Jove.

Si *ambitio* est *catharrus*, quæ medicina? Medici periti frenant catharros, materiam generationis prohibendo, ideò rerum omnium caput tentantium, & vaporum acrium admonent fugam; item frænant, præscribendo lenia medicamenta, quæ purgant, & attemperant, quia humor acer est; ideò præscribunt iteratam cassiam, sennam, rhabarbarum; item frenant, impetum catharri revellendo; item caput corroborando, pro quo præscribunt theriacam ætatis mediæ, conservas salviæ, roris marini &c.

Ergo ambitiose, fuge vapores vanitatis, & affectus, qui caput tentare possint. *Recipe* significata symbolicè per *casiam*, quæ est fructus *odoriferus* in morem balsami, & cinnamomi, aut est pellicula subtilis, & *odorata*, *ligneo* cortice inclusa; casia verò *fistula* est fructus ipsius fructicis, nascitur casia in locis *aquosis*. Hinc apud Psalm. 44. *casia* designare potest *virtutem passionis Christi*, *in ligno* factæ, quæ est *odor* vitæ credentibus, & bonis; ut casia nascitur in aquosis locis in Exodo ca. 30. C. designat *fidem*, cujus sacramentum, & principium est baptismus; etiam designare potest aquas *lachry-*

chrymosæ pœnitentiæ; tandem ut casia est *fistula vocalis*, laudes Dei designare potest, & *fervorem charitatis*, omnia reumata, & fluxus vitiorum excoquentis, sicut casia latinè, Græcè *syrinx*, pituitas suo calore coquit. Item impetum catharri ambitionis revelle, fac (ope Dei) sistere: & si Medici revellunt, tempore congruo sternutamenta ex pipere, gargarismosque ex hyssopo, præscribendo, tu exgrava caput sternutamentis, evaporando, & foràs emittendo vanitatis vapores. *Recipe* symbolicè *Moraliter* significata per *hyssopum*; est hyssopus herba *humilis*, quæ dicitur, habere vim purgandi pectoris, & pulmonis, & expellendi sordes, quæ ex noxii humoris corruptione insident pectori, aut hepati; hinc hyssopus est typus *virtutum*, quæ necessariæ sunt ad expurgationem peccatorum; est symbolum *humilitatis*, quæ tollit superbiæ inflationem. Assumebatur *hyssopus* ad expurgationem leprosi, quare cum ambitio sit lepra, hyssopo virtutum mundatur. Fræna tandem ambitionis catharrum, caput moraliter corroborando, & pro hoc conservæ salviæ, roriscque marini, sunt recordatio mortis, judicii Dei, pœnæ æternæ, exemplum Christi frequenter meditari; tui, & peccatorum notitiam examinare ad pœnitentiam; exitum infelicem ambitionis considerare; officia humilia sectari, & exercere; meditari, quòd mors certa est finis omnium sæculi dignitatum.

REMEDIA contra AMOREM inordinatum *VOLVPTATVM* sensus.

REmedia contra inordinatum amorem *voluptatum* sunt considerare dicta à pag 499. usque al 500. item dicta à pag. 511. usque ad 528.

Dictũ pag. 457 & 458. quòd *voluptas*, non statim ac *voluptas*, est voluptas *carnalis*, sive *sensuum*, cum etiã detur voluptas *spiritualis*; & præter ibi adducta, confirmatur ex Augustino *De quantit. animæ*, cap. 33. Tomo 1. dicente, *Tanta in contemplanda veritate VOLVPTAS est, quantacunque ex parte eam quisque contemplari potest*. Datur etiam voluptas *honesta* animi, dictante Augustino lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 9. Tomo 3. *Homo in paradiso operabatur agriculturam non labore servili, sed honesta animi voluptate*.

Nec *voluptates corporis*, sive sensuum, *modicæ*, *& juxtà rectam rationem*, sunt illicitæ, imò necessariæ, dicente Augustino lib. 4. contrà Julianum cap. 14. Tomo 8. *Necessaria est voluptas, per quam reficimus corpus*. Item lib. 19. de Civitate cap. 1. Tomo 5 *sine corporis voluptate, nec cibus, potusque sumitur, ut vivatur; nec concumbitur, ut generatio propagetur*. Item lib. 6. de Musica cap. 5. Tomo 1. *corpus cum ejicit superfluum, leniter cum voluptate; si asperè, cum dolore*. Et lib. 8. confess. cap. 3. *Edendi, & bibendi nulla voluptas est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi molestia*. Et lib. 10. confess. cap. 31. *Dolores mei voluptate pelluntur; nam fames, & sitis quidam dolores sunt*. Quare & pag. 842. dictum, appetitum sensitivum, concupiscibilem, & irascibilem datum ab authore naturæ, ut vitam conservemus, & tueamur; & ipse appetitus nos excitat, & monet, ut necessaria vitæ accipiamus.

Solùm ergò sunt prohibitæ voluptates carnis, sive sensuum, *inordinatæ*, *& contrà rectam rationem*, in quibus volutatur voluptuosus *infrà* hominem, & ut in ultimo fine, & more bestiali; ideò dicente Augustino cap. 14. contra Academicos, Tomo 6. *Quisquis sequitur immoderatam voracitatem, suum vitium sequitur, non eam* VOLVPTATEM, *quam carni-*

bus

bus dedit Deus. Cum enim quisque non replet nisi eam VOLVPTATEM, quam DEVS dedit, id est, MODESTAM, atque NATVRALEM, non gravatur homo. Si voluptas corporis sit immodica, & ultimus finis, tunc peccatum est; quare Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 16. Tomo 7 *Solius carnalis voluptatis causà libidini consentire peccatum est.* Et de Nupt. & Concupisc. lib. 1. cap. 4. Tomo 7. *Copulatio maris, & fœminæ, generandi causâ, bonum est naturale nuptiarum; sed bono isto malè utitur, qui bestialiter utitur; ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.*

Remedia itaque, ut præserveris, vel saneris, ope Dei, a morbis *voluptatum vitiosarum*, sunt considerare *pœnam æternam, mortem, & judicium Dei*: quòd quantum quisque se in deliciis, & voluptatibus illicitis glorificaverit, tantum luctus, & tormenti ipsi dabitur, quare Augustinus Epist. 144. Tom. 2. *Non facilè quisquam est, qui committat, quo illicitam, & immundam percipiat* voluptatem, *si cruciatus vindictæ certum est continuò secuturos.* Ideò cum lib. 1. Confess. cap. 30. Tom. 1. dixisset: *Peccabam, quòd non in Deo, sed in creaturis ejus* voluptatem *quærebam*, postea lib. 6. Confess. cap. 16. fatetur: *Non me revocabat à profundiore* voluptatum *carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri judicii.*

Item considera cum Augustino lib. 50. Homil. Hom. 37. cap. 4. Tom. 10. quòd *Omnis voluptas sæculi transitoria est.*

Item est Remedium considerare ex Augustino lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 5. Tomo. 3. *qui gaudent in mortiferis* voluptatibus, *esse sine dolorum timore non possunt.* Ideò dictum à cap. 14 à pag. 877. quod passiones immodicæ non solum nocent animo, sed sunt dolor, & nocumenta corpori. Vide etiam pag. 843. numero *Hæc jam*, & deinceps usque ad finem illius Capitis IV. & pag. 838 num. *Habes*, cum etiam per illa hieroglyphica intelliguntur *voluptates inordinatæ*; & videas à pag. 870. totum caput XII.

Tandem considera, quòd per voluptates sensus immodicas descendis in brutum; audias ex Augustino Tract. 18. in Joan. Tomo. 9 *Vita pecorum terrenis* voluptatibus *æstuat, sola terrena conquirit; si vivit homo secundùm carnem, pecoribus comparatur.* Vide pag. 469. num. *Cur.* Vide pag. 499 num. *Accedit.* & pag 603. num. *Hæc.* & pag. 516. num. *Si*, & pag. 520. num. *Adde.* & pag. 513. num. *Quis*, & pag 838. num. *Habes.* & pag. 873. ex August num. *Sanctus*, & pag. 875. num. *Corpus.*

Hinc rationis rectæ gladio jugulandæ sunt voluptates immodicæ. Græas, & Gorgones effinxit Poesis sorores; Græas natas canas, sive seniores, & unum oculum habentes; Gorgones habuisse capita draconum squamosorum, dentes in morem aprorum, ferreas manus, & alas, quibus volarent; eis etiam proz onis effingunt annexas geminas viperas, quod conspirat ad geminum appetitum concupiscibilem, & irascibilem. Per Græas, & Gorgones sorores intellexit Poesis duplicem portionem animæ nostræ, sive facultates duas, unam superiorem, quæ est rationis particeps, aliam inferiorem, & sine ratione; illam per Græas intellexit, istam per Gorgones; & dictæ sunt sorores, quia manant ex eodem animo. Hinc satis aptè per Græas intellexerunt facultates superiores, & per unum oculum, quem habebant, intellexerunt prudentiam; ideoque dictæ sunt Grææ natæ canæ, & senes, quia canities, sive senectus, symbolum prudentiæ est. Per Gorgones intellexerunt potentias, & *voluptates* sensuum; congruèque effinguntur cum capitibus squamosorum draconum, dentibus aprorum, & ferreis manibus, quia nos læthaliter inficiunt, mordent, & dilaniant; at dictum est, Perseum, capto Græarum oculo, vicisse, & jugulasse Gorgones, quia cum oculo prudentiæ, sive sapientiæ, auxi-

liante Deo, qui adeſt invacantibus ipſum, ſuperantur, & jugulantur voluptatum immodicarum monſtra fera.

CAPUT XII.
DE AMORE VENEREO.

DE amore Venereo, ſive voluptatum *tactus*, & de amore voluptatum *guſtus*, quia plura occurrunt, agemus per capita diverſa, & contrà inordinationem remedia.

Veneres duas, *cæleſtem* unam ſine matre, hanc pudicam, & honeſtam, aliam *terreſtrem*, carnalem, & impudicam, natam ex Patre, & Matre, diſtinxit Plato in *Sympoſio*, ex quibus duo Cupidines filii, id eſt, duo amores; Cupido cœleſtis à Venere cœleſti, Cupido terreſtris à Venere terreſtri; *cæleſtis Venus* eſt à Patre ſine matre, quia eſt à Deo & ſpiritu, procul à voluptuoſis carnis illecebris; terreſtris Venus dicitur à patre, & matre, quia derivatur ab impuro congreſſu. Cupidines filii, id eſt, amores imitantur matres; Venus pudica Cupidinem honeſtum generat; Venus impudica Cupidinem impurum parit. Ideò Plato triplicem amorem diſtinguit, *diviuum*, *ferinum*, & *humanum*; primus ad pulchritudinem divinam rapitur, ab omni labe ſemotus. Secundus, belluarum more, coinquinat. Tertius, nempe humanus amor, inter divinum, & ferinum conſiſtens, ſenſus quidem aliquomodo oblectat, ſed refugit vitium. Secundus amor, belluarum more, eſt turpiter Venereus; contra hunc vibramus.

Amor Venereus terreſtris carnalis definitur; *Eſt ille, qui carnis illecebras amplectitur*; cujus epitheta ſunt, quòd ſit *turpis*, *fœdus*, *laſcivus*, *inhoneſtus*, *impurus*, *improbus*, *cœcus*, *amens*, *veſanus*, *inſanus*, *calidus*, *tumidus*, *fervidus*, *vigilans*, *effrænis*, *irrequietus*, *ſævus*, *crudelis*, *tyrannus*, *peſtifer*, *venenoſus*, *doloſus*, *infelix*; & ejus ſynonima ſunt *ardor*, *calor*, *ignis*, *flamma*, *æſtus*, *Cupido*, *libido*, *furor*, Venus.

Amor impurus, ſive Venereus terreſtris, & carnalis, dici ſolet *luxuria*, & *libido*.

Luxuria dicitur à *luxo*, quod ſignificat *ſolvo*, à quo etiam *luxa*, & *luxata* membra dicuntur *ſoluta*. Luxuria, ſive luxuries, ſive luxus, eſt immoderata appetitio cujuſcumque rei gratæ, rationi non obtemperans; capitur que pro immoderata profuſione. Sumitur etiam *pro rei nimiâ abundatiâ* luxuria; unde luxuriare quoque, modò profundere, modò nimium abundare, ſignificat; & hùc Virgilius:

Luxuriam ſegetum tenerâ depaſcit in herbâ.

Et luxuriant campi, quando nimiâ ubertate floreſcunt, & vireſcunt.

Nunc contra luxuriam Venéream eſt ſermo, quæ ex D. Thoma ſecunda ſecundæ q. 153. art. 1. *principaliter eſt circa voluptates venereas; ſecundariò autem dicit exceſſum in aliis*. Ibidem, & in q. de malo, q. 15. definit: *luxuria eſt appetitus inordinatus venereorum*. Hugo, *de Sacramentis*, definit ſic: *luxuria eſt concupiſcentia experiendæ voluptatis, vel concubitus deſiderium ſupra modum, vel contrà rationem, afferens*. Hæc, & Thomiſtica, ſunt propriè definitiones *luxuriæ venereæ*; nam alia definitio per hæc verba, *Luxuria eſt ſolutio in voluptates*, latior eſt, & quæ etiam comprehendit luxuriam in voluptatibus guſtus, auditus, viſus, & odoratus.

Luxuria eſt ardentior *in pubertate*; dicente Aristotele lib. 18. de Animalibus: *Puberes plus delectantur in coitu, quàm cæteræ aliæ ætates, & quantò plus aſſueſcunt, tantò plus appetunt*; hùcque conſpirat, quòd Gra-

tiæ

tiæ saltantes tempore verno, symbolo juventutis, sint datæ à Poesi sociæ Veneri, ut innueret, quòd Venerea cupiditas prævalet juventutis tempore; ad idemque attinet, quòd Sirenes, symbola luxuriæ, sint à priscis figuratæ habitantes, saltantes, canentes, & sonantes in floridis pratis, symbolis juvenilis, & floridæ ætatis. Hæc ex Philosophia Morali Poetica; sed ex Morali Emblematica respectat ad idem figurata abies, arbor pinguis, & viscosa, facilè concipiens ignem, cui epigraphe, *citò corripit ignem*; sic ætas juvenilis, quia pinguis, & viscosa, ignem luxuriæ facilè concipit, ideo monente Horatio in Arte:

Imberbis Juvenis &c.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;

D. Ambrosius lib. 1. de Abel, cap 3. dolet: *Ipsam in exordiis juventutem variarum illecebris passionum fervere, quis abnuat?* Juventus, quod nocet, sectatur; cujus ideò symbolum papilio, se applicans ad flammam; fit Emblema, si addas lemma, *fugienda peto* Huc Ovidius lib. 7. Met.

Video meliora, proboque;
Deteriora sequor &c.

Verè ad vitium est prona juventus; cujus ideo hieroglyphicum est fumus, qui ex lignis viridibus, juventutis symbolis, densior est; quod ex planat fumo tale datum epigraphe, *ex viridibus densior*. Pulsat Ambrosius lib. 1. in Job. cap. 7. *Ætas juvenilis magis ad vitium lubrica esse consuevit*. Et post pauca sic: *Adolescentia est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis*. Est juventus effrænis, quam ideò dicas flumen, quod ruptis impedimentis, à quibus detinebatur, potentiùs erumpit.

Dictum, luxuriam esse in pubertate ardentiorem; at & in fœminis, & pilosis viris, etiam ardentiùs flagrare, Aristoteles asseruit, dicens lib. 18. de Animalibus: *Mulier, & equa, super omnes fœminas diligunt coitum. Viri multorum pilorum ad coxas, & à parte inferiori, sunt multi coitus*. Stimulat autem acutiùs luxuria quadrupedes tempore verno, ipso Aristotele lib. 6. de Animalibus dicente: *Omne quodrupes magis desiderat in vere coitum, quàm alio tempore*. De viro autem, & fœmina lib. 3. de Animalibus dicit, *Vir appetit coitum in hyeme, mulier in æstate*.

Luxuria autem (ajebat Cicero lib. 1. offic.) *cum omni ætate sit turpis, tum maximè senibus fœdissima est*. Ità luxuria homines immutat, ut adverterit Aristoteles lib. 3. de Animalibus: *Mutatio vocis est signum motus ad coitum*.

Solet item *luxuria* dici *libido*; est autem *libido*, *quicquid libet*; dicitur etiam *libido* à *labendo*, ut à Varrone accepimus, quia quæ placent, *prolabuntur* in mentem. Non modò turpium, sed etiam honestarum rerum, voluntas *libido* dicitur à Salustio: *Magis in armis decoris armis, ac militaribus equis, quàm in scortis, atque conviviis*, libidinem *habet*. At ferè semper accipitur *libido* in deteriorem partem, pro temerà, & effrænatà alicujus rei cupiditate; in quo sensu S. P. Augustinus lib. 14. cap. 15. ait; *libido est generale vocabulum omnis cupiditatis*; & ipsam *iram* nihil aliud esse, quàm *ulciscendi libidinem*, definierunt veteres; ut ideò Augustinus lib. 50 Homil. Hom. 42. cap. 7. Tomo 10. definiat, *Ira est libido vindictæ*; & avaritia definitur, *est libido habendi pecuniam*; & pervicacia deffinitur, *est libido quomodocumque vincendi*; & jactantia definitur, *est libido gloriandi*. In hoc sensu dixit Augustinus de Mend. cap 7. Tom. 4. *libido est appetitus animi, quo æternis bonis qualibet temporalia præponuntur*.

Cum tamen multarum rerum sint libidines, si *libidinem* absolutè, & sim-

pliciter dicamus, nec cujus rei sit libido, determinetur, jam prævalet vsu, & more loquendi, quòd de libidine *venerea*, sive *turpi*, intelligatur; ideò docente P. Augustino lib. 14. de Civitate Dei, cap. 16. in *titulo* capitis sic: *De libidinis malo, cujus nomen cum multis vitiis congruat, propriè tamen motibus obscœnis corporis adscribitur*. Capiti autem tale expandit exordium: *Cum igitur multarum sint libidines rerum, tamen cum libido dicitur, nec cujus rei sit libido, additur, non ferè solet animo occurrere nisi illa, qua obscœnæ partes corporis excitantur*.

Licèt autem amor Venereus, sive impurus, dicatur libido, & luxuria; tamen passionis amoris impuri sedes, & subjectum (ut dictum pag. 861. est) in corde, vel pectore; at luxuriæ, sive libidinis, quatenus est vis propendens ad venerea, sedes propria in fœminis est in umbilico, in viris est in lumbis, & renibus, ut alibi memoratum. Vnde amor impurus, sive venereus, potiùs dicitur libidinosus, sive luxuriosus, quàm ipsa libido, sive luxuria.

Hùc pertinet *lascivia*, quæ procedit, ab animi alacritate; jam solet accipi pro joco petulante; jam pro improba, & molli, & impudica procacitate; jam lascivia dicendi pro dicacitatis voluptate; jam pro petulanter agere, ut solent equi indomiti, & qui diù in ocio fuerunt, qui aut calcitrare præter solitum, aut lusitare, exultareque solent, quare satietate verni pabuli pecudes lasciviunt; lascivire etiam arbores dicuntur, cum luxuriant nimia pabuli ubertate. De lascivia in sensu impudico loquebatur Augustinus *De Verb. Apost. serm* 4. dicens: *Homines flagitiosi, quando reprehenduntur, erubescunt; & quando sunt inter castos, lascivire non audent*. Et Tract. 32. in Joann. Tomo 9. *lascivi amatores, qui pulchritudine corporum delectantur, tunc amant amplius, quando amantur*.

Remedia contra amorem venereum sunt vitare causas illius, & miseros reflectere effectus.

PRIMUM RENEDIUM contrà AMOREM VENEREUM est fugere primam talis CAUSAM amoris.

Ubi de Amore inordinato sui, vt causæ *luxurioſi amoris, & aliorum vitiorum, symbolicè per HYDROPESIM, HYDRAM, & FEBREM.*

PRima causa amoris Venerei est amor inordinatus *sui*; quia enim nimis, sive inordinatè, amas te, amas quicquid-libet etiam illicitè. Contra amorem inordinatum *sui* diximus pag. 907. & ibi symbola dedimus; sed ut est causa *amoris impudici*, superbiæ, avaritiæ, ambitionis, & aliorum vitiorum, specialiter hùc ad flagella vocatur.

Si *hydropesim* dicas simbolum amoris inordinati *sui*, attingis scopum. Quid in hydropesi? *primò* exuberantia humoris, *secundò* repletio corporis, *tertiò* distinctio trium specierum languorum; at hæc amorem inordinatum *sui* symbolica proportione demonstrant.

Hydropesis est exuberantia *humoris*, amor inordinatus sui est exuberantia *amoris*. Exuberantia *humoris* causat in hydropico *tumorem corporis*; exuberantia *amoris proprii* causat *tumorem animi*, superbiam, sive elationem. Hydropesis *replet corpus*, nam dicente Avicenna, exuberans materia, quæ est causa hydropisis, ingrossat, & tumefacit membra, aut membra omnia manifestè, aut loca pororum vacua, in quibus continentur humores, & regimen nutrimenti; sic inordinatus amor sui *replet* omnia hominis opera, & loca vacua, nempe desideria cordis. Tres sunt hydropesis species, *Hypo-*

sar-

ſarcha, *Aſchites*, *Tympanites*. Hypoſarcha ex materia phlegmatica provenit, penetrante in membra cum ſanguine, ex qua apparet inflatio in corpore, ſicut accidit in corpore mortuo; hæc hydropeſis ſpecies pinguendinem inducit in membra, ſed inter membra eſt ad pinguedinem facies potiſſimè declivis; cumque digitis corpus premitur, in loco omni deprimitur, ex quò pinguidinem illam non eſſe carnis ſolidæ, ſed mollis, & fluidæ, oſtenditur. Hæc autem ſpecies hydropiſis *Hypoſarcha*, cujus pinguedo ex materia eſt phlegmaticà, fluidà, aquosà, *avaritiam* innuit; avarus enim pingueſcit bonis caducis, quorum ſunt symbola fluidæ, & currentes aquæ; tranſeunt enim præcipitis aquæ inſtar; ſicutque pinguedo Hypoſarchæ deprimitur digito, ita pinguedo avari deprimitur adverſæ fortunæ ictu. Cauſat hæc hydropiſis tumorem potiſſimè in facie; ſic dives avarus corde tumeſcit, & potiſſimè in facie tumorem animi oſtendit. In *Hypoſarcha* materia phlegmatica penetrat in membra cum ſanguine; ſic in avaro phlegma, ſive aquoſus humor divitiarum, more aquæ labentium, penetrat ipſius membra cum ſanguine pauperum. Hydropicus Hypoſarcha in carne plenus crepat, in corde mendicat; ita avarus dives plenus, & mendicus; quia nunquam ſatiatur, ſemper famelicus. *Aſchites* alia ſpecies hydropeſis provenit ex materia aquosà, in ſpatium ventris inferioris effusà, & in ea, quæ ventrem ipſum ſequuntur; eſtque ſenſibilis in ventre gravitas *Aſchitæ*; non eſt ſonus, cum percutitur venter; at quando venter commovetur, aquæ commotæ ſonus auditur. Ergo *Aſchites*, ab exuberantia humoris proveniens, *luxuriam* symbolicè innuit, quæ ex carnali amore, indicato in humore aqueo quia labili, provenit. Materia aquoſa *Aſchitæ* effunditur in ſpatium ventris inferioris, & in ea, quæ ſequuntur ipſum; ſic *luxuria* ad inferiora ventris diffunditur, & per carnis inferiora membra expletur.

Tympanites tertia ſpecies hydropeſis eſt ex aquosà materià, in alias partes ſparsà; non eſt in Tympanitide gravitas, nec membrorum pinguedo, ſed potiùs extenuatio; nec eſt pedum tumefactio, ſed ventris inflatio, quaſique chordæ tenſio; venter pulſatur, ſonus ventris auditur, inquo eſt inflatio more utris pleni aquà. At ideò *Tympanites tumorem ſuperbiæ* innuit ex ventoſa materia elatum, item & *vindictam* symbolicè indicat; *animus elatus* flatu ſuperbiæ extenditur, & ſi quis eum per injuriam attingit, ad vindictam ſonat ſtatim, ſequitur boni extenuatio operis, nullaque eſt pinguedo virtutis.

Eſt igitur *hydropeſis* symbolum *amoris inordinati ſui*; cauſat hydropeſis relatos morbos in corpore, cauſat amor inordinatus ſui relatos morbos in animo. Cauſat inordinatus amor proprius *ſuperbiam*, *avaritiam*, *vindictam*, *luxuriam*, & alios morbos animi relatis ſocios, vel eorum ſoboles; ut ideò in *Hydra* multorum capitum peſtilente beſtiâ ſit hieroglyphicè amor ſui inordinatus à priſcis symbolicè indicatus; & quidem ex amore inordinato ſui multa vitia capitalia profluunt.

Age igitur; remove cauſam, & impedies effectus; luxuriæ (& aliis vitiis), obſtas, ſi tui amorem corrigas, & ad præſcripta rectæ rationis retineas. Figmentum *Poeticum*, quòd Hercules ſagittis, & igne, occidit Hydram multorum capitum beſtiam, quorum aliquot exciſſis, totidem renaſcebantur continuò, hùc reſpectat, quòd ſi per Hydram intelligitur amor inordinatus ſui, unde vitia capitalia multa, ex quibus aliqua ſi excidas, alia pullulant, & ſi nomine Herculis intelligitur vir ſapiens, & per ſagittas, & ignem, intelligitur amor Dei, & proximi, & publici boni, his armis à viro ſapiente interimitur amoris inordinati proprii Hydra; qua interemptà, capitalia expirant & vitia; ſuperbia moritur, avaritia expirat, vindicta extinguitur, luxu-

ria

ria cum impudico amore frigore concrescunt, & quasi glacie rigent; si ipsam Hydram amoris proprii inordinati non occidas, parum prodest unum capitale resecare vitium, continuò capita vitiorum pullulabunt alia.

Ex Philosophia Proverbiali *Hydram secare, id est capitalia Hydræ*, significat ità unum incommodum tollere, ut in ejus locum alia plura recipias; caueas ergo in agibilibus Hydriam secare, vide,ne fortè dum unum incommodum vitas, plura alia inferas; caueas in Moralibus multa mala inferre, ut unum eiicias; hoc est tutum,Hydram occidere ipsam, nam avulsà radice, ablatà causà, effectus exulant omnes, quia nullum caput vitale sine corpore, nullus effectus sine causa, germen nullum sine radice; ergo ne luxuria, amor impudicus, & alia vitia inficiant, amoris inordinati proprii occidatur Hydra; ergo Hydra apage, & apagete vitia.

Amor est febris, *Hydram* dixeris *febris* symbolum. *Hydram* Poesis effinxit innumeris repullulantem capitibus, sic *febris* variè egerminat, *jam* pullulat ephemera fugax, *jàm* quartana tenax, *jàm* synochus triplici caloris diversitate feruida, *jàm* epialus intrà frigidum, extrà calidum, *jam* lipyria interno calore, externoque frigore contraria, *jàm* parit thyphodem, phlegmatodem, multasque nothas multiplici humorum putri mixturà variabiles, quæ repullulant ut Hydræ capita; si febrem non extinguas, relata capita pullulant, sic & si febrem amoris inordinati non exanimes, vitia capitalia nascentur; ergo lymphà injectà doma inordinati, & voracis, ignem amoris; qua aqua? *aqua sapientiæ salutaris*, hæc est amor Dei, & proximi, & publici boni. Ne fluat vitiosa inordinati amoris proprii aqua,ut hic extinguatur ignis, *febris*,ut hæc arceatur flamma,precare gelu illud,illamque pruinam,quæ effundit Deus super terram,docente Sylva tom. 1. fol. 430. V. *Gelu, & Pruina*, quòd ista in sacris literis etiam significare possunt *refrigerationem concupiscentiæ, abstinentiam, & generaliter cœleste beneficium, & propter hæc in Plasmo* 118. & 138. dicitur justus *factus sicut uter in pruina.*

Si amoris inordinati est *hydropesis* symbolum, quæ medicina, ut sanetur *hydropicus*? *bibere parcè, modicè*; ergo & aquam *amoris* proprii *modicè* bibe, Dei amorem præpone, & publici boni; si contrà rectam rationem, & excessivè, aquam amoris tuimet bibas, hydropesis crescit, mors imminet, in amoris undis naufragus peris. Aqua *proprii amoris* generat lymphas falsas *libidinis*, & *amoris impuri*; hæc vitatur *Archites*, si radicitùs amoris inordinati repellatur hydropesis.

Quæ item contrà hydropesim medicina? *purgatio*; at non acuta, non violenta, quæ rumpat lymphatica vasa, aliàs lymphæ vitiosæ præcluso exitu soffocatur ægrotus, immersus in illa; ergo sit amoris proprii immodici *purgatio*, at sit purgatio non acutè talis, quæ amorem tui *penitùs* excludat; non enim contrà jura naturæ subscribimus, te *debitè*, & *juxtà rationem* amare,non interdicimus; purgatio servet necessaria, & utilia, sola expelllat vitiosa, sola evacuet superflua; non enim est tyrannica virtus.

Pro purgatione ab hydropesi *absynthio*, & *rhaibarbaro*, utitur Medicina; quid *absynthium* symbolicè indicet,in pagina 884. dictum; *rharbarbarus*, purgans à superfluis,virtutem innuit; hæc fac,& vives. Vide quòd si amoris proprii inordinati hydropesis ad *Aschitem* luxuriæ,amorisve impudici,declinet, hìncfacilè ad tertiam speciem, *Timpanitem* nempe,labitur;tunc autẽ erit *extenuatio* animi, & corporis, quia animus sine virtute,corpus sine substantia; quæ enim remanebit in corpore substantia, si cunctam luxuria distillet? ergo ut luxuriæ, libidinis, amoris impuri *Aschites* exulet, ut hìnc *Timpanites*, extenuatio nempe vitetur, avaritiæ, & tumoris superbiæ *Hyposar-*

cha

cha pellatur; causa, nempe hydropesis amoris proprii inordinati, frænetur.

SECVNDA REMEDIA contra AMOREM IMPURUM sunt vitare alias impudici *causas* amoris *VISUM, RISUM, COLLOQUIUM, OSCULA, TACTUM.*

SEx sunt amoris impudici lineæ, *Visus, risus, colloquium, tactus, oscula, concubitus*. Sic Poesis describit amoris impudici gradus.

Post visum risum, post risum venit ad usum;
Post usum ad tactum; post tactum venit ad actum;
Post actum factum; post factum pœnitet actum.

Hinc *visus, risus, vsus*, sive *colloquium, tactus, oscula* sunt quinque gradus ad concubitum, sive actum; quo consumato, sive facto, postea pœnitet factum; pœnitentia hæc attinet ad *effectus* impudici amoris; nunc de *quinque* prioribus *causis*, quas si vites, & hinc amorem impudicum vitabis. Postea aliud remedium considerare, quod *post factum pœnitet actum*, subscribetur.

VISUS.

ESt *Visus* gradus primus amoris impuri; imò apud Plotinum AMOR dicitur HEROTA à verbo Græco latinè *visio*, quia à *visione* initium habet; apudque Platonem à Græcis ipsis amor dicitur voce, qua indicatur, quòd amor extrinsecus per oculos influit, & inde incipit. Nunc Aristoteles lib.9. Ethic consentit, quòd amor sic incipit, & progreditur; primò quidem commovetur quodam modo appetitus sensitivus ex *aspectu* rei pulchræ, sive elegantis formæ; ut ideò pulset Plutarchus confirmans, amores, quibus nullus vehementior animi est motus, *ab aspectu oculorum* principium ducere. Nec contradixit Heliodorus in *Æthiopicis* proferens, *Oculi sunt prima origo, primumque* instrumentum amatoriæ falcinationis. Phylemon versibus Græcis edidit, *Oculi primum vident omne, deinde subit admiratio, deinde contemplatur, & sic spes venit, ita fit ex iis amor*. Ad idem Propertius in Eclog.15.lib.1.

Si nescis, oculi sunt in amore duces:

Quòd Cupido sit figuratus cum sagittis, & arcu, conspiravit ad innuendum, quòd ex arcu oculorum amor inter amantes emittit radios, quibus ut sagittis infligit vulnera cordi. Pulchritudo acutiùs telo vulnerat, & per oculos in animam influit. Ignis tangentes solùm urit, pulchritudo verò etiam procul distantes inflammat; visus enim est capiendi amoris veluti ansa.

Ergo corrige *visum*, præclude primam amoris impudici januam. Cur putas ab authore naturæ palpebras oculis datas? sunt velamina data, ut cooperiant oculos, ne cernant vitiorum ansas; ideò David Psal.118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Oculi tui sola recta, & munda lustrent, admonemur enim à sacra Philosophia Proverbiali *Prov.*cap.4. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.*

Vidit Eva lignum prohibitum, quòd esset pulchrum, appetiit, consensit, comedit, marito dedit; ecce generis humani feralem cladem, ecce luctuosam stragem, ecce ærumnarum turbam, ecce funesta detrimentorum agmina; at unde hoc acerbum exitium? unde hæc flebilis malorum series? *à visu*, Eva *vidit* lignum; *à visu* incepit dura moles, quæ nos opprimit cum genere omni mali. O sors misera! O misera incommoda vitæ! O

duri

duri labores ! O animi , & corporis,anxii dolores ! O leves oculi prima tot calamitatum origo ! fuistis lumina,an tenebræ ? tenebras genuistis, luctus , & miseriæ patres!

Vndè *Dinæ* scandalum ? volens Dina *videre* mulieres alterius regionis à Sic hen conspecta, rapta , & corrupta est ; sic Genesis cap.34.narrat .

Vndè Chami maledictionis initium ? *vidit* verenda patris ; hæc habes in Genesi cap.9.

Vnde hominum effrænis luxuria ? Genesis cap.6. refert , *Videntes* filii Dei filias hominum , quòd essent pulchræ &c.hinc postea in luxuriam sunt prolapsi . Prudenter patientiæ speculum Job.cap.31. *Pepigi fœdus cum oculis meis , ut ne cogitarem quidem de Virgine .*

Vide , quòd oculus sit doloris parens , Philosophià sacrà Proverbiali *Prov.*cap.10. admonente , *qui annuit oculo , dabit dolorem .* Reflecte , quòd oculi sint prædones animæ,ut ideò in *Tren.*cap.3. audias: *Oculus meus depræ-datus est animam meam .*

Optas vitare malum ? vites oculum malum , *Memento* (*ex Eccles.* intimatur) *quoniam malus est oculus nequam . Nequius oculo quid creatum est ?* Lucem appetis ? Matthæus cap.6.dictat : *Si oculus tuus fuerit simplex , totum corpus tuum lucidum erit .*

Scandalizat te oculus ? erue eum ; id est ab objecto vanitatis averte .

Excelsa cupis?Isaias prædicat:*Qui claudit oculos suos,ne videant malum, iste in excelsis habitat ; Regem (gloriæ) in decore suo videbunt oculi ejus .*

Cave, nolis oculorum acies ad omnia passim visibilia pandere ; fugias, omnem figurarum , atque formarum , & objectorum speciem , sine examine haurire , ne posteà ad visarum rerum turberis imagines . Tecum corde voluta, quòd dæmon per formas illices ex oculis offert faciles voluptates,ut his bellicis tormentis possit castitatis evertere arces; excitando phantasmata , arietat contrà puritatis mænia , vt horum fundamina eruat .

Replicas : Oculus ad hoc factus est , ut videat ; ergo cur videre reprehendatur ? ha ! qui replicas , nimis videre optas . Fateor , factus est oculus , ut videat ; at ut videat *juxtà rationem* ; oculum tuum in suppositio *rationali* author naturæ posuit . Videas , at quæ videre minimè noceat . Oculus propterea est factus , ut dum vides Creaturas Dei , creatorem glorifices , & ad ipsius contemplationem , amorem , & laudem,ascendas ; ut ex visibilibus ad invisibilia contemplanda assurgat mens ; at si tuum *videre* ad offensam creatoris ex tua *fragilitate* , vel *vitio* , expediat , cur *videre* non caveas ?

Non est culpa in *simplici* aspectu oculorum,sed in negligentia voluntatis, & effrænata concupiscentia.Oculi est videre,*malè* autem videre,à mente est; sed tu vnde tutus,quòd si videas,*malè* non videas? ergo cave videre, quæ si videas,*malè* videre imminet; hæc videre est periculum ; si periculum ames , peribis in illo. Audi, quia docet Augustinus serm.83. de Temp. *Prima adulterii tela sunt oculorum , secunda verborum .* Gregorius lib.21. Moral. cap. 2.favet: *Deprimendi sunt oculi, quasi raptores ad culpam . Quisquis enim per has corporis fenestras incautè exteriùs respicit , plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit , atque obligatus desideriis incipit velle , quod nolit .*

Beati oculi, qui exterioribus clausi , interioribus sunt intenti . Quid respicis in mundo ? tua in eo non est requies ; intuearis cælestia . Scias , oculos esse indomitos equos , à quibus si auriga mens trahi sinit , ruit in præceps . Oculos dixeris fenestras animæ ; dicente Augustino Psalmo 41, ergo ne introeat vitiorum pestifer aer , claude fenestras .

Ascendit mors per fenestras legimus in Thren. cap.9. Oculi sunt fenestræ , & januæ *animi , oculi membra sunt carnis , fenestræ sunt mentis* ; ergo

ne

ergo ne mors intret, feneſtras, & portas animæ claude compagibus modeſtiæ arctis, verecundiæ ſeptis. Conſidera ex Gen. cap. 38. quòd Iudas *vidit* Thamar in biuio, & cum ea peccavit. Item ex Gen. cap. 39. Domina, cui ſerviebat Ioſeph, oculos in eum injecit, & deliquit. Ex lib. 2. Reg. cap. 11. *Vidit* David de ſolario ſuo mulierem lavantem ſe ex adverſo, & tulit eam, cuius etiam virum occiſioni dedit. Ex Daniele cap. 13. *videbant* duo *ſenes* Suſannam quotidiè ingredientem, & ambulantem, & ex *viſu* exarſerunt in concupiſcentiam eius, illaque capita nivea conceperunt incendia Ethnæ, nec ſenilis ſeptemtrionis nives fuerunt ab incendio exemptæ. Ideò in Eccleſiaſt. cap. 9. inſtruimur: *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit*. Oculorum radii, nolis putare, quòd calefaciant, ſed quòd ignem, favillas jaculentur, & cineres expediant. Si ſenſus poſſideat oculorum uſum, ratio amittit ſupra affectus, ſive paſſiones, dominium. Suſcitatur amoris flamma, ſi claritati ſpeculi cryſtallini oculorum non impediatur radiorum Solis pulchritudinis reflexio. Oculi etiam ſilendo loquuntur, & reciprocè videntes oculi idioma ſilentioſum intelligunt. Eſt in oculis humor aqueus; ſed pulchritudinis oculi ſimul ignem, & aquam fovent. Informationem cupis, quale ſit cor? proceſſus rei patet in oculis. Vis cæcus fieri? horres; ergo caveas pulchritudinem videre. Oculos cur natura ſtatuit vltimos ad vitam, & primos ad mortem? vt minus eſſet temporis nocendi illis, à quibus nocumentum omne. Philomela videns viperam, à tali obtutu rapitur ex arbore ad os vipereum, à quo devoratur; fœmina eſt vipera, nolis videre, quia obtutus rapiet ad necem.

Quorſum Poeticum figmentum, quòd Meduſa *viſa* homines videntes convertebat in ſaxa? pulchra effingitur fœmina; indicatur, quòd pulchritudo fœminea *viſa* homines ſtupidos reddit, ſine motu ad Dei cultum, devotionem, & humanitatis officia, bardos, & more petræ exanimati deficiunt, ideò datum Meduſæ figuratæ lemma, *exanimat viſa*.

Si *caſu* fœminam *videre* accidat; quid? oculus non figatur, *fuge*; fugere eſt triumphare; in caſtitatis campo cum armis *fugæ* victoria acquiritur; non irruendo, ſed *fugiendo*, libido debellatur, turpitudo ſubigitur, multaque cum laude palmam referens, & redimitus lauro, decorus intrabis in Capitolio puritatis victor.

Obſervatio eſt Auguſti noſtri Hipponenſis antiſtitis. *Serm. 2. in Dominic. 25. poſt Trinitatem*, quòd *cum Paulus omnibus vitiis prædicauerit reſiſtendum, dum contrà libidinem loqueretur, non dixit* RESISTITE, *ſed* FVGITE *fornicationem*. Et quidem contrà cætera vitia eſt luctari magnificum, à libidine autem celeriter *fugere* exiſtimes glorioſum; alibi addente Auguſtino: *cum cætera vitia pugnando vinci ſoleant, ſola libido eſt, quæ* FUGIENDO *potiùs, quàm* PVGNANDO, *ſuperatur*, cuius rei ſunt symbola ſerpentes fugientes è fraxino, quibus lemma, *fugæ præſidium quærunt*.

Vide, quòd muliebris aureacoma *viſa* aurcam multorum fortunam, & proſperitate crinitam, reddidit calvam. Pulſare ideò repetit S. P. Auguſtinus, *fugam* & nunciat (*Serm. 250. de Tempore*) dicens: *In occaſione peccandi apprehende FUGAM, ſi vis invenire VICTORIAM, ſi PALMAM deſideras obtinere*. Et quidem fugiendo occaſionem peccandi, fugiendo fœminam, non ſolùm hæc vincis, ſed te; at

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia.

Ecce leo fortitudinis ſymbolum, & fortiſſimus beſtiarum, *viſa* face accenſa, fugit, cui ideò epigraphe, *Magnos vana fugant; vel fortes ignis terret*. Putas te *leonem*? at *fuge*, ſi pulchritudinem *videas*; eſt fax accenſa,

est ignis, si non fugias; ardes, descendis in cineres.

Cur Poetæ effinxerint, quòd Hercules, cum *vidit* Syrtes anguipedes, *fugerit*? finxerunt eas in symbolum *pulchritudinis fœmineæ*, de quibus pag. 936, & vberiùs infrá; nomine *Herculis* intellexerunt *robur*, *fortitudinem*, *virtutem*; aptè composuerunt Poetæ, quòd Syrtibus anguipedibus visis, statim Herculea fortitudo *fugit*, vt innuerent, quòd pulchritudine *visa*, hæc est fortitudo *fugere*; hoc est robur, hæc est virtus, hic est invictus animus viribus insignis, festino, & anhelo cursu, *fugam* arripere, ità vt pedibus alas addat timor; hoc timere, *hoc fugere* non est passio leporis, aut cervi, sed Herculis invicti. Parthis *in fuga* erat collocata victoria. Passerculi avolant à climate, quod eorum incolumitati adversari præsentiunt.

Nolis, vanà fiduciâ robori tuo confidere, pulchritudo enim ingentia marmora findit; vides, quòd *Caprificus* plantata vicina mœnibus, ea licèt durissima, diruit? Vides, quòd qualitate acuta, & incisiva, durissima lenit, sique eius ramos durà cum carne misceas, hanc facilè flectit? ideò caprifico lemma, *durissima emollit*; symbolum est pulchritudinis, quæ & corda etiam marmorea findit, pectoraque etiam durissima emollit.

Nolis igitur, pulchritudine *visa*, credere robori, *fuge*; si *fugisset* Sampson dux ille fortis, Dalila visa, si *fugisset* Paris *visa* Helena, si Salomon *fugisset*, Moabitis fœminis *visis*, nec à Philistæis captus cecidisset Sampson, nec Paris causaret incendia Troiæ, ipso deficiente miserè, nec Salomon, *si fugisset*, *visis* fœminis, ad idola declinasset corde sinistro. Non se turpiter obscuraret Achiles ille Romanus, si *visà* Cleopatrà, *fugisset*; sique *fugisset* Hercules, visà Omphale, robur illud Herculeum, & clavam, non mutasset in colum, & fusum, more fœminellæ timidæ. Vox in Ecclesiast. cap. 42. clamat: *Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes*.

Si vides, quòd te fœmina *videt*, & oculos figit, age, considera, quòd sit basilisci aspectus, qui solo prosternit intuitu, jàm ante contactum inficit; ideò fœminæ symbolum basiliscus, cui lemma, *intuitu enecat*.

Trutina, pondera, sanà complectere mente, quòd fœmina pulchra sit Cometa, *& interimit*, instar huius lucidam crinem diffundens, mortiferis radiis splendens: jubar damna fera-minatur, tempestates in mari, funera, clades, ruinas in terra; qui Cometa lucidior micat, ipse feraliùs infestat; cauda ipsius trahit acerbos dolores sine vlla brevis tutæ consolationis lyra; est lux homicida radians igne diro, horrens sanguineo crine. Cavent respicere Cometam sapientes, scientes, quot *aspicientibus* mala inferat; at ignarus aspiciens, lucis infelix idolatra, stultè perit; ideò fœminæ pulchræ quod Cometæ lemma, *fulget*, *& interimit*. Qui legis, intellige.

Hùc quidam Parnasi cycgnus:

Nihil opus est armis Veneris, tibi nate nec arcu,
Ecce oculis telum puella nostra gerit.
Iugiter hoc ferit illa, facitque in vulnere vulnus;
Ah nimiùm in pœnas lumina pulchra meas!

Item Poesis Propertii addit.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis antea cupidinibus.

Et alter.

Cave viator, excites somno Deam;
Sua adaperiens, tua namque claudet lumina.

Oculi fœminei venantur viros; aves cautæ avolant, si venatorem videãt.

Ex limo evocatum hominem Deus efformauit, ex homine Euam ædificauit; *facie ad faciem* insuflando, *inspirauit* in faciem eius (Adami)

spi-

ſpiraculum vitæ; in faciem Euæ non explanatur in Gen. cap. 2. Deum inſuflaſſe, nec *facie ad faciem* ſpiraculum vitæ inſpiraſſe, cum tamen à Deo ſpiraculum vitæ Euæ fuerit. Quorſum iſta? ad noſtram doctrinam; de puriſſimo Deo non refert Moyſes, quòd in *faciem Evæ* inſuflando, in faciem huius inſpiraverit ſpiraculum vitæ, vt inſtrueremur, quòd ſi Eua erat fœmina, facies viri eſt à mulieribus avertenda; non eſt tutum homini, facie ad faciem loqui cum fœminis.

Nolis fidere, quòd ſit *modeſta*; nam aproximatione ad ignem alteratur, bullit, fervet, & accenditur aqua, liquefit gelu.

Nec fidas, ne cadas, quòd fœmina *viſa* ſit *deformis*; nam ignis approximatus non ſolas cedros, & oliuas, ſed incultas quercus, & ſpinoſa rubeta, invadit. Vt Perſeus *videret* Meduſam (jam in pœnam ſacrilegii coitus cum Neptuno in ſacello Palladis, à Dea ex forma *pulchra* in *horridam* tranſmutatam, & ſerpentibus crinitam) effictum à Poeſi, quòd Perſeus ſe ſcuto cryſtallino Palladis munivit, & Mercurii talaribus; quorsùm iſta? vt indicetur, viro prudenti non licere fœminam etiam horridam, & deformem *videre*, & ad ipſam accedere, niſi puro cryſtallo puritatis, & Dei ope, ſpecialiter ſit præmunitus, cumque pennatis talaribus virtutis, ne moretur, ſed advolet; *Mercurio* indiget, id eſt, maturà, & cautà *prudentiâ*, Mercurii nomine ſignificatà; indiget *virtute*, & *ſapientia*, quam Poetæ ſapientes voce *Palludis* indicarunt.

Sed & tu Judex, viſurus, & acceſſurus ad extorquendam confeſſionem, vi torturæ, à fœmina etiam *deformi*, ſcias, quòd Perſeus viſurus, & acceſſurus ad Meduſam, accedebat, vt occideret, quia viſu occidebat, quos cerneret; erat Meduſa ſymbolum meretricis, fœminæ ſceleſtæ, erat iam deformis; erat Perſeus Judicis typus; & tamen vt puniret deformem, non niſi vt ſuprà munitus (ex figmento Poetico) acceſſit; ergo ſi *viſus*, vel *acceſſus* Iudicialis contrà fœminam ſceleſtam, etiam *deformem*, occurrat, Judex, qui legis, intellige.

Sed vos, fœminæ ex iiſdem cauſis, caveatis facilè videre viros; quò debeliores eſtis, fragiliùs ceditis. Si ſis *nupta*, memineris, velum nuptiale tibi datum, vt obtegas viſum, nec alium, præter proprium, liceat facilè cernere virum. Si ſis *virgo puella*, ſcias, quòd *Aurora* ſit ſymbolum virginei pudoris; rubeſcit, cum aſpectui mundi ſe obiicit. *Vrſæ* ideò puellaris ætatis ſunt ſymbolum, quia cohibent ſe intrà frutices, niſi pabulationis gratià prodire cogantur. *Turtures* ſcimus, quia ſolitudinem, & receſſum amant, virginum hieroglyphicum. Apud Romanos Pudicitiæ ſimulacrum velo coopertum ſculpebatur. Pudicitia fuit æquiparata *teſtudini*, quia virgo, & fœminæ pudicæ, debeant eſſe intrà domum clauſæ, more teſtudinis intrà concham; & ipſa Venus conjugata pede ſupra teſtitudinem eſt figurata, vt inſtruerentur nuptæ firmiter ſtare domi.

Ergo ſi *viſus* eſt prima origo *amoris impuri*, corrige viſum; ſunt remedia, vt corrigas, ea, quæ legiſti, *relegere*, revolvereque mente maturà; item *rerum cœleſtium pulchritudinem* verſare corde, ſic enim ſordebit quælibet alia venuſtas interris; *Chriſti ergà nos amorem* volutare pectore intimo, etiam electa medicina eſt. *Omnia* terrena cum Paulo arbitrerisſtercora.

Etiam *gaudium æternum* ex *viſione beatifica Dei* in patria mediteris, & erit faſtidium videre ea, quæ oculis carnis placent in terris; diceſque cum S. Sylvano: *Claudimini, Oculi mei, claudimini, & ad futura vos gaudia reſervate.*

Adde, *fædiditatem* peccatorum tuorum reflectere, nam oculus elevare erubeſces; recandentibuſque gennis, veniet & in ora pudor, oculos cum

publicano deiicies, lumina tenebis humo fixa, quia ea gravabit rubor.

Curiositatem interiorem reprime; ab ea enim incitantur oculi, vt terrena lustrent. Cur vanà curiositate labores? Scias ex sacrà Morali Proverbiali Philosophià *Proverb.* cap. 11. *qui investigator malorum est, opprimetur ab eis*; & ex Proverbiali profanà *canes venatici* fuit adagium contrà eos, qui curiositate nimià cuncta odorare, videre, & aucupari ardent. Hùc decus immortale Tagastæ Augustinus *De Agone Christi* cap.6.tom.3.*Per perniciosam curiositatem nobis dominari potest hic mundus*; quare *lib.* 1. *Meditat. cap.* 1. tom.9.idem Ambrosiæ linguæ flumine tractus, Deum precatur, *Auerte à me curiositatis pruriginem*; addit Psal.8. Tom.8. *Per oculos maximè curiositas ptævalet*.

Tandem, sit medicina, vt corrigas *visum*, considerare *infirmitatem oculorum, & damna sæpiùs per illos causata perpendere vividè*, admonente Bernardo *de gradu humilitatis* sic:*Oculi occasio sunt peccati, indicium commissæ culpæ, causa committendæ*. Si hæc acumini mentis obiicias, non modicè incitaberis, ad palpebras demittendas vt velamen, ne splendore vano creaturarum obtundatur acies mentis. Creatura est *vmbra*, docet autem gentis religiosæ parens, Religiones sub cuius regula multæ, *lib.2. de lib. arbitrio* cap.16.Tom.1.*Vmbra dum amatur, languiorem facit oculum animi, & invalidiorem, ad perferendum conspectum tuum*, nempe Domine.Scias, quòd oculi *sine recta ratione regente* non oculi sunt hominis,sed *bestiæ*;prædicante Patritio sanguine nato Augustino lib.14.de Trinit. cap.14. Tom.3. *Mens sine oculis carnis humana est*; *oculi autem carnis sine mente belluini sunt*.

Oculos si dixeris speculatores animæ, litem nolumus; at caveas, ne speculatoribus immotis aspectu splendoris pulchritudinis, cordis castellum ad impuris affectibus capiatur.

Figmentum Poeticum, quòd Neptunus, aureà crine Medusæ pulchræ visà, coivit cum ipsa in templo Palladis, hùc conspirat, quòd pulchritudo *visa* expedit sacrilegia.

RISVS, IOCVS, LVDVS.

EX *visu* gradus ad amorem impurum est *risus*; vides oculo inhonesto, statim appetis, & oculis caprinis videns, oculosque figens in fœminam (vel illa in te) rides, jocaris, ludis, vt turpe obiectum allicias. Ideò *Cupidini* figurati sunt sociè *jocus*,& *risus*,tenet in manu *jocum* caput sine corpore solùm crinitum, & ostendit *risui*; aptè iudicarunt esse sociè amori impuro *risum*,& *jocum*; turpiter amantes, vt attrahant, *jocantur*, & *rident*.

Videas aliam veterem picturam, in qua figuratur speciosa fœmina cum instrumento musico, & illi superscriptio VENUS; succedit puer, cui superscriptio CUPIDO; obiectum caput sine corpore, vultu jocoso, comà speciosà crinitum, cui superscriptio IOCUS; ista ergo sunt socia *mulier formosa sonans*, *jocus*, & *Cupido*, sive amor sordidus.

At pro medicina præservativa contrà moralem hunc morbum sit meditatio,quòd passerculià ludente noctuà capiuntur, & joci inutiles conscientiam vanam ostendunt.

Ex sacra Philosophia Proverbiali Prov. c.14. *Risus dolore miscebitur, & exerema gaudii luctus occupat*. Non vides, quòd infantia orditur hanc lucem non à *risu*, sed *fletu*? Duo sibi tempora ordine succedunt, tempus *flendi*, & tempus *ridendi*; at non est in hac lachrymarum valle tempus *risus*, sed *fletus*; si opera tua lucida sint in mundo, ridebis felix in æternum in cœlo. *Væ vobis* (ex Luc.cap.6.) *qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*.

tis. Non procul distat à derisu risus. *Gaudia principia sunt nostri sæpe doloris*, quidam Helyconius cecinit. Si *quilibet risus* immodicus, & leuis, flagello puniendus, quid cum sit *turpis*?

Vide, quòd dæmones nos *ridere* faciunt tempore *fletus*.

Non reprobo absolutè *risum*; non enim est risus absolutè malus, sed ille qui fit immoderatè, & tempore importuno, & fine pravo, ille cohibendus. Aliud est ridere, aliud risum amare; illud naturæ est, istud vitio imputatur. Si ridere concessum est, cachinnatio tamen, leuitas, & turpitudo, vituperantur.

Militia est vita hominis; tempus est belli, & stultè rides, & ludis, & quæ tripudantium sunt, vsurpas? O barde, in Prov. cap. 23 est, *Fatuus ridens exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacitè ridet*. Si oporteat ridere, solùm risus rarus, & modestus, fouendus. Risus si sit multus, & ob multa, & effusus, crimen est; quid autem si sit pueriliter fusus, si muliebriter factus? est animi leuis index; quid si risus sit animo *impuro*? est risus meretricius, lascivus, & immodestus.

Si ex risu sæpe turpia nascuntur verba, à turpibus verbis actiones turpiores, item sæpe ex risu convitia, & contumeliæ, ex his plagæ, & vulnera, ex his jugulationes, & homicidia, quæ malorum turba non sit ex *risu impuro* scatens? cymbalizat experientia.

Ergo cave *à quolibet immodico risu*; eò maximè *à risu Venereo*, Cupidini impuro socio, ad actum Venereum gradu; scias, quòd turpiter amantis risus, vt alliciat turpiter amatum idolum, est risus sardonius; est herba huius effectus, si quis comedat, est venenum; more ridentis agonizat infelix. Cupido fuit figuratus *ludens*, lusitans aureis pomis; hùc Poeta quidam:

Ludendo capimur, bibimus ridendo venenum,
Atque jocos inter vincula miscet amor.
Si timeas laqueos, & te si vincula terrent,
Te terreat, & lusus, luctaque, liber eris.

COLLOQUIUM.

EX *visu*, & *risu* turpes amasii gradum faciunt ad *colloquia* turpia: Medicina est prælervativa contrà morbum istum, considerare ex Ecclesiast. cap. 9. *Speciem Mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt*, COLLOQUIUM *enim illius quasi ignis exardescit*. Et cap. 42. *In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*. Ideò monebat Africæ nobile, & mirabile sapientiæ monstrum, Augustinus *de Honest* sic: *Qui mulierum familiaritatem fugere negligit, citò labitur in ruinam; nemo de viribus suis tantum sibi arroget, vt mulierem fugere nolit*. Item de Temp. serm. 150. addit: *Mulieris familiaritas, vel secreta* COLLOCVTIO, *est vitanda*.

Iesus ipse cum Samaritana loquitur, sed in publico, & meridiana luce: docuit nos, vitanda *colloquia* mulierum secreta, etiàm si casta sint, & fine sancto; quid de *impuris* colloquiis inferas? Paulus *Actor. cap. 26.* loqebatur mulieribus, quæ convenerant, at neque clàm, nec arbitris semotis. Non solùm mulieris *aspectu*, sed citiùs earundem *colloquiis*, ruit fabrica pudicitiæ; animum enim facilè movere possunt oris decor, & motuum exquisita mollities. Ventus ignem, *colloquium* libidinem, & amorem accendit: ideò *colloquii* cum muliere symbolum vas infundens oleum *lucernæ*, cui vasi lemma, *alimenta ministrat*.

Homo fœminæ propior instar canis est venatici; qui prædæ propior, tunc avidior. Fœminarum consortium dicas præsentaneum virus. Si quà

sint

sint fœminæ, transire vrgeat, imiteris canem Ægyptium; siti coactus quærit *aquas* Nili; at ne à Cocodrillis deuoretur, non *morando*, sed *fugiendo* bibit; cui ideò lemma, *Ne pereat, per eas*, id est, transit per aquas, non moratur. Hùc Poesis:

Quid facies, facies Veneris cum venerit ante?
Non redeas, sed eas, ne pereas, per eas.

Stare cupis? extra limina stato mali. *Scarus* junceum carcerem incipiens introire, paulatim retrò se ab augusto subducit, & sic salvatur; tu si fœminæ sint, retrocede, colloquia fugias, salus erit. Viator, si vepres videat in viâ, ne laceretur, deflectit. Qui recedit à periculo, consistit in tuto. Antiochi est vox (Gom. 17.) *Calloquium mulieris* ignem *reaccendit voluptatis*. Angelus, qui (*Gen. cap. 16. v. 13.*) loquebatur cum *Agar* in solitudine, cur posteriora vertit, non faciem, loquens cum illa? ipsa dixit, *Profectò hìc vidi posteriora videntis me*; at Angelus, cum muliere sola *loquens* in solitudine, posteriora vertit, non faciem; docens nos, cum fœminis, & præcipuè solis, & in loco solitario, cautè standum, quià hæc sunt periculosa nimìs.

Rebecca juxtà fontem *Colloquium* habet cum Abrahæ servo; hæc narrans Moyses (Gen. cap. 24. v. 16.) addit de illa, *Puella decora nimis, VIRGOque pulcherrima, & INCOGNITA VIRO*; si *Virginem* dixit, cur addit *incognitam viro*? incognita viro erat, si virgo erat; dixisse Virginem erat sufficiens; cur ergo additur incognita viro? at latet mysterium, nec enim Moyses scribit superflua; *Colloquium* habuerat Rebecca cum servo iuxtà fontem, *sola* cum *solo* sine teste erant; ergo providè vt Rebeccæ defendatur honestas, *Virgo* dicitur, & *incognita* viro additur; ita enim sunt suspecta, & periculosa colloquia viri cum fœmina, & pulchrà, maximè Virgine solà puellà, vt duplex puritatis subscribatur eloginm, ne suspecta maneat honestas.

Natura ipsa solicita cum gemellos procreat, membrana distinguit, & *cellulis* locat *diuersis* in ipso vtero matris, si vnus *masculus*, alter *fœmina* sit; si autem eiusdem sint sexus, eos natura involvit in eàdem pelliculà; ergo in schola naturæ discas, masculi, & fœminæ, vitanda esse consortia.

Ex sacrà Parabolicà doctrinà Lucæ cap. 15. duplex parabola favet proposito; proponitur pastor, qui ovem perdiderat, invenit, & vt congratulentur, *convocat amicos, & vicinos*; proponitur item mulier, quæ amisserat gemmam, invenit, & vt comgaudeant, *convocat amicas & vicinas*; pastor convocat *amicos vicinos*, mulier *amicas vicinas*; ille, quia homo, homines; ista, quia mulier, fœminas; non convocat mulier viros, nec fœminas vir convocat; indicant Parabolæ, viris esse vitandos concursus, & cavenda *colloquia* cum fœminis, & fœminis cavenda cum viris.

OSCULA, TACTUS, AMPLEXUS.

IAm ex *visu, risu*, & *colloquio* labuntur impuri in immunda *oscula, turpesque tactus*, & *amplexus*.

Medicina præservativa ab-isto morbo est, considerare, quòd oscula *fœminæ* sint *basiliſci* labia; sint *viperæ* os, quæ in coitu caput consortis intromittit in os, & dulcedine voluptatis agitata premit, & occidit; sunt oscula *capræ*, rodentis vitem, oliuam, quibus sunt exitium, & ruina. Leuis respiratio fœminæ est tuba, quæ affectus nostros ad certamina vocat. Flatus fæmineus pestis est homini, statim inficit cor. Contagi a vitantur in distantia, febres malignæ halitu infirmi, & vicinitate, infestant. Offendit basiliscus halitu, visu, & sibilo, cui ideò lemma, *Ab osculis, halitu, & siboli*, nempe

ca-

caveas; est Emblema, quo ab oculis, halitu, osculo, & sibilo fœminæ maximè pulchræ cavendum, indicatur. Qui oscula libenter figit, aut amat januam inferni pulsat; mergetur citò in foveam, si citò non retrahat pedem,

Cur columbæ à priscis dicatæ Veneri? cur etiam figuratæ vehentes Veneris currum? ad innuendum, quòd si columbæ nunquam coeunt, quin se *osculent*, *oscula* sunt Veneri socia; trahunt, incitant & ipsam Venerem.

Sed vt tactus fœminæ abhorreas, considera, quòd si sal est ex aqua, tu ex muliere es; si sal tangat aquam, dissolvitur; si tu tangas fœminam, resolveris, & deficis. Homo, & fœmina sunt ignis, & stupa; si ille contingat istam, vel ista illum, incendium est. Pulchritudinem dicas spinarum flores; placent aspectui, sed lancinant tangentem. Ventus ignem, contactus viri, & fœminæ, ardorem voluptuosum accendit. Dictum ex Diogene suprà, malum est *videre* fœminam, pejus *alloqui*, *attingere* pessimum; si tangat, ut carbonem accensum excute. Magnes trahit ferrum, contactus fœminæ virum.

Homo cum muliere agit cum serpente; imò in *Eccles.* cap.24. v.23. instruimur, quòd *commorari leoni*, *& draconi*, *placebit magis*, *quàm habitare cum muliere nequam*. Titillat semper Cupido, & si propinquent sexus, cæcus cum sit, nescit etiam inter filias, & sorores, distinguere.

Pauli tuba resonat 1. Cor. cap.7. v.1. *Bonum est mulierem non tangere*; quòd explicans Hieronymus epist.50. reflectit, *Non dixit*, *bonum est homini vxorem non habere*; *sed bonum est mulierem non tangere*, *quasi et in* TACTU *eius periculum sit*.

Ergo nec audeas *tangere* fœminam, nec à fœmina *tangi*; soli lumbi paradisi, vel æneæ renes fœmineo *tactui* resistent. *Tactum* dixeris vermem, qui rodit puritatis lilium. Glacie, & gelu etiam rigens cor, calore Solis pulchritudinis, liquescit; quid erit *attacta*? bullit, fervet. Illaqueatur passer, qui viscum tangit. Tactum fœmineum dicas quietis toxicum, virtutis incendium. Ex silice percusso flamma prosilit, ex tactu mulieris incendium Ethnæ. De vestimentis procedit tinea, de ferro rubigo, scintillæ de accensis carbonibus; de muliere autem pestilentiæ fomes, aculeus peccati, concupiscentiæ sibilus. Cedros libani, duces gregum, talis pestis contactu concidisse reperies. Cur fœminam tangas? scorpionis more semper est parata ferire. Etiam pudicæ mulieris oculus cavendus; quid jam putes de aspectu, & tactu meretricis? Vrticam leviter si tangas, adurit; quicquid piscis *stella* tangit, illud exurit, si credimus Plinio lib 9.cap.60. Hinc *vrtica*, & piscis *stella* dixeris symbola fœminæ maximè pulchræ, quæ leviter etiam tangentes torret, cremat, sicut & ipsa fœmina à virò *tacta* concrematur, succenditur, inflammatur, peruritur; fit Emblema, si *vrticæ*, & *stellæ piscis* addideris epigraphe, *leviter si tangas*, *adurunt*

Mulier est flamma: papilioni tangenti flammam datum lemma, *tetigisse periisse est*. Mulier est sulphur, in te est ignis; vide quòd etiam si ignis lateat sub cinere, si sulphure tangatur, accenditur, cui epigraphe, *si sulphure tangar*; caveat ergo vir tangere fœminam, & tangi; caveat & fœmina tangere virum, vel tangi; sunt sulphur, & ignis; solus levis *tactus* accendit.

Quorsum quòd Antæus, superatus ab Hercule, si tangebat terram, surgebat fortior? nomine Antæi Gigantis intelliguntur superbi, voluptuosi, ambitiosi, vitiosi, nomine Herculis virtus, hæc hominem elevat è terrenis ad cœlestia; at si iterum cor adhæreat terrenis, & ea tangat, fortiores insurgunt vitiosæ passiones. Ad præsens nomine Antæi intelligitur libidinosus, nomine terræ corpus, nomine Herculis *virtus*, *ratio recta*, *castitas*; hæc nos

ele-

elevantâ ſorde libidinis; at ſi poſtea vir *tangat* fœminam, vel fœmina virum, ex *contactu* terræ, nempe *corporis*, libidinoſus appetitus, viribus acceptis, aſſurgit fortior contra virtutem, rectamque rationem.

Ergo vir, & fœmina omnes *tactus* abhorreant; ſi contigerit *tangi*, ſe retrahant more herbæ dictæ *pudicæ* vel *Anonimus*, de qua lego:

Miræ eſt Anonimus naturæ planta, manuque
Tacta ſtatim retrahit ſe ſe, & conſtringitur vnà.

cui ideò inſcriptio, *tacta ſe retrahit*. Hinc canimus S. Franciſcum Saleſſium, à manu ſtringitur fœminæ impuræ, ille retrahit, cui ideò canticum:

Admovet iſta manus manibus, ſed retrahit ille,
Et fugit, quando tendit in ora manus.

TACTIBUS ſolent eſſe ſocii AMPLEXVS; at caveas; non lateat, quòd *amplexus* meretricis, ſive fœminæ impuræ, ſint brachia *vrſi* amplectentis alvearia, at vt comedat mel, & prædetur ſubſtantiam; amplectitur hominem, ſed vt occidat; vt que perimant, viatorem amplectuntur latrones. Brachia meretricis, amplectentis virum, dixerim brachia hederæ, amplectentis murum, & arborem; at vt fugat, ſtet, ſuſtentetur, alatur, & tandem fugendo, murum, & arborem deprimit in ruinam; ideò *hederæ* amplectenti murum datum lemma, *amplectendo proſternit*; & eidem hederæ, arborem amplectenti, ſignatum epigraphe, *fugit, & tandem exſiccat*.

Jam poſt VISVM, RISVM, COLLOQVIVM, OSCVLA, TACTVM, ſuccedit *actus* impurus; ergo (ex hoc capite) ſi abſtineas ab illis, te præſervas ab iſto; ſit ergo alia medicina *præſervativa* ab actu Venereo, huius fontes, & procœmia fugere; aufertur enim effectus ablatâ causâ.

Sed quia *poſt* ACTVM *factum*, & *poſt FACTVM pœnitet ACTVM*, ſit alia medicina, præſervativa à Cupidine impuro, digerere mente, quòd poſt *turpe factum* pœnitet *actum*:

TERTIA MEDICINA PRÆSERVATIVA à Venere impurâ ſit reflectere, quòd poſt ACTVM factum, *& poſt FACTVM pœnitet ACTVM. Vbi effectus fatales libidinis, & quòd HEI HEV ſunt luxuriæ finis, ex Poeſi per ADONIN, HYACINTHUM, & CIRCEM in AEEA inſula.*

Actus fuit impurus? tranſiit? & breviter; ecce jam *poſt factum pœnitet actum*. Finis voluptatis eſt initium doloris; breve fuit jucundum exordium, prolixa, & diturna, ſuccedit doloris oratio. O fallax palatium; brevis grata janua, dilatata nimis torturæ habitatio! Vix delectatio fuit, jam machina bellica tonat. Fuit ille impurus actus lictor dirus, carnifex cruentus, feralis, barbaruſque tortor: placida fune traxit ad patibulum triſte, proboſum.

Vix lapſus impurus, jam poſt factum remorſus conſcientiæ torquet, ira Dei imminet, infernus aperuit os, timor denigrationis honoris cruciat, rubor vrget ingenti mole, pondus peccati gravat, conſtringitur cor, perturbatur animus, & quia nihil occultum, quod non reveletur, quod factum eſt in receſſu, jam times divulgatum in foro. Quid dicent amici? qua lætitia jocabuntur hoſtes? Quid putent tibi prælati? Quid illi, apud quos vigebas in opinione laudabili? Quid confabulabuntur ſocii? Vnico voluptatis momento honoris, & meriti tui, procera columnaruit, auguſta aula corruit. Jàm qui florebas apud alios venerationis metropolis, jaces omnium ludibrium, & calcantium pedum opprobrium. Figmentum Poeticum, quòd Martem coeuntem cum Venere inveniens Vulcanus, iſte illum catenis occultis ligavit, & riſui, & ludibrio Deorum expoſuit, indicat, etiam Martes, & viros

ros generosos,& sapiẽtes labi in irrisum,si Veneri se tradant. Destinatus qui eras ad honores,& lauros in Capitolio dignitatum,ex rubore,& vituperio,occultus confugis ad catacumbas oblivionis. Qui cum Phœbo, sive Appolline apud gentes contendebas, rejectus, & pudore confusus, in cavernis Plutonis commorari refugium quæris; & ideò impuri hyerogliphicum cervus, qui cum fœminam implerit, fœtet ut hircus, ejus caput, more hircorum, denigrescit aspergine; hìnc propter graveolentiam pudore affectus separatur ipse per se, solitarius scrobes fodit, latet in recessu, quousque, imber accidat, & lavatus ad pascua se repetat; quare per ipsum symbolicè significatur lasciviæ pœnitentia, id est, rubor ex lascivia,propter quod impurus cum gentibus conversari erubescit, in recessuque, & solitudine, segregatus morari eligit. O angor! O mæror! O dolor! O triste malum! O quàm acerbum tibi, impure,manet supplicium, pœnæ artifex ipse tuæ; instarque gemis Perilli, qui inventor ænei tauri, in quo fuit Vulcano datus, suo invento periit incensus, & extinctus miserè. Libido aut perimitur,aut perimit;aut perimas castitate,aut perimit ardore. Basiliscus non solùm halitu occidit volatilia,quadrupedia,& plantas, sed semetipsum occidit, si se reflectat intra speculum; sic impurus occidit alios, & se. Libidinem dicas scopulum Charybdim; nunquàm satiatur, quousque animum, & corpus impuri sorbeat. Si *libidinosum* putes *vrsum*, non contendam; crescit vrsus, dum vivit; sic impuritas sola cum morte terminat, senectus executioni non favet, at habitus impurus sordidis cum desideriis inficit. Libidinis pravos affectus dixerim *castaneas*, crassos humores generant, sæviunt in caput, & quia ventosæ libibinem inflant; & sicut castaneæ lemma, *in caput sævit, & corpus*, ita libido caput offendit, spiritus animales attenuat, obnubilat mentem, judicium à prudentioribus aufert.

Oleum lucernæ consumitur ab igne, sic substantia corporis à libidine: Cur Venus effingitur natans in mari? ad innuendum, quòd impurus in mari libidinis procellà passionum cum amaritudine agitatur. Cur Venus effingitur,conchà marinà portari?ad innuendum,quòd si hujus generis animal toto corpore simul aperto in coitu miscetur, corpore autem aperto humorem evacuari,infertur, ita labitur substantia corporis,quod libidini se tradit.

Fabula, quòd una *Nereidum* in insula *Nosola* viris commisceri solita, postea eos in pisces converteret, conspirat, ad instruendum, quòd si pisces sunt frigidi, & sine substantia, libido effusa homines frigidos reddit, sine calore, & more piscium substantia carent, quia illam evacuant.

Sal,quia in eo est natura ignis,accendit,adurit,consumit,& exsiccat, cui lemma, *vrit,exsiccat*; tales sunt ignis lasciviæ effectus, ut ideò sal sit symbolum libidinis. Libidinem dicas stannum liquefactum, & bulliens, omnia frangit corpora, quanvis dura, & solida, quibus admisceatur, cui ideo epigraphe, *fervens vel solida frangit*; sed æstus, & fervores libidinis fortiora etiam corpora frangunt.

Libidinem dicas labyrinthum gratum, non ex fabrica firma, quale illud Candiæ refertur,sed obliquè dispositum ex brevibus floribus, & viridi myrto; est error gratus, sed error; qui intrat, exitum nescit.

Libidinosum si dixerim passerem levi escà ligatum, hìnc sine libertate captivum, cur litiges? libidini te mancipasti? servus es peccati; servus non sui, sed Domini est; leges civiles clamant, & sacræ.

Ecce libidinosi symbolum candelam;si non extinguas,priùs consumitur, quàm restinguitur; sic si virtutis flatu, aquà, non necetur flamma libidinis, priùs exanimaris,quàm superetur flamma. Ea impuri est calamitas, ut ipse blandiatur neci propriæ;hùcque conspirat Emblema illud, in quo figuratur

manus in actione blandiendi serpenti, symbolo voluptatis, & libidinis, cui ideò scriptio, *propriæ blanditur neci*.

O dolia perforata! tales nuncupes libidinosos, qui nihil seminis retinere possunt, & propter infidam animi compagem, honestatisque oblivionem, nihil substantiæ infusæ retinent; reflectite, quòd à libidine vestra exinanitio, spirituum vitalium læthalis evacuatio.

O fera cauda libidinis, tot malorum coacervatio! Congruè Poesis Chimæræ monstro figurato cum medietate capræ, symboli libidinis, appinxit caudam draconis, sive draconem pro caudà, sicut & cani Cerbero symbolo sordidæ petulantiæ; an tot mala nata ex libidine monstro non sint draco pro cauda? sapientèr in Philosophia Morali symbolicà Pythagoricà instruimur illo symbolo, *Abstinendum ab his, quibus sit nigra cauda*; quæ sunt ista? vitia. Caudam *libidinis* nigram, tragicos fines manibus mentis palpasti; animo, & corpore, pati caveas.

Dexterè veteres *Volupiam*, & *Dolorem* simùl effigiarunt, ut innuerent, quòd nulla est sine dolore voluptas. Nec sinistrè in templo Libitinæ erant funebres apparatus, ferales tunicæ, (ut inter alia) indicarent, quòd si nomine *Libitinæ* intelligebant *Venerem*, ubi Venus impura, ibi mors. Veneri te tradis? tunicam feralem præpares; cum Venere finis vitæ adest; quot sint occisi à libidine, ipsi libidinosi experti testantur.

Hei, *Heu* sunt libidinis finis. Quis est ordo amoris? *inchoare*, *perficere*, *pœnitere*, Adonis amasius Veneris effingitur a Poesi percussus in *inguine* dente apri, & occisus; quid indicatur? quòd Veneris amantes ab apro symbolo humoris Gallici percutiuntur in inguine, cum illam partem gallici humores, & tumores, vitiant; chirurgus venit, ut secet; an non clamas *hei*, *heu*? notæ doloris sunt; ergo *hei* est libidinis finis. Aper idem te occidit; an mori turus non dicis *hei*?

Adonidem occisum ab apro Poesis effingit à Venere commutatùm in florem *sanguinei* coloris; quid ex Venere, nisi sanguineæ rixæ, occisiones, effusiones sanguinis? Alter ex zelotypia, vel ex zelo honoris domus, & familiæ propriæ, quam cum Venere illicità deturpas, ense ferit, penetrat, occidit; an non auditur *hei* cum *sanguine*?

Hyacinthum puerum ab Apolline dilectum, & ab eodem imprudenter disci jactu occisum, legimus in fabulis, & ab eodem Apolline lectitamus in florem, cui nomen ipsius extincti, commutatum. Quorsùm ista? Non te latet, quòd hyacinthus sit vernæ genus violæ, *obscuræ* colore *purpuræ*, distinctam observes venis quibusdam *nigris*, ita ut, discurrentibus lineis, duarum Græcarum literarum, latinè *hei*, forment effigiem, Hispanice *ay* signi doloris. Indicavit, Poesis, quòd iste sit amoris impuri finis *hei*, Hispanicè *ay*. Item *obscura purpura*, color niger, est color hyacinthi; at purpurerus obscurus in nigra tela est moris in funebribus apparatibus; hinc indicatur, quòd mors, exequiæ, apparatus ferales, sunt amoris impuri terminus.

Fabula 31. Ovidii narrat Priamum, & Thisbem, turpiter se amantes; ex quibus Priamus putans Thisbem occisam à leone, ense se extinxit; Thisbe postea veniens & cernens dilectum, præ amore transfixum, ense avulso è pectore amati, proprio pectori infixit; utrique erat acerbius sine re dilectà vivere. Fingunt, *morum*, rigatam sanguine ipsorum, cum antea dedisset fructus *albos*, postea protulisse *nigros*, & succum rubeum, *sanguinis* instar; quò ista respiciant, sponte liquet ex dictis, cum & color rubeus symbolum sanguinis, & color *niger* sit mortis, & feralis eventus, symbolum. Verè Venus fortunam *albam* vertit in *nigram*. Ergo *hei* Veneris est finis. Providè Poetæ Circem, per quam fuit intellecta libido, dixerunt insulam

Aeæam habitasse; Aæa enim *æ*, *æ*, *heu*, *heu*, *hei* significat, in insula *heu*, *hei*, libidinosus habitat; ergo nunquam sine *hei*, quia semper in terra *doloris* incola.

Si relata tecum referas, an cum *post turpe actum* succedat *factum*, *post factū non pœnitet actum*? An nonsit medicina *præservativa* à Venereo morbo, præfatos cruentos prævidere eventus, eos corde versare, & volutare pectore toto? abstinebis à Venere, ne posteà Venerem amasse pœniteat, & momentaneæ voluptatis monetà diuturnus ematur dolor. O amens, calamitatum turbam, dolorum cohortes, tibi, & contrà te, tuà monetà comparas? proprià manu paras? Memento, quòd *post factum pœnitet actum*, & *hei*, *heu* est libidinosæ vooluptatis finis, eidemque *nigra cauda draconis*.

Vide dicta contrà *Aristippum* in secundà Porticu, quando *Venus* allegabat pro *Voluptatibus sensus*; *Ratione*, ideſt Pallade, (per quam intelliguntur *Sapientia*, *Ratio*) ex literis sacris, & profanis, & Poeticis, contrà Venerem Aristippeam cum fulminibus rugiente, tonante.

QVARTA MEDICINA PRÆSERVATIVA à Venere impurà est versare mente maturà symbola Poetica MERETRICVM, *nempe* SYRTES ANGVIPEDES, SIRENES, ARPIAS, SPHINGES, EQVOS DIOMEDIS, SCILLAM, & CIRCEM. *Item* MERETRICES *describuntur à* SALOMONE.

QUomodo terribilis, & frigidus, præcordia non quatiat horror, si symbola, & hieroglyphica metricum acie animi intelligas? sanè mentem subit horror, gelidus terror ossa pererrat, occupat artus, erigit comas, trepidat formidine pectus, intremunt succiduo poplite genua, & totum corpus horret, contremiscit, ut impulsæ Aquilonibus segetes.

Philosophia Moralis *Proverbialis*, & Parabolica Salomonica *Prov. cap.* 5. sic contrà meretrices hortatur: *Fili mi*, *attende ad sapientiam meam*, & *prudentiæ meæ inclina aurem tuam*, *ut custodias cogitationes*, & *disciplinam abia tua conservent. Ne* attendas FALLACIAS MULIERIS. *Favus enim distillans labia* MERETRICIS, & *nitidum oleo guttur ejus*. MOVISSIMA *autem illius* AMARA, *quasi* ABSYNTHIUM, & *acuta quasi* GLADIUS BICEPS. *Pedes ejus descendunt in* MORTEM, & *ad* INFEROS *gressus illius penetrant. Per semitam viæ non ambulant*, *vagi sunt gressus ejus*, & *investigabiles. Nunc ergo*, *filimi*, *audi me*, & *ne recedas à verbis oris mei. LONGE fac ab ea VIAM TVAM*, & *ne appropinques FORIBUS DOMUS ejus. Ne des alienis* HONOREM TUUM, & ANNOS TUOS *crudeli*. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & LABORES TUI *sint in* DOMO ALIENA, & *gemas in novissimis*, *quando consumpseris*, CARNES, & CORPUS TUUM, & *dicas*, CUR DETESTATUS SUM DISCIPLINAM, ET IMCREPATIONIBUS NON ACQUIEVIT COR MEUM, NEC AUDIVI VOCEM DOCENTIUM ME, ET MAGISTRIS MON INCLINAVI AUREM MEAM? Hæc Salomon. Ecce instruit Salomon, spiritus sanctus ore Salomonis admonet; dicit favum distillantem labia meretricis, & nitidum oleo guttur ejus, ut alliciat incautos; at novissima (id est fines, effectus, termini commercii cum meretrice) sunt *amara*, *sicut absynthium*, & *acuta*, *quasi gladius biceps*.

Hinc à Salomonis descriptione didicerint veteres sapientes figurare meretricum symbola.

De *Syrtibus anguipedibus* aliquid pag. 386. dictum; at uberiùs, & ad præsens idoneè, fabulam Lybicam legimus in D. Chrysostomo *Orat.* 5. Esse fabu-

lantur in Lybia ferarum genus ex promiscuo bestiarum plurium, & diversorum generum, coitu progenitum; id autem immane, ferumque, & ferocissimum circa Syrtes plurimum versari: cibi gratiâ tum feras reliquas venatu, tùm *humanum pastum*, conquirere quàm avidissimè. Ejus verò monstri naturam, faciemque formâ esse hujusmodi conspicuam: *corpus* quidem *muliebre*, idque admodum *formosum*, lascivè *tumentes papillæ*, *totumque pectus*, *ac cervix pulcherrima*; *colore cutis nitidissimo*; *mira ab ejus oculis prosiliebat hilaritas*, *quæ intuentem quemlibet in amorem procliviter alliceret*: reliquum verò corporis *horridum*, *& squamarum scabritie asperum*, *& intractabile*; infernè demùm *in longum anguem* desinebat, cujus *caput*, in extrema parte positùm, *acre* admodum esset, & *mordacissimum*; alis non esse præditum, sed Sphyngis instar factum; nec tamen *eloqui*, ut Sphynges faciunt, sed Draconum in morem *sibilum* tantùm edere *acutissimum*. Feras has tota Lybia plurimas, atque omnium, quæ quot, & qualibuscumque pedibus ingrediantur, *velocissimas*, ut nemo esset tàm alacer, qui earum insultus effugisse gloriari posset. Animalia itaque reliqua quotquot nactæ fuerint, pernicitate sua fretæ, ac robore, per vim assequuntur, & opprimunt; sed *unum hominem* dolo tantùm, ac blanditiis *adoriuntur*, *& superant*, ut potè quæ *pectoribus tàm amabilibus ostentatis*, spectatores uti præstigiis *implicant*, fallacissimosque amoris laqueos *intentant*, conciliandis congressibus admodùm, *idoneæ*; in hos quippe cum inciderint, nullum ciunt tumultum, nihil hòstile minantur, immotæ verò manent, oculis interìm ad terram magnà cum modestiâ dejectis; instar speciosæ, lepidæque fœminæ, ad colloquii congressum invitant, lenociniisque omnibus alliciunt. Simul ac verò quis, *ut voluptuosorum hominum imprudentia est*, cominùs accesserit, extemplò eum arripiunt, *injectis*, quas *aduncis unguibus* præditas habent, *manibus*, tamdiù priùs *occultatis*, quoad prædæ capiundæ *oblata sit occasio*. Insurgit extemplò, sive celeriter, serpens à tergo aggressus, apprehensumque læthali morbo transfigit, venenoque immisso enecat vestigiò; mox cadaver miserabile serpens, & feræ ipsæ latentes, unà socialiter depascuntur.

Planè *Syrtes anguipedes* sunt meretricum fœminarum symbolum; illæ sunt monstra fera, sic & meretrices; illæ venantur quicquid possunt, sic & meretrices; illæ maximè carnem humanam appetunt, sic & meretrices maximè Juvenilem inhiant; illæ sunt conspicuæ formâ, papillas tumentes explicant, colore *nitidissimo* pectus, & cervicem ostendunt, sic & meretrices, deque meretrice inquit Salomon, *nitidum oleo guttur ejus*. Illæ oculis hilaribus incautos alliciunt, istæ oculorum, & vultus, dolosa hilaritate captant, deliniunt. Illæ hominem dolo, & lenociniis, simulando modestiam, ad ruinam trahunt, sic & meretrices accersunt. Illæ sibilo advocant, sic & meretrices zeziffando conciliant, appellant, illiciunt; transis per callem, circa earum domos, ipsæ scibollizando advocant. Syrtes anguipedes dum pulchritudinem venustam cum blanditiis ostentant, manus occultant, rapacibus, quas habent, unguibus præditas, item & caudam draconis; sic & meretrices manus rapaces celant, tegunt; sed more illarum, cum miserum jam capiunt, ungues rapaces explicant, & manus rapientes; avidè extorquent, eripiunt, quicquid sit in crumenà, bursà, ipsam corporis substantiam, sanitatem, honorem, vitam; sicut dracones mordent, inficiunt; læthali caudà, dracone peccati, animã lædunt; humoribus (ut dicebatur suprà) gallicis corpus item occidunt. Sicutque Syrtes anguipedes misero homine occiso, eum depascuntur cum sociis feris, ita meretrices, illo infausto, qui incidit earum in ungues, variis modis extincto, & expilato, postea cum meretricibus

bus aliis, & cum lenis, lætis jocantur conviviis. Ovidius 1. Amor. 10.

Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miseras jusso corpore quærit opes
Sola viro mulier spoliis exultat ademptis,
Sola locat noctes, sola locando venit.

Nec aliquis est tam alacer, qui *sine speciali Dei ope* insultus meretricum, effugisse gloriari possit, si in eas inciderit. Ecce quod dicebat Salomon, *Novissima autem meretricis amara, quasi absynthium, & amara quasi gladius biceps*; hinc enim illinc secat animam, & corpus; ferit, scindit.

Ad idem attinet aliud maretricum symbolum *Siren*. Poesis effinxit *Sirenem* monstrum marinum, superiori sui parte speciem virginis referens, inferiore in piscis caudam desinens. Servius in Virg. 5. Æn. dicit *Sirenes* superiori portione *Virginea*, inferiore sub *volucris*, sive *avis rapacis*, specie. Tres referuntur Sirenes *Partenope, Lisia, & Leucosia*; in littore Siculo habitasse ferunt, quæ harmonicà suavitate cantus alliciebant navigantes, dulcedineque harmoniæ sopitos necabant, spoliabant, & deiiciebant in mare; excogitabantque ex omnibus cantilenis, quas pro cuiusque ingenio jucundiores fore putabant, ut lenociniis pro cuiusque genio omnes ad calamitatem allicerent; hæc ergo erat illarum astutia, ea præcipuè canere, quibus maximè delectarentur auditorum aures; hinc canebant amatoria cantica, ut ad libidinem incitarent; incitatos, & allicitos retinendo, cogebant ad egestatem, mortem, & naufragium.

Archippus, lib. 5 de *Piscibus*, ait loca fuisse quædam marina, in angustias quasdam præruptorum montium contractus, in quas illi fluctus sonum cum suavitate, & harmoniâ emittentes, ad visendum alliciebant navigantes, quò cum appulissent, undarum impetu delati absorbebantur, & hinc existâ historiâ locum datum esse fabulæ. At Calepinus asserit, *Sirenes* fuisse *meretrices*, ex quibus una *voce*, altera *tibiis*, altera *lyrâ* canebat, primòque juxta Pelorum, deinde in Capreis insulis habitasse, ubi nautas illectos suo cantu conciliabant, & quia ad egestatem perducebant, fictæ sunt, eis intulisse naufragia, necasse, devorasse carnes, & hùc Virg. 5. Æn.

Iamque adeò scopulos Sirenum advecta subibat,
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.

An non dixeris *Sirenem* congruum *meretricis* symbolum? harmonico cantu alliciebant, verbis blandis, & cantilenis, astutè pro cuiusque genio, sic & meretrices incautos trahunt, & hoc est quòd de meretrice ajebat Salomon, *Favus distillans labia meretricis, vagi sunt gressus ejus, & investigabiles*; sunt enim astutè dolosæ, & sub blanditiarum colore fraudes. At captos miseros unguibus rapacibus dilaniant, spoliant, ad egestatem perducunt ipsos, & eorum bona impellunt in naufragia; etiam carnes eorum devorant, cum infirmitates inferunt, & corpora debilitant, & cum morbis illatis corrumpunt, ita ut à chyrurgo carnes, & membra miserorum secari, & dilaniari, sit pro medicina ars.

Ad idem attinent *Arpiæ* capite virgineo, reliquo avis rapacis; sicut & *Sphinx* vultu, & pectore pulchris, reliquo corporis leonino, & rapaci.

Perque Equos Diomedis Regis Thraciæ, qui pascebantur carnibus, & sanguine humanis, Poesis *meretrices* filias illius intelligit, quæ & *equis* comparantur propter *immoderatũ lasciviam*; carnibusque, & sanguine humanis pasci dicuntur, quia devorant carnem, sanguinem, substantiam miserorum, qui accedunt ad ipsas. Aptè legimus *meretrices* à priscis dictas *lenas*, & *lupas*, & hinc meretricum habitacula *lupanaria* dicta; *meretricesque* quasdam ex Magæra *Sphynges* appellatas ajunt, quia *humano* capite manuetudinem

præ-

præ se ferrent, at corpore reliquo *leonino* rapacitatem, & imperium, quod in amatores exercerent, indicaret.

Meretrices Arpiarum & Sphingis instàr, vultum simulant *Virgineum*, ideſt, simulant, se esse *Virgines* animo, & corpore, integras, incorruptas, sinceras, ut sic alliciant, & pretio majori corpus prosternant; putabat incautus amasius virginitatis lilium, & invenit corruptionis follem; putabat viridem olivam, & invenit arundinem perforatam; putabat columbam, & invenit Arpiam, Sphingem, Syrtem, Sirenem.

Hæc sunt extrema blanditiei meretriciæ, rapere, dilaniare, ad egestatem deducere, honorem lacerare, ad inferos præcipitare, vitam extinguendo corporis, mortem culpæ inferendo animæ, ut ideò Salomon admoneat, *Pedes ejus* (nempe meretricis) descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant. *Nunc ergo, fili mi, longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus: nedes alienis HONOREM TUUM, & ANNOS TUOS crudeli; ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint IN DOMO ALIENA, & gemas in noviſſimis, quando consumpseris CARNES TUAS, & CORPUS TUUM.*

Vide, quòd *Sirenes* dictæ sint à voce Græcà, latinè *decipere*, vel à voce Græcà, latinè *catena*, *vinculum*, quia meretrices *decipiunt*, more catenæ *vinciunt*; ergo ne sis dolosè captus, & vinculis crudelibus constrictus, mente serva Salomonicum consilium, *longe fac à meretrice viam tuam, ne appropinques foribus domus ejus*. Si occurrat transire per callem, vel juxtà domum, ubi sit meretrix, muta viam; longior semita erit tibi compendiosa via, quia à periculo mali diuturni distat. Si non possis vitare viam, ubi sit *meretrix*, teme ipsum liga rectæ rationis, & virtutis ligno, ne ad ipsam divertas; quòd enim Vlysses, cum fuit urgentia navigare juxtà loca, ubi erant Sirenes, jusserit, se malo navis alligari, & sic periculum evasisse, conspirat ad innuendum, quòd mens prudens, ligando se rectæ rationis, & virtutis ligno, meretricum pericula vitat.

Ne audias meretricum cantus, aures obtura; Vlysses enim cerà obturavit sociorum aures, ne Sirenum cantus, & harmoniam perciperent; si aurem cantilenas earum amatorias, & profanas audias, tu cantica Divina, & cæleſtia, intona; quòd enim cum Minyæ per littora Sirenum navigarent, Acæo gubernante navem, Orpheus sumpserit cytharam, canensque Deorum certamina, retuderit Sirenum cantus, ità ut minimè sint eorum cantilenæ auditæ, fuit Poeticum figmentum, ut instruaris, quòd canendo cæleſtia, & divina, meretricii cantus suffocantur, nec vincunt; superat melodia cæleſtis omnem Sirenum harmoniam.

Obiter. Per *Sirenum trium* figmentum etiam veteres innuere voluerunt *illicitas voluptates*, suaviter nos deducentes in ruinam; tres impetus animi *iram*, *concupiſcentiam*, *& libidinem*; aptè finguntur Acheloo taurino patre, & una Musà matre natæ, quia oriuntur à sensu, & suavitate. Musa enim est ea suavitas, quæ nos allicit; sive emanant ab appetitu sensitivo *irascibili* significato in tauro, & à *concupiscibili* indicato in Musà delectante; cumque Sirenes figurentur portione superiori *rationali*, & inferiori *belluina*, symbolum (ut dictum pag. 836.) sunt hominis, cuius portio superior est *rationalis*, & inferior *animalis*; ergo reflecte, quòd *Sirenes* intrà te, & in te *habes*; appetitus sensitivi potentias, & motus, dicas Sirenes, quæ dulcedine appetituum, & cantilenis suavibus, rationem ad se trahere, & allicere intentant; quod si assequantur, hinc rationis clades, hinc animi, hinc hominis calamitas, & naufragium; aptèque Sirenes effigiantur cum *alis* symbolo *velocitatis*, quià velociter, & repentè, contrà rationem assurgunt nostræ

pas-

passiones animales; ergò quòd te alliges, in navi corporis malo, sivè ligno *rectæ rationis, & virtutis*, figmentum suprà relatum de Vlysse admonet; aureisque cerà timoris Dei obtures, ne audias dolosè harmonicos *tuarum passionum* cantus.

Vide, quòd cera illuminat aras symbolum Religionis; dum nos aures cerà præcludere admonemus, observare veræ Religionis præcepta hortamur; nihilque audiendum, nisi quod vera Religio approbet. Nec mireris hos sensus in Poetico figmento, cum (ut dictum alibi) Poetæ illi sapientes ab Hebræis potaverint. Hæc alludunt ad Salomonis verba *Favus distillans labia meretricis*; sic scias ex S P. Aug. serm. 107. de Temp. quòd *proinferis ponitur domus meretricis*.

Quid putes in meretrice inveniri? putabas animum Virgineum, & candidum; sed animo, & pectore toto examina, quòd *Scylla* (de qua pag. 837. dictum) hieroglyphicum meretricis (superiori portione Virginea humanà, inferiori autem horrorem incutientium monstrorum diversitate) tibi prædicat meretricias fallacias; putabas Virginem, invenis corruptam; putabas columbam, avem invenis lacerantem; putabas mansuetam, invenis viperam; putabas ovem, in venis leonem, tigridem; putabas cultam, invenis horrorem; putabas (propter vultus pigmenta fucata) juvenem, invenis calvariam; putabas Philomelam, invenis corvum, & noctuam; putabas sanitatis pharmacum, invenis scabiem, & putredinis saccum; putabas agnum, invenis lupum rapacem; putabas in vultu Gratias, vides ex animo prosilientes Furias; putabas in meretrice amorem sine turpis cupidine lucri, palpas sanguisugam affixam, cui epigraphe, *vix imis fatianda medullis*.

Omnia cum possint expleri, tempore nullo
Expleri possunt fœmina, flamma, fretum.

Tu ipse à meretrice in monstra transis; quòd enim *Circe*, symbolum meretricis, homines tangens magicà virgà eos transmutarit in bruta, fuit figmentum, ut scias, quòd meretrix te sapientem convertit in asinum; te purum transmutat in porcum; te mansuetum trasmutat in tigridem, ut pro illa certes; te serenum convertit ex libidine, petulantià, mordacitate, & zelotypià, in canem; te *aquilam* candidam, *albam*, & innocentem (quæ pascitur innocenter ex herbà, & non ex rapinà, sicut aquila *nigra*, & illa est, quæ dicta jovis ales) convertit in *rapacem nigram*, nam ut meretrici accumules, *rapies* à domo, à proximo, à Rege, à Patre, à matre, à sorore, à fratre, ab amicis, ab aris.

Verè blanditiæ meretricum sunt Jacula, lanceæ, feriunt corda, cum delectant aures. Vt irrideant, arrident; venenum habent oscula ipsarum, os earum dicas toxicum pernicioſum; sub melle verborum meretricis æterna amaritudo latet; Sirenes sunt, quæ ut demergant, sopiunt cantu; vocant, quos vocant. Nec cessat meretrix, cum bonis cunctis spoliavit amantem, imò tunc magis convitiatur, & insultat jacenti. Meretricum diversoriadixeris sepulchra; fœtore, putredine, & immunditià, sordent. Gladius sunt animarum, virus mentium, toxica convivarum, peccandi materia, occasio pereundi, projectio paradisi, pulpamentum viscarium.

Ergo quis hæc ruminans non paveat? quis non palleat? attonitus occupat tremor, capilli rigent, gelidus manat corpore sudor; trepidas? horres? verè horror; ergo ut à morbo meretricio incolumem te serves, sit *medicina præservativa*, meretricum symbola horrida meditari.

Sit tibi speculum Salomonica ex relatis præmissis consequentia, etiam ut repetita tuba resonans, *Nunc* ERGO, *fili mi, audi me, & ne recedas à verbis oris mei; longè fac ab ea* (à meretrice) *viam tuam, & ne appropinques fori-*

foribus domus ejus: ne des alienis HONOREM tuum,& ANNOS TVOS crudeli; ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & LABORES TVI, sint in DOMO ALIENA,& gemas innoviſſimis,quãdo conſumpſerit CARNES TVAS, & CORPVS TVVM; & dicas, CVR *deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, ET MAGISTRIS non inclinavi AVREM MEAM?*

QVINTA MEDICINA PRÆSERVATIVA à Cupidine impuro, ſive ſordida Venere, FVGERE OTIVM.

ILla eſt Divina vox in *Eccleſ.* cap.33.v.28. *ſervo malevolo tortura, & compedes; mitte illum in operationem, ne vacet; multam etiam docuit malitiam* OTIOSITAS. Et quidem omnium tentationum, & cogitationum malarum colluvies eſt otium; dixeris id ſentinam omnium malorum. Otium ſi dixeris ignorantiæ magiſtrum, hoſtem artium, rubiginem, & noctem ingenii, morborum fomitem, exilium virtutis, pudicitiæ leonem, præſidium dœmonum, proditorem animæ, vitiorum hoſpitium, patrem inopiæ, hominis vivi ſepulchrum, mortui barathrum, numinis odium, deſcripſiſti otium. Otioſus homo cadaver eſt hominis, in quo cadavere anima ſepulta jacet; otium Demetrius dicebat mare mortuum. Eſt janua, qua utitur communis hoſtis, ut illicitas illecebras cogitationum inſtillet, utque miſeras captivet animas, ſunt arma voluptas, & otioſitas. Hùc ſacra Philoſophia Moralis Proverbialis *Proverb.* cap.24.v.30. *Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Quid per urticas, & ſpinas intelligitur ſymbolicè? vitia; quid per agrum, & vineam? anima; ergo vitiis repletur anima pigri.

Licèt otium ſit omnium vitiorum, malorumque animi, & corporis, parens, dictat Chryſoſtomus in cap Math.21.Hom.10. *Fornicatio otioſis peculiare crimen.* Conſonat S. P. Auguſtinus: *Per otioſitatem accendimur frequenter ad luxuriam,* Sancto Antonino cap.14. conclamante, *gravius libido urit, quæ invenit otioſum.* Otium, & delicias, caſtitatis prœdones dicimus; huc Ovidius lib 1. de *Remed.* Amoris.

Quæritur, Ægiſthus, quarè ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.
Otia ſi tollas periere Cupidinis, arcus,
Contemptæque jacent, & ſine luce faces.

Quid eſt impurus? reſpondet Theophraſtus, *eſt otioſæ animæ affectus.*

Ergo *Medicina alia præſervativa* ab amore *impuro*, ſit *honeſto* vacare labori. Quod remedium, ut otium fugias? conſiderare torrentes præcipites malorum fluentes ex otio; procurare ardentem Dei amorem; Chriſti labores ponderare frequenter; præmia laudabilium meditare laborum; timere ſupplicia, ex Luca enim cap. 12. ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit multis; & in Prov.cap.10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium divitias parat.* Auguſtinus ſerm.17. ad fratres in eremo, tomo.10.prædicat: *Fuge otium, & ſemper aliquid facere memento; fuge otium, quia* MORS *eſt.* Sampſon, dum cum Philiſtœis pugnavit, non eſt ſuperatus ab hoſtibus; at eſt captus, cum in ſinu fœminæ dormivit otiosè. Salomon, operoſus in ædificatione templi, luxuriæ non ceſſit; ceſſavit ab opere, & fœminâ inſtigante, declinavit ad idola, aureum vitulum adoravit in thalamo. David ſe maculavit adulterio, & homicidio, dùm indomo remanſit otiosè, quem non inſultavit luxuria, cùm exer-

ceba-

cebatur in bello. Ergo qui legis, intellige:

SEXTA MEDICINA PRÆSERVATIVA ab Amore impuro vitare CANTUS, MVSICAS, SALTATIONES, DELITIAS, COMAS FICTITIAS, vel ARTIFICIOSE comptas, veſtimenta FLORIDA, Venerea, profana, & PECTORA NUDA, ODORES LASCIVOS. Ex Poeſi per MATREM SIRENVM, & per NOMINA harum, & per SIRENES canentes, & ſaltantes *in* floridis *pratis; per HORAS, & GRATIAS Veneri ſocias; per HORTOS, MIRTHVM, & ROSAM, Veneri dicata, per VENERI charum ADONIM, per que auream comam MEDVSÆ.*

SAtis hæc medicina inferebatur ex dictis, ſed ſpecialiùs ſubſcribitur: Si occaſiones amoris impuri vitare velis, fugias *cantus*, & *muſicas* fœminarum, fugias earum *ſaltatus* videre, fugias *delicias*. Cur enim *Sirenes* effinxit Poeſis *canentes*, *ſonantes*, *ſaltantes in floridis pratis*, niſi ad innuendum, quòd ſi Sirenum nomine intelliguntur voluptates venereæ, & meretrices, ſunt ſociæ Veneri impuræ deliciæ, cantus, ſaltationes, & muſicæ fœminarum? his viſcis voluptates impuræ, fœminæ impuræ, meretrices capiunt, & illaqueant incautos, alliciunt ad calamitatem. *Gratiæ* effigiatæ hilares, & *ſaltantes* tempore verno, figuratæ ſunt à priſcis ſociæ Veneri, quia *ſaltare* eſt impuræ Veneri ſocium. *Cygni* inducti ſunt à Poeſi vehentes Veneris currum, ut indicetur; quòd ſi Cygnus eſt harmonici, dulcis, & ſuavis *cantus*, vox canora, dulcis, & harmonicus cantus, Venerem trahunt.

Ecce cur apud Lacœdemonios erat figurata Venus pedicis, ſive compedibus impedita; indicabatur in illo ſimulacro *Venus caſta*, compedes ſaltationem impediunt; Venus ergo caſta fuit effigiata cum compedibus, ut indicaretur, quòd *ſaltationes* ſunt caſtitati contrariæ; libertas pedum, & ſaltationes, crimina ſunt veneris meretricis; ideò dictum; *compedibus Venerem, vinculis conſtringe Lyæum*.

Sed & tu, *matrona* honeſta, *puella* caſta, *virgo* pudica, etiam invitata tibiis, & iam reſonante muſicâ, nolite conſentire *ſaltationi*, recedite, ad receſſum confugite. *Turturem* ſcitote, symbolum pudicitiæ, quia inſolitudine habitat, mirum in modum tibiis affici, quarum etiam modulatione auditâ, dare *motus incompoſitos*, & *ſaltationem* imitari, dicunt; at tibiis, & in *ſaltatione* capitur; ſic *tibiis*, *cantu*, & *ſaltatione* capiuntur turtures, ſic etiam & honeſtæ matronæ, ſic puellæ caſtæ, ſic etiam pudicæ virgines; juvenemque, virumque impudicum, & mollem, digito applicato ad caput, & in actione volentis *ſaltare*, pingunt.

Muſa mater Sirenum dicta eſt *Calliopen* à verbo Græco latinè *bonum*, & *vox*, ex quibus componitur *bona vox*. Alii dicunt Sirenes filias *Terpſicores* Muſæ, Græcè ſic dicitur à *delectandis choreis*, quare ab aliquibus *Cithariſtria* nuncupatur. Alii eas effingunt filias Muſæ *Melpomenen*, Græcè dictæ à voce latinè *canto*, *modulor*, *concentum facio*. Et ſic trium Sirenum diſtributa ſunt à Poeſi officia, ut una *caneret*, cui eſſet *bona vox*, per *Calliopen* ſignificata; alia ſonaret *Citharam*, & ea ſignificata per Terpſicoren, *Citharistria* nuncupata, & à *choreis delectandis*. Alteri Sirenum eſt tibiis ſonare datum, & hoc ſignificatur per *Melpomenen*, sìc dictam à voce Græcà, latinè *modulor*, *concentum facio*. Dexterè *bona vox*, *delectatio ex citharâ*, *tibiarum concentus* effinguntur *matres Sirenum*, per quas *illicitæ voluptates* intelliguntur, quia illæ ſunt amoris impuri, ſordidi Cupidinis, Veneris illicitæ, matres.

Nomina ipsa Sirenum *trium* ad idem conspirant; sunt apud aliquos *Aglaope*, *Pasinoe*, *Thexiopia*, ex quibus prima interpretatur, *suavis aspectu*, secunda *menti facilè suadens*, tertia *solo aspectù delectans*. Apud alios sunt Sirenum nomina *Thelsiope Molpe*, *Aglaophonos*; ex quibus prima interpretatur *solo aspectu delectans*, secunda *mentem demulcens*, tertia *jucunda vox*. Apud alios Sirenum nomina sunt *Leucosia*, *Ligea*, *Parthenope*; ex quibus prima interpretatur *candida*, secunda *sonora*, tertia *habens virginis faciem*; ergo nomina Sirenum (quæ effinguntur incitantes amorem venereum, & allicientes ad ruinam) dicta sunt *suavis aspectus*, *facilis*, & meliflua *suadela*, *sive dulcia verba*, *suavis locutio*, *aspectus delectans*, *mentem demulcens*, *jucunda vox*, *candicans color*, *vox sonora*, *facies virginea*; hæc dicuntur nomina Sirenum, quia sic meretrices alliciunt, sic fœminæ trahunt, sic illicitæ voluptates vocantur, his nominibus accersitur Cupido impurus; ergo cave, audire voces sonoras, cantus, musicas, verba dulcia fœminarum; caveas, videre suaves earum aspectus, vultus candorem, saltationes, virgineas facies, & quia in campis *floridis* effinguntur Sirenes, fuge delicias, & mollities, quia ibi libido habitat. Cur Deus Adamum ejecit è paradiso voluptatis, nisi ne moreretur impœnitens inter delicias? difficilis pœnitentia, ubi deliciæ.

Floridis in campis cernas flores diversitate colorum, ibi aureos, candidos, purpureos, violaceos, ibi herbarum virorem; vestitam vides terram floridè, & colorum varietate; at cur Sirenes dictæ sunt habitantes in *floridis* campis, & colorum *varietate* amœnis, nisi ad innuendum, quòd vestimẽta *florida*, & colorum *varietate* conspicua, sint meretricibus, voluptatibus, & impuræ Veneri socia? Hùc conspirant *Gratiæ* figuratæ saltantes tempore *florido* verno; cur effigiatæ sociæ Veneri? cur & *Horæ* figuratæ *floridæ*, floridisque vestimentis, sunt dictæ Veneri sociæ? ut indicaretur, saltationes, vestimenta *floridà*, & varia *diversitate* colorum, esse socia Veneri; indoles venerea vestimenta *florida* amat; hæc indices sunt Veneris; ubi *Venus* ibi vestimenta *florida*; ubi ista, ibi Venus; nunquàm Minervam floridè vestitam legimus.

Habitus indicat animum; qui venereus est, venereè vestit; qui venereè vestit, etiamsi adhùc impurus non esset, Venerem accersit; visus enim, *florida varietate colorum* se delectans, incitat mollitiem, excitat concupiscentiam; nec sine consilio Poetæ effinxerunt *hortos* sub tutelà Veneris, ut instruerent, quòd si in hortis micant diversi coloris flores, si in hortis amœnitas, delectatio visus, deliciæ, viror, ista cuncta sunt socia Veneri. Viperam symbolum libidinis videas colorum varietate vestitam. Pantheram luxuriæ hieroglyphicum cernas in pelle coloribus variam; ergo impurum, vel impuram nudis mammis, cum vestimentis, coloribus variis, viperas dixeris, nominaveris Pantheras, protuleris Syrtes anguipedes, mammis, & pectore nudis.

Est item gratus mollis, & placidus *odor* in *floridis* campis, ergo ideò *Sirenes* symbola *libidinis*, & meretricum, inductæ sunt à Poesi in *floridis* campis, ut innuerent, quòd *odores placidi* conciliant, & incitant Venerem; etiam propter hoc *hortos*, quia odoros, sub Veneris tutelà Poetæ composuere prisci. Meretricesque dicas Pantheras, istæ suavem *odorem* exhalant ità, ut *odore suavi* alias alliciant feras, quas allicitas dilaniant, devorant; sic meretricibus est in more vestimenta *odora* portare, ut *odor* alliciat miseros, incitet Venerem, accedant ad ipsas, sic fatali dilaniatione pereant. Cur Mirthum, & Rosam, dicarint Veneri prisci, sponte adest, *grato odore* pollent.

Adde in Mirtho conspicuum *virorem*, in Rosa colorem *purpureum*; sociè Veneri Mirthum, & Rosam addidere prisci, ut innueren, quòd turpi-

piter amantes coloribus *viridi*, & *purpureo* delectantur; *tùm* quià sint grati aspectui, & sic alliciuntur videntes, mollescunt, & conciliantur; tùm quia cum vittis, vestimentisque *viridibus*, impuram *spem* ostendunt, & cum vittis coccineis, & vestimentis pur pureis, turpem amorem significant; turpiter enim amantes vestimenta *florida varietate colorum*, jam etiam *viridia*, jam *rosea*, suis Veneribus donant; imò & ipsi leves similiter lascivè se ornant; At reflectite, etiam indicatum, quòd sicut est fugitiva vita Rosæ, & florum, celeriterque marcescit, ita impurus amor non durat, breviter expirat; odiumque solet esse finis sordidi amoris.

Sed adhùc contrà *lascivos odores* ut vibremus, cur fictum à Poesi, quòd *Adonis* fuerit charus *Veneri*? quia est *Adonis* quodam genus aromatis, ideò *odori*; dictus est Adonis Veneri charus, ut indicaretur, odores conciliare Venerem; hìnc cernis, Venereis, portare odores lascivientes, esse in more; nec advertunt miseri, quòd illa Sabæa fragrantia (ex corruptione carnis, morbisque ex venere contractis) terminat in fœtore, & non semel ut fœtorem actualem confundant, quem atrum expirant, nectareas Indiæ gazas, & Ambrosios gestant Arabum de gramine odores; hùc quidam, *Posthume, non benè olet, qui benè semper olet*.

Jàm cur non fulminet calamus contra *comas fictitias*, capillosque artificiosè *comptos*? Capillorum ornatus lascivus & est Veneris signum in habente, & cupidinem impuram videntium advocat. Auream comam Medusæ, effinxit Poesis, Neptunum incitasse ad sacrilegium, & turpitudinem in templo Palladis. Pectinis nimia cura Veneris est soror; cur enim, nisi propter hoc (interalia) indicandum, fuit Veneri meretrici dicatus pecten? Veneris statuam legimus olìm cum pectine figuratam Romæ. Rideas fœminarum vanitatem, quibus cura nimia in ornamento comæ est; nummique Faustinæ, in quibus videtur caput multis, & diversis, capillorum concinnitatibus variatum, illius fœminæ vanam curam ostendit. Caput speciosà comà, Cupidinem, & Venerem cum instrumento musico, diximus à priscis figurata sociè. Jure Hesiodus duodecim eos versus sustulit, in quibus describebatur Pallas Pandoræ satagens, hujus ornando comam; cum enìm nomine Palladis intelligerentur *ratio, sapientia, consiliativa vis, virtus*, indignum *ratione, virtute*, & *sapientià* putavit, circa muliebris ornatus curam Palladem exerceri. Vide pag. 198. & 199. contrà fictitias comas.

EX LITERIS SACRIS contrà vestimenta VENEREA, viridia, florida, *contra SALTATIONES vultus PIGMENTA, & PECTORA NVDA.*

LIteræ sœculares servierunt sacris; vide jam istas divino magisterio nos illuminantes.

Quid literæ sacræ contrà vestes *floridas*, profanas, & peregrinas? Sophoniæ cap. 1. voce Deus minatur: *In die ostiæ Domini visitabo super Principes, & super filios Regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrinà*. Profanæ vestes nimiam curam sibi usurpant. Adam, & Eva, post peccatum agnoverunt se esse nudos, *non* (exponit Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 17.) *quòd eis sua nuditas esset incognita, sed quia turpis nuditas non dum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat*. Vt tegerent turpem nuditatem, *consuerunt* (Gen. cap. 3.) *folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*; Deus verò fecit eis tunicas *pelliceas*, quibus totum corpus induit; cur Deus eis dedit hoc vestimentum *pelliceum*, si jam illis erat, ut absconderent carnes, illud ex *foliis ficus*? occurrit; *pelliceum* vestimentum dedit

ex pellibus animalium mortuorum, ut memoria mortis vigeret in illis, & recordarentur, quòd per peccatum mors introivit in mundum, & sic piè, & cautè, pœnitentes viverent. At ad præsens: vestimentum *ex foliis ficus viride* erat vestis profanæ symbolum; nec carnes perfectè cooperiebat, carnes nudæ (aliàs tegendæ) apparebant, in his erat irritamentum libidinis; itèm folia ficus opportebat teneri manu, ne caderent, in quo magna erat adhibenda cura; & si arescendo caderent, tota appereret caro nuda. Ecce cur Deus vestimentum *pelliceum* dedit; nempè ut totum cooperiretur corpus; ne carnes corporis nudæ apparerent; ne esset in manutenendà veste cura prolixa; ne esset viror in indumento; ut esset vestis modesta, pœnitens, symbolum mortis, sine profanitatis indice, & sic vitarentur omnia irritamenta libidinis.

Ergo cur, tu fœmina, vestem viridem, vel floridam, vel coccineam induas? libidinem incitas. Cur carnes integrè non occultes, cur pectus, & mammas nudas ostendas? luxuriam excitas. Cur nimiam curam in corporis vestimentis apponas? impuram Venerem explicas; & cur Deus (*Judic.6.*) Jusserit Gedeoni, quòd non solum everteret aram Baal, sed nemus, quod erat circa aram, succideret? cur jusserit Deus non plantare lucum, & omnem arborem juxtà altare suum? nemora, arboreta viridia, florida, amœna, umbrosa, odora, symbolum sunt profanæ, & delicioſæ vestis; ergo præceptum fuit Domini succidere nemus, lucum, arborem omnem, quæ esset juxtà altare, quia vestimenta profana, & venerea, oportet succidi. Inter opacitatem arborum densam exercebatur luxuria; oportuit arbores succidi, quia succidenda sunt vestimenta occasiones, & incitamenta libidinis; *verum templum Dei non amœnitates postulat, sed castimoniam severam*, ajebat Philo lib.2.de Monarch. Tonat Paulus 1.Tim 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundiâ, & sobrietate ornantes se*; (ex ponitur), non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste prætiosâ. Similiter & Petrus Epist.1. cap.5.v.2.& 3. *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis, considerantes in timore castam conversationem vestram, quarum non sit extrinsecè capillatura, & circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.*

Tot ex meretricis vestimentis, & ornatu, derivantur malorum torrentes, ut Chrysostomus Homil.27.in Genesim dixerit: *Quot inde nascuntur mala, non possum nunc sermone complecti; sed satis est, ut relinquam conscientiæ eorum, qui in ijs occupati sunt.* Ideò clamabat Hieronymus in Sophon.cap.1. *Ablegenda sunt ea indumenta, quibus amicta corpora nudantur potiùs, quàm operiuntur*; quare Epist.16. cap.2. laudat Marcellam, prædicans: *Nostra Marcella talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret.*

Et quidem tu profana, quæ pectus, & mammas ostendis, corpus tegis, ne arceat frigus, aut nudas, ut frigus vexet? ideò Seneca lib.7. de Benef. cap.9 irridebat: *Video fericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quod aut defendat corpus, aut denique pudor possit.*

Hùc præceptum Dei, quo præcepit S. Birgittæ (lib.7. Revelat.cap.16. num.4.) intimaret Reginæ Cypri, *quòd deponat consuetudinem pudorosam mulibrem in vestibus strictis, & ostensione mamillarum, & unctionibus, & pluribus vanitatibus, quia omninò sunt Deo odiosa.*

Pulsat Clem.Alex.lib.3.Pœdag.cap.3. *Sicut nota inusta fugitivum, ità etiam* FLORIDI colores ADULTERAM *indicant.* Favet Chrysostomus Homil.8.in 1.ad Timoth. *Ornatus habitus adulter est, atque adeò fœdus, ut meretrices, ac virgines, ferè discernere nequeamus.* Dolet Cyprianus lib. de Habitu Virg. *Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia formarum,*

non

non nisi prostitutis, & impudicis fœminis, congruunt.

Ideò Augustinianus V. Simon de Cassia (in Declamat. ad Florent) fœminas lascivè ornatas dicebat *Magistras perditionis, tegenda detegunt, & non prodenda produnt; ita ut omnem clament luxuriam, indicent impudicitiam, prædicent carnalitatem, confundant juventutem, emortuam suscitent juventutem, & in religiosis religionem usque ad perniciem persequantur.*

Ornatus meretricios, & pectora nuda, dicas scholam luxuriæ, metropolim libidinis, matrem appetituum sordidorum, sentinam vitiorum, venenum castitatis, nuncios adulterii, toxicum virtutis, ensem, quo virgo pudicitia crudeliter decollatur, ignem juventutis, vexillum vanitatis, urbes flagitii, exercitum contra animas; dicas rete, viscum, quibus turpiter capiuntur, & illaqueantur aspicientium animi; dicas inferni arma, cum quibus miserè subjugat corda; dicas fornacem, in qua consumitur, & ardet, dicas mare, in quo absorbetur locupletissimum patrimonium; ergo in meretricio ornatu non unum, sed multiplex peccatum.

Mulieres *floridè, & diversis coloribus* ornatas, cur dicat Psalmus 143. *similitudinem templi*? verba sunt Psalmi; *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi*; Augustinus glossat, *quasi anguli ornatæ*; quid est in ornatu templi, & anguli ejus? videas in diebus festivis diversis coloribus sericis vestitos muros; videas virides herbas, & diversi coloris flores in pavimento; at si hæc subtrahas, muri nudi, & rudes apparent, lutum in pavimento, & sordes sub floribus, inferiùs in se pulchris fœtor; tales sunt mulieres ornatæ floridè, coloribus diversis vestitæ, odoris unguentis, & cerusâ, picturatæ; subtrahe exteriora ista, lutum manent, fœtor, & sordes

Ornata superfluè mulier ad sui concupiscentiam movet. Cur Patriarcha Judas cum nuru Thamar incestum peregit? quia habitu meretricio videns, suspicatus est *meretricem esse*; hùcque Tertullianus, *quia se depinxerat, & ornaverat, id circò Judæ suspicione visa est, quæstui sedere.*

Cur fœminæ sic se lascivè se ornant, nisi ut turpiter amentur? dices, non propter hoc ornari; at te i deò innocentem existimes? occasionem ruinæ culpabiliter obtulisti aliis; ut alius se culpâ interficeret, tua nuditas fuit gladius; tu in ipsius dextrà posuisti, cum te nudam, & meretriciè ornatam, ostentasti; venenum non dedisti, at venena præparasti; cur ergo contendas ab homicidii supplicio liberari? ex te occasio perditionis animarum, ergo æternà morte digna, quia tot malorum causa. Hùc Juvenalis Satyra 6.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos committit elenchos.

Jam contrà saltatus fœminarum tonat Joannes in Apoc. cap. 9. *Puteum inferni vidit, & de fumo putei exierunt locustæ in terram*; quid significabant locustæ? fœminas saltantes, Divo Antonino 2. part tit. 6. cap. 6. §. 2 glossante. Cur fœminæ saltantes figurantur ut locustæ, ex fumo putei inferni exeuntes? quià locustæ saltant sine Rege, sine ratione ducente; tales sunt fœminæ saltatrices, & de fumo inferni exeunt, quia de fumo luxuriæ prodeunt, ut destruant aureas Ecclesiæ messes; *vanitate tripudiorum viriditatem boni propositi, quod est in hominibus auferunt, in lasciviam inclinantes.* Addit Basilius (serm. de ebrietate, & luxuriâ) *aerem meretrices cantibus, terram verò pedibus, lascivè SALTANDO, contaminaverunt.* Quærit S. Ephrem (apud March. hort. past. lib. 3. tr. 3. fin.) *Quis talia Christianos docuit?* quis docuit saltatus, cantus lascivos, musicas profanas? respondet, *Non Petrus, non Joannes, non alius divino numine afflatus; verùm ille draco antiquus suis voluminibus docuit.* Diabolus inventor, & doctor; isteque ipse (ut refertur in

li-

libro de ſeptem donis) teſtatur, ut ideò idoneè dixerit Eccleſiæ Aquila (apud Pelbart. ſerm 46. in Dominic. Quinquag.) *Chorea eſt quidam circulus, cujus centrum eſt diabolus, & circumferentia omnes Angeli ejus.*

Unde derivatur, quòd populus Iſrael vitulo dederit cultum? unde illa idolatria? inde unde, quòd perierint ex Iſraelitis viginti tria millia? Exodus cap. 32. declarat, *vidit* (Moyſes reverſus de monte) *vitulum, & choros*; inter *ſaltationes* exercebatur *idolatria*. Apud Math. cap 14. unde decollatio Baptiſtæ? *ſaltavit filia Herodiadis in medio*, & *placuit Herodi*; quid ex *ſaltibus*? petit caput Joannis, conceditur; puellæ ſaltatus execrandum intulit ſcelus; nec intuliſſet iniquitatem, ſi Herodia nam non incitaſſet libidinem. Ore Ezechielis cap. 25. minatur Dominus: *Pro eo, quòd plauſiſti manu, percuſiſti pede, & gaviſa es ex toto affectu, extendam manum meam ſuper te, & interficiam te.*

Putas, reprehendantur cantus impuri, ſaltationes, muſicæ laſcivæ, ornatus venereus, comæ nimis comptæ, tantùm in fœminis? eò magis in viris, à ſobrietate virili ſunt magis aliena; ſicutque hæc in fœminis ad libidinem incitant viros, ita in viris ad luxuriam provocant fœminas. Cur exiſtimes jam pauci ſint Martes, niſi quia iàm plerique ex juvenibus, & viris, redditi ſunt Veneres? veſtis pretioſa, & vita delicioſa, ſunt duo Veneris inſignia. Faciem quando fœmina, & capillos, unguentis maculat, à naturà recedit; in juvene autem, & viro, execrabilius eſt crimen. Unguentum in homine mollitiem vociferat. Fateor, quòd inſita eſt nobis corporis noſtri charitas, tutela corporis noſtri ad nos attinet, *at juxtà rectam rationem* indulge, corpori tuo *ſervire* cave, eſt enim ſcelus. Si c te geras, ne *propter corpus* vivas, ſed tanquam qui *ſine corpore* vivere nequeas.

Corpus eſt animi *carcer*; corpus ornando carcerem perficis? Veneris pulle, mimecinæde, quouſque carcerem, exteriùs pictam tibi æd ificare pergis? Curadoleſcens ſe molliter ornet? ajebat Plato apud Laertium lib. 6. *ſi ad viros fruſtrà, ſi ad fœminas injuſtè.*

Hùc quidam.

O quàm turpe viro muliebri incedere cultu,
Mollia que evulſis reddere crura pilis.

Cur ſaltes? an ut citiùs Venerem capias? ſi ſaltes, jàm tecum Venus; ergo cur ſaltes? ut citiùs Venus te impellat in præceps?

Laudamus Fridericum Imperatorem, cujus (apud Æn. Sylv. lib. 1. comment. in res Alphonſi) venerabilis illa vox, *Malim febribus in lecto detineri, quàm minimam ſaltationi operam dare.* Alphonſus Aragoniæ Rex (ſcimus ex Panormit. lib. 2.) vituperabat Gallos, quia etiam provecti ſe ſaltationibus oblectabant; & cum mulierem impudentiùs vidiſſet ſaltantem, *Expectate*, inquit, *mox Sybilla edet oraculum*; innuit ſaltationem unum ex generibus inſaniæ.

Ergo ſi ſaltationes, cantus, ornatus, muſicus concentus Venereus, lapilli, capilli nimiè compti, coma fictitia, ſunt luxuriæ ſtimuli, ab his abſtinere, hæc fugere, clarè eſt à Venereo amore, & à Cupidine impuro, *medicina præſervativa*; nec hæc exercere licet, exercita videre caveas; gladio temperantiæ jugulandæ occaſiones libidinis; cur enim juſſerit Deus Gedeoni (addo dictis) non ſolùm idoli Baal evertere aram, ſed ſuccidere nemus, & arbores? quia moris erat idolatris templa inter nemora, & arboreta, erigere, ut eſſent pro ſacrificiis ligna, & inter nemoris arbores denſas, & ſylvas, luxuriæ vacabant; ſi ſola everteretur ara, adhùc maneret (ex ipſorum abuſu) nemus occaſio idolatriæ; cum enim manerent nemus, & arbores, remanerent ligna pro ſacrificiis, & receſſus pro explenda libidine inter arbores;

hinc

hinc, licèt unà eversa, facilè aliam erigerent aram; ergo utrumque fiat, & evertatur ara, & succidantur ligna; exulet luxuriæ expeditio, relegetur idolatriæ occasio; fugatà enim occasione culpæ, ipsa & culpa fugatur. Hinc & in Deuteronomii cap. 16. v. 21. *Non plantabis lucum, & arborem juxtà altare Domini Dei tui.*

Vix à scelestis videtur occasio peccandi, jam brachiis obviis optatur inter amplexus; vix ædificatores Babylonicæ turris invenerunt campum Samar (Gen. cap. 11.) quando ibi habitare decernunt; erat situs ædificationi idoneus, quia amœnus, fertilis, aquarum copiâ præditus; vix amœnitates vident, statim ad amœnitates propendunt; vix situm ædificationi congruunm cernunt, jam ædificationem statuunt; occasio fuit criminis ansa. Sub præcepto est fuga, quando imminet periculum culpæ; fugit Abraham à Chaldæâ, quia in hac (etiam inter viros famosos, & maximè literatos) vigebat idolatria. Fuga imperata à sapientia, directa à prudentia, est victoria, non ignominia.

SEXTA MEDICINA PRÆSERVATIVA ab AMORE VENEREO, sine CVPIDINE IMPVRO, non videre PICTVRAS LASCIVAS, nec ACTVS IMPVROS, nec COMEDIAS; non vacare IMPVDICÆ LECTVRÆ.

CONtra Picturas profanas lascivas tonat Concilium Constantiense 9. Canon. 110. *Picturas oculorum præstigiatrices, & mentis corruptrices, & flammatorium ad turpes voluptates, sancimus, ut nullatenus in posterum pingantur*; cur prohibentur, nisi quià sunt incitamentum libidinis?

Si videas *actus impuros*, adulterium discitur, dum videtur; fornicatio, dum cernitur.

Si videas *scenas amatorias*, ad turpes amores accenderis, & alliciendi impurè artes addiscis Quis spectacula amatoria invenit? *inventa dæmoniorum sunt, diabolus artifex*, ut Cyprianus (lib. de spectat.) ajebat. Tertulliano (lib. de spectat cap. 18.) dictante, *Palæstrica diaboli negotium est, sacrarium Veneris, impudicitiæ consistorium*; confirmante Nazianzeno Jamb. 3. scenas esse *fœditatis omnis, & lasciviæ, scholam*; ut ideo Chrysostomus (*Hom. 66. ad pop.*) scenam, sive spectaculum turpiter amatorium dicat *fornicationis gymnasium, intemperantiæ scholam, turpitudinis exhortationem, inhonestatis exemplar*; non discrepante Salviano (lib. 6. de Gubern. Dei) cum subscribit; *In theatris nihil horum reatu vacat, quia & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur.*

At lectura impura fugienda, nam sanctas cogitationes extinguit, & est vanarum cogitationum genitrix. Apes à floribus marcidis abstinent, & tu abstineas à libris, putridas qui habeant sententias. Apis symbolum studiosi, & ingeniosi, utiliora sugit, à nocivis succis recedit. Laudo Lacedœmonios, qui Archilochi Poetæ obscænos libros à Civitate decreverunt exules. Comœdiarum libri Vulcano dicentur; nam & Plato scripta obscœna sua abiiciens, & igni tradens, addidit carmen Homeri,

Nunc ad opus, Vulcane lubens, accede Platonis.

Platoque ipse lib. 2. & 10. de Rep. Omnes illos libros Poetarum arcendos à Civitate statuit, quia turpidinis publici præcones erant. Lachrymosè S. P. Augustinus *lib. 1. Confess. cap 6.* gemit, & deplorat sui corruptionem temporis, quòd libros turpitèr amatorios non solùm audire, sed edisce-re juberentur adolescentes; eamque consuetudinem *flumen tartareum appellat*. Ideò Textor moriens suum quondàm in scribendo luxum detestans, abhorrens ajebat.

Ite

Ite mali versus, animam qui perditis, ite.

Quid apud Jeremiam indicet *aureus calix Babilonis*, nisi Poetas, & authores impuros, qui inter carmina dulcia, locutionesque cultas, venenum turpiloquii propinant? Favet Hieronymus *in cap. 6. ad Ephes.* redarguens eos Patres, qui filios comœdias legere, & cantare turpia, monent. Ovidius:

Eloquar invitus, temerè ne tange Poetas,
Submoveo dotes impius ipse meas.

Concupiscentia (scribit Gregorius lib. 5. in Julian.) *minui potest, consumi non potest in hac vita*; & Bernardus (in Collat. Patrum) eructat: *Maius mira culum est de carne propria fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis*; at si tu *picturas lascivas, actus impuros, & comœdias videas, si libros turpiter amatorios legas, vel carmina venerea componas*, quomodò luxuriam minues? imò ardentiùs accendes; ergo ne accendas, & ut minuas, *abstinere* ab his *medicina præservativa* est.

Vide, quòd non solùm in anulis Annibalis, Cleopatræ, & Demosthenis, sit venenum; etiam in libris profanis, & impuris, latet; nolis eos tangere, apud te consentire caveas, quia in ipsis pestis. Viperæ ore aperto tales libri sunt; Philomela, cernere, aspicere, cave, quia devorant.

SEPTIMA MEDICINA PRÆSERVATIVA à VENERE impura JEIVNIVM, TEMPERANTIA à VINO, abstinere à CALIDIS cibis. Ex Poesi per VIRILIA COELI à SATVRNO amputata, proiecta in MARE, unde SPVMA, exquanata VENVS; per CIRCEM filiam SOLIS, & OCCEANI, per CONCHAM Veneri dicatam &c. Vbi explicatum PYTHAGORICUM symbolum, à PISCIBUS abstineto.

ARdentes diaboli sagittæ jeiuniorum, & vigiliarum, frigore restinguendæ. Jejunium dicas unguentum spirituale, quod à morbis spiritualibus animum præservat. Jeiunio passiones, corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. Jejunium dicas singulare castitatis aratrum, colit corda, evellit impuritatis lolia, & parat casti candoris lilia, ideo carmen, & adagium:

Per raros pastus carnales deprime fastus.

Est Jejunium antidotum libidinis, crapula mater. Serpentem symbolum voluptatum saliva hominis jejuni occidit; in schola naturæ discimus, ardorem impuritatis, Venereamque voluptatem, jejunio extingui.

Quorsùm Poeticum figmentum, quòd Saturnus amputavit falce virilia Cœli patris sui, & Cœli testiculos excissos in mare projecit, qui fluctibus agitati fecerunt spumam, unde nata Venus? discimus, virilia cœli esse fructus, & alimenta, quæ cœlo influente generantur, sunt virilia, sive vires cœli; Saturni nomine intelligitur tempus, quod fructus ad maturitatem perducit, maturos quasi falce metit, & quàm maximè metuntur falce; ista ergo virilia cœli (intellige fructus, & alimenta) falce temporis abscissa proiicit tempus in mare, nempe in stomachum, & viscera nostra; unde *agitatus cibus* calore bullit, concoquitur, fervet, agitati maris more; transit in chillum, & substantiam, in semen, quod est spumosum; quid ex istà *spumà* nascitur? *Venus, libido*. Ergo Venus nascitur ex testiculis, sive virilibus cœli, [ex alimentis in viscera proiectis ut in mare; illinc spuma semi-

nis,

nis, hinc Venus nata; ergo ne Venus nascatur, vitetur spuma, seminis venerei copia; at ut vitetur *spumosum* semen, Veneris causa, virilia cœli, testiculos, licèt abscissos, & falce messos, nolis imprudentèr proiicere in stomachi mare. Quid hoc? jejuna; jejunio enim occiditur crapula genitrix Veneris, mater libidinis. Refectionem congruam non prohibemus; at ita ut sola sit substantia necessaria pro necessario alimento; non autem ita ut suscitetur seminalis spuma pro generandà Venere.

Si abstinentiæ *à cibo* addas à *vino*, ex Philosophia Proverbiali *sine Cerere, & Baccho, friget Venus*. Quòd *Bacchum* effinxerit Poesis mutatum in *hædum*, & *Bacho* item fuerit dicatus *caper*, ad innuendum respectat, quòd si *hædus*, & *caper*, sunt *libidinis* symbola, & *Bacchus* supponit pro *vino*, vinum lascivos expedit, estque ipsi socia libido; sicutque *Priapum* symbolum *libidinis* effinxerunt Deum *hortorum*, ut innuerent, quòd si *horti* sunt symbola *deliciarum*, in deliciis moratur libido, ità symbola libidinis associarunt priscì sapientes Baccho, ut vinum libidini socium indicarent, & PRIAPO impuritatis symbolo BACCHVS effigiatus sociè à priscis est.

Colligis jam ex his, fugienda alimenta *calida*, *salsa*, & quæ sint *irritamenta* libidinis; cur enim *Circem* dixere Poetæ filiam solis, & Perseidis filiæ Occeani filiam, nisi quia nomine Circis intellexere libidinem, nomine Solis calorem, nomine Perseidis filiæ occeani humorem salsum, qualis est aquis Occeani, sive maris, at libido in animalibus ex salso humore, & calore fit? est libido ex calore patre, & ex salsà humiditate matre, filia. Ergo Patrem, & matrem, si tollas, filia libido non generatur; ille est calor, sta est *salsa* humiditas, ergo abstineas à cibis *calidis*, & *salsis*.

Vide apud Poetas *concham* marinam Veneri dicatam, Venerem ipsam ex *conchà* genitam, in *conchà* ad Cyprum delatam; ista autem ad *salacitatem* respectant, Veneris, sive libidinis, matrem. Sunt conchæ qualitatis *salacis*; si comedas, Venus, venereique impulsus, excitantur; ideò *conchæ*, sive *conchylia*, & *ostrea*, libidinem incitare perhibetur, quia plus aeris admittunt, & spumosiora sunt, & salsugini magis coalita; aptè Poetæ conchas dicarunt Veneri, & fabulati sunt Venerem ex concha natam, quià cibi *calidi*, & *salsi*, sunt socii *Veneri*, imò ex ipsis libido, sive Venus, generatur.

Adeò *concha* marina est *salax*; ut eum, qui ab ineunte ætate cæperit in petulantiam lascivire, & munera Veneris exercere, per *Pinnam piscem* cum *conchà*, fœtus suos ostentatem, hieroglyphicè indicarint Agyptij; *conchulæ* enim hujusmodi *conchà* genitæ matre, antequam excludantur, inter se primùm coire dicuntur; & ex hoc ortum, quòd *concham* Veneri dicarit Poesis, *Veneremque* dixerit ex *conchà* natam; quòd enim in conchà ad Cyprum devecta fuerit, ad innuendum illiùs gentis respectat lascivam petulantiam.

Hùc ex Philosophia Morali symbolicà Pithagoricà symbolum illud *à piscibus abstineto*; Pythagoras à piscibus abstinere jubet, nos pro castitate præservanda, piscium commendavimus usum; ergo doctrinæ discordes? At age atheta, debitè intellecta Pythagorica, & nostra, sunt consona.

Pythagoricum illud symbolum plures sensus continet, nec fortè omnes intenderit Pythagoras. Hebræi non ab omnibus abstinebant piscibus, sed ab illis solùm, qui pinnulis, & squamis carerent; isti enim hærent luto, nec assurgunt ad auras, sicut assurgunt pinnulati, & squamosi; symbolum illi sunt cordium hærentium terrenis, & luto caducarum rerum, nec ad divina, & cœlestia, assurgunt; ideò ergo, ut symbolicè instruamur ad moralia, & spiritualia, ab esu piscium, hærentium luto, præcipiebatur à Moyse abstinentia.

Ægyptij, quibus, fons fœcunditatis erat à Nilo, ab horrebant mare, quia aquas Nili vitiabat, illudque habebant ut *perniciei* hieroglyphicum; & quia ex hoc abhorrebant mare, hinc Piſces, in mari natos, odio habebant, utque hieroglyphicum *odii* reputabant hos; hæc erat cauſa, cur à piſcibus abſtinebant; adeòque mare, & piſces in eo natos, proſequebantur odio, ut nec alloquerentur nautas; putabant, ſe contaminari ex colloquio cum nautis, quia mare frequentant, & quibus piſces ſunt quaſi familiares, ſocii, & domeſtici.

Nunc cur Pythagoras à piſcibus abſtinentiam jubeat, variè poteſt exponi.

Primo: Piſces, quia conſtant elemento puriore, ſunt animarum noſtrarum tale quale symbolum, quæ cum ſint ſpirituales, in elemento puriore aliqualiter adumbrantur; ergo abſtinere à piſcibus, eſt abſtinere à rodendo conviciis, & maledictis, animas.

Secundò: Piſces ſunt hieroglyphicum gentium; ideo Salvator Petro, & Andreæ, *Venite poſt me faciam, vos fieri piſcatores hominum*; cumque mare quia turbulentum, inquietum, inconſtans, amarum, infidele, & quià ſalſum, incitamentum libidinis, ſit symbolum peccatoris, *abſtinere a piſcibus*, eſt symbolum, quo symbolicè inſtruimur, abſtinendum à convictu, & conſortio cum vitioſis, infidis, & inquietis.

Tertiò: Piſces cum ſint frigidi, & humidi, ſomnum conciliant, & torporem; ſunt enim inter omnia animantia pituitoſi maximè; ergo cum admonemur, *abſtinendum à piſcibus*, inſtruimur, à nimio ſomno abſtinendum.

Quartò: Piſces ſunt prorsùs *ſtupidi*, & *indociles*, ſi excipias pauca, quæ de Delphino, & aliis piſcibus referuntur; ſunt hinc symbolum *indolis indocilis*, *ſtupidæ*, *imprudentis*, à Muſis, & Gratiis, ab ſtudiis bonis *alienæ*, ergo cum commendatur, *abſtinendum à piſcibus*, intimatur, non converſari cum *ſtupidis*, *indocilibus*, *imprudentibus*, ſtudia honeſta, literas, & ſapientiam, *odio habentibus*; periculoſæ autem etiam ſunt converſationes cum *indocilibus ignaris*.

Quintò: Animalia degentia in aquâ, ut in ſacris literis Jonathas Chaldæus interpretatur, ſignant *dœmones* impuritatis *amantes*; & Magi Dœmonas aqueos dicunt laſciviæ, libidiniſque præfectos; & *marinos Deos* poſuit pro hieroglyphico *laſciviæ* vetuſtas, ex hiſque eſſe incubos, & ſuccubos dœmones; quare cum *à piſcibus abſtinendum* præcipitur, symbolicè indicatur, *abſtinendum* ab uſu, & converſatione cum *dœmone*, à coitu cum dœmonibus *incubis*, & *ſuccubis*, & à convictu, & familiaritate *cum hominibus*, ſive *fœminis*, quibus ſit *maligna*, vel *impura diabolica* indoles,

Sextò ad preſens: Piſces, quia *ſalſi*, ſunt irritamentum *libidinis*, ſive *lubricitatis*; exque Philoſophia Morali Proverbiali ſæculari accipimus adagium *Piſcis repoſitus*; dicebatur contrà lubricos, quia ſicut piſcis facilè corrumpitur, ità laſcivi facilè corruptioni ſeminis ſunt diſpoſiti. Mare eſt ſalſum ita ut, ſi exſiccaretur illud elementum, totum converteretur in ſal; at ſal, propter calorem, libidinem irritat, excitat vim ſeminalem, & acuit, unde & petulantia impura eſt à *ſale* dicta *ſalacitas*; Venuſque Grecè dicta *Saligena*; quiàque ſalſus eſt Venereus humor, Veneri juxta mare, quia ſalſum, fana conſtruebant illuſi priſci. Quodque Poeſis Deos marinos laſciviores effinxerit, ad innuendam ex ſalacitate laſciviam, reſpectat, & ex Ariſtotele accipimus, mures, abroſo ſale, prægnantes, quia laſciviores, fieri. Cum igitur piſces generentur in mari ſalſo, hinc ſunt ſalſedine præditi, ex quo quia ſalſi libidinem incitant.

Quod-

Quodque Poesis composuit, *Venerem in pisce latuisse*, cum pisces sint salsi humoris, involucrum fuit, quo obscuri è innuit, Venerem, id est lasciviã, in pisce latere, quia salsedo, ex qua acuitur Venus, latet in pisce. Hinc inferas, symbolum Pythagoricum jubens, *à piscibus abstinendum*, indicare, *abstinendum a Venere*, sive turpitudine, quia pisces sunt Veneris incitamentum; ideò monebat Pythegoras, *à piscibus abstineto*, duo in hoc symbolo innuens, & abstinendum à libidine, & abstinendum à piscibus, quià sunt libidinis incitamentum.

Replicas, si pisces sunt libidinis incitatio, & in ipsis latet Venus impura, cur nos in jejuniis piscibus utimur, cum jejunia sint instituta ad Venerem coercendam?

At scias, nos in jejuniis non uti piscibus ex edicto, vel præcepto; est præceptum abstinere à carnibus; at uti piscibus non est mandatum, sed permissio, & indulgentia ad nostræ infirmitatis solatium, & refrigerium, ut sint aliquod condimentum, quo panis minùs difficulter gustetur; & sicut bobus, & animalibus, non comedentibus, modicum salis solet apponi, ut excitetur appetitus, & ne fame pereant, ita nobis permittitur piscium usus ad aliqualem consolationem, ut jejunia sint nobis minùs ardua, quia nostræ infirmitati, & fragili conditioni, consulit ut pia mater Ecclesia; indulget ergo Mater Ecclesia propter dicta, in jejuniniis piscibus uti, at *modicè*, *parcè*; qui *abundè*, & *variis piscibus*, in jejuniis, vescuntur, illi non *utuntur*, sed *abutuntur* indulgentià; si autem *parcè*, & *modicè*, & ut *simplici* condimento, & *compane*, piscibus utaris, tunc pisces libidinem non acuunt; imò cum præsertìm sint *frigidi*, & *humidi*, & *nullius* ferè *nutrimenti*, & *substantiæ*, potiùs debilitant, reddunt comedentes *frigidos*, sine calore, & tepescit, sive frigescit Venus. Alibi dictum, illam fabulam de una Nereidum, quæ in insula *Nosola*, legunt *Nofora* alii, viris commiscri solita, eos convertebat in *pisces*, conspirare ad innuendum, quòd sicut *piscis* reddit homines *frigidos*, ita exercitia *venerea* exercentes *frigidos*, & sine calore, reddunt. Additur in fabulà, quòd iratus Sol contrà illam Nereidum, quià homines, qui appulissent ad insulam, in pisces verteret, eam de insula migrare coegit; quod ipsa non renuens, & precata, ut insita illi voluptatis appetentia evanescceret, Sol annuit votis; addit Ovidius lib. 4. *Metam* eam *in piscem* mutatam; cur fingitur quòd est mutata *in piscem*, cum venerea concupiscentia evanuit, nisi ad innuendum, quòd *si piscis* est *frigidus*, frigore evanescit concupiscentia, & piscium esus frigidos facit, ideoque Veneri minus idoneos? pisces possunt delectare aliquantulùm, saginare verò, aut corpus vegetum, & solidè pingue, reddere minimè possunt, quare corporibus debilitandis est cibus idoneus. Cum additur, quòd in jejuniis esus piscium sit *modicus*, & *parcus*, eò magis debilitat vires, & non acuitur Venus; ideò Gregorius (in Epistola ad Augustinum Britanniarum præsulem) scripsit. *Piscium esus ità homini Christiano indultus est, ut ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium*; & admonet, quòd illi, qui à carnibus abstinere statuunt, sumptuosa marinarum belluarum convivia non præparent. Si tuum jejunium sit sine piscibus, solo pane, & aquà, vel oleribus contentus, perfectius erit, & sic magis tepescit, & friget Venus.

Sed & carnes *suillæ* Venerem incitant, & aciem mentis obtundunt; quare & suem hieroglyphicum libidinis à veteribus scimus; sed & comedere *bulbum* ita Venerem incitat, ut fuerint, qui nuptias, atque maritalem copulam, per hieroglyphicum bulbi significarint, quia viri (testante Varrone de *Vita Patrum*) in novis nuptiis primà die bulbos comedebant, ut irri-

taret Venerem, bulboque plurimùm utebantur veteres ad languentem Venerem excitandam; hùcque Martialis facetè:

Cum sis anus conjux, & sint tibi mortua membra.
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Ideò ad usum Veneris M. Varro, *bulbos* aquà decoquere, scribit; Apuleius *nucleos pineos*, & semen *erucæ* cum *pipere*, addit.

Passerum esitatio, vel eorum ova, ità languentem Venerem excitant, ut ideò hæc Medici sint propinare soliti, ut Venerem languentem accendant; Therscleseque non discrepat docens, passerum esitationem plurimùm adjuvare Venerem. Quare si *prolificum* hominem, & *petulantiæ intemperantiis deditum*, significare hieroglyphicè vellent Sacerdotes Ægiptij, *passerem* fingebant *fulvum*, & æris instar *rubicundum*; fortè quia de tali specie passerum intelligerent, quod innuebant, vel ad innuendum calorem, & rubicundum ex libidine incendium. Passer, aiunt, titillatione immodicà, & seminis ubertate concitatus, *septies* unà horà fœminam salit, nunquàm genituræ egens. Ex hoc Sirenes, libidinis symbola, figuratæ sunt cum alis, passerum more, ut indicaretur, quòd passerum esitatio alas Veneri apponit, & velocitèr auget incendium; quòdque, passeres trahere Veneris currum, Poetæ dixerint, ad indicandum, esitationem passerum Venerem trahere, & incitare, respectat.

Sed & columbas, columbarumque pullos, Venerem concitare, hìnc inferas, quia calore fervent; ideò columbas socias Veneri, & hujus vehentes currum, Poesis composuit; columbarum enim genus est ità lascivum, ut mas jam adultus rostro impetat Patrem, ut dissocietur à matre, & conjugii locum usurpet; quarè hominem ingratum, præcipuè filium ingratum Patri, Ægyptij vt indicarent, columbam, aut pullum ejus, qui matrem solicitaret, figurarunt. Columbæ dictæ, quia *lumbos colunt*, libidinis sedem.

Calida pigmenta libidinem acuunt; ex hoc *Adonis* dictus à Poetis Veneri charus, quià est quodam genus pigmenti odori, & fervidi valdè, quod Venerẽ excitat; quare si ejus odor suavis (ex pag. 939.) Veneri favet, eò magis si esites, cõciliat Venerẽ fervidus illius calor, & ideo dictus veneri charus.

Ergo abstinere à *crapula*, & *vino*, ab alimentis *calidis*, à *sailla*, & *bulbi* carnibus, à *conchis*, *ostreis*, & rebus *salsis*, à *passeribus*, & *columbis*, à *pigmentis fervidis*, est medicina *præservativa* à Venere impurà, à Cupidineo sordido amore, quia si non sint irritamenta libidinis, non ita velocitèr, & fervidè, generantur.

Hìnc *Cicutam* hieroglyphicum *continentiæ* veteres approbarunt; si enim eius succo testes illinantur, Venus cohibetur; præcipuèque illas Veneris imaginationes compesci, dicunt, quæ per somnium accidunt; vndè hoc? opinor ex cicutæ *frigiditate*.

Quòd Venus Adonidem interemptum ab apro, occultarit inter *lactucæ* folia, fuit figmentum, ad significandum, quòd *lactucis* assiduè vescentes hebetiores ad Venerem, & ad libidinem minùs idonei, redduntur, tanquàm mortuorum sit cibus, ut scribit Eubulus. Sicut *eruca* est Veneris concitatrix, quià *calida*, unde & dicitur frigorum contemptrix, ità *lactuca*, quia *frigida*, Venerem arcet. Cur *palumbes torquati* Venerem reprimant, eruditos non latet; frigidi sunt; *palumbes* dicti, scribente Alberto, quia *lumbis parcunt*, parcissimi coitus enim sunt istæ aves; frequentèrque vescentes palumbis, dicunt, ad Venerem hebetari; hùcque Martialis lib. 13. palumbes torquatos Venerem reprimentes, tradit:

Inguina torquati tardant, hebetantque palumbi,
Non edat hanc volucrem, qui volet esse salax.

OCTAVA MEDICINA PRESERVATIVA à VENERE IMPVRA, & CVPIDINE SORDIDO, abſtinere ab ALIMENTIS, quæ INFLANT; caſtitati nocent LEGVMINA. Ubi explicatur PYTHIGORICUM Symbolum à FABIS ABSTINETO. NOVEM symboli explanationes dantur; TERTIAM legite JVDICES.

HOc Symbolum Timycha Pythagorica ità occultavit, ut coacta à Dionyſio patefaceret myſterium, maluerit ſibi linguam præcidere, & in faciem tyranni linguam ipſam expuere, ne etiam in torturà compulſa poſſet ſenſum symboli patefacere.

Variè explicant; alii (& ſit *prima* expoſitio) putant, per *fabam* velo *coopertam*, intellectum à Pythagoricis inprofanabile numen; quare præceptum *abſtinendi à fabis* erat commendare numinis cultum, nec profananda ſacra, nec ſcrutanda Divina nobis occulta, & velata; hinc fabas nec comedere, nec ſerere, imò nec tangere, nec videre audebant; in relato ſenſu indicantes, manibus, & oculis impuris, non licere tangere, nec videre ſacra; Divina *Vultu demiſſo*, *oculis*, modeſtè *inclinatis*, tantummodò veneranda, ſicut & Religionis myſteria arcanica; *vultus* enim, & *oculi demiſi*, ſunt obedientiæ, & humilitatis symbola.

Lucianus (& ſit *ſecunda* expoſitio Symboli) in quodam Dialogo ſcribit, quòd ſi coctam *fabam*, nocturno tempore, ad lunam certo ſpatio dimiſeris, *ſanguini* per ſimilis fit; addit *Acron*, quòd ſi *faba* viridis in pyxide *æreà* ſervetur, in ſanguinem vertitur. In his ſenſibus præceptum Pythagoræ *à fabis abſtineto*, symbolicè (aiunt) innuit, *abſtinendum à ſanguine*, item, ab homicidio, & crudelitate. Ex noſtris ſacris literis (ut dictum pag. 415.) potuit potare Pythagoras illud Geneſis cap. 9. v. 4. *Carnem cum ſanguine ne comedetis*, quod exponens Cornelius à Lapide lit. D. column. 2. paginà mihi 115. dicit, quòd Deus prohibuit ſanginis eſum cum carne etiam animalium, quià *videlicèt homines*, *aſſueſcendo ſanguini beſtiarum*, *tandem nec humano parcerent*. Sanguiſque eſt occiſi hominis symbolum, & Gen. cap. 9. v. 3. habetur: *Quicumque fuderit humanum ſanguinem*, *ſanguis fundetur ejus*: Ergo *abſtinendum à fabis* erat symbolicè innuere, non licere occidere proximum, nec bibere, aut comedere cum ſanguine carnem.

Tertia expoſitio In dandis ſuffragiis ad aliquam dignitatem utebantur priſci *bicoloribus fabis*, albà, & nigrà; hinc *abſtinendi à fabis* præceptum, innuit, abſtinendum ab injuſtitià, & inconſideratione in dandis ſuffragiis, nec vendenda; fuit enim proverbium, apud Græcos, *fabæ roſor*, contrà eos, qui victitant, vendendo, aut dando (propter pecuniam, aut lucrum) ſuffragia. Item cum apud Athenienſes talis uſus fabæ *albæ*, & *nigræ*, eſſet in electione Principum, & Magiſtratuum, hinc *abſtinere à fabis* innuit, symbolicè, publica negotia, & officia (quia periculoſa) declinanda, ſive fugienda prudenter; abſtinendum ab ambitione.

Conſonat explicato ſenſui illud ex Philoſophià *Proverbiali* adagium in Suidæ collectaneis, *Neque fabas, neque allium condendum*; fuit in more apud antiquos *in Judiciis* fabas eſitare, ne obdormiſcerent; hinc præceptum non condendi fabas, innuit, abſtinendum à ſeminatione, id eſt à pretenſione muneris publici *judicandi*, quia cum magno periculo poſſidetur; quòd ſi ſis judex, caveas condere fabas, id eſt, juſtitiam ſepelire, aut ſub terrà rubrà auri, vel ſub albà argenti, occultare. Vigila, obdormire caveas; vigilet intellectus, eſitando, ruminando *fabas*, id eſt, ſententiam; vigila, ruminando leges juſtas, rectè intelligendo, non violentè extorquendo. *Allium* non condendum admi-

miſcetur a dagio non condendi *fabas*; notum eſt allium, cœpe, cibos militares eſſe, quia ſpiritus animales promovent, & fortes nutriunt; ex quo *non condendum allium* symbolum vitæ militaris perturbatæ, & inquietæ, quando commendatur, *non condere fabas* symbola publici oneris, Magiſtratus, & dignitatis Judicialis, fuit symbolicè indicare, quòd bellica, & civilia, ſive publica, officia fugiat, qui velit vitam tranquillam agere; & hùc illud aliud ex Proverbiali ſœculari Philoſophiâ adagium, *Vita privata vita beata*.

In fabâ attributa *ſuffragiorum* notantur. *Suffragia* debent eſſe *pura, utilia, non eblandita, vi non erepta, non ex confabulatione data; virtuti*, non propinquis, collata, ideò *iuſta*, ſive *juſtitiæ* ſacrata. At iſta omnia, quæ ſuffragia integra, & pura, reddunt, & quæ in ſuffragiis ferendis, relucere debent, indicantur symbolicè in *fabâ*; pro quo diſcurramus.

Faba maximam vim *purificandi* habet, ut videre eſt ex ejus decocto, quo in abluendis manibus conſueverunt uti, qui nitidiores volunt videri. Ecce in hoc *puritatem* ſuffragii symbolicè indicatam; oportet, quòd manus ſuffragantis, & Judicis, ſint *puræ*, *lotæ* à labe munerum, quibus juſtitia corrumpi ſolet, & inquinantur Judicis manus.

Faba terram, in qua ſeminatur, ſtercorationis vice fœcundat; ecce *utilitatem*; symbolicè indicat, quòd ſuffragia publicam utilitatem inferant, & ipſam ut ſcopum attendant.

Faba minimè deſiderat artem, aut culturæ illecebras; naſcitur enim per ſe, maximè in Mauritaniâ. Eccè in hoc symbolicè indicat, ſuffragia *non eblandienda*, id eſt, non arte acquirenda; nec ſuffragans permittere debet, quòd ſuffragium obſequiis, adulatione, lenociniis mulierum, aut qualibet arte, habeatur ex ipſo; hoc enim eſſet condere fabam; ſicut faba ſpontè naſcitur, ſuffragium ſpontè, gratis, ſine aliâ officioſitatis culturâ, juſtitiæ detur.

Faba aquâ ſalsâ nunquàm decoquitur, & cum aliàs *ſponte*, naſcatur, eccè symbolicè innuit ſuffragium *vi non ereptum*; debet enim eſſe ſpontaneum, liberum, nec quis debet dare coactus, nec aliquis cogere, ut ſuffragium feratur pro ipſo.

Faba licèt in eàdem thecâ ſit cum aliis, ità tamen ab aliis diſtinguitur, ut nunquàm eam reperias niſi in receſſu; ecce symbolicè innuit, ſuffragantes (licèt ſint in eàdem camerâ, & aulâ convocati, ut ſufragentur) debere eſſe in receſſu, ſeorsìm cum ſecreto, ſine confabulatione, quolibet ſuffragante, ut Deus inſpiraverit, leges, & juſtitia, dictaverint. Sit ſecretum.

Fabæ eſt prælonga haſta, symbolum juſtitiæ; ecce innuit, non propinquis, ſed virtuti, quæ ptocul ſæpè abeſt, danda ſuffragia; & quià *flores fabæ* frequentantur non ab inutilibus *inſectis*, ſed ab *apibus* (symbolis *ingenioſi*, & *benèmerentis*) ad mellificandum, ſindicat faba symbolum ſuffragii, quòd id pro præmiis non debeant obtinere indigni, nec otioſi, & inutiles, ſed ingenioſi utiles, benè merentes, operoſi, ſtudioſi, & quibus jus ſaveat, & pro quibus clamet.

At quià in ſuffragiis sìc integrè dandis ſolent ocurrere difficultates, & rarò ſic dantur, & ſunt in hoc pericula magna, ideò Pythagoras, abſtinendum à ſuffragiis, ſive à ſuffragandi onere, symbolicè monuit, cum conſuluit, *abſtinendum à fabis*.

Adhùc. Cum fabæ (ex dictis) ſint symbola *muneris judicialis*, & *in judiciis* ſint priſci *fabas* eſitare ſoliti, quid itèm innuit Pytagoras, monens *abſtinentiam à fabis*, niſi quòd *Judex* judicia non eſitet, id eſt, non nutriatur, & paſcatur, vendendo ſententias, & judicia reddendo venalia? quid enim

eſſet

esset oppositum, nisi condere sibi, & esitare fabas? O Judices, reflectite ex Festo Pompeio, quòd *in* FLORE *fabæ* sunt *literæ*, LVCTVS *indices*; sunt fabæ symbola judicum; ergo in symbolo judicum *literæ* luctus *indices* quid signant? Videte, timete, quòd vestræ literæ, vestræ leges, vestra decreta, vestræ subscriptiones, sint vobis *luctuosa*, sint *luctus*, & dolor. Quòd cum dignitate *judiciali* sint *literæ* indices LVCTVS, in scholà naturæ dictat symbolum JVDICIALE! ergo si LVCTVS in symbolo, quid in re significata? resonet, mugiat tuba, JVDICES AVDIANT.

Quartà sit interpretatio symboli. *Faba* reputabatur inter *funesta*, & omninò *ad mortuos* pertinens, nàm & in *Lemuralibus* adijciebatur *Larvis*, & adhibebatur *Parentalibus* sacrificiis, & *fabacium* epulum *in funeralibus* adhùc multis in locis perseverat, & *literæ* luctus *indices* in fabarum flore *ad luctum*, & *luctuosa*, pertinent; fuit hìnc antiquorum aliquorum opinio, *animas mortuorum* habitare *in fabis*, in quo errore videtur aliquibus fuisse Pythagoras, qui maluit occidi, quàm *fabas* dare pessum; narratenìm Diogenes Laertius in vità Pythagoræ *lib.*8. quòd Pythagoras consedebat in domo Milionis cum sociis; eam verò quispiam ex ijs, quos ille admittere noluerat, per invidiam incendit; sunt etiam, qui dicant Crotoniatas ipsos id fecisse ex tyrannidis suspicione. Pythagoram autem, incommoda incendij vitantem, & hostes fugientem, agro cuidam fabis pleno constitisse; cum tamen ei tutus daretur exitus, si in eam segetem se immisisset, maluit ab inimicis trucidari, quàm *fabas* conculcare, dicens: *Capi præstat, quàm has dare pessum; cœdique satiùs est, quàm quicquam loqui*; quo dicto, jugulum persecutoribus nudavit, cum quo & interempti sunt quadraginta ex his, qui eum secuti fuerant, paucos fuga liberavit; dicunt à Pythagora non conculcatas *fabas*, quia eas putabat *conceptacula animarum*. At Pythagoram non cogitasse, *fabas* esse conceptacula *animarum*, sive *animas mortuorum* habitare *in fabis*, videtur colligi ex eo, quòd pro comperto est, errorem fuisse Pythagoræ *transmigrationem animarum de corpore in corpus* animalium; unde scimus, apud quandam nationem, *ex errore Pythagorico*, fuisse in more, adducere juvencam ad domum infirmi, & in manu ipsius agonizantis ponere caudam juvencæ, ut anima, migrans de corpore infirmi, inveniret proximum corpus juvencæ, in quo intraret; sic delirabant illi errantes. Ex quo apparet, Pythagoram non sensisse, *animas mortuorum* habitare in fabis, sed *fabas* propter superiùs dicta putaverit *symbola mortuorum*, quia *funestas*, & quia in flore literas, *luctus* significativas, habent, & putaverit symbola sepulchrorum. Hìnc indicaverit in illo symbolo *à fabis abstineto, mortuis non esse conviciandum*, nec sepulchra esse cum vituperio profananda; sinite, mortuos, & eorum ossa, quiescere; fuerunt, quod vos estis; eritis, quod ipsi sunt. Ex Philosophia Proverbiali, *cum larvis luctari* fuit adagium contrà eos, qui vità defunctos mæsto ore, & maledictis lacerant, atque nituntur, ut ajunt, jugulare mortuos.

Quinta explicatio. Faba est melancholicus cibus, ideò que fabæ, sicut & polypus, generant terribilia somnia, ut mortis, cadaverum, sepulchrorum, cruciatuum, etiam & dœmones videri; de quo vide pag.892. Quià itèm *fabæ* magnam inflationẽ causant, cibus is tranquillitati mentis, vera quærentis, est contrarius. Didymus transfert ad nos, Amphiarum, primum omnium, à fabis abstinuisse, quià is vaticinio per somnium uteretur, fabas autem obturbare, & impedire somnia. Fabæ item hebetant eos, qui eis vescuntur. Hìnc cum *fabæ*, quia melancholicæ, & inflantes, hebetent ingenium, & causent perturbationem, tranquillitatemque mentis (vera quærentis) impediant, præceptum *abstinendi à fabis*, symbolicè innuit, me-

malencholiam esse vitandam, & quicquid tranquillitatem animi perturbare possit, aut hebetare ingenium,& obstare acumini requisito ad scientiarum studia, requirendamque veritatem.

Item quià *fabæ* inflant,estque *inflatio* symbolum *vanitatis*,& *superbiæ*, mandatum *abstinendi à fabis* indicatsymbolicè, quòd abstineas à vanitate, Adde: *fabæ*,simbola officij judicialis, inflant; indicatur quòd toga inflat; ergo abstinendum à fabis, à togà, à dignitatibus, quià sunt superbiæ (*ex nostro abusu*) occasio.

Sexta explicatio. Fabæ si comedantur (asserit Sylva Allegor. tomo 1. v.*Faba*) steriles efficiunt mulieres; & fabarum siliquæ si ponantur ad radices arborum, quæ nuper plantatæ sunt, eas exsiccant; quin & gallinæ domesticæ, quæ eas assiduè comedunt, redduntur steriles; hìnc fabæ sunt symbola animi, proximo nocentis, proximum vitiantis, & sterilitatem inducentis, impedientisque fæcunditatem, ne fœminæ concipiant, unde impediuntur generationes, quibus & genus humanum conservatur, & cultores Dei gignuntur, & reipublicæ præsidia, & patriæ propugnacula nascuntur, & procreantur. Quarè in hoc sensu præceptum *abstinendi à fabis* innuit symbolicè, quòd nolimus nocere proximo, aut vitiare aliquem; caveamus potu, vel pharmaco, sterilitatem inducere, fœcunditatem exsiccare; quod crimen committunt non pauci, qui ut libidine expleantur sine publicà infamià, fœminis, cum quibus turpitèr voluptantur, propinant potum, vel pharmacum, ex quibus conceptio prolis impediatur, & ipsæ fœminæ pro abortione accipiunt,vel ut steriles reddantur, unde libidini vacare possint,quin tumor ventris, vel partus, scelus divulgare possint.

Octava explicatio. Sunt (addit Sylva) *fabæ* cibus *jumentorum*, quibus (ut dictum suprà) *venter* (symbolum *sensus*) inflatur, & *mens opprimi* dicitur. Hìnc mandatum *abstinendi à fabis* indicat symbolicè, quòd nolis more jumentorum te gerere; nolis passionibus sensitivis subiici; nolis more jumenti permittere, quòd *sensus*, (qui est portio *inferior* hominis, & qui debet esse *servus* subjectus rationi) contrà rationem rebellis insletur: nec permittas, *rationem*, quæ est *superior*, opprimi à sensu; *homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, & factus est similis illis*; toties jumentis te comparas, quoties jumentorum more te geris;ergo præceptum *abstinendi à fabis* cibo *jumentorum*, est hortari, quòd te geras *ut homo*, ne agas *ut brutum*, ne sis moribus BESTIA.

Vno verbo. *Fabæ* quià *sterilitatem* inferunt, & *cibus jumentorum* sunt, symbola sunt *vitiorum*, quæ animam sterilem reddunt, infœcundam & sine fructu virtutum, sunt & vitia cibus peccatorum, qui comparantur jumentis; hìnc abstinere *à fabis* indicat *à vitiis* abstinendum.

Nona explicatio, & ad præsens. Exponunt alij,præceptum *abstinendi à fabis* innuere symbolicè, abstinendum *à turpitudine*,& *ab omni alimento*, quod turpitudinem *acuat*. Fabæ enim mollitudine suà, & ingenità quadam tumoris efficacià,*humanæ genituræ* vim suggerunt, & *facillimæ* sunt *corruptionis*, & est *fabis* figura simillima *testiculis ipsis*,& Lucianus in quodam Dialogo notat, quòd si viridem *fabam* folliculo exuas, apparet *virilibus genitalibus similis*; quòd si *faba* macerata dimittatur ad solē per aliquod temporis spatium ,*seminis humani* contrahit odorem;item si, *fabà florente*, unà cum flore faba concludatur in circumlutatà ollà, humoque obruatur, & post aliquos dies effodiatur, effigiem *pudendi muliebris* reperitur habere, & mox etiam *puerilis capitis*; in hoc sensu præceptum *abstinendi* à fabis,

quas

quas Pythagoricis nec licebat *comedere*, nec *ferere*, nec *tangere*, nec *videre*, symbolicè innuit, *abstinendum à turpitudine*, nec *turpia exercenda*, nec *pudendas partes* alienas *tangendas*, nec *videndas*, imò nec *proprias*, nisi motivo rationalis necessitatis cogente, & procùl ab omni culpabilis impuritatis consensu. Hoc symbolum didicerit Pythagoras ab Ægyptijs, ad quos causà discendi, se contulit; apud Ægyptios enim *faba* ità impurum legumen existimabatur, ut non solùm *comedere*, vel *tangere*, vel *ferere* fabam, verùm *videre*, haberetur profanum, imò nec licebat nominare fabam, ut indicaretur, *turpia* nec *nominanda*. Apud Romanos *Flammini*, ajunt, non licebat vesci *fabis*, imò *Diali* nec eas *nominare*, ut indicaretur puritas casta, qua Sacerdotes deberent esse candidi.

Adde; quòd *fabæ*, quià *ventosæ*, inflant, & ideò libidinem movent, plurimà purgatione indigent; ergo abstinendum *à fabis*, quia libidinem incitantibus ex ventosà inflatione, & vires roborant.

Nec mireris, quòd *relata* in articulo antecedente, & in isto, *alimenta* cavenda monuerim; nihil enim æquè conducit ad motus illicitos cohibendos, quàm *victus temperata ratio*; ventri genitalia vicina sunt, & unum alteri subministrat. Nec sine consilio sapientes Poetæ effinxerunt, Venerem genitalia Adonidis interempti recondidisse *lactucis*; libidinem, turpemque voluptatem, ciborum moderatorum usu sopiendam, & reprimendam, conati sunt indicare; & Ovidius turpium magister amorum, tandem castigatus à vitio ipso, inter remedia contrà amorem impurum, abstinentiam à quibusdam cibis subscribit his versibus:

Eccè cibos etiàm (medicinæ fungar ut omni
Munere) quos fugias, quosve sequare, dabo.
Daunius Lybicis bulbus *tibi missus ab oris,*
An veniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minùs erucas *aptum est vitare salaces,*
Et quicquid *VENERI corpora nostra parat.*
Vtiliùs sumas acuentes lumina rutas,
Et quicquid VENERI corpora nostra negat.

NONA MEDICINA PRÆSERVATIVA à VENERE IMPVRA, & sordido CVPIDINE est, nec adolescentem, juvenem, & virum, dare MALVM, FLOREM, ROSAM, aut AVRVM, vel MVNVS, vel GEMMAS, pretiososve LAPILLOS, aut VITAS fœminæ, maximè puellæ, virgini, & matronæ honestæ; nec has juveni, adolescenti, vel viro. Item SPECVLA non exercere, nec crines pulveribus Cypri *aspergere. Ex Poesi per relata munera dicata CVPIDINI, & VENERI.*

CAveant adolescens, juvenis, vir, porrigere malum (sive pomum, & fructum quemvis) fœminæ, maximè puellæ, virgini, matronæ honestæ; caveant istæ relata porrigere illis. *Malum* enim (nempe fructus sic dictus ab arbore, quæ dicitur *malus*) est AMORIS symbolum, Veneri est dicatum pomum, & in Veneris manu apud Sycionios erat. Mala enim (sive usitatiùs dicas poma) sunt aurei, & rubicundi coloris; aureus color est pallidus; & isti sunt colores amantium, *pallet omnis amans*, ajebat Ovidius; & Horatius, *tinctus violà pallor amantium*; & apud Catullum quidam amans dicitur *inauratà pallidior statuà*. Rubicundus & est item aliquoties color

amantium, iàm quando amoris ignis vultum accendit, jàm quando propalatà nequitià, erubescentia faciem rubore colorat. Item mali arboris truncus primùm coercitus surgit, à medio verò, ubi dilatari cœperit, diffunditur in spatia; talis est impurè amantis proprietas, nam primò verecundià coercitus, & ab ingenuo pudore cohibitus, incipit compressus, & quasi pudore constrictus; quando autem jàm amor processit, & medium impurum attigit, tunc jam frontem perfricat, ac verecundiæ compedibus expeditus, quaquà voluerit, liberè, & sine pudore pervagatur. Hinc Veneri dicatum est malum, præsertim dulce; & qui amores impuros pingere voluerunt, eosdem lusitantes pomis, & inter arbores (*dictas malos*) lascivientes, poma decerpentes, abrodentes, jactantes figurarunt, sicut solent turpes amantes, & idem pomum rodere solent; nec recordantur primi illius pomi, quod morsum ab Eva, & Adam, ex morsu fuit exitium orbi. Mala dicata Veneri effinguntur Bacchi de tempore sumpta, vel quia vinum amorem Venereum excitat, vel quia vinum, significatum nomine Bacchi, lætitiam incitat, amor autem impurus ab aliqua lætitiæ titillatione incipit. *Malis ferire*, vel *Malo petere*, fuerunt adagia innuentia, ad Venerem solicitare. Pomis solitæ lusitare puellæ.

Pharetræ AMORVM, sive CUPIDINUM, effinguntur à Poesi AVRO insignes, *aurea* inde promuntur tela; indicarunt, auro generari amorem, comparari, detineri, durare. Quòd tria aurea poma Atalantam, pulcherrimam puellam, quæ cunctos in cursu vicerat, ipsam reddidisent victam, dùm incursu, ut ea colligeret ab Hippomene ejecta, moratur, fuit figmentum Poeticum, ut indicetur potentia auri, quæ fœminas etiam victrices vincit. Quòdque Virgo *Danae*, inclusa à Patre in turri, *aureo* imbre Jovis de tecto fluente, reddita esset gravida, fuit fictio, ut innueretur (inter alia) quòd virgo etiàm strictè servata, & custodita, non est tuta, si accedat ad ipsam aurum; est aurum clavis, quæ turres, arces, & corda reserat.

Amicula AMORVM *variis coloribus* texta, & multitudine *florum* involuta, sunt effigiata; florum multitudo figuratur pullulans in agro, in quo pinguntur AMORES, sive CUPIDINES. In Calathiscis figurantur CVPIDINES, habentes *gemmas*, *Smaragdos*, *margaritas*, harum copia debacchatur in illis. Indicantur hæc munera, cum quibus sibi indulgent turpes amantes.

Alios CVPIDINES videas *saltantes*, alios *cursitantes*, alios *quiescentes*, alios *vigilantes*, alios *dormientes*. Alij mutuò se *telis* confodiunt, ictibus alternis se lacessunt, nec vulnera declinant, imò ultrò pectora objectant; in quo significatur reciprocatio amantium, mutuò amoris Jaculo vulnerantium corda, nec tamen resistentium, imò ultrò vulnera recipientium. Item quòd jàm lusitant, jàm cursitant, jàm quiescunt, jàm jocantur, jàm dormiunt.

Rosam diximus alibi dicatam Veneri, cuius simulacra erant coronata rosis.

Ergo quid innuit Poesis in relatis figmentis, & picturis *Cupidinum*, nisi MALA, FLORES, ROSAS, AVRVM, DONA, GEMMAS, LAPILLOS pretiosos, vestimenta FLORIDA, LVSITARE, SALTARE, CVRSITARE, JOCARI, esse VENERI socia, & CVPIDINIS, sive AMORIS IMPVRI, fomites?

Ergò nec adolescens, juvenis, aut vir dent fœminæ relatos amoris magnetes, nec fœminæ viris; vir largiatur viris, fœmina fœminis, pericula exulent; si oporteat, adolescentẽ, juvenẽ, virum dona dare fœminis, vel istas illis,

illis, at *non immediatè*, sed manus casta, pia, & tuta alterius sit medium; accipiens sciat eleemosinam, ignoret datorem; nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua. Da, sed sine periculo tuo, & sine recipientis spirituali pernicie.

Quid (o virgo, o fœmina) indicet ille *flos*, vel Rosa in manu? *Quid* fasciculus *florum* in sinu? *Quid* indicent in adolescentis manu *Rosa*, vel *flos*? *Quid*, quòd porrigat puellæ? *Quid*, quòd puella, vel matrona, recipiant? *Quid* quòd ipsæ adolescenti, juveni, vel viro præstent? VENEREM indicant, CVPIDO IMPVRVS ibi latet inter dona, imò patet; ex relatis generatur amor impurus, cum ipsis nutritur, crescit, durat; ergo turpitudinis semina, nutrimenta, incrementa, & conservatoria sordida, abite, apagete procùl.

Contrà *saltatus*, sive *saltationes*, vestimenta *florida*, *jocos*, *lusitationes*, cum quibus pinguntur *Cupidines*, satis in anterioribus scintillarunt fulmina, rugiere tonitrua, & contrà ipsa satis pag. 24. & à pag. 937. classica tuba Minervæ mugivit. Quòd CVPIDINES effigiati sint à priscis sine *coronâ*, quià comæ flavescentes, nitidæ, aureæ, crispulæ, satis eorum capiti afferant ornamenti, alludit ad *comas* artificiosè *compositas*, contrà quas vibravit jam lanceam Pallas; ergo ad dicta à pag. 198. & 199. & 939. pertinent ista, eodem, quo illic, flagello punita, quià eodem verbere digna.

Nùnc contrà SPECVLA. Cur, *puella*, cur *virgo*, cur *matrona*, sitis speculo affixæ? an nescitis, quòd *speculum* anathema sit VENERIS? Triton apud Apuleium *Veneri* speculum prægestat in pompà. Dexterè Philostratus Venerem pinxit in antro, recumbentem molliter *in floribus stratis*, juxtà quàm irriguus fons vitreà (more speculi) claritate prosilit. Ibi amatoriam VENERIS supelectilem, *pyxidas*, *pectines*, *specula*, *cymbala cum crotalis*, *omniaque arma pruriginis*, *amœnitatumque*, *& illecebrarum alia*, *atque alia illectamenta* recensere possis. Quid hoc? an non pingitur in his à Philostrato fœmina in molli, & florido strato in antro, id est, in domus recessu, cum omni Veneris supelectile, se unguens, pectens, crines ruffans, & ornans? an ibi non videas pixidas, pectines, specula, cymbala, & cuncta vana Veneris pignora? *amor impurus* (ajebat Euripides) *amat* SPECVLA, *& crinium ruffationem*.

Quid in speculo videas? *faciem terræ*, vultus est terra; quid superbis terra, & cinis?

Quid vides in gennis? *rosas*? fugitiva est rosæ vita, cui lemma, *una dies aperit*, *conficit una dies*.

Quid cernis ad hùc in gennis? *lilia* mixta rosis? alba l'igustra cadûnt, vaccinia nigraleguntur; vide, quòd lilii odor causat dolorem capitis; cur caput fatiges fugitiva vultus lilia considerando? at nec lilia sunt, sed lilij phantastica imago; auferas cutem, horror apparet.

Quid cernis in speculo? *frontem speciosam*? imò Veneris meretricis campum, ira corrugat frontem, vides Furias incertamine.

Quid cernis in speculo? *oculos*? at an lachrymosos vino? an lippos, unde manat scabies? an lucidos, splendidos, & fulgore micantes? vide, ne te cœcam amor proprius reddat; vide, quòd sint sidera errantia, exhalationes breves, celer erit occasus; timeas repentino adversæ fortunæ ictu, videre turgidos fletu, quos consideras alacres gaudio. *Vides*, quòd *halitus* obscurat speculum? ergo quid ex corpore tuo nisi sordes, corruptio, scabies, pestifer aer?

Quid cernis in speculo? *labia*? an vitta coccinea tibi apparent? an clavellatus flos, an cæsaries purpurea, vel viola flammea? age, sunt caro,

corruptioni obnoxia ; violacea reddent tempus, morbus, ferruginea reddentur à Parcâ.,

Quid in ſpeculo cernas? *dentes*? an tibi videantur gemmarũ grandines? age, age, meretricia VENVS; candidum ebur dentium ſcaber ſitus atteret, & ut (in libro meo, cui titulus *Phœnix renatus Auguſtinus* pag. 425.) vibrabam, cadet flava cœſaries, aurea capillorum fila vertentur in niveas canas, erit vertex capitis ridicula calvities, pallor fœdabit tenerarum gennarum purpuram, ſerenam frontem rugæ ſquallentes arabunt; lætas oculorum acies, lucida oris ſidera, mœſta teget nubes; corruet recta cervix, & illa (apud te) turris eburnea inclinabitur, & cadet; criſpabitur planum guttur, agiles humeri cadent, aridas manus non exiſtimabis tuas; curvos pedes cum inſpicias, alienos eſſe putabis; ex ore (cujus aditum exiſtimabas Floræ theatrum, veris gazas, Gratiarum metropoſim, hortorum invidiam, Heſperidum æmulationem, Alcinoum pudorem) crepitante tuſſi, ſputa conglobata (nauſeam moventia videntibus, vel audientibus) ſordido, ſquallido, & pannoſo profluvio manabunt. Ergo projice *ſpeculum* dicatum VENERI, O putredinis follis, ſtercoris ſacce.

Tu *adoleſcens*, tu *juvenis*, cur affixi ſpeculo? odi juvenes, ut fœminas, comptos; O Adonides, imminet aper, timete. Narciſſus pulcher, ſe conſiderans (*ut in ſpeculo*) in vitreo, & limpido fonte, periit; aliquid in figmento hoc voluit tibi indicare Poeſis.

Sed tu vir, cur cum *ſpeculo*? quis ſis? *Venus barbata*? Venus eſt barbata, ergo monſtrum eſt.

Sed quid illa *vetula* conſideret in ſpeculo? an calvariam ſuam, & in ipsà ſe defunctam reflectat? O mulier pia, mortis memor! Sed loquor ironicè, nam ſe ſpeculatur, ut unguentis, & cerusà, rugas velet. Agite ſocij, conſiſtamus à tergo; quid cernitis *in ſpeculo*, in quo ſe contemplatur vetula ſatagens, ut appareat puella? cernimus os ſepulchri, calvariæ dentes. Sed ille *dens* oblongus, & *acutus*, quid innuit? *falx mortis eſt*; cur ſic? adeſt ut metat, quià jàm eſt matura meſſis. Ille *naſus* acuminatus oblongus quid indicat? ſpeciem indicis horologij præſefert; ergo admonete vetulam, præparet feralem tunicam, quia horologij vitæ index vicinam horam mortis indicat, ecce pullat, eccè ſonat; abijce ſpeculum; *peccavi*, dic corde toto, *vetula*.

Sed quis eſt ille, qui *ſpeculum* tenet in manu? qui ſe conſiderat *ad ſpeculum*? eſt *ſenex*? & *decrepitus*; ſenes pueros plangimus, quibus mens Veris viridis in ſicco, & frigido ætatis autumno; at an ille ſenex? an Empuſa? an Larva? an diurnum phantaſma? an vitale cadaver? an vivens cadavericum? quid eſt? O ſocij fugiamus; quid eſt in regione vivorum videre mortuos. AD SPECVLVM?

Ergo vos (o fœminæ, & viri) deſeram *ſine* SPECVLIS? imò terſa, ac polita, præſto. Apud ſapientiam cap. 7. lit. D. *ſpeculum* exponitur de CHRISTO, & SAPIENTIA, & SACRA SCRIPTVRA, ad quorum aſpectum noſmetipſos contemplari debemus, & maculas peccatorum tergere. Apud Exodum cap. 38 A. *ſpecula* mulierum, de quibus fiebat labrum æneum, ad lavandum Sacerdotes, deſignare poſſunt (exponit Sylvatom. 2. v. *ſpeculum*) divina præcepta, quæ debemus contemplari, ut abluamus ſordes noſtræ mentis. Significant etiam *ſpecula illa* ſanctorum Patrum exempla, qui ob animarum pulchritudinem dicuntur mulieres. Ergo hæc ſint SPECVLA nobis; SPECVLA abite VENERIS.

Jàm contra *pulveres Cypri*, qui aſperguntur comis, contra quas jàm pag. 198. & 199. & 939. Quid innuunt *pulveres* illi? an *pœnitentiam*? Apud

Exo-

Exodum cap.32. E. & Micheam cap.1.C. *pulvis* humilitatem *pœnitentiæ* significat, & *pulvis vituli* datus est à Moyse populo in potum, in signum pœnitentiæ, & in contemptum idolatriæ, & superstitionis, qua populus adoraverat vitulum, ut disceret iste contemnere, quod in secessum proijci videret. Et apud Genesim cap.18.D. & lib.1.Regum cap.4.C.& apud Psalmum 102. *pulvere conspersum caput* est index cordis *humiliati* per cognitionem *vilitatis* propriæ, & per *pœnitentiam* pro terrenis, & pravis operibus; item pulvis est symbolum *mortis*, quia mortui rediguntur in pulverem. Quid ergo adolescentes? quid juvenes? quid viri? quid senes? quid fœminæ? caput *pulveribus Cypri* conspergitis in humilitatis signum? in pœnitentiæ argumentum? ad memoriam mortis? fœlicia sæcula, quibus plurimos pulveribus consperſos cernimus! cur jàm prædicemus pœnitentiam? cur memoriam mortis? sunt publicæ pœnitentiæ, & memoriæ mortis signa, cum publicè consperſa videntur pulveribus capita. Dices mihi, *jocaris*? O socij, loquebar *ironicè*; non licet jocari, sed magis plangere cogimur. In alio sensu *pulvis* (apud Psalmum 29.) signat *mentem* terrenis *infixam*; & quorsum respectat illud Geneſis cap.3. C quod serpens vesceretur terrà, nisi ad innuendum, quòd vitiosi, quorum symbola serpens, terrenis affixi, vescuntur pulvere terræ, id est, pascuntur terrenis? Pulvis item significat *malos*, quos dicas pulverem, quem proijcit superbiæ, & vitiorum ventus. Eccè id innuunt *pulveres Cypri* crinibus, sive capillaturæ, consperſi; innuunt animum terrenis affixum, vitiosum; animus utentis pulveribus illis est pulvis, quem proijcit superbiæ ventus.

Agite, tales *Cypri* excutite *pulveres*; apud Mathæum enim cap.10. B.& Lucam cap.9. quid signat *pulvis excutiendus*, nisi divitias, caduca, vana omnia, & etiam levia peccata excutienda? ergo excutite illa, excutite & Cypri pulveres, qui tot vitia indicant. Hæc ex sacris chartis.

At ex literis sæcularibus, ut ancillentur divinis, Venus à Poesi effingitur è conchà nata, & in ipsa advecta in CYPRVM, hæc à insula à priscis dicata VENERI, ibi primùm apparuisse fingitur; quæ figmenta (ut dictum alibi) ad indicandam gentis CYPRI lascivam petulantiam conspirant; ergo excute CYPRI PVLVERES, quià VENEREI sunt, & dicti à meretricis VENERIS insulà.

DECIMA MEDICINA PRÆSERVATIVA à VENERE IMPVRA, sive CVPIDINE IMPVRO, vitare, fugere SOCIETATES IMPVRAS, & OMNEM lasciviendi OCCASIONEM.

NEscitis, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit*? Paulus 1.Cor.5.

Ergo cur te associes impuro? si Venereus est, te Venereum reddet; totam massam corrumpit modicum fermentum, ergo eò magis corrumpet, si sit nimium. Caveas à societate, etiam non vehementer impurà, quia sufficit ad corrumpendum castitatis candorem.

Dices; at me lactat, me alit, quomodo cum eo non ambulem? At magis audias spiritum Dei monentem (Proverb.cap.1.) *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.* Cur sic? quià (ex Proverb. cap.13.) *amicus stultorum similis efficietur.* Tu licèt non ardeas igne libidinis, si libidinosis te associes, accendetur ignis. Vide carbonem extinctum, si adhæreat aliis accensis, accenditur ille, cui ideo lemma, *aliis junctus*, nempe accendor. Ovid.2. de Remed.

Proxi-

Proximus à tectis ignis defenditur ægrè;
Vtile finitimis abstinuisse locis.

Ajebat Seneca epist.104. *Incendent libidines tuas adulterorum sodalitia*. Et lib.3.de *Irà cap.7.* addit: *Impudicorum cœtus fortem quoque, & siliceum virum emollit*. At de hoc latiùs, quando in quartà Porticu agamus contra vitia.

Tandem *omnem* OCCASIONEM Venereæ impuritatis *fugere* est pharmacum præservativum à VENERE.

Amputandæ *occasiones* peccandi, ne crescant in arborem criminis; sunt enim occasiones exordia culpæ, semina pullulantia criminis. Noe inebriatus non esset, si vineas non plantasset.

Efficacior est ad peccandum *occasio*, quàm verborum suasio; Judas patriarcha (*Gen. cap.38 v.14. & 16.*) non semel tractaverat de sponsalibus cum Thamar, & tamen licèt non semel de hoc cum illa esset loquutus, nunquam successit concubitus; invenit eam in bivio itineris, & (licèt non agnoscens) cum illà coivit; & qui non coiverat in colloquio, occasione inventa coivit.

Cur, putes, vetitum lignum collocavērit Deus in paradisi medio? ut esset magis absconditum, & minùs obvium aspectui; ne Adam, & Eva haberent ex facili visu expeditam *occasionem* peccandi, relegavit periculum proximum. Et cur ipse Deus (Gen. cap.3 v.23) Adamum emisit de paradiso? ne desiderio potiundi *ligno, vitæ* corporeæ conservativo, pedem iterùm figeret in loco, ubi deliquerat, & ne *occasionem* haberet iterùm peccandi, comedendo iterùm de ligno prohibito.

Cur Noemo, ædificaturo arcam, jusserit Deus, *Bitumine linies intrinsecùs, & extrinsecùs*? ut occasio prohiberetur naufragii; minimæ guttulæ si intrarent, crescret intrà arcam unda, perirent inclusa viventia inter aquas. Cujus fuerit symbolum Noemitica arca? nostri corporis in sensu morali; quid est in orbe? dilubium occasionum peccandi; guttulæ sunt *occasiones parvæ*; an solas occasiones *undosas* vites? imò etiam *parvas*, etiam occasionum guttulas, ne uberes crescant in aquas; *linias interiùs, & exteriùs tui corporis arcam*; interiùs bitumine virtutum, exteriùs cautà temperantià sensuum; caveas, ne guttula speciei peccaminosæ, ex non vitatà guttulà occasionis, intret inarcam.

Cur guttulis etiam *parvarum* occasionum non præcludas aditum? non prætereat, quòd *parva scintilla* soleat assurgere in incendia magna; virga *tenuis* assurgit in arborem; *parvus* lapillus de monte abscissus eximiam statuam Nabuchodonosoris (auro, ære, argento, & ferro compaginatam) tangens, in ictu oculi contrivit, & solo æquavit. Vide pag.942.in num. *Ergo*, & pag 443. num.*vix*.

UNDECIMA MEDICINA PRÆSERVATIVA à VENERE SORDIDA, & CVPIDINE IMPVRO, hominem *considerare imperfectiones MVLIERIS, ostenditur id exliteris sacris, & sanctis Patribus; à Poesi id indicatum per PANDORAM, JVNONEM, MEDVSAM, & MEDEAM; fœmina consideret imperfectiones HOMINIS. AMOR IMPVRVS fugax, non durat, INCONSTANS; ex Poesi per CUPIDINEM* puerum alatum, *per SIRENES* alatas, *& alata animalia VENERI dicata.*

QVid est MVLIER? *Melior* (ex Eccles. cap.42.) *est iniquitas viri, quàm mulier benè faciens. Virum de mille unum reperi, mulierem*

ex

ex omnibus non inveni. Et Prov. cap. 25. *Peccatum duxit initium à muliere, & per eandem omnes morimur*. Cur dicatur *melior iniquitàs viri, quàm mulier benefaciens*? hyperbole opinor, ad exaggerandam iniquitatem mulieris.

Mulierem dicebat Hieronymus januam tartari, diaboli sagittam. Chrysostomus ajebat: *Ego existimo, in hoc mundo nullam esse bestiam comparabilem mulieri*.

Hieronimus in rubr. cap. de luxur.

Chrysostomus serm. Decollat. Joann. Bapt.

Valerius Episcopus admonuit: *Audax est ad omnia, quæcumque amat, vel odit fœmina, & artificiosa est nocere, cum vult*. Addit Chrysostomus ubi suprà, *Mulier, cum injuriam patitur, insanit, si honorem accipit, extollitur*.

Valerius Episc. Epist. ad Ruf.

S. Bonaventura: Mulier est quotidianum malum, castitatis impedimentum, domus tempestatis, adulterij vas, continentiæ naufragium præcipuum, aspis insatiabilis, humanum mancipium.

D. Bonaventura l. 1. Phar. c. 8. tom. 6.

Sanctus Ephrem: *Quid est mulier*? laqueus comptus, homines in voluptatem illiciens, quæ splendidà quidem facie, & excelso collo, oculis annuit, & gennis arridet. *Quid est mulier*? lingua dulcitèr canens, voce alios decipit, sermone pellicit, vestes trahens, & pedibus ludens, formà placens, corpore fornicationem exercens, factisque occidens. *Quid est mulier*? naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, & malitiæ. *Quid est mulier*? mortifera conversatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni. *Quid est mulier*? nasa diaboli, serpentis requies, dœmonum consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, malitia incurabilis, hospitium lascivorum, officina dœmonum. *Quid est mulier*? amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia, æterni supplicij conciliatrix. *Quid est mulier*? prudentia terrena, viri socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors. Nulla fera par improbæ, & maledicæ fœminæ; quid enim inter quadrupedia leone terribilius, aut inter reptilia dracone crudelius? verùm nihil ad malam mulierem. *Hucusque S. Ephrem*.

S. Ephrem. adversùs mulieres, tomo 1.

Hugo Cardinalis: sup. Proverb. cap. 5. Tomo. 3. *Conditiones* mulieris *septem*: Fallax, Garrula, Curiosa, Inconstans, Adulatrix, Avara, Pertinax. Hùc Poesis profana:

Nux, asinus MULIER, simili sunt lege ligati,
Hæc tria nihil rectè faciunt, si verbera cessent.

Diogenes conspicatus mulieres garrulas, inter se colloquentes, dixit: *Aspis à viperà venenum mutuatur*. Socrates: *Mulier speciosa, & pulchra, est templum, super cloacam ædificatum*. Hesiodus (in *Theogoniâ*) mulieres fucis assimilat, qui consumunt labores apum. Alibi ait: *Qui fidit mulieribus, furibus etiam fidem habet*. Adagium. *Mulieris podex*, dictum de muliere insolente, & prodigà.

Damna ex *vana curiositate* mulierum innuit Poesis per PANDORAM, de qua pag. 848. & 849. diximus; videas ibi. *Crudelitatem, superbiam, dolos, iram mulierum* per MEDEAM, & JVNONEM indicarunt Poetæ; aiunt enim MEDEAM fuisse incantatricem maximam, insignem veneficam; indicatur ipsius *lascivia*, & contrà patres irreverentia, dum refertur, quòd

Ja-

Jasonis amore capta, patrem, & patriam, & regnum prodidit. Indicatur Medeæ cupiditas, dum dicitur, quòd magicis artibus adjuverit Jasonem, ne obrueretur periculis, dum navigaret in Colchos, *aureum vellus* rapturus è templo Apollinis, sopito, qui illud custodiebat, & occiso draconе. Indicatur mulieris *crudelitas*, & *ira*, dùm patre ipsam, propter scelera, persequente, ipsa fratrem parvulum, quem secum abduxerat, occidit, & in multa frustra secuit, in variis locis sparsìm projecit, ut scilicet pater persequens, at occupatus, & moratus in colligendis parvuli filii frustris, retardaretur, & sic esset Medeæ ipsi tempus fugiendi. Trucidavit fratrem Absyrtum, quem timebat, quia patrem jàm senem non formidabat. Addunt, duos liberos ex Jasone habuisse; repudiatamque à Jasone, in conspectu hujus (præ *ira*) crudeliter filios proprios trucidasse; & quia Jason novam fœminam sibi acceperat, Medeam à cœdibus non abstinuisse, quousque novam nuptam cum tota domo concremavit.

Jam per JVNONEM non latuit Poetas, pravam mulierum innuere indolem, dum JVNONEM fingunt inplacabili odio insidiantem Herculi; qui vix fingitur natus, quãdo sub mediam noctem duos ferocissimos angues immissos à Junone in Herculis cunam dicunt, ut ab ipsis ictus interiret, nemine præscio; cumque eos Hercules infans ambabus manibus apprehensos constrixisset, & suffocasset, illæsus remansit. Herculem (fraude Junonis) eà lege dicunt natum, ut Eurystheus nasceretur prior, & illi imperaret, ut cogeretur ubique pericula horrenda subire, universumque orbem expurgare monstris, ut tandem periret; jàm contrà leonem Nemœum mittitur; quo victo contrà Hydram; hac victà contrà alia monstra Cerberum, & ad alios labores; nunquam, ut periret, cessarunt insidiæ; misit & juno insaniam in Herculem, qua proprios jugulavit filios.

Per Medusam aureis crinibus, & coeuntem cum Neptuno in templo Minervæ, & quæ quando pulchra aspicientes convertebat in saxa, & posteà in pœnam sacrilegij à Minerva crinita anguibus (capilloruu vice) solo aspectu venenato occidebat, indicarunt mulieris petulantiam, cogitationes malignas, indolem ad nocendum. Satis ex dictis indicata sunt à Poesi *ira*, *crudelitas*, *impietas*, *fraus*, *dolus*, *insidiæ*, *malitia*, *curiositas vana*, *lascivaque petulantia mulieris*. Ex quibus multa sunt historica, alia ad innuendam mulieris iniquitatem conficta.

At licèt sæculares, & Poeticæ literæ ancillentur, non egemus his, cum nostræ sacræ literæ historica penitus nobis testimonia præstent. *Versipelles seditiosas*, *crudeles* narrat sacra Scriptura mulieres *Moabitas*, dum (in Numerorum cap. 21. v. 23.) dicit, quòd filios Israel deceperunt.

Egressa *Jabel* in occursum *Sisaræ* (*Judic.* 4.) dixit ad eum: *Intra ad me*, *Domine mi*, *ne timeas*, & postremò illum dormientem occidit.

Concubina Sampsonis cum lachrymis ipsi dicebat, *Odisti me*, *id circò problema non vis mihi exponere*; dolosè lachrymosa suadebat, ut Sampson in proprium damnum revelaret secretum. Mulieres deceperunt Salomonem, ut coleret earum Deos.

Mulieres *avaras*, *cupidas*, *importunas* scimus ex sacra Scriptura *Jezabel*, & *Athaliam*; *illa* (ex 3. Reg. cap. 2.) adeò cupida, & avara, & crudelis, ut falsos testes produxerit ex cupiditate rapiendi vineam Naboth; & hunc fecerit lapidari crudeliter; ista (ex 4. Regum cap. 21.) mater Ochoziæ Regis, ex ambitione regnandi interfecit omne regium semen, excepto infan-

tulo

tulo *Joas*, qui furtim absconditus fuerat. Jam ad *veneficia* mulieres proclives frequentèr dolemus, & (in lib. 1. Reg. cap. 28.) Scriptura sacra refert Pythonissam, quæ suscitare visa est animam Samuelis.

Superbas vestitu, & *ornatu*, quis mulieres ignoret? *Iezabel* (ex lib. 4. Reg. cap. 9.) audito adventu Jehu, qui occiderat Joram Regem Israel, *depinxit oculos suos stibio*, & *ornavit caput suum*.

Idolatrias, & hæreses, propagationem habuisse à mulieribus, & originem, seriò observat S Hieronymus ad Cresiphontem, scribens: *Vix ulla fuit hæresis, quæ non habuerit fœminam adjutricem. Simon magus hæresim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio*. Ex hæreticis *Marcion* præmisit Romam mulierem, quæ decipiendos animos præpararet. *Montanus* immundi spiritus prædicator per Priscam, & Maximillam opulentas fœminas, multas Ecclesias primùm auro corrupit, deinde polluit hæresim. *Donatus* in Africà opibus Lucillæ adjutus seminavit hæresum zizaniam. Theodosius Imperator Eutychianos hæreticos contra Orthodoxos fovit, à conjuge Eudoxia persuasus. *Justina* mater Valeriani Imperatoris templum Mediolani Arianis hæreticis tradi postulat.

Fœmina quando ardentiùs ostentat amare, tùnc cogitat tradere. Si fœmina amat, est superba; si contemnit, est vipera. Amor fœminæ non est amor, sed cupiditas, est scopus lucrum; loquitur, ut fingat, ridet, ut decipiat. Si inconstantiæ sit corpus, fœmina est corpus inconstantiæ. Fœmina allicit ut philomela, inficit ut basiliscus. *Dolus* est libri fœminæ epigraphe. In ore fœminæ est adulationis mel, at in corde fel. Arguti Græci VENERI, & INSANIÆ idem dedere nomen. *Fœminam* scimus *hominem imperfectum*, hinc plura in ipsà, quàm in homine vitia, considerato sexu. Fœminæ sunt dicaces absque Rhetoricà; si continentes (ut plurimùm) arte, non naturà; simulant pudicitiam per aliquod tempus, ut venerationem concilient, & pretio majori se vendant. Linguam fœminæ acutiorem dicas acutissimo ense.

Opponis. Si *Viperæ*, & ità cruentæ, & insidiantes, sunt *mulieres*, cur tot jacula jacias? an contrà te accersas viperam progeniem? item cur ità contrà mulieres tones? an non vigent, & floruerunt mulieres bonæ, sanctæ, heroicæ? Duo objecisti, athleta. Cur, *primò* opponis, si fœminæ viperæ sunt, viperas provoces? Respondeo, oportere plus placere Deo, quàm fœminis; urget utilitas proximi, bonum spirituale animarum accersit; mala ex fœminis tibi obijcio, ut caveas, & ne incautus gemas. Contrà illas, quas commendas *mulieres sanctas*, *bonas*, & *heroicas*, nos non certamus jaculis, imò pro illis laureas, & coronas, petimus; at illas nolis nudè dicere *mulieres*; sunt enim *suprà mulieres*, *plusquàm mulieres*; gratiâ Dei sunt, & fuerunt quid *divinum* in terris.

At, & vos fœminæ, cavete *impuris* hominibus tradi; putabitis Apollinis vultum, & invenietis facies, & malleos Cyclopum. Tandiù homini impuro tua pulchritudo placet, quandiù aliam pulchriorem non cernit; visà venustiori formà, pulchra prima vilescit. Scitote ex sacrà Proverbiali Philosophià cap. 27. *Cor iniqui inquirit mala*; & cap. 16. *Vir impius fodit malum*, *& in labiis ejus ignis ardescit*.

At literæ sæculares ancillentur sacris; Aristotelis est vox 7. Ethicorum, *Malus homo plus nocet*, *quàm mala bestia*. Et quidem ità; homo malus est *serpente* pejor, serpens enim, quanvis malitiam habeat, hominem timet; ideò si quem absconsè potuerit, mordet; si autem non potuerit, fugit. Homo autem & malitiam habet serpentis, & timorem non habet; ideo quandiù non habet tempus, latet sicut serpens; si verò invenerit, irruit si-

cut BESTIA. Homo pejor est *angue*; quià anguis, si irritata fuerit, sævit, si irritata non fuerit, in silentio transit; homo verò non irritatus insanit, & magis super illos insanit, à quibus non fuerit irritatus. Homo malus est pejor, quàm ipse *diabolus*; diabolus enim si videt justum, non audet accedere; homo verò malus si videat hominem sanctum, non solùm non timet, sed adhùc magis contemnit. Hæc (Homil. 19. super Genesim tomo 1.) dictat Chrysostomus.

Sciant adolescentes, juvenes, viri, senes, fœminæ quæque, quòd amor impurus est incostans; tandiù perseverat, quandiù voluptas durat, at brevis est ista; ædificium amoris, cui fundamenta voluptas transiens, quomodo firmum? voluptas inter omnes passiones velocissimè abit; cur enim nisi propter hoc Sirenes voluptatum symbola effinxerunt alatas? Cur Cupidinem effinxerunt alatum puerum? ut innuerent turpis amoris inconstantiam, & quòd velociter avolat; brevis est ignis facis Cupidini alato; vix vides, abiit. Aptè ergo Poesis animalia vehentia Veneris currum effinxit *aves*, alata animalia dedit, ut turpis amoris velocem fugam moneret. Repente Solis vultus ecclypsim patitur, & in hyemem rigidum ver impuri amoris mutatur:

Usque fluit fugitivus amor, *refluitque vicissim*
Ut mare; *quid mirum*; *nam Venus orta* mari.
Nulla fides Veneri, *levis est*, *interque planetas*
Ponitur, haud *inter sidera* fixa *VENUS*.

Cur ames? amari dicis; at unde tibi constat amari? aptiùs putes falli. Vide, quòd pingitur Cupido *cœcus*, quia amans est *cœcus*; si *cœcus* es, quomodò *videas* amari? latet cor sub tot velaminibus, quot tunicis; ossa, & caro, & cutis sunt murus, & ante murale; quomodo ergo cor videas? cernis velamen exteriùs album symbolum pacis; at time vexilla *purpurea*, & *nigra*, occisionis, odii, & mortis signa symbolica elevari intra. *Errat*, *& nulla sede moratur amor*, ajebat Naso. At putas amari? utinam non amareris; si turpitèr amari gaudes, insanis, quia de proprio damno lætaris. Unde inferas amari? an quia fœmina plorat? time, sint Crocodili lachrymæ, cui lemma ex Catone, *instruit insidias lachrymis*. Cato:

Statuit insidias lachrymis, *cum fœmina plorat*.

Ovidius Ep. ad Demophontem:

Vidi etiam lachrymas, *at est par fraudis in illis*,
Hæ quoque habent artes, *quòque jubentur*, *eunt*.

At amet; inconstans est fœmineus amor; hùc quidam:

Quid levius fumo? fulmen; *quid fulmine*? ventus;
Quid vento? mulier; *quid muliere*? nihil.

Mulieris amor est venalis; sine pecuniâ cessat; est meretrix similis mari; quod das, devorat; nunquam dicit satis; satis *fuit* amoris dicit, cum tu jam dedisti satis. Imò amoris impuri finis est odium; potentiora venena ex melle confici solent; terribiliora fulmina, quæ die serenà vibrata. Unde rosæ, inde spinæ. Putas, si amet, te amet solum? sed quis vidit, cujus sit ille coloris amor? si amet, ut vapor erit illa fugitiva flamma. Sibi amantes fingunt somnia vana. At si amet plures, flumen in plures rivos divisum, tandem facilè exsicatur. Reflecte ex Ovidio 2. Art.

Littore quot conchæ, *tot sunt in amore dolores*;
Quæ patimur, *multo spicula felle madent*.

Item idem addit de Remed. Amoris sic:

Qui benè dixit amor, *melius dixisset* amarus,
Si benè novisset, *quòd sit* amarus *amor*.

Et

Et alter:

Spes incerta, timor constans, fugitiva voluptas;
Gaudia mœsta, dolor dulcis, amarus amor.
Libertas, carcer, pax, pugna, dolenda voluptas;
Spes metuens, fel, mel, feria, ludus, amor.

Item Ovidius 2.Remed.

Artibus innumeris mens oppugnatur amantum;
Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis.

Vidisti amoris *impuri* pericula, amaritudines, & inconstantiam; ergo ut te *præserves* ab amore, sive Cupidine impuro, à sordidâ Venere, *Recipe* Moralem Syrupim, relata *undecim præservativa* pharmaca.

PRIMA MORALIS MEDICINA SANATIVA à CUPIDINE impuro, *sive à VENERE sordida, ad* tria *præcipuè reducitur; sunt SANGUINIS EVACUATIO, REPURGATIO, exhilarans CONFECTIO in sensu MORALI.*

SI jam Cupidineum, sive Venereum contraxeris morbum, relatas medicinas *præservativas*, etiam *ut saneris*, considerare juvat; & quia incommoda Cupidinis impuri, sive sordidæ Veneris, es expertus, eò magis considerata proficient, quià te edocuit infelicitèr experientia; ut enim ex Philosophiâ Proverbiali sæculari haurimus, *Expertis in suâ arte credendum*. Fuit Adagium, *Vulpes non iterùm capitur laqueo*, contra stupidum hominem, qui incidit in gustatum malum.

Cur in palude sæculari bibamus? Sonat divina (in Eccles. cap. 34. v.14.) vox: *Qui non est expertus, pauca recognoscit*; ergo multa recognoscis relata ex impuro Cupidine damna, si te miserum infelix experientia edocuit.

Difficilis est medicina, quæ à jam grassante peste impuri Cupidinis sanet; ajebat Catullus.

Difficile est longum subitò deponere amorem,
Difficile est; verùm hoc, quod lubet, efficies.

Et Propertius l.2.Eleg.

Errat, qui finem vesani quærit amoris;
Verus amor nullum novit habere modum.
Omnes humanos sanat Medicina *dolores*
Solus amor morbi non amat artificem.

Ovidius in Epist.

Heu mihi, quòd nullis amor *est* medicabilis *herbis!*

Et quidem febris amoris impuri medicina tam *physica*, quàm *moralis*, difficilis est. Galenus, & Protospatarius, doctrinam pulsus dicunt Hippocrati ignotam, & tantùm latera, & frontem manu contingere, solitum. At Hippocrates de *spiratione* egit, quæ propemodum *pulsibus* proportione respondet; item *spirationem*, & *pulsum*, pronunciavit, esse signa sanitatis, & morbi, imò *lib.de præcept.* intimat, *pulsum* sæpè *tentandum esse*, & jubet, ne medicus ad curam accedat, nisi *spectata malà* arteriarum *dispositione*. Sunt sanitatis, vel morbi, signa *spiratio*, & *pulsus*, item & *urina*; Actuarius putat, quòd tutior, & promptior sit disciplina de *urinis*, quàm quæ de pulsibus est, eò quòd faciliùs sit judicare *visu*, quàm *tactu*.

Accedam, ut videam *ægrotum*; tango latera, frontem; pulso, urinam video; at cuncta sunt signa febris pestilentis sordidi amoris. Id adscribitur Galeno, qui se mulieris amorem in pulsu deprehendisse narrat; at (ajunt)

simili calliditate, qua ante eum usus fuerat Erasistratus, siquidem amoris, ajunt, nullus pulsus est index. Quicquid dicant, in ægroto isto universa video impuri amoris signa; quæ illa? Ovidius Epist. 13.

Fugerat ore color, macieſque adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec ſomni faciles, & nox erat annua nobis,
Et gemitum, nullo læſa dolore, dabam.

Alter:

Ecquid adhuc dubitas, teſtis ſit lachryma flammæ,
Semper ut occluſo ſtillat ab igne liquor.
Humorem fervens ex ligno expellit ut ignis,
Ex oculo lachrymas elicit intùs amor.
Quiſquis amat, vario curarum fluctuat æſtu,
Nec miſero noctu pauſa, diuque datur.

Ergo sine colore facies, macies in vultu, & corpore, coactè minimos capere cibos, dies, & noctes insomnes, gemitus, & suspiria *sine corporis dolore*, lachrymari, irrequietus animus, sunt febris amoris signa; his adde *spirationem* jàm celerem, jàm remissam, pulsum similiter; non dissimiliter ex tactu colligendum, in lateribus, & fronte; observa urinam jam ex igne amoris accensam, jàm debilitatis indicem, at hæc, & alia, ad Medicos physicos pertinent, à quibus maturiùs, & peritiùs, expectanda. Ad nos Medicina sola *moralis* attinet. Signa febris amoris sunt in ægroto, timeo sint fallacia, & *fortè* ex aliâ causâ; ipsè morbum scit, se pati non ignorat, & tamen negat; verè oportet Medicum esse Rhetoricum, & patrem, ut suadeat paternè. Age, fili, morbum latentem indica; sum medicus, sum pater, detege vulnus, adest pharmacum; nolis propriam contemnere vitam; vives, si patefacias: *Nullus ſe ipſum parvi pendit*, aiebat Aristoteles Rhet. 2. & in Politicis addit, *Unuſquiſque naturaliter, & maximè amat ſemetipſum*; ergo cur, morbum occultando, te parvi pendas, cur te odio habeas? *Charitas incipit à ſe ipſo*, ergo si tibi noceas, cui alteri benefacies? Divina vox (in Eccles. cap. 14. v. 5) resonat, *Qui ſibi nequam, cui bonus*. Revela mihi, nolis timere alteri revelandum; secreto ligatur medicus, & cur putas serpentem dicatum Æsculapio Medici symbolo, nisi ut indicetur, quòd si serpens, quia insensibiliter repit, est symbolum silentii, medici sigillo silentii, & secreti, indice coarctantur? Quid peto à te, dum revelationem morbi cum certitudine sigilli rogo? quòd *aperias tua peccata confeſſario*. An hoc remedium? & ope Dei in tua potestate; Dei auxilio tu temetipsum poteris *moraliter* sanare. Quæ (petis) remedia amoris? *moralia* indicavi, sed uberiùs explicanda. Jam patet morbus, de remediis agamus.

DE PHYSICA MEDICINA contrà AMOREM IMPURUM, symbolo MEDICINÆ MORALIS.

PRo *physico* remedio (docet Lucas Tozzi nostræ Regiæ publicæ Neapolitanæ Academiæ in Cathedrà Medicinæ primarius in tract. de *Passionibus*) excogitarunt plerique, *universum veterem* SANGUINEM à corpore amantis esse *exhauriendum*, ut ex novi sanguinis benigniori conditione fascinum rei amatæ penitùs deleretur; vel si hoc fieri nequeat, esse corpus ejusdem pluriès ab atrâ, & deleteriâ infectione *repurgandum*, quam ipsum contraxisse, ajunt; in quam rem & syrupi, & aquæ, & electaria, & pharmaca, corrigentia, simùl & emundantia ejuscemodi inquinamenta, commendantur. *Exhilarantes* præterea confectiones, epithemata

cor-

cordialia ; ablutiones attemperantes, & alia similia ab iisdem *proponuntur*. Hæc ille.

Itaque pro medicinà *physicà* malignæ febris amoris *tria* assignant plerique, sanguinis *evacuationem*, repetitam ab atrà infectione *repurgationem*, & *exhilarantes* confectiones.

SANGUINIS EVACUATIO MORALIS.

AT & in sensu *Morali* relata proficiunt. Primò juvat, *sanguinem veterem universum* exhauriri, ut ex novi sanguinis benigniori conditione, fascinum rei amatæ penitùs deleatur. Quomodo hæc intelligenda *moraliter*? legas. In ægroto turpi amante erant *moraliter* sanguis *avis*, sanguis *hædi*. Apud Leviticum cap. 1. D. sanguis *avis* curas *sæculi* significare potest. Quià *hædus* est symbolum *libidinis*, sanguis *hædi* signat febrem *impuri amoris*. Sanguis item (ajunt sacri interpretes) interdum significat *peccatum*, & peculiariter *homicidium*. Et apud Genesim cap. 9. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*, exponunt, sanguinem requiram de manu omnium eorum, qui *alios peccare fecerunt*, *aut scandalizaverunt*. Apud Math. cap. 9. C. Sanguis etiam signat *interiores sordes*, qua ratione mulier (de qua ibi) sanguinis fluxum patiebatur. Apud Isaiam (cap. 4. B. & cap. 9. C. & cap. 15. B.) *sanguis* comparatus *sordibus* significat *graviora peccata*, quæ igne purgantur. Apud Genesim (cap. 37. F.) sanguis *hædi*, in quo fratres Joseph tunicam ejus tinxerunt, significat *falsa testimonia*, quibus impii conantur maculare famam justorum. Ecce jàm in animo, impuri amoris febre ægroto, & maximè deliro, omnes relati sanguines *moraliter* coeunt, vel concurrere solent. *Est* in ipso *moraliter* sanguis *avis*, nempe sunt *curæ sæculares*. *Est* in ipso sanguis *hædi*, nempe *libido*. Est in ipso sanguis signans *peccatum*, ut patet. *Est* in ipso sanguis, signans *homicidium*, quià moralitèr gladio peccati animam propriam occidit, imò corpus suum occidit etiam telo ignito Cupidinis sordidi, & homicidia sæpè intendit impurus delirus amor, ut turpitèr dilectum assequatur pignus. *Est* in ipso sanguis requisitus de manu eorum, qui alios *peccare* fecerunt, aut *scandalizaverunt*, quià amans impurus alios peccare facit, & scandalizat; non solùm incitat ad peccatum personam, quam diligit, sed alias scandalizat personas consentientes crimini. *Est* in ipso sanguis signans *interiores animi sordes*, ut patet. *Est* in ipso sanguis *hædi*, quo fratres Joseph tunicam ejus tinxerunt, signans *testimonia falsa* contrà justum, quià nihil ex his timet impurus, & delirus amans, ut objecto turpi conglutinetur; & experientiæ clamant, quot maritos, quot patres infamaverint deliri amantes, ut exules fierent, vel carcere constricti, vel essent occisi, & sic licentiùs fruerentur idolo, cui turpe cor sua sordida thura dat. Ergo age; ægrotas? iterùm, & iterùm pulsabo; febris ardet, amore deliras; totus *universus* relatus *moralis sanguis* est *exhauriendus*, *evacuandus*, ut ex *novi* sanguinis benigniori conditione fascinum rei amatæ penitùs deleatur. At quis sit *moralis* sanguis benignioris conditionis, quo morbus amoris impuri curatur? ille, qui moraliter significatur in sanguine *vituli*; quid signat iste? apud Leviticum cap. 1. v. 3. (exponit Sylva V. sanguis) *sanguis* vituli CASTITATEM *mentis*, *Deo offerendam*, *significare potest*. Ergo universus sanguis *moralis* vetus vitiosus evacuetur, purus *moralis* inducatur novus. Quomodo ille exhauriendus? scindendo *venam*; quo *scalpello*? dicam; *venam scindendam* dixeris OS, *scalpellum* dixeris LINGUAM; hoc *scalpello*, hac cuspide rumpe, scinde, aperi *oris venam*, ut cum dolore confitearis omnia tua peccata; ità tabes, sanies cuncta, universus vetus moralis corruptus, & vitiosus sanguis detrahentur. *Vis sanus fieri*? hæc demissio sanguinis necessaria est.

RE-

SEcundum remedium physicum contrà febrem amoris impuri est *purgatio* (& repetita) *ab infectione atrà.*

Ex Platone in Timæo *triplex purgatio* est ; *prima*, quæ exercitatione gymnasticà fit. *Secunda* (proxima primæ) vectio facilis sine navi; quæ fortè dixerit, quià exercitio, & sudore, purgantur humores. De his non agimus. *Tertia purgatio* est, quæ *pharmacis* fieri solet, de qua Galenus *Comm.* 3. 1. *prorrh.* ait, cum excerni contigerit, quæ corrupta sunt, *purgatio* est corporis ; cum verò excernuntur, quæ vi morbi fiunt, *vacuatio*; attamen non solùm propter *cacochimiam* purgatio fit, sed etiam *propter vim morbi* adhibetur. In sensu Morali iste ægrotus febre amoris *purgatione*, & *vacuatione* indiget ; & cacochymia *moralis* purganda, & vis morbi amoris etiàm morali purgatione eget ; nimiam enim moralem tabem contraxit ; febris deliri amoris multos animi morbos (ut suprà dictum) parit. Iste ægrotus cacochymus est, licèt nunc talis morbus amoris prævaleat. Ille labor Herculis, quòd aquis fluvii Alphei *purgavit stabulum Augiæ*, conspiravit in medico sensu, ad innuendum, quòd fuit medicus insignis, qui à Chirone virtutes didicit herbarum ; talisque erat ejus medica virtus, ut homines Cacochymos sanaret, qui symbolicè signantur *in stabulis* ; sunt homines Cacochymi stabula viva ; ideoque sanctus Job cap 20. hominem animà, & corpore malè affectum dicit *sterquilinium*, quod idem est, ac vocare *stabulum* ; sunt verba Jobi: *Quasi sterquilinium in fimo perdetur, ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ.* Cum quis ergo malos coacervavit humores, vitiis in adolescentià admissis, veluti sterquilinium, sive stabulum est.

Medicamenta *purgantia* (apud Medicinæ peritos, & ut à libris medicis disco) *duplicia* sunt ; *alia*, quæ manifestà qualitate obvium quemvis humorem evacuant ; dicunturque *hyplactica*, & ista quadruplicia sunt, *lubricantia*, *abluentia*, *detergentia*, & *comprimentia* ; quæ in corpore humano faciunt, quod in Augiæ stabulo aquæ Alphei *lubricantes*, *abluentes*, & fimetum quodvis, sivè bubulum, sive equinum, sive suillum detergentes. Medicamenta purgantia *lubricantia* sunt, quæ vias, ductusque inæquales lentà, pinguique suà substantià ità lubricant, ut illis humores adhærere cum non possint, diffluant ; cujusmodi sunt *cassia*, *manna*, *pruna*, *althæa*, & similia. *Abluentia*, quæ sordes diluendo sternunt vias, & complanant, sunt *aqua hordei*, *serum lactis*, & similia. *Detergentia* in ima subeundo abradunt sordes, sunt *mel*, *aloe*, & similia. *Comprimentia* (quæ non immediatè per se purgant, sed quatenùs vasa contrahunt, ut humor contentus exprimatur) sunt *myrobolani*, *tamarindi*, & alia adstringentia. Alia sunt medicamenta purgantia, quæ *unum* certum, & determinatum humorem purgant, & propriè *cathartica* appellantur ; & hæc vel sunt *cholagoga*, quæ *bilem* educunt, ut *rhabarbarum*; vel *melanagoga*, quæ *melancholiam* educunt, ut *senna*; vel *phlegmagoga*, quæ *pituitam* educunt, ut *agaricus*; vel *hydragoga*, quæ *aquas* educunt, ut *elaterium.*

Item Medici purgant modò per *superiora*, ut *vomitu* ; modò per inferiora, *ut alvi dejectione* ; addunt etiam, & *urinæ*, & *menstruorum exclusione.*

Purgatio quædam est *diminuens*, quæ noxium supervacuum diminuit ; alia est *exquisita*, seu *abevacuans*, quæ ferè totum noxium educit, & eradicat.

Alvi solutio trahit à partibus superioribus, & eradicat ab inferioribus.

bus. *Vomitus* attractionem, & evulsionem oppositò modo efficit.

Jàm has purgationes *physicas* in sensu *morali* dictamus. Ad ægrotum: *Fili*, tu *cacochymus* jaces, sterquilinium cum omni sorde vitiorum, ex alià parte vi *febris amoris impuri* specialiter tabescis. Cunctas vitiorum sordes accumulat ista febris sordida. Ergo quomodo Hercules stabulum (symbolum *cacochymorum*) purgavit? *aquis Alphei*; non his, sed aliis aquis, tua purganda tabes. Quibus aquis? *aquis lachrymarum*, & *sacramenti pœnitentiæ*, hæc est Medicina *universalis*; nam apud Genesim cap. 36. C. & alia plura sacræ scripturæ loca, *aquâ*, secundùm quod lavat, *lachrymas*, & *pœnitentiam* designare potest; at est hæc *universalis* medicina contrà quemlibet, & cunctos animi morbos. Cacochymus animo licèt sis, vel speciali morbo, aquæ istæ medicina sunt *universalis*, qua omnes, & singulæ ægrirudines animæ purgantur, & est tutissima methodus curationis. *Aqua triplex* fuit in Christo, *prima* lachrymarum, *secunda* sudoris, ut sanguis, *tertia*, quæ fluxit cum sanguine ex latere crucifixi; in aquà *lachrymarum* docuit nos, habere lachrymas *compunctionis*, quibus laventur præterita peccata; in aquà *sudoris* docuit nos, in sudore vultus vesci pane, tuo labore *pœnitentiæ* corpus castigando, ac concupiscentiæ, amorisque impuri flammam restinguendo; in aquà, *quæ fluxit cum sanguine ex latere Christi Crucifixi*, docuit nos Jesus devenire *ad devotionis gratiam*; ut potemus *aquam* sapientiæ salutaris, de latere Christi dormientis, sine omni jam molestiâ fluentis. Ecce cum *istis aquis* purgatur *amor impurus*; purgantur & sordes vitiorum, quæ trahit, *iræ*, *superbiæ*, *vindictæ*, *zelotypiæ*, *odii* contra alios, *desiderii* homicidii, vel *homicidii* jàm patrati, vel *falsi testimonii* contra eos, qui executionem sordidam impuri amoris impediunt, vel contendunt; item purgatur sordes *rapinæ*, ad quam te febris amoris deliri impellit, ut personæ turpiter dilectæ tribuas; item purgatur sordes scandali, quo alias personas peccare fecisti assentientes, & consentientes crimini; purgatur sordes veneficii, vel si à veneficâ, aut diabolo, auxilium petisti; relatas, & alias sordes, morbus sordidus impuri amoris accumulat, itaut animus miseri sit stabulum, morale sterquilinium; cacochymos enim amor impurus homines reddit. At *relatæ morales aquæ* sunt medicamenta purgantia *hypactica*, quemvis obvium humorem vitiosum moralem *evacuantia*, *lubricantia*, *abluentia*, *detergentia*, item & *comprimentia* animi vasa, potentias, ut humor moralis vitiosus, in illis inclusus, exprimatur. Eædem *aquæ* sunt *moralia* medicamenta purgantia *cathartica*, quæ (sola si sit sordes amoris impuri, vel alterius certi, & determinati moralis mali humoris) tales humores *morales vitiosos* purgant; sunt item moraliter *cholagoga*, quæ *bilem* educunt, id est, *amorem*, *iram*, *superbiam*, quæ symbolicè significantur in bile, ut pag. 892. diximus. Sunt etiam relatæ *aquæ morales* medicamenta moralia *melanagoga*, quæ *melancholiam* educunt, id est, *odium*, dolos, insidias, symbolicè signata in melancholiâ, sive atrâ bile. Sunt & adhùc ipsæ *aquæ morales* medicamenta moraliter *phlegmagoga*, quæ pituitam educunt, id est *pigritiam*, *otium*, quorum est symbolum pituitosus humor. Sunt item tales *morales aquæ* medicamenta moraliter *hydragoga*, quæ *aquas* educunt, & purgant, evacuant; *quas*, interrogas, *aquas*? aquas vitiosas, quas retinebas in animi morali utre; *aquæ in utre* (apud Psalmum 77.) designare possunt *ludrica desideria malorum*, quæ quum operis effectum non inveniunt, carnali corde deprimuntur, & in ipso retinentur ut in *utre*. Item apud Exodum cap. 15. B. *aquæ vehementes* designare possunt *voluptates*, rationem ad se pervertentes; & aquæ *cisternarum* in sacris literis apud Isaiam cap. 36. C. & cap. 50. B. signant *voluptates carnis*, seu internas,

nas, quas promittit Rabſaces, id eſt, diabolus obtemperantibus ſibi. *Aquæ maris* in ſacris chartis (apud Pſalmum 17.) *humorem peccati*, aut *ipſa peccata* deſignare poteſt. Apud Johelem (cap.24.C.) *aquæ* nivium *iniquitatem frigidam* deſignant, & in his aquis (apud Mathæum cap. 8.) mortui ſunt *porci* ſymbola *libidinis*, & amoris *impuri*. Apud Exodum (cap.20.A.) *aqua ſub terra* deſignare poteſt *libidinem latentem in corpore*. Apud Ezechielem (cap.7. C.) illud *genua fluunt aquis* exponitur, quum quis *illicitos concubitus*, & *fluxum ſeminis* quærit, ut quærit amator impurus, cujus artus depaſcitur *arida*, fervens, tabida, & flagrans ardentis Cupidinis febris; miſer æſtuat febrili dolore, Phlegetontæo coquitur igne, & tamen concubitus, ſeminiſque fluxum, quibus debiliùs jaceat, quærit! O infelix! Æthna ſubeſt, Boreas (ſpeciei objecti amati flatu) ſuſcitat incenda, devorat oſſa calor; flagrat dira ſitis, quam non extinguet Hebrus, cum gelido amne colligit nives hybernas; exuſto palato tabeſcit lingua, tacent ora faucibus compreſſis, furit ardor, & tamen deſideriis pravis ignem inferni accerſis? Age, medicamenta *hydragoga* recipias, quæ relatas aquas vitioſas evacuant, & febris impuri amoris æſtum extingunt. *Recipe* alias aquas *ſalubres* contrarias *vitioſis*, nam in arte expertæ medicinæ *contraria contrariis curantur*. Recipe *aquas* corruptis contrarias aquis; quæ ſunt illæ? ſuprà relatæ *Morales aquæ*, nempe *lachrymarum*, *penitentiæ*, *compunctionis*, & *devotionis* ſunt medicamenta *hydragoga*, purgantia ſordidas, & corruptas aquas *pravorum deſideriorum*, quas retinebas in morali animi *utre*; purgant *aquas* vehementes *voluptatum carnis*, & quas etiam retinebas in morali *ciſternà animi*; purgant *aquas maris* amaras, nempè *peccata*, ſub cujus ſtygiis undis animus ſuffocabatur naufragus; purgant *aquas nivium*, nempe *frigiditatem tuam*, *& torporem*, quibus congelaſcis, ne ad cœleſtia fluas, & ut porcus libidinoſus in frigidis peris aquis; purgant *aquas ſub terram*, nempe libidinem tuo latentem in corpore, ne genua fluant aquis ſordidis, id eſt, ne illicitos concubitus, & fluxum ſeminis quæras. An non ſint *moraliter* noſtræ morales ſalutares *lachrimarum*, *penitentiæ conpunctionis*, *& devotionis* aquæ remedia, & medicamenta hydragoga? Sunt item relatæ morales ſalutares aquæ medicamenta *moraliter* purgantia per *ſuperiores* partes *vomitu*, quia te movent, ut in confeſſione ſacramentali evomas peccata; & apud Proverbia ſacra cap.25. B. *evomere cibos*, *quos comederat*, exponitur de eo, qui deteſtatur errores, quos didicerat, & vitia, quæ contraxit. Sunt item eædem ſalutares *aquæ* medicamenta *moralia* purgantia per *inferiora*, quià te humiliant, & *vanè ſuperiorem* humorem vitioſum *ſuperbiæ* ad infimum tuæ vilitatis propriæ deprimunt, ab alveoque morali ſordidi tui animi dejiciunt.

Purgant item Medici excluſione *urinæ*, & *menſtruorum*. *Vrina* ſymbolum eſt *vitii*, maximè ejus, quod per organum libidinoſum exercetur, & ad quod amor impurus adſpirat. *Menſtrua* in ſacris literis (apud Jeremiam cap.2. E.) ſignant ſymbolicè *cogitationes immundas*; & apud Zachariam (cap.13.A.) *menſtruata* exponitur de *anima*, immũdis cogitationibus *pollutà*; & apud Leviticum (cap.15.D.) *menſtruata mulier* deſignare poteſt moraliter *delectationem corporalis illecebræ* ex impuro amore; ergo animam tuam (ægrote febre impuri amoris) oportet purgari excluſione urinæ, & menſtruorum *moralium*; oportet vitia impura, immundas cogitationes, delectationes corporalis illecebræ *purgari*; at ſuprà relatæ aquę ſalubres morales *lachrymarum*, *pœnitentiæ*, *conpunctionis*, & *devotionis*, ſunt medicamenta, quibus urina, & menſtrua *moralia* purgantur.

Relata purgatio non eſt *diminuens*, ſed *exquiſita* pluſquàm medica

phy-

physica, quia hæc *ferè* totum noxium educit, *ferè* totum, at *non* totum; nostra verò *Moralis* medicina subscripta *verè*, *debitè*, & *legitimè* applicata, *totum noxium moralem humorem* purgat, educit, evacuat. Uno verbo, EST MEDICINA UNIVERSALIS. At vide, quòd REPURGATIO sit exercenda; ajunt enim Medici *physici*, corpus amantis impuri *pluries* ab atrâ, & deleteriâ infectione REPURGANDUM; at & hoc optamus in sensu MORALI. *Purgeris* aquis *lachrymarum*, *penitentiæ*, *compunctionis*, *devotionis*; at REPURGATIO, & *pluries*, REPETENDA; aliter reincides; nec enim uno solo actu, sed actibus frequentatis, & repetitis, acquiritur habitus purus, & virtuosus, qui est permanens animi sanitas; eò magis actuum bonorum *crebra* requiritur *repetitio*, cum ab habitu vitioso ad virtuosum optatur transitus. Adde pro PURGATIONE dare pauperibus munera, quæ daturus eras rei amatæ, & quæ ultrà possis prudenter largiri; prædicante Spiritu divino (apud *Tobiæ* caput 12 B.) *Bona est oratio cum jejunio, & ELEEMOSYNA magis, quàm thesauros auri recondere; quoniam ELEEMOSYNA à morte liberat, & ipsa est, quæ PURGAT peccata.*

Cuncta verba moralia medica, quæ in his notavimus chartis, & pro medicinâ purgativâ *morali* commisimus ipsis, breviùs thesaurizantur in illâ *aquâ cum cinere*, quæ (apud Numerorum caput 5. B. & 8. B. & 19. C. & apud libri Sapientiæ caput 11. A.) memoratur; refertur ibi *aqua mixta cineri*; quid signat? SACRAMENTA (exponunt interpretes sacri) *de latere Christi manantia, quibus fit peccatorum PURGATIO.* Ergo ad ægrotum in relato sensu *Morali*: *RECIPE debitè aquam mixtam cineri. REPETE (debitè) pluries, quià qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

EXHILARANS CONFECTIO TRIPLEX.

TErtium *physicum* remedium contrà morbum IMPURI AMORIS reducitur ad EXHILARANTES CONFECTIONES, *epithemata cordialia*, *ablutiones attemperantes*, & similia. At & eadem, sed in *Morali sensu*, symbolicè indicata in illis nostra *Moralis* medica facultas (Philosophia Moralis) suscribit.

Quam *exhilarantem confectionem* moralem subscribam? *Aurum* est vi cor *exhilarandi*, & *lætificandi*, dives; ex medicis Arabibus (ut scribit Avicenna *lib. de Corde*) aurum cum corde miram habet sympathiam, & mirabiles effectus in cordis affectibus subministrat. Oportet huic ægroto dare *aurum potabile*. Apud Persas soli filio Regis licebat dare, & potare quandam speciem *aquæ auræ*; nostra *Moralis* aurea potio cuicumque licet; contra animi morbos est *exquisita* potio. *Aurum*, quod nascitur in Phison fluvio (apud Genesim cap. 2. B. & Proverb. cap. 12. D.) symbolicè signat (ait Sylva V. *Aurum*) *disciplinam*, & *virtutes*, & *inventa secreta prudentiæ*, & *ipsam prudentiam*, quæ ab omnibus sordibus quasi decocta nitescit, sicut aurum optimum, & verum, quod nulla falsitas vincit; ergo in sensu *Morali* recipere aurum Phison est amplecti *disciplinam*, *VIRTUTES*, *inventa secreta prudentiæ*, & *PRUDENTIAM IPSAM*; & cum *aurum exhilaret COR*, hæc erit medicina *exhilarans*; sanè ità, & ideò in Domino lætantur, & exultant justi, & jubet David, *servite in Domino in lætitiâ*; virtutes, & prudentia cor servant serenum, & hilare. Hoc *aurum spirituale* facere tibi, & ab animâ tuâ *potabile*, Dei auxilio, in tuâ est libertate. Ægrotas? deliras febre impuri amoris? cor *tristitia* dilaniat? ecce *exhilarans* adest pharmacum *in sensu Morali*, RECIPE AURUM PHISON

SON; REPETE: *Pluries, & totò tempore vitæ*:

Adest *secunda*, id est, alia medicina, & *confectio* EXHILARANS. *Buglossum* (sic ex Plinio lib. 25. cap.8. dictum à bubulæ linguæ similitudine) est causa *hilaritatis*, quæ eodem significatur nomine. Itaque buglossum (sive buglossa) *in vinum* si dejiciatur, hilaritatem animi auget; vocatur etiam *Euphrosynum*; Hæc Plinius ibi. Consonat Galenus vim *exhilarandi* in buglosso (Hispanicè borraja) agnoscens. Dioscorides Anazarb. scribit, buglossam injectam vino augere animi lætitiam. Apuleius favet docens, buglossam, in vino mixtam, hilaritatem convivis facere. Ideò, teste Apulejo, buglossa, sive borago, à Lucanis est dicta *corago*, quia coragit, & mutatà *C*, in *B*, mansit *borago*. Bugloßi, sive boraginis flos sanguinem mundat, spirituſque vitales refocillat, sicque *exhilarat*. Fernelius pulsat admonens, buglossum animum lætitiâ, sive hilaritate perfundere, discutereque melancholicorum spectra, & imagines. Horatius addit discuti

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala.

Syrupum *buglossi*, & *condituram floris*, & *radicis ejusdem plantę* præscribunt *physici* medici *triſtibus*, & *melancholicis*; experientiaque probat, illis COR corroborari, & exhilarari, ejusque tetros vapores, palpitationem, & syncopen discuti. Hæc de boragine, & de ipsà mixtà vino in sensu *phisico* medico.

Nunc in sensu *morali*. Borago (sive buglossum) symbolum est *innocentiæ*, & *castitatis*; quia si borago sanguinem mundat, spiritus vitales refocillat, exhilarat, tenebras melancholiæ, & somnia atra, & perturbantia abigit, sic *innocentia* morum, & *castitas* virtus animum mundant, refocillant, exhilarant, roborant; somnia perturbantia discutiunt, quibus etiam dormiens perturbatur turpiter amans. Vide, quantam perturbationem, & triſtitiam inferant iniquitas, & lascivia iniquis, & impuris, sive vigilent, sive dormiant, hinc à contrario colligas, quantam animi serenitatem, munditiem, quietem, & hilaritatem *innocentia*, *castitasque* concilient. Ergo ad infirmum morbo turpis amoris sermones mei. Fili, ista febris est putrida, maligna, à sanguine infecto qualitatibus tetris turpis amoris procedit; contristat cor; vapores atros ad cerebrum mittit, unde somnia triſtitia; melancholicus humor te tenet; age, *in relato* sensu *morali*, symbolicè significato *in buglosso*, sive *boragine* (signat enim ista planta symbolicè *innocentiam morum*, & CASTITATIS virtutem) RECIPE SYRUPUM BUGLOSSI, *nempe* BORAGINIS, ET CONDITURAM FLORIS, ET RADICIS EJUSDEM PLANTÆ. BORAGO (dictum) symbolicè signat *innocentiam*, & *castitatem*; FLOS signat *propoſitum benè operandi*, quia flores indicant fructus; idque signat (apud Job. 15 D. & Agge. 2. D.) *flos* primus vineæ, vel olivæ. RADIX *plantę salubris*, qualis est BORAGO, designat *initium bonæ operationis*, item signat *cogitationes bonas*, unde procedunt *bona opera*; & apud Hoseam (cap. 14 C.) *radix erumpit*, cum (ut exponit sylva V. Radix) de bonis cogitationibus bona procedunt opera. Item (ex eodem Sylva ibi) *radix* (apud Job cap. 14 B.) dicitur *voluntas*, quæ est principium bonorum, & malorum operum; hinc RADIX plantæ *salubris*, qualis est BORAGO, signat *voluntatem bonam*, quæ est principium operum bonorum, & salutarium. Vel (addit sylva) *radix* signat *amorem*, qui si est bonus, est *charitas*, in qua boni radicantur; si est malus, est cupiditas, quæ radix est omnium malorum, vel est amor etiam impurus, qui multorum malorum est radix; hinc RADIX BORAGINIS plantæ *salubris* symbolicè, & moralitèr signat amorem *salubrem*, & *purum*,

rum, charitatem, in qua radicantur opera bona. Ergo quid admoneo ægrotum febre tabidâ impuri amoris, cum præscribo RECIPE SYRUPVM BUGLOSSI, nempe BORAGINIS, ET CONDITURAM FLORIS, ET RADICIS EJVSDEM PLANTÆ? in *syrupi* boraginis, quòd amplectatur *innocentiam morum*, & *castitatem*; in conditura *floris*, & *radicis* ejusdem plantæ, quòd faciat *firmum propositum benè operandi*, symbolicè significatum in FLORE relatæ plantæ *salubris*; item quòd operetur *initium bonæ operationis*, *cogitationes* habeat *bonas*, *voluntatem* habeat *bonam*, quæ sunt *principium* (auxiliante Deo) *bonarum* operationum, & tandem *amorem purum* accendat, & *charitatem* (ope Dei) foveat, in qua radicantur bona, & quæ salutarium operum est *radix*, quæque symbolicè (ut dictum) *in RADICE BORAGINIS*, plantæ *salutaris*, signantur. Hæc si exequaris, animus EXHILARABITVR, sanus erit ab impuri Cupidinis morbo, imò & sanabitur corpus, quod ab impurâ animi passione graviter infirmatur. Ergo si ex medicis *physicis* *CONFECTIO EXHILARANS* est medicina *physica* contra *amoris impuri* febrem, *EXHILARANTEM CONFECTIONEM MORALEM*, (in medicina *physica* contrà talem morbum symbolicè significatam) præscripsimus.

TERTIA adest EXHILARANS CONFECTIO. Addebat Dioscorides (pro medicina *EXHILARANTE*) *BORAGINI mixtũ VINUM*; quòd & est approbatum ab Apulejo. Apud Proverbiorum cap. 31. est nobis doctrina; *Date siceram mœrentibus, & VINUM his, qui amaro sunt animo, bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*; hoc exponunt Theologi dicentes, *Vinum dandum tristibus* signat *LÆTITIAM SPIRITUALEM, & GAUDIUM SPIRITUS SANCTI*. Ergo in hoc sensu *morali*, (ut exulent tristitia, mœror, melancholia, atri vapores, & omnia ex igne, & fumo avernali amoris impuri derivata) *RECIPE SUCCUM BORAGINIS, & VINUM*; *misce*. Cum Dei auxilio in tuâ libertate est; bibe, & oblivisce egestatis tuæ, nempe *amoris impuri*, ad miseram animi, & corporis egestatem te deprimentis; *doloris tui*, nempe *impuri amoris*, tibi causantis dolorem, *non recorderis amplius*.

Misceas (adverto) in sensu *morali SUCCO BORAGINIS VINUM suprà* præscriptum; caveas prorsùs miscere vinum illud, quod est *luxuriæ, amorisque impuri* symbolum, quod Paulus ad Ephesios cap 5. v. 18. prohibet dicens, *Nolite inebriari VINO, in quo est LUXURIA*, sed *implemini SPIRITU SANCTO*; at Spiritus Sanctus est vinum suprà à nobis ex *Proverbiis sacris* præscriptum *tristibus, & his, qui amaro sunt animo*, nempe signans *LÆTITIAM SPIRITUALEM, & GAUDIUM SPIRITUS SANCTI*. Ergo evome vinum *vetus* luxuriæ, amorisque impuri, & spiritus *Asmodei* præsidis impuritatis libidinosæ, quod erat in *utre* cordis, & animi tui, & bibe vinum *novum*, nempe *spiritum purum*, qui non erat in te, & ab VTRE NOVO, nempe à *SPIRITU SANCTO*, non ab *VTRE VETERE*, à quo bibebas, nempe ab *immundo spiritu ASMODEI*; item *utrem veterem* repelle, nempe *cor immundum*, dicens, *cor mundum CREA in me Deus, & SPIRITUM rectum INNOVA in visceribus meis*; non enim potest spiritus recti, puri, & sancti vinum purum mitti in *utrem* tuum *veterem*, nempe in cor tuum vetustate amoris impuri sordidum; illudque *vinum novum* de quo Jesus apud Mathæum cap. 9. v. 17. docet, non mittendum *in utres veteres*, sed *vinum novum* mittendum in *utres novos*, designat (ut exponunt) SPIRITUM SANCTUM, aut ejus GRATIAM, quæ non est in hebente *vetustatem* peccati, sed oportet, hanc vetustatem reijci contritione, ut Spiritus Sancti, & ejus gratiæ vinum cœ-

leſte mittatur in animi utrem. Ergo in ſenſu *morali*, & *ſpirituali* explicato; tu ægrote (vino vetere luxuriæ, amoriſque impuri) RECIPE SVCCVM BORAGINIS, *miſce* VINVM, at NOVUM, non VETUS; item ſit VINVM ex VTRE NOVO, & quod mittatur in animum, & cor tuum, ut in VTREM NOVVM.

VINVM à nobis præſcriptum EXHILARAT, eſt enim vinum illud, de quo in Pſalmo 103. *vinum lætificat cor hominis*. VINVM item NOVUM, à nobis præſcriptum, eſt doctrina *Evangelica*; & hoc eſt vinum, quod (apud Proverbiorum cap.9.A. & cap.31.B.) miſcuit SAPIENTIA, cum literæ Sacræ Scripturæ miſcet ſpirituales ſenſus. Illud à nobis præſcriptum eſt illud VINVM OPTIMVM, de quo in Canticis canticorum cap.7.v.9.dicitur, *Guttur tuum ſicut VINVM OPTIMVM, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandum*; id eſt VINVM, quod mentes hominum ſpiritualiter, & laudabiliter inebriat, ut præteritorum, nempe vitiorum, & rerum caducarum obliviſcantur, & in anteriora, nempe *in virtutes*, & *æterna gaudia* currentes, non laſſentur. Illud à nobis præſcriptum eſt VINVM *germinans* VIRGINES, de quo Zacharias cap.9. D., & ideò libidinis, amoriſque impuri ſordes lavat, & abſtergit. VINVM, à nobis præſcriptum, eſt etiam VINVM illud, CHARITATEM ſignans. In noſtro VINO præſcripto continetur VINVM oblatum à Jacob patri Iſaac, quod narrat Geneſis cap.27. v.25 quod deſignat *favorem novæ converſationis, & exultationem ſpiritualem in laudibus Dei, & ſervorem Spiritus Sancti, & conſolationes Divinas, & vitam contemplativam*. Hoc VINUM ſervatur in VINARIA CELLARIA, de qua ſponſa in Canticis cap.2.v.4. dicit de ſponſo: *Introduxit me in CELLAM VINARIAM, ordinavit in me. CHARITATEM*; at talis CELLA VINARIA myſticè ſignat *ferventem contemplationem*. Item in noſtro VINO præſcripto continetur VINUM IN AMPHORA, quod (apud librum 1. Regum, cap.1. v.24.) obtulit Anna Deo in templo, dum adduxit infantulum Samuelem ablactatum ad domum Domini in Silo, ſignans Charitatem in intentione, qua quis vult aliis prodeſſe. Noſtro præſcripto VINO reſpondet VINUM illud, quo (apud Prov. cap.3 B & Job.cap.1 C.) abundant torcularia, ſignans SVMMAM LÆTITIAM, ſive EXHILARATIONEM, quam SANCTI habent in COELO. Quod ad EXHILARANDVM animum efficacius remedium noſtro præſcripto VINO? Ergo in ſenſu *ſpirituali* (contrà febrem atram, & melancholicam qualitatem amoris impuri) RECIPE, (ut exhilareris) OPTIMVM præſcriptum VINVM. Subſcripſimus (contrà morbum impuri amoris) in ſenſu *morali* medicinam, quam contrà eundem morbum medicina *phyſica*, à pleriſque Medicis *phyſicis* approbata, ſymbolicè ſignat.

ALIÆ Medicinæ MORALES DISPONENTES ad SANITATEM à morbo IMPURI AMORIS, ubi de MEDICINA PHYSICA (in noſtrâ NEAPOLITANA REGIA ACADEMIA) laudati PRIMARII MEDICI LVCCÆ TOZZI.

POſtquam noſter laudatus primarius LVCCAS TOZZI (in ſuo ad lucernam Cleanthis elucubrato tractatu de *Paſſionibus*) retulit medicinas *phyſicas*, apud *pleroſque* Medicos *phyſicos*, contrà morbum AMORIS IMPVRI, *ſenſitivam* PASSIONEM) nempe SANGVINIS VETERIS EVACVATIONEM, ut ex *novi* ſanguinis benigniori conditione faſci-

num

num rei amatæ penitùs deleatur ; vel si hoc fieri nequeat ; CORPORIS REPETITAM REPVRGATIONEM, & EXHILARANTES CONFECTIONES, EPITHEMATA CORDIALIA, ABLVTIONES ATTEMPERANTES, posteà propriam sententiam aperit docens pro Medicina PHYSICA sic: „ Verum ista sæpenumero inutilia sunt, quibus „ tàm fixus plerumque est, & inquietus animi affectus, ut nisi hic priùs „ averruncetur, reliqua omnia supervacanea evadant. Quam obrem con„ trariis præstabit potissimùm passionibus hærentem ossibus AMOREM „ sensìm absque sensu primò resecare ; mox verò præsidia MEDICA su„ peraddere ; neque verò ea, quæ tàm manifestè iteratis evacuationibus „ SANGVINEM debilitent, & exhauriant, sed quæ potiùs in meliorem „ crasim reducant.

Addit. „ Itaque conferet paulatìm in mentem amantis inferere defe„ ctus aliquos rei amatæ, puta, deformitatem, ægritudinem, mox etiam „ malos humores, infidelitatem, & similia, ut in illius (*ut turpiter amatæ*) „ odium, aut aversionem inducatur.

At ista *prævia*, quæ pro curatione *physica* passionis vitiosæ, sive morbi, & febris amoris impuri, dexterè præscribit noster laudatus primarius, in nostrà præscriptione *Morali*, in articulo antecedente subscriptà, in *Morali* sensu pro curatione *Morali* relati morbi, plenè continentur, sicut & in Medicinis moralibus *præservativis* (quas in superioribus articulis statuimus, & etiam pro *Medicina* SANATIVA possunt juvare) non parcè explicantur. Aptè dicit, oportere, ægrotum hac amatorià febre dexteritate argutà disponi ad relata remedia EVACVATIONIS SANGVINIS, REPVRGATIONEM, ET EXHILARANTES CONFECTIONES; cum enim patiens sit liber, libertas quia domina, cum ad unum objectum pro suo arbitrio *resolutè* determinatur, non nisi *artificiosa dexteritate* ad contrarium flectitur; oportet medicinam disponere *fortiter*, & *suaviter*; nempe *fortiter* pro effectu, *suaviter*, ut ab infirmo accipiatur. Solus Deus quicquid *efficaciter* voluit fecit, & facit, quando vult, & quomodo vult, & *quo instanti* vult, nam *Omnipotenti voluntati Dei quis resistet*? magis habet ipse in manu sua voluntates hominum, quàm ipsi suas. Nos autem agentia limitata agimus limitatè ; operà, & arte (implorando Dei opem) egemus ; amor impurus radicatus est quercus, quæ profundas radices immisit, non quolibet impulsu eradicatur ; ille humor amatorius intimis fixus medullis ut discutiatur, arte indiget medicus, & auxilio cœlestis medici, sine quo curatio non erit. Approbamus ergo, quòd ęgrotus afficiatur passionibus contrariis amori impuro ; estque Medicina ista non solùm *physica*, sed dispositivè *Moralis* ; itaque proficit, proponere ægroto, & inferere ægritudines, defectus physicos rei amatæ, hujus indolem avaram, inconstantiam amoris impuri, infidelitatem, & imperfectiones mulierum, pericula, damna animæ honoris, & corporis, mortem possibilem subitaneam, fœditatem peccati, judicium Dei, pœnas æternas, exempla tragicorum eventuum turpiter amantium, quod *hei*, *heu*, sit finis sordidi amoris, & reliqua dicta à pag. 416. usque ad præsens, maximè prædicata à pag. 919. pro *secunda* medicina præservativa, & à pag. 928. pro *tertià*, & à pag. 931. pro *quartà*, & à pag. 513. contrà Aristippeas voluptates *ex literis sacris*, & à pag. 516. contrà easdem *ex literis sæcularibus*. In nostris enim Medicinis *præservativis*, quæ item (ut consideranti obvium sponte erit) sunt *sanativæ*, continentur, quæ *remedia* impuri amoris ex Cicerone, & aliis, Dialogo 96. Petrarcha præscribit.

Primò ; Evitatio omnium, fugaque diligens, quibus amati vultus me-

memoriâ retraharis, occupatioque, traductioque animi ad alias curas, novasque solicitudines, quibus morbi veteris vestigia deleantur.

Secundò; cogitatio vehemens, & assidua, quàm turpe, quàm triste, quàm miserum sit jugum amoris impuri.

Tertiò, quàm breve, quàm labile, quàm nihil sit omninò, quod difficultatibus tantis appetitur.

Quartò; multos curavit *pudor*, quod maximè generosis animis accidit, dum reflectuntur *infamia*, cujus amor impurus est pater; & consideretur *irrisio* filia ejusdem sordidi amoris, dum ad ludibrium amans turpis signatur digito, estque vulgi fabula.

Quintò; est remedium considerare, quòd amor impurus res sit fœda, fructu vacua, plena dedecore, dolore, periculis.

Sextò; est remedium *mutatio loci*, quæ ut corpori, ita animo ægrotanti salubris interdum existit.

Septimò; vim talis amoris non attribuere stellis, nec naturæ *ut cogentibus*; est enim in hominis arbitrio velle, vel nolle, motusque impuros (Dei ope) reprimere.

Hæc remedia, etiam præscribebant Ovidius, & aliqui alii Poetæ. Considerare *infamiam* ex turpi amore, & *quid dicent gentes*, & hinc *pudorem*, novit Helena, quæ Paridem, insanientem præ amore, sectari recusat dicens:

Non ità contemno volucris præcordia famæ,
Ut probris terram impleat illa meis.
Quid de me poterit Sparta? quid Achaja tota?
Quid gentes Asiæ? quid tua Troja loqui?
Quid Priamus de me? Priami quid sentiat uxor?
Totque tui fratres, Dardaniæque nurus?
Desine, molle (precor) verbis convellere pectus
Terra, precor, vultus obruat ante meos.

Considerare, *nihil utilitatis*, at multum damni manare à sordido amore, expressit Ovidius.

Quod juvat exiguum est, plus est, quod lædit amantes;
Proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
Cærula quot bacchas populus arbor habet,
Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores:
Quę patimur, multo spicula felle madent.

Exercitia honesta, & studia, vitare otium, idem Ovidius dixit remedium contra Cupidinem puerum impurum:

Desidium puer ille sequi solet, odit agentes.
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Sunt fora, sunt leges: sunt, quos tuearis, amici;
Vade per urbanæ splendida castra togæ.
Vel tu sanguinei juvenilia munera Martis
Suscipe; deliciæ jàm tibi terga dabunt.
Ruraquoque oblectant animos, studiumque colendi,
Quęlibet huic curę cedere cura poeest.
Colla jube domitos oneri supponere tauros,
Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Aspice curvatos pomorum pondere ramos,
Vt sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.
Aspice labentes jucundo murmure rivos,

Aspice tondentes fertile gramen oves.
Cum semèl hęc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit AMOR.

Item aliò cogitationes traducere, vitare aspectum rei amatæ, colloquium, tactum, jocum, risum; item & non loqui de re amata, & fugere omnem occasionem, excitantem rei turpitèr amatæ speciem, novit idem Ovidius contrà impurum AMOREM remedium.

Ut penè extinctum cinerem si sulphure tangas,
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit,
Sic nisi vitaris, quicquid revocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

Etiam reflectere AMORIS impuri levitatem, & fugitivam inconstantiam, est remedium, ut extinguatur AMORIS impuri fax; & talem inconstantiam Paridi exprobrabat Helena:

Cursibus in mediis, novitatis plena relinques
Gaudia: cum ventis noster abibit AMOR.

Et Propertius lib. 2. Eleg. 1. dissuadet AMOREM impurum, quià levem:

Non ità Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra noto,
Quum facilè irati verbo mutantur amantes.
Dùm licet, injusto subtrahe colla jugo.

Accedit aliud remedium, considerare servitutem amantis impuri, quam novit Mantuanus Ecloga. 1.

Quisquis amat, servit; sequitur captivus amantem;
Fert domità cervice jugum, fert verbera tergo,
Fert stimulos, trahit & bovis instar aratrum.

Mutationem loci, & absentiam à re amatà, ut evanescat, aut minuatur AMOR impurus, poeticà levitate (propter potentiam in corda) nuncupatus scandalosè DEVS, ut remedium præscripsit Propertius ad Cynthiam lib. 3. Eleg. 30.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Vt me longa gravi solvat amore via.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit; at ex omni me premit ipse Deus.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris;
Quantum oculis, animo tàm procùl ibit AMOR.

Pullat Ovidius 1. Remed. & ut remedium præscribit, ex amatà tibi considerare damna puellà.

Tu modò, qui quod amas, ægrè dediscis amare,
Non potes, & velle posse docendus eris.
Sæpè refer tecum sceleratæ facta puellæ,
Et pone ante oculos omnia damna *tuos.*

At omnia relata remedia ex Cicerone, Petrarcha, Ovidio, Propertio, Mantuano, & aliis, satis, & *uberiùs*, in nostris *præscriptis* Medicinis *præservativis*, & *sanativis*, continentur; repete illas, sint tibi speculum. Relatæ, & similes medicinæ sunt illæ, quas laudatus medicus physicus noster primarius LUCCAS TOZZI pro curatione physica morbi AMORIS IMPVRI optat *prævias* ad *SANGVINIS EVACUATIONEM*, *REPURGATIONES*, *ET EXHILARANTES CONFECTIONES*, & nos pro curatione *morali* etiam scripsimus idoneas. Et quidem optimũ esset, si sine mora tot *præviarum* dispositionum, & *in instanti* possent

exer-

exerceri *evacuatio moralis* ſanguinis moralis vitioſi,& *purgatio moralis* ab omni vitioſo morali humore, & *morales confectiones exhilarantes* exercitiorum virtutum ; at in noſtra fragili naturà, facili ad malum , difficili ad bonum,difficillimum eſt,inquietum, & fixum medullis turpem affectum amoris, & quemlibet vitioſum habitum, in *inſtanti* averruncari,niſi *ſpeciali* divini auxilii *efficaci* pharmaco , ut gratia Dei fuit converſioni Divi Pauli; miraculum ergo eſſet neceſſarium , ut in inſtanti exularet , dicente Divo Bernardo citato pag. 944. *Majus miraculum eſt de carne propriâ fomitem eradicare luxuriæ , quàm expellere immundos ſpiritus de corpore alicujus* ; miracula autem patrare ſolius Divinæ eſt virtutis. Quare ut fax amoris impuri fixa in corde , & animo , extinguatur , ut excludatur hæc ſordida forma, & introducatur pura amoris caſti in ſubjecto, nempe in animo , & corde , *præviæ diſpoſitiones* relatæ , item bonorum *conſilia* , *ſuada*, *prædicatio* commendantur . Primaque inter cunctas diſpoſitiones ſit *Oratio ad Deum*, quem puritatis fontem veneramur; oremus pro ægroto , oret & ipſe ægrotus,ut à Deo incipiat curatio; quòd enìm nympha impura precata ſit *Solem*, ut ab eà turpes relegaret affectus, & obtinuerit, fuit Poeticum figmentum, ut indicaretur , quòd ſi ſub nomine *Solis* ſymbolicè intelligitur DEVS , cujus eſt ſymbolum SOL,ut averruncetur impuritas, rogandus eſt DEVS, à quo omne bonum .

At licèt ſapienter *pro medicina phyſica* non approbet noſter primarius ità *iteratas* ſanguinis *phyſici* evacuationes , quæ *phyſicum* ſanguinem *manifeſtè* debilitent, & exhauriant, in ſenſu tamen *morali*,cum *vitiatus ſanguis* ſit ſymbolum *vitii* , optimum eſt , univerſum ſanguinem *moralem* vitioſum , totum , & penitùs evacuari, & exhauriri; nam tali evacuatione infirmus ſpiritus *moraliter* non debilitatur, imò moraliter, & ſpiritualiter convaleſcit , vigeſcit , & roboratur ; & hoc in linea *medicà morali* noſter primarius *phyſicus* medicus , quià moribus bonus , non contradicit, imò firmat ; nec ut *phyſicus* in *moralem meſſem* mittit falcem , contentus in ſuo *phyſico* choro canere .

At & poſſet dici , quòd evacuetur omnis ſanguis moralis actualis , & habitualis vitioſus ; non tamen penitùs exhauriatur ipſa natura vitiata;hoc enìm eſſet occidere perſonam ; ſed natura novo alimento actuali , & habituali omnium virtutum , novis habitudinibus moraliter virtuoſis correcta , & bonis inclinationibus (pravis coercitis , & ſubjugatis rectæ rationi) affecta, MELIOREM MORALEM reducatur IN CRASIM.

Item cum nullus (ut plurimùm) ſit adeo *malus* , ut in aliqua ſpecie virtutis *moralis* non habeat aliquid *moraliter boni* , licèt *imperfectum* ex conſortio aliorum vitiorum , item cum ſanguis *phyſicus* ſit ſymbolum ſanguinis *moralis*,nempe *virtutis*,ſi ſit ſanguis *bonus*,vel *vitii*,ſi ſit ſanguis *malus* , hìnc evacuetur omnis ſanguis *moralis malus* , nempè *omne vitium*; non tamen *manifeſtè* , & *penitùs* exhauriatur omnis ſanguis *moralis*, nempè quæ licèt *imperfecta* fuerit *moralis virtus* ; hæc enìm licet ſit *imperfecta* ex mixtione , & conſortio cum vitiis , tamen poſteà evacuatis vitiis, & acquiſito *morali perfecto* ſanguine novo ex nutrimento actuali , & habituali omnium moralium virtutum , ex mixtione , & conſortio cum hoc *morali perfecto*, & perfectè *moraliter* ſalubri novo ſanguine, *perficietur*, & ſic MELIOREM MORALEM reducetur IN CRASIM.

Manet ergo methodus *phyſica* curationis à morbo impuri amoris,quam docet noſter LVCAS TOZZI , *ſymbolum* methodi curationis *moralis* ab eodem morbo.

CA-

CAPUT XXIII.

De AMORE Voluptatum GUSTUS, & de earum MODERATIONE.

EGimus de AMORE, & pag.908. de *Remediis* contrà AMOREM inordinatum DIVITIARUM, & pag.910.de *Remediis* contrà AMOREM inordinatum HONORUM, & DOMINII, & pag.912.de *Remediis* contra AMOREM inordinatum VOLUPTATVM SENSVS, sive SENSUUM in genere; & à pag.914. specialitèr de Amore Venereo; & à pag.916. usque ad præsens de *Remediis* contrà Amorem Venereum, qui præsertìm inclinat ad Voluptates sensus, qui dicitur Tactus; & per plures articulos lucubravimus rem pro majori claritate, & ne prolixum caput (continuatum sine divisione) esset lectori fastidium; imò in titulo cujuslibet articuli videns nova motiva, alliceretur ad lecturam ipsà amænà varietate, sicut ex eàdem causà CAPUT XXXIII. à pag.686. usque ad paginam 787.(ut vindicaremus Aristotelem *à calumniis*) in plures articulos secavimus. Ad relata *Remedia* attinent etiam illa,quæ à pag.880. Cap.XV. præscripsimus *præservativa*, & *sanativa* ad moderandas, & coercendas pravas passiones in genere, quælibet hæ sint.

Nunc nos accersunt *Remedia* contrà amorem inordinatum Voluptatum Gustus, pro harum moderatione.

Ideò præscribimus *Remedia* contrà amorem *inordinatum voluptatum*, quia cum Gaudium inordinatum earum derivetur ab inordinato *desiderio*, & desiderium inordinatum earum fluat ab amore inordinato earundem, *moderatà radice*, quæ est amor, reliquæ *passiones* derivatæ ab amore jam cum moderatione sunt, quatenùs *immoderatio radicis* coercetur.

GUSTUS IMMODERATUS in CIBO nuncupatur GULA. Ex Philosophià MORALI SYMBOLICA indicatur GULOSUS per GUTTUR, LOCUSTAS, ONOCROTATUM, COCHLEAM, CHARYBDIM, CROCODILUM, VENTREM, BRUCCHUM, CANEM, URSUM, LUPUM, & PORCUM. Item CIBUS symbolicè per MAXILLAM, & MENSAM. Vbi de SYBARITICA, & SYRACUSANA mensà.

AMor voluptatum gustus appetit *delectationes* in cibo, & potu; immoderatus amor cibi (& nimia voluptas in eo) dicitur Gula; immoderatus amor vini, si sit usque ad privationem judicii, sive rationis, dicitur Ebrietas; si hoc extremum non attingat, licèt sit immodicus amor vini, & voluptatis immodicæ in ejus potu, etiam nuncupatur Gula. Hìnc à D.Thoma (2.2.q.118.art.1.) Gula deffinitur sic: *Est immoderata cibi, ac potus aviditas*; vel sic: *Est inordinatus appetitus cibi, & potus*; vel sic, *Est inordinatus appetitus* delectabilium secundùm GVSTVM. Actus, & defectus, ne dicam effectus, GVLÆ sunt quatuor; *Nimiùm* comedere, aut bibere, *Ante* tempus comedere, aut bibere; *Nimìs* lautos, aut delicatos cibos, aut potum appetere, *Studiosè* nimìs præparatum alimentum expetere.

Hinc GVLÆ inordinatio est quantum ad *comestibile*; in quo est pec-

catum in *subſtantiâ*, *qualitate*, *& quantitate*; eſt in *ſubſtantiâ*, cum *lautè* appetis comedere, nempe cum cibaria *nimìs* prætioſa quæruntur, & *nimìs* optantur; eſt in *qualitate*, cum *ſtudioſè* appetis comedenda, nempe cùm *nimìs* accurata, & condita cibaria appetuntur nimìs; eſt in *quantitate*, cum *nimìs* comedis, & major debito *quantitas* ſumitur.

Eſt item Gula quantum ad comeſtibile in *modo comedendi*; in quo eſt duplex inordinatio; *primò* cum comedis *præproperè*, nempe cum *nimìs* prævenitur tempus cibi; *ſecundò*, cum comedis *ardenter*, & non ſervatur debitus rationalis, & ſobrius comedendi modus, ſed more porci *avidè*, & *ardenter* te ingurgitas.

Relata explicantur à D.Gregorio (*in Expoſitione Job*, & *hab. de Con. diſt.5.*) dicente: *quinque* modis nos vitium GVLÆ tentat; *aliquando* namque indigentiæ tempora prævenit; *aliquando* tempora non prævenit, ſed cibos lautiores quærit; *aliquando*, quæ aſſumenda ſunt, procurari accuratiùs expetit; *aliquando* autem & qualitas ciborum, & tempus congruit, ſed ipſa quantitate ſumendi excedit refectionis menſuram; *nonnunquam* eſt abjectius quod deſideratur, & tamen in ipſo æſtu immenſi deſiderii deteriùs peccat. Hæc D.Gregorius.

Plura ſunt ſymbola GVLÆ. Apud *Levitici caput* 1. *D.* guttur *gulam* ſignificare poteſt. *Primò* GVTTVR eſt cibi, & potus receptivum, ſtomachi impletivum, & id appetit guloſus, ad hoc inclinat. Eſt guttur delectationis ciborum præcipuum perceptivum, in modico tranſitu gutturis eſt delectatio cibi pluſquam in palato; ideo Polixenus appetebat habere linguam latitudine linguæ bovis, guttur autem more gruis oblongum, ut delectationem haberet nimiam; guloſus autem in cibo delectationem quærit, utilitatem, & neceſſitatem non reflectit. Deglutio cibi in gutture impedit reſpirationem, ita Gula impedit ſpiritualium conſolationum perceptionem. LOCVSTA eſt inſatiabilis, quià tota eſt vena; os habet quadrangulum, inteſtinum unum, immunditiâ, & fame ſemper plenum; quandiù vivit, ſemper eſurit, & ſi quid viride invenit, rodere non deſiſtit; tota eſt venter; ſic *guloſus*, *cuius Deus* (ex Paulo ad Philipp.3.) *Venter eſt*. Semper guloſus more locuſtæ eſt plenus immunditiâ, & ſemper famelicus, quia uno prandio habito, ſtatìm in alia prandia eſt famelico appetitu ſolicitus; ut ideo in ſacrâ Proverbiali Philoſophiâ (Proverb.30.) legatur, *Venter impiorum inſatiabilis eſt.*

ONOCROTATVS, italicè GROTTO, avis eſt in mari, & lacubus vivens, ubique inſatiabiliter vorax, cui lemma *paruus non ſufficit amnis*; hùc Lucanus lib.4.

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terrà, pelagoque, *ciborum*
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ!

COCHLEA in ſe revoluta, & clauſa, tempore hyemis propriâ vitioſitate, & non extrinſeco alimento alitur; ideò dixeris ſymbolum *guloſi*, quia nimiâ ſaturitate gravatus, cogitur ad abſtinentiam per duos, vel tres dies, ut digerat ſuperfluos ſtomachi humores; chocleæ more ſucco ſuo victitat; ideò cochleæ epigraphe, *ſucco meo*, vel *ut digeram.* Hùc Hieronymus *Epiſt.* ad *Lætam* ſic: *Crapulâ diſtentus ventris ingluviem jejunando decoquit, ut incochearum morem ſucco victitet ſuo.*

LEO item gravatus cibo cum voracitate arrepto per tres dies abſtinet, vel evomit, ut relevetur, cui inſcriptio, *ſpontaneum levamen*; at & *guloſus*, ut relevetur, vel abſtinet, vel evomit.

CHA-

CHARYBDIM scimus ex priscis symbolum hominis majorem in modum edacis, quem veteri proverbio CHARYBDIM vocant, aut BARATHRVM; est enim Charybdis mare periculosum nautis, quòd contrariis fluctuum cursibus collusionem facit, & rapta quæque absorbet, & reiicit; & hùc Ovidius:

Et vomit *epotas sæva* Charybdis *aquas.*

Ergo congruum est symbolum edacis absorbentis, & vomentis cibos; aptèque finxerunt Poetæ, Charybdim mulierem fuisse rapacissimam, quæ cum Herculis vaccas rapuisset, à Jove fulminata est, & in hoc monstrum conversa; innuerunt, quòd si nomine Charybdis intelligitur *gula*, & nomine Herculis *tempus*, & per *vaccas* Herculis intelliguntur *fructus*, & *cibi*, quos tempus generat, *gula* hos rapit, & devorat; at effingitur fulminata à Jove, ad innuendum, quòd Deus *gulosos* castigat; effingiturque mulier Charybdis conversa in monstrum, quia *gula* monstra, rapientia, vorantia, absorbentia, & vomentia generat. Item per *mulierem* intelligitur caro, sive corpus; hìnc corpus dicitur mulier Charybdis, quia *gula* est vitium corporis; istud est, quod rapit, vorat, evomit.

Sed & CROCODILVM non nescies *gulæ*, sive *crapulæ* symbolum; cum enim meatu careat, per quem eiici solent excrementa ciborum, digesta, & indigesta per os dejectare (veluti coactus, sive gulosus, coactus à crapulà) cogitur; & apud Ægyptios ut hieroglyphicè indicaretur *helluo*, crocodilus pingebatur *ore hianti*; & sicut *crocodilum* figurarunt in hieroglyphicum *latrocinii*, & *insidiarum*, quæ exercentur contrà viatores, quia viatoribus insidiatur, ut rapiat, & devoret; & item figurarunt eundem in hieroglyphicum *falacitatis*, *tùm* quia fœcundus, & abundè prolificus est, *tùm* quià est adeò contagiosæ libidinis, ut dentes è dextra maxilla illius, dextero lacerto alligati, credantur stimulare nequitiam, terrestrisque crocodili (quem alii *scingum*, alii *schincum* vocant) rostrum, & pedes, in albo vino potos, cupiditates lasciviæ accendere asserunt scriptores magiæ, ità in hieroglyphicum *gulæ*, sive *crapulæ*, & *gulosi* effigiarunt *Crocodilum* propter superiùs dicta. Jàm *Ventrem* symbolum aliud gulæ quis ignoret? sunt gulosi illi, quorum *Deus venter* est.

BRVCCHVM adde de genere locustarum, licet minùs saliat, quàm locusta; est ille vorax, ac penè totus venter, ideo in sacris literis (2.Par. cap.6. C. & Psalm.104. & Jerem. cap.51. B. & Joel cap.1. A.) GVLAM significare potest. Nec deliteścunt ut symbola *gulæ* LVPVS, & PORCVS; ille est avidè vorax, item & porcus; quare hominem helluonem, & ciborum varietati deditum, per effigiem *porci*, significarunt hieroglyphicè veteres; imò in nostris sacris literis (apud Math.cap.7.C.& Jerem.cap.5.B.) lupi voraces significant raptores, avaros, & *ipsos affectus* rapacitatis, & GVLÆ. Ajunt, lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet ut rabiem suam, & affectum voracitatis rapinà satient alienà; & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur; talis indolis sunt prædones, & *gulosi*; videas *gulosum* vorantem, videas & *alium gulosum* oculis fixis, & hiante ore insequentem, se sociè ingerentem, avidè expectantem, ut remanente cibo sit satur. Et per *porcum* satis liquet in sacris chartis symbolicè signari homines voluptatibus deditos, porcinos mores habentes, & vitia contra *Temperantiam*, nempe *libidinis*, & voracitatis, sive *gulæ*; sicut porcus se cæno involvit, & delectatur cæno potiùs, quàm mundà aquà, & fœtotem non sentit, similes sunt libidinosi porcini moribus homines; more *porci* dividunt ungulam, sed non ruminant, quia præcepta legis distingunt, agnoscunt, sed

opere non complent. In Levitici cap. 11. A. interdixit lex, & vetuit *porcinam* carnem; quod symbolicè fuit docere, quòd homines non imitarentur vitam porcorum, qui pinguescunt ad solum interitum, & mortem; hinc in tali prohibitione *porcinæ* carnis admonebat lex, non serviendum voluptatibus, & ventri. Vir *gulosus*, porci more, omnia vorat; nihil quanvis putre, & impurum horrescit, ideò per *pascentem suem* est indicatus à priscis; os ideò porci vulgò nuncupatur *rotundum*, quià nullo escæ genere abstinet, sed aperto avidè, & rotundo ore quæque obvia deglutit; ergo horrescas, dici *ore rotundo*. *Maxilla* communi proverbio significat cibum; ideò Proverbium *Viro seni maxillæ baculus*, quia quod deserit ætas, sarcit cibus; at maxilla modica cibum modicum innuit; gulosus maxilla *porci* dicitur. Mensa signat symbolicè victum; at *Sybaritica mensa*, sicut & *Syracusana mensa*, fuere adagia dicta de mensà lautà, & nimiis cibis refertissimà, voluptuosisque convivis, quales erant *Sybaritæ*, & *Syracusani*, quorum convivia erant apparata nimis; Sybaritarum enim luxus eò processerat, ut quicquid effœminatum, quicquid molle, quicquid accuratà, atque ambitiosà luxurià paratum esset, id vulgò *Sybariticum* diceretur: *Syracusani* olim sicut erant opibus florentissimi, ità & voluptatibus, ac delitiis addictissimi.

Jàm Canem, qui avidè inglutit carnes, rodit ossa, non ruminat, perfectè non masticat, deglutit, & evomit, quis neget symbolum *gulosi*? Adde VRSVM, qui *indifferenter* comedit omnia; videas, ipsum pro fructibus ascendere arbores, pro melle confringere alvearia; cancros, & formicas pro *medicinà* comedere; sic gulosus aliquando sub specie *necessitatis*, aliquando ex *dulcedine* voluptatis, aliquando sub prætextu *infirmitatis*, voluptuosas delectationes exquirit, & accipit; ideò dicente Gregorio lib. 30. Moralium, *sic Voluptas plerumque* sub necessitate *se palliat*, *ut vix eam perfectus quisque discernat*; *nam dum solum debitum necessitas petit*, *voluptas explere desiderium suppetit*; *& tantò* Gula *securius in præceps ruit*, *quantò sub honesto nomine* necessitatis *explendæ se colligit*. Hinc gulosus escam omnem manducat more VRSI; jam fructus, & cibos alios sub titulo *necessitatis*; jam *alvearia* quærit, nempe *dulcedines*; jam sub prætextu, & pallio *infirmitatis*, & *medicinæ* alia cibaria inquirit, ut voluptatibus gulæ satisfaciat; omnem escam sub hoc, vel illo prætextu manducat, ut ideò in *Ecclesiastico* legas, *omnem escam manducabit venter*.

Sunt igitur *gulosi* symbola *canis*, *ursus*, *porcus*, *lupus*, *brucchus*, *venter*, *crocodilus*, *charybdis*, *leo*, *cochlea*, *onocrotatus*, *locusta*, *guttur*; & tu, gulose, es moribus *guttur*, *locusta*, *onocrotatus*, *cochlea*, *leo*, *charybdis*, *crocodilus*, *venter*, *brucchus*, *lupus*, *porcus*, *canis*, *ursus*, hi sunt tui mores, hæc & nomina tua; pudeat sic nominari; pudeat & dici OS ROTVMDVM; pudeat dici maxilla porci; caveas à Sybariticà mensà, & olim Syracusanà; ruminà, ut caveas, quòd sint, quæ te *moraliter* convertant in bruta, pocula Circis.

MEDICINA MORALIS MODERANS, & corrigens AMOREM inordinatum Voluptatum *GULÆ. Considera, quòd GVLA nocet ANIMO, & CORPORI; est omnium malorum SEMINARIVM. EX SACRIS literis explicatur.*

IN Genesis capite 49. v. 5. legimus, Jacob congregatis filiis, ut annunciaret, quæ ventura essent ipsis in diebus novissimis, dixit: *Simon, & Levi fratres: vasa iniquitatis bellantia*. Sacri exponunt interpretes, in his præ-

præsignatos scribas, & Pharisæos contrà Christum ; item *Luxuriam*, & *Gulam*, quæ inpugnant fideles ; & quidem sunt duo vitia socia, & fraterna, quia gula luxuriam habet connexam ; semper saturitati juncta est lascivia ; vicina sunt venter, & genitalia ; pro membrorum ordine, ordo est vitiorum, quia gulæ succedit luxuria ; de ventris ingluvie luxuria nascitur, ideò S. P. Augustinus sermone 17. de Temp. *Saturitas castitati inimica est.* Quando venter immoderatè reficitur, corpus ad luxuriam excitatur. *Fames* amica verginitatis, inimica lasciviæ ; *saturitas* castitatem proiicit, illecebram nutrit. Si *gulam* non viceris, te vincet ipsa, sororem luxuriam statìm accersit. Vbi gulæ dominium, ibi libidinis seminarium. Sunt igitur *luxuria*, & *gula* vasa iniquitatis bellantia, ut nos deiiciant.

At Gula non solùm luxuriam trahit, sed accersit *omnia* vitiorum agmina, ut ideò in Ecclesiastici cap. 37. v. 34. admoneamur, *Propter crapulam* multi obierunt ; *Gula plures occidit, quàm gladius, estque fomes omnium malorum.*

Et quod malum sit, quod non pariat mater Gula ? parit idolatriam, & apostasiam à religione verà, ut ideo in Deuteronomii cap. 21. Deus dixerit, *Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, avertentur ad Deos alienos, & servientes, detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum.* Virtutis omnis fructus perimit affectio gulæ ; dum venter non restringitur, simùl omnes virtutes obruuntur. Quod homines fortiter egerunt, dominante gulæ vitio perdunt. Epulas sequitur loquacitas ; cumque venter reficitur, lingua relaxatur. Gula intellectum excæcat, aciem mentis obtundit, ingenium evertit ; & Græcis erat Proverbium, *Ex crasso ventre generari non potest subtilis sensus.* Epulas comitatur voluptas, & dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium divertit ; turpiloquia, multiloquia, scurrilitatem, & lætitiam ineptam prodit. Gula vestit, & nudat ; aufert ornamenta virtutum, vestit ignominiâ vitiorum.

Non solùm *gula* nocet *animo*, sed *corpori*, ut ideò Spiritus Sanctus admonuerit, *Propter crapulam multi obierunt, plures occidit Gula, quàm gladius.* Vitium ventris, & gulæ non solùm minuit ætatem hominis, sed aufert ; ventrem dicas Charybdim, quæ & vitam devorat. Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, quicquid comestibile terra generat, nostris sepelitur ventribus ; quære nunc, *cur subitò moriamur* ? quia *ex mortuis vivimus* ; Si ventres nostri sunt mortuorum sepulchra, quid mirum moriamur, qui cum mortuis vivimus, & ex mortuis pascimur ? Saturitas est morborum fons, diminutio vitæ. Sexta die (ex Genesis cap. 1. v. 29.) dixit Deus, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis* in escam. Hùc D. Ambrosius (de Elia, & jejunio) reflectit : *Primus usus mundi à Jejunio cœpit.* Sextà die bestiæ *sunt creatæ, & cum bestiis* orta edendi potestas. Vbi cibus *cœpit, ibi finis factus est mundi. Vbi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt divina opera feriari ; quo indicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri.* Hæc Ambrosius. Vnde observa, quòd mundus incœpit cum *jejunio*, & crevit cum eo ; edendi potestas incœpit sextà die cum *jumentis* ; & quando agitur de *cibis* (nempe die sexto) tunc est *finis*, & ultimus dies creationis mundi ; quando cœpit usus cibi, cœpit mundus *minui*, quia cœpit comedi, quod erat in mundo ; ex quo colligas, quòd cibo diminuitur homo ; cibus, qui nutrit, calorem naturalem minuit, quia consumit ; si comedas *nimìs*, celeriùs instat *finis.*

Temperantia à multis corporis morbis præservat, & quosdam arti-

cu-

cutani morbo, & podagræ humoribus laborantes, ſcimus ſimplici mensâ, cibiſque modicis convaluiſſe. Hùc Eccleſiaſtici cap. 3. divina vox: *Somno ſalubri fruuntur viſcera temperantis; mane ſurgit idem, & compos eſt animi; labor autem vigil, & cholera, torſioneſque exercent hominem inſatiabilem*. Venter cibis onuſtus, nec ad ſomnum eſt aptus, ciborum enim copiâ oppreſſus in utramque partem, hùc illùc in lecto converſiones cogitur facere.

Quis ignoret, quòd corpora, aſſiduâ ingurgitatione gravata, morbis facilè obruantur? Et quidem ſicut in ædibus, in quibus eſt alimentorum copia, multi ſolent eſſe feles, & mures, ità in corpore guloſi plures morbi. Vnde gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, & ſæpè mors invadit. Gula ſupprimit ſtomachum, & gravat, calor expirat ſub onere. Gula indigeſtiones parit. Nocet *ſenibus*, quibus vires debiliores ad digeſtionem auxilium negant. Nocet *juvenibus*, dicente Hieronymo in Epiſt. ad *Furiam de utilitate ſervandâ* ſic: *Non Ethnæ ignes, non Vulcania tellus, non Væſuvius, & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & adipus inflammatæ*. Et quidem hinc acutiſſimæ febres. Cibus *modicus* ſiccos, validos, aſpectu placidos facit, odore corporis nec ſibi, nec aliis moleſtos; *crapula* autem parit madidos, æſtuantes, tremulos, malè olentes, ſudantes, ructantes; unde etiam aſpectus prædicat, quid interſit inter *frugalitatem*, & *crapulam*. Anginæ, calculorum, tinnitus aurium, ſincopes, ſcirrhi, ſcabiei (inter alias cauſas) eſt una ventriculus chyllum crudum, & vitioſum gignens; item caro porcina, bubula, leporina, dulces cibi, vina rubra craſſa, piſces ſalſi, & fumo indurati, & aliaque hujuſmodi, quæ crudos ſuccos in venas rapiunt; hinc quàm expoſiti ſint *morbis* guloſi, ſponte patet.

At (*ut plurimùm*) quis ſit morbus non genitus à *crapula* matre? morborum fomes ut plurimùm circa *viſcera* ſtabulatur, at & ibidem ſtabulantur cibi, quos gula deglutit. *Dentes* dicti à Grammaticis *quaſi edentes*, quia eorum munus eſt *edere*; at & *dentes* ſymbola ſunt *damni*, & *detrimenti*; eſt & *dens* ſymbolum *morbi*; mordere eſt actio dentis, & eſt mordacitas in morbis, & apud Galenum febris ſæpè dicitur voce Græcâ, latinè *mordax*. Dens dicitur ab *edendo*, & *edaces* ſunt morbi; morbus nervos conſumit, & carnem propemodum ad oſſa exedit. Eccè gulam morborum originem, & ipſos *dentes* (auxiliantes gulæ, & inſtrumenta) ſymbola *morborum*. Earum ædium, in quibus reperitur copia alimenti, multos eſſe canes dicebat Diogenes; ſic referebat Stobæus, ubi corpora multum cibi capiunt, multi quoque ibi accerſuntur *morbi*. Imò & *canis* ſymbolum *guloſi* eſt etiam ſymbolum *morbi*; canis enim furit, & mordet, ità furit, & mordet morbus, & de morborum morbo febre Maro *lib. 3. Georg.*

Cum furit, atque artus depaſcitur arida febris.

Canis carnium eſt vorax, morbus etiam carnem abſumit, & crudeliter exedit artus. In crapulâ ergo, ſive in *gulâ*, & *ſymbolis* hujus, quid conſideres, niſi etiam *corporis morbos*? Vt glutiat animalia mortua comeſtibilia, *guttur* guloſi eſt *ſepulchrum patens*, at & patens, ut deglutiat etiàm *morbos*, & *propriam mortem*. Item Gula eſt egeſtatis parens, famis genitrix; ut enim guloſus ſe impleat, incautè expendendo, ſe in paupertatem præcipitat; quare ex copiâ ipſi inopia, & fames ex abundantiâ.

Ergo cum Gula corrumpitur natura, libidinis nutriuntur incendia, ſubvertitur ratio, panduntur ſcelera, fiunt homicidia, proferuntur ſtultiloquia, prodeunt verba ſcurrilia, oriuntur detractiones, hebetatur mens, relaxatur maturitas, lętitia inepta diſſolvit, immunditia polluit, mors culpæ

ori-

oritur, imò & mors corporis. Gula paradiſum clauſit; primogenita Eſau vendidit, ſuſpendit piſtorem, decollavit Baptiſtam. Apud Geneſim enim cap. 19. Eſau pro lentis edulio primogenita ſua vendidit; propter gulam Adam, & Eva fuerunt à paradiſo exules; ideò prædicante D. Bonaventura (*tomo 3. ſerm. 1. de uno confeſſ. & in ord. 23.*) ſic: *Turpe eſt, ut homo amet gulam, per quam ex paradiſo ejectus eſt*; manducare enim de ligno vetito fuit gulæ vitium, unde generis humani miſeriæ.

Verè ventri ſervire, non hominum, ſed belluarum eſt. Cur te ipſum ſaginando, & gravando, corpuſque pinguius nutriendo, carcerem graviorem animæ tuæ præpares? dum corpus nimiè reficis, gladium in mentem, & corpus mergis. Voluptas gutturis vix duorum digitorum habet longitudinem, & cauſat leucarum moleſtiarum, & malorum ſine numero, multitudinem.

Ridicula domina GVLA tributum prætioſarum eſcarum exigit, & ipſa viliſſimum donum reddit; nam reddit excrementa, & quantò ſunt delicatiora cibaria, tantò fœtidiora ſunt ſtercora; hæc munera guloſo, ſervire *gulæ* ſolicito, ſua regina *gula* præbet. Ergo peſſimæ dominæ ſervis *gulæ*, quæ ſemper expetit, nunquam expletur; hodie ſuſcipit, cras exigit, nunquam ſatiabilis, & ſola fœtida, & immunda dona reddit; eſt ignominia, & ludibrium ſervienti. Cur cor tuum ſit in ventre? cur inter ſtercora? cor avari in theſauro, cor guloſi in ventre eſt. Si tu ex illis, de quibus Paulus, *quorum DEUS VENTER eſt*, apage hinc cum DEO TVO, DEVS enim TUUS horrendè FOETET.

Quando dormis? inceſſantèr te perturbat *clamor* ventris; ſi non eſt ſatiatus, *clamat*, ut ſatietur; ſi eſt ſatiatus, *clamat*, ut novum paretur convivium; coquus in domo, ut paret, inceſſantèr cum inſtrumentis coquinæ ſtrepit; cum tanto, & inceſſante *ſtrepitu*, cum inceſſante ventris *clamore*, quando dormis? quando dormit coquus? age; ſinas coquum dormire; ſinas, tantiſper requieſcere.

Si tot damna animi, & corporis ex GVLA, ideò vox ex Eccleſiaſtico cap. 21. ſonat, *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra* CRAPVLA, *& ebrietate, & curis hujus vitæ*; & apud Lucam cap. 6. *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quià eſurietis*. Verè LVXVRIA, & CRAPVLA ſunt *duo vaſa iniquitatis*, contrà ſalutem, vitamque animi, & corporis *bellantia*. Tot damna *reflectere* ſit tibi contrà *gulam* MEDICINA MORALIS; abſtine, nam ABSTINENTIA eſt *moralis*, & *phyſica* MEDICINA. *Optimum eſt* (prædicat Paulus ad Hebr. cap. 13.) GRATIA *ſtabilire* COR, *non* ESCIS, *quæ non profuerunt ambulantibus in eis*. Scias ex Eccleſiaſtico cap. 6. *Omnis labor hominis in ore ejus, ſed anima* ejus *non implebitur bonis*; cujus adagii ſacri duplex eſſe poteſt ſenſus; *primus*, quòd omnis labor guloſi eſt in ore ejus, ſed anima ejus privatur animi bonis. *Secundus*; quòd omnis labor guloſi eſt in ore ejus, & tamen ejus cupiditas non eſt repleta, ſed ſemper anxia, ut ultrà devoret; nunc ſatiatus jam eſt ſolicitus, & famelicus ſaturitatis novæ.

PRO eàdem MEDICINA MORALI contra AMOREM inordinatum VOLVPTATVM GVSTVS, damna vitæ VOLVPTVOSÆ, & GVLOSÆ signantur ex Philosophiâ morali SYMBOLICA, & EMBLEMATICA, ÆNIGMATICA, & POETICA; ex his duabus per PROMETHEVM, & PANDORAM.

VIdeas *sanguisugam* affixam venæ, avidè sugentem, & ita se replentem, ut discerpatur, & suspensa crepet; cujus sit symbolum? *gulosi*; & hùc illud Emblema, in quo figuratur sanguisuga affixa venæ, & illi epigraphe, *suctu discerpar.*

Videas *facem ceream accensam, sed deorsùm versam*; quid cernis? quòd ceræ copiâ liquefactâ extinguitur, & suffocatur; talis est gulosus, quem copia cibi enecat, ideò fit EMBLEMA, cum faci cereæ accensæ, deorsùm versæ, additur lemma, *inopem luminis me copia fecit*; & huc D. Cipryanus *carm.* ad Senatorem:

Escà alitur corpus, corpus corrumpitur escà,
Vimque suam minuit, si quid protenditur ultrà.

Hùc *candela extincta*, quæ applicatur ad magnum ignem, ut accendatur, ubi excessivis flammis supprimitur; hùc *navis*, intrà quam multæ merces, quæ quò magis oneratur, eò magis intrà aquam mergitur; hùc *piscis* pendens ab hamo propter escam; sunt ergo gulosi symbola *sanguisuga*, *fax cerea accensa deorsùm versa*, *candela extincta* ad magnum ignem applicata, ut accendatur, at excessivis flammis supprimitur, *navis* nimìs onerata, quam multæ merces submergunt, *piscis* pendens ab hamo, captus, & occisus ex cupiditate escæ; *gulosus* enim nimio cibo, more *sanguisugæ*, crepat; copiâ cibi, more *facis* cereæ accensæ deorsùm versæ, suffocatur; more *candelæ* extinctæ applicatæ ad ignem magnum, nimio cibo, & flammis gulosæ voluptatis, supprimitur; more *navis* nimis onustæ gravatus nimio pondere cibi mergitur; more *piscis* cupidi escæ capitur, perit. *Gulosum* dicas *purpuram* speciem conchæ, quam ut piscatores capiant, ponunt alias conchas apertas; accedit illa, ut ex illis capiat cibum, stringitur lingua à concha, unde cupiebat capere; sic capitur inpotens retrocedere; illi morbum, vulnus, & mortem intulit cupiditas escæ. Consonant hæc illis in articulo elapso adductis ex Ecclesiastici cap. 37. v. 34. *Propter crapulam multi obierunt; GULA plures occidit, quàm gladius, estque fomes omnium malorum.*

Vidisti ex Philosophiâ *morali* SYMBOLICA, & EMBLEMATICA indicata damna *corporis* ex *gulâ*; at magis dolenda damna *animi*. Vides nubem ante solem? Sol est symbolum rationis, sive intellectus recti; nubes est coalita ex vaporibus, & exhalationibus terræ, nubes ante solem est symbolum gulæ, quæ obscurat rationem; audi Chrysologum serm. 41. *Sicut terræ nubes caligant cœlum, sic obscurant animum intemperata convivia*. Huc Emblema, in quo nubi sic figuratæ ante solem, datum lemma, *Elevatur in umbram*; & quidem vapores, & exhalationes ex stomacho gulosi ascendentes ad cerebrum, obscurant solem rectæ rationis.

Sed & Philosophia Moralis ÆNIGMATICA POETICA vitæ voluptuosæ gulosæ damna indicavit per PROMETHEVM, & PANDORAM, & dicitur *ænigmatica*, quia obscura nimìs, & involuta est indicatio.

Carolus Paschasius cap. 66. *Ethic.* originem vitæ *voluptuosæ* texit sic: Cibum natura homini facilem, & parabilem, ut omnia necessaria, præbet.

Ne-

Neceſſitati ſubventum dicimus, non tantùm cum homo ab interitu vindicatur, verùm etiam quoties ad valetudinem, & robur, & alacritatem promovetur. Hic unus primarum ætatum hominibus fuit cibi uſus; ſatis erat illis, ſi qualicumque re, quæ modò cibus eſſe poſſet, edendi amorem obturarent. Rebus animatis abſtinebant, & inanimis veſcebantur; quos ſequenti ætate, cum jàm deliciæ pollerent, ſecuti ſunt, qui intellexerunt, virtutem non eſſe in ventrè, ſed in animo; qui ideò apud omnes in ſummà admiratione fuerunt, ut de Hyppolito traditum eſt. Sylveſtrium arborum glandibus, arbuſtorum baccis, ſpoliis campeſtribus, & crudis oleribus affatìm quisque rumen implebat. *Quercum* enìm ſunt qui tradant primam omnium plantarum genitam, & altricem populorum. Ergo his ſylveſtribus cibis, & ſimilibus aliis, & oleribus, & crudis erant mortales contenti; dices pabula dura, at his corruptis ſæculis, non innocentibus illis, qaando cibi non tàm guſtabantur, quàm mandebantur, nec tàm conſulebatur erudito palato, quàm jejuno ſtomacho.

Poſt illam primam ætatem ſucceſſit ſibi proxima, qua homines jàm cœperunt quærere, ſi quid mitioris cibatus terra ſponte ſuà, aut ſubacta labore, & arte ſuppeditaret, nempe hoc, vel illud genus frugis, & ſi quid frugi proximum, aut ſimile. Repertus eſt IGNIS; eoque monitore multi comeſſatores facti, durities eſcarum eſt molliri cœpta, panes coqui, menſæ cœperunt qualibuſcumque ferculis onerari, epulæ licentiùs ſtrui; ideoque fortè fuit moris, *ignem*, & *aquam* apponere in *ſponſalitiis*, quia ignis, & aqua congregarunt homines, ut ſociè viverent.

Poſteà eſt inventa *vitis*; addiderunt homines panes madefacere.

Poſteà manſuefactis animalibus, jàm adduxerunt homines congerere pabula, jàm horum velleribus obtegi, jàm terram arare, jàm lacte, & caſſeo ſe ſaturare, & Homerus lacte victitantes vocavit frugaliſſimos mortalium.

Poſteà jàm ſaltus cœperunt penetrare, & cum obviis feris colluctari, victarum carnes aſſare.

Poſteà latiùs cœperunt homines imperium ventris extendere, aerem jaculo verberare, ſagittarum aucupio vitam propagare, flumina ingredi, ipſa terræ viſcera perſcrutari, ſensìm ab illa primà auſterà vitâ diſcedere, ad delicatos cibos tranſire, ſuperflua ambire, miſcere acria dulcibus, acuta hebetibus, frigida calidis, coquorum induſtrias petere; unde appetitu inordinato jàm neceſſitatis remedia in *gulam* declinarunt. Hæc fuit origo, & proceſſus vitæ voluptuoſæ, & *guloſæ*, at incepit ab IGNE invento; cum igne enìm incœperunt coqui, & præparari cibi; cum igne exerceri artes, & earum inſtrumenta fieri, & commoda vitæ, ſignificata in *igne*, ſine quo nulla exercetur ars commoditati vitæ inventa. Ante *ignis* enìm inventionem homines ſimplices, nec arandi viam, nec ullam artem ſciebant; ab *igne* ergo invento, ex hominum abuſu, vita voluptuoſa, & *guloſa* cœpit, unde innumera mala orbi.

Hùc figmentum Poeticum, quòd Prometheus Minervæ auxilio aſcendit in cœlum, ibique ferulà ad currum ſolis admotà, ignem detulit in terram; at in pœnam furti effingitur à Mercurio, ex præcepto jovis, alligatus ad rupem, ſive ſaxum montis Caucaſi, ubi Aquila vulnerabat, & cruciabat jecur ejus; quorſum iſta? per Prometheum (præter alios ſenſus figmenti) intellexerunt Poetæ illam vim ingenii inventricem artium, & ignis; Prometheus enìm dicitur inveniſſe quandam artem, quà ignis eliciebatur, qui mortalibus profuit, donec eo uſi ſunt, at poſtea abuſu attulit perniciem; effingitur Prometheus propter furtum fictum, id eſt *propter inventionem ignis* ligatus, & cruciatus, ad innuenda damna vitæ voluptuoſæ, &

guiolæ, in *igne* significatæ, quia incœpit ab invento igne, propter quod ignis inventor effingitur punitus. Aquilaque dilanians *jecur*, sedem putatam *concupiscentiæ*, innuit remorsus conscientiæ, curas, solicitudines, quibus interiùs cruciatur voluptuosus.

Alii per Prometheum intelligunt *tempus*, sive Saturnum; & effingitur, Prometheum auxilio Minervæ (quæ dicta est illa vis ingenii inventrix scientiarum, & artium) rapuisse, & invenisse *ignem*, ad innuendum, quòd tempus, & ingenium invenerunt *ignem*, & cum eo artes omnes vitæ commodas, quæ sine *igne* non exercentur; cuncta ista cùm tempore invenit ingenium; sed supplicium effingitur inventori datum, tanquam fuerit occasio calamitatum, quas intulit *voluptuosa gulosa vita*, quæ sine *igne*, quo coquntur, & præparantur cibi, & gustus deliciæ, non accepisset latum imperium. Hùc Natalis Comes lib.4. Mythologiæ cap.6. hæc, & suprà relata confirmat, dicens, quòd homines ante IGNIS inventionem, nec morbos esse, aut mortem opinabantur, sed in terram colapsi, ignari, quid sibi accidisset, expirabant; vivebantque ferarum more, aggrestium arborum fructibus, & oleribus vescentes; nudique adversùs feras nudis manibus pugnabant. Hi cum nullam omninò futuri temporis haberent rationem, nullis fructibus in hyemem servatis, inediâ per hyemem multi eorum absumebantur. At experientiâ paulatim, necessitateque magistra, & cavatas arbores ingressi sunt, & speluncarum beneficio ab aeris injuriâ protegebantur, & infantes ponebantur super arbores à patribus discessuris ad quærendum victum, nedilaniarentur à feris; quòd genus degebant *omnium fraudum*, & IGNIS expers; nec quid essent leges, quid Reges, quid furta, quid cœdes, quid militia cognorant. Verùm cum diuturna incommoda illos prudentiores fecissent (pericula enim, difficultates, & paupertas homines *ingenuos* creant) dictus est *Prometheus*, id est, *ingenium*, IGNEM invenisse, & per illum posteà omnes artes, quibus humana vita excolitur; nulla enim propè est ars, quæ igne non egeat; ideòque & dicitur, quòd *Prometheus* homines ad *urbanam* vitam è sylvis evocaverit, illique domos extruxerit, quòd illorum linguam formaverit quòd rationes siderum docuerit, quòd literarum compositionem invenerit, quia hæc omnia venerunt *tempore*, & *ingenio* significatis per *Prometheum*; & IGNIS *inventio* consequenter attulit vitam *socialem*, & *civilem*, & *artes*, quibus homines commodè, & sociè possent vivere; *ignis* enim congregavit homines, ut *ignis*, qui erat extinctus in unâ domo, inveniretur in alia, & in artibus mutuò se adjuvarent, quiâ indigent multis manibus. Sed *ob ignis inventionem*, effingitur, quòd jupiter iratus Prometheo, omnia malorum genera demisit hominibus, quia cùm ex IGNE venerunt omnes artes, & *varietas* ciborum *cocta*, & *præparata*, & hinc *voluptuaria* vita, quæ multas artes habet ministras, sanè cum vitâ voluptuosâ gulosâ omnia mala invaserunt orbem. Vide pag. 614. & 615.

Addunt Poetæ, quòd cum jupiter scivit furtum Promethei, Vulcano imperavit, ut fœminam ex luto componeret, quæ cum astutissima esset, & omnibus artibus à Diis donata, cui Mercurius eloquentiam, Venus pulchritudinem, Musæ vocem suavem dederunt, vocata est PANDORA, nec ante illam fœmineum extitisse sexum; hanc fabulantur, fuisse missam à Jove ad *Prometheum* cum omnibus malis in *vasculo* (alii dicunt in *pyxide*, alii in *dolio*) inclusis; quod munus sprevit Prometheus, timens Jovis insidias; illa autem ad *Epimetheum* contendit; qui, dempto vasculi operculo, omnia mala avolare sentiens, vix ultimam, & in animo residentem spem oclusit, cum qua vas illud servavit. Hæc fabula; nunc quid in hoc figmento Poesis intenderit.

De

De *Pandora* in aliis ſenſibus (multos enim in eodem involucro, & diverſimodè confiƈto involvebant Poetæ) diximus pag. 848. & pag. 849. Nunc ad præſens nomine Pandoræ intellexerunt *vitam voluptuoſam*, & guloſam; ideoque in ejus manu confixerunt vaſculum, pyxidem, ſive dolium ſymbola *cibi*, & *potus*, nam in vaſe bibimus, dolia ſunt vaſa majora vino ſervando idonea; & apud Juriſconſultos doliarium poni videtur pro ipſis doliis, vel cellà, in qua dolia vinaria ſunt; imò Plautus *in Pſeu.* appellat anum *ventricoſam*, *doliarem*, quare & dolium ſimilitudo eſt *ventris pleni*; ſignat ergo *Pandora* cum vaſculo, vel dolio in manu vitam voluptuoſam guloſam; effingitur *fœmina pulchra*, quià ſenſui vita voluptuoſa placet; effingitur eadem Pandora *aſtutiſſima*, quia vita voluptuoſa nos decipit, & etiam cautos fefellit, & in præceps impulit. Effingitur cum omnibus malis intra vaſculum, ſive dolium, quia omnia mala in orbem à vità voluptuosà manarunt, & avolarunt ad nos; illinc cœdes, bella, rixæ, morbi, febres, ſubitaneæ mortes, &c. Effingitur, quòd *Prometheus* repugnavit admittere vaſculum coopertum plenum malis, pyxidem veneni, quià nomine *Prometheï* intelligitur (in hoc figmento) *ratio recta*, *prudentia*, *conſilium*, *providentia*, *portio ſuperior hominis*, Prometheus ſic dictus à voce Græca, latinè *provideo*, *proſpicio*; & huc adagium *Prometheus poſt res factas* ironicè contrà illum, qui non providet, id eſt, non videt *procul*, non providet futura, ſed ſolùm videt malum, poſt quam jam vexat, non autem prævidet imminens, aut futurum, ut caveat; at *recta ratio* vitam voluptuoſam reiicit, nec ſinit decipi, quià mala futura ex voluptuosà vità prævidet vir ſapiens, ideoque eam repellit. Effingitur, quòd *Pandora* repulſa à *Prometheo*, vas obtulit *Epimetheo* fratri illius, qui accepit, & hinc omnia mala avolantia infecerunt orbem, quia nomine *Epimethei* intelligitur *corpus*, ſivè *portio inferior* hominis, nempe *ſenſitiva*, & animalis; & dicitur *Epimetheus* frater *Prometheï*, quia ab eadem animà ſunt portio *ſuperior*, & *inferior* hominis, nempe *rationalis*, & *animalis*; effingitur, quòd *Epimetheus* accepit vas Pandoræ, & hæc placuit ipſi, ad innuendum, quòd *corpus* accipit *voluptuoſam vitam*, & hæc *ſenſui* placet, & hinc omnia mala humano orbi.

Effingitur Prometheus alligatus à Mercurio in ſpeluncà ad ſaxum montis Caucaſi, quia poſtquam *Prometheus* (ut ſignificat vim ingenii inventricem ignis, & artium ad uſum honeſtum, & commodum temperatum, & neceſſarium vitæ humanæ) invenit *ignem*, poſtea *Epimetheus* frater, nempe *corpus* accipiens vitam voluptuoſam, & abutens inventis, *ſuâ ſuadelà* (nempe lenociniis appetituum) ſignificatà in *Mercurio*, allicuit *portionem ſuperiorem* hominis ſignificatam etiam in *Prometheo*, ut conſentiret voluptuoſæ vitæ, unde *portio ſuperior* hominis fuit ſubjugata ab inferiori, & ligata in ſpeluncà corporis ad ſaxum, nempe ad ipſum corpus, & ſenſum, & ad hujus appetitus inordinatos; ſaxum enim, quia cognitione caret, ſymbolum eſt corporis. Aptè additur in figmento à Poeſi, quòd Prometheus ligatus in ſpeluncà ad ſaxum remanſit, quouſque *veniens Hercules* ſolvit, & liberavit ipſum, ad innuendum, quòd ſi nomine Herculis intelligitur à Poetis *perfecta virtus*, ſanè poſtquam portio ſuperior hominis inferiori, & animali ſervit, & hæc dominatur illi, & illa eſt ligata ab hac vinculis appetituum, & catenis cupiditatum, ſolùm *perfecta virtus* adveniens poterit à tali miſero captiverio liberare *portionem ſuperiorem*, & rumpere vincla appetituum, & à tyranico jugo vitæ dominantis voluptuoſæ illam reddere liberam, & fugare *aquilam* continuò diſcerpentem jecur Promethei, nempe remorſus diros conſcientiæ, curas, anxietates interiores,

quibus cruciatur animus, dum vitæ voluptuosæ servit, & voluptatibus corporis est ligatus. Ergo satis sunt indicata à Poesi damna vitæ voluptuosæ, & gulosæ, quæ incœpit ab invento *igne*, per PROMETHEUM, & PANDORAM; quæ damna reflectere cur, ut caveas, non sit MEDICINA MORALIS?

Ergo gulose optans lingu am latam more bovis, & collum more gruis longum, ut voluptatem majorem percipias, ut optabat Erixius Philoxenus; tu alvo tumidà, quam dicam Bacchi sepulchrum, Cereris mausolæum; tu in manu una, cum *laro* edaciſſimo, est enim avis avida, & vorax, quæ totam escam ore devorat, in alia manu cum *Onocrotalo*, cui ingluvies ampla, hæc enim est artificiosa imago gulosi, detrimenta ex gulà timeas, cur tibi applices turpe proverbium *larus hians*? sic dicitur, helluo. Cur ex veteri adagio, *Cœlum cum terrà misceas*? quæ in aere volitant, quæ generantur in aquis, quæ nascuntur in terris cibaria, unum in ventrem coacervas! an sis *Danaidum* inexplebile *dolium*? an velis cunctas cellas divitum vinarias epotas fundere in vesicam, & inde effundere in matulam, vel ut ajebat Varro, divitum apothecas Chias ad communem revocare matellam? Bellum intimas *aeri* pro avibus, *terræ* pro fructibus, & in ea sylvis pro venatione, *mari* pro piscibus, tribus elementis *aeri*, *terræ*, & *mari* bellum intimas, ut eorum bona usurpes; quartum elementum *ignis* quia jacula tua attingere nequeunt, substituis calida, & ignea aromata, & vinum; O monstrum, in *angusto* ventre *tota elementa quatuor* includere inhias? crepabis miser. Qualitates contrarias elementorum cum in ventre congregas, elementa, ut pugnent, ibi ingeris; an velis, quòd venter sit campus, ubi elementa pugnent? vide, quod sit angustus campus pro amplis, & validis luctatoribus; hinc illinc jacula ventrem ferient, & vis ignis compressi rumpet ventrem, ut foras prosiliat. In pag. 977. & 980. *Onocrotatus*, legatur *Onocrotalus*.

Sed, *Onocrotale*, apage; hæc avis à rostro ad pectus ingluviem habet, piscium decem libras ingerit, & aquæ urnam; facilè evomit, quæ ingurgitat, sic gulosus; quædam gravata cecidit, capta est; inventum, quòd deglutiverat parvulum puerum Æthiopem; tu *helluo* es *Onocrotalo* major, & majora degluties; ergo *apage hinc*, ne fortè majorem deglutias hominem, sicut Onocrotalus parvulum deglutivit Æthiopem.

QUANTUM MANDUCANDUM? Respondetur ex AUGUSTINO. Ex Poesi per ULYSSEM in conviviis CIRCIS, & per consilium SIBYLLÆ, quod fingit VIRGILIUS datum Æneæ, ut CANEM CERBERUM reficiat, & per IGNEM, quem VIRGINES VESTALES servabant.

QUantum comedendum? Adest spiritualis medicus AUGUSTINUS Pater *lib.* 99. *Evang.* habetur Dist. 12. *Illa autem*: ubi subscribit: *Non* usus cibi, sed concupiscentia reprehendenda est; non enim interest omninò *quantum sumas, cum videamus aliorum stomacha citiùs saturari cibis; & tamen eos ipsi parvo, quo satientur, ardenter, intolerabiliter, & omninò turpiter inhiare.*

Item S.P. lib. 9. Confess. ait: *Hoc me docuit Deus*, quem *admodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*. Quantum accipiendum medicamenti? quantum infirmitas exigat; minus, quàm necessarium, non sanat; plusquam necessarium, infirmat; ergo virtus *in medio*; nec deficiat, nec excedat. At reflecte, quid addat Augustinus: *Sed dum ad quietem sa-*

tie-

tietatis ex indigentiæ molestiâ transeo ; in ipso transitu insidiatur mihi la-queus concupiscentiæ . Cum salus sit causa edendi , & bibendi , adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas , quæ plerumque præire conatur , ut ejus scilicèt causâ fiat , quod , salutis causâ , me facere dico , vel volo . Ergo cave, ne voluptas adulatrix, & astuta, alimentum tibi superfluum, tibi necessarium suadeat; nec permittas , *voluptatem* præire *ducem* , nec ipsam *pedissequam* audias suadentem , & insufflantem à tergo ; *Ratio recta* sit *dux*; vexillum *temperantiæ* , quod sequaris , ferat . Tantus sit cibus , quantus subveniat tuæ necessitati , non quantus serviat nimiæ voluptati . Diversa sunt temperamenta , diversæ complexiones , diversæ vires , minus alimenti sufficit pigmeo , & infanti , uberius congrueret Polyphemo; recta prudentia cibum cuique necessarium præscribat . Ajebat Augustinus (lib.50. Homil. Hom.38. cap.6. Tomo 10.) quòd *Medicamentum famis cibus est*; ergo *Recipe* cibum ut medicinam ; aliter excessus te reddet infirmum ; morbum famis ità repellas, ne morbos plures inducas.

Cur effictum à Poesi , quòd *Circes* in suis conviviis homines convertens *in porcos* , nequiverit in porcum convertere *Ulyssem* ? ad innuendum, quòd si nomine *Ulyssis* intelligitur *vir prudens* , hunc convivia non convertunt in porcum, quià parcè,& sobriè edit, & bibit; *quantum* nempè (& non ultrà) sit fami medicina . Additur, quòd convivia Circis Ulyssem non converterunt in porcum, quia ille obtemperavit Mercurii consilio; ad innuendum , quòd si nomine Mercurii intelligitur vis intellectus discretiva , tunc convivæ non convertuntur in porcos , quando manducant , ut intellectus pro viribus, & complexione , & necessitate discernit, rectaque ratio dictat. Hæc dictat subveniendum necessitati , non serviendum voluptati . Corpus est lampas, vita est lux,oleum est cibus; tantum oleum infundas,quantum lampadem servet accensam , non quantum præ nimietate lucem suffocet , lampademque extinguat . Ignis ille , quem Virgines *Vestales* custodiebant, ne extingueretur , erat symbolum ignis nostræ vitæ , quem oportet custodiri , & oleo nutrimenti fulcire , ne extinguatur ; at sicut lampadem extinguit supernatans abundantia olei , ità vitam enecat nimia copia cibi . *Cerberum canem* aperto ore,& hiante , effinxit Poesis ; nomine Cerberi ore hiante intellexit *nostrum corpus* inhians cibum , & ore hiante avidè petens ; at dandum illi solùm quod reficiat, non quod officiat; ideo Virgilius fingit Sibyllam , quæ Æneæ mentem ad magnarum rerum contemplationem convertere volebat, monentem , quòd Cerbero cani daret melle soporatam , & odoratis frugibus ossam.

Oportebat , & instabat , Æneam magna contemplari , & considerare gravia negotia; canis Cerberus corpus latrando pro cibo,& inhians perturbat contemplationem ; ergo effingitur Sibylla monens Æneam , contemplaturum graviſſimi negotia ponderis , det cani Cerbero (nempe corpori inhianti , latranti pro cibo , & hìnc perturbanti mentem) *melle soporatam, & odoratam frugibus ossam* , statimque illo relicto transeat ; innuens , corpori, ne mentis contemplationem perturbet fames, dandum esse, quod sufficiat ; quo facto , relinquatur canis , transeat mens ad contemplationem; detur cani Cerbero corpori, quod necessitati satisfaciat , non quod prorsùs indulgeat , nam sicut fames per *defectum* necessarii præsidii corporis mentem perturbat , ita alimenti nimia ubertas , *per excessum* , contemplationi obstat .

QVOD

QVOD GENVS CIBI MANDVCANDVM ? nos accomodare bonis, & virtuosis, *cum quibus vivimus, præscribit SPIRITUALIS MEDICVS AVGVSTINVS; plura ad rem* aurea *idem S.Pater instruit. Vbi quid HIERONYMVS dicat.*

S P. Augustinus (*de Doct. Christiana*) admonet sic : *Quisquis rebus prætereuntibus restrictiùs utitur, quàm se habent mores eorum, cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos vivit, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est; in omnibus enim talibus non usus eorum, sed libido in culpâ est. Quid igitur & locis, & temporibus, & personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim non potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum olus ardescat. Item ubi suprà* (lib.99. Evang.) *addit Augustinus: Non usus, sed concupiscentia reprehendenda est; non enim interest omninò, quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati, dummodo congruat in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum est.* Hæc Pater Augustus.

Qui (& lib.de verbis Domini, & habetur Dist. 41.) addit : *Non cogantur divites pauperum cibis vesci; utantur consuetudine infirmitatis suæ; sed doleant, non posse aliter se sustentare. Si consuetudinem mutant, ægrotant.*

Ecce; S.P.Augustinus non determinat *genera ciborum*, sed monet nos accomodare *bonis*, & *virtuosis*, cum quibus vivimus, & *locis*, *temporibus*, & *personis*, & *necessitati* infirmitatis nostræ; nec cogit divites, vesci cibis rusticis, & abjectis pauperum, quia delicata complexio, & consuetudo illorum, nobilius, & delicatius alimentum, *ex necessitate*, postulant. Non enim statim in delicatis, & nobilioribus cibis est *gula*, si sit eos comedendi *necessitas*, & exulet immoderata *voluptas.*

Et quòd non sit vitium in solis *cibis delicatis*, & *pretiosis*, avidè comestis, sed etiam in rusticis, explicat idem medicus spiritualis Augustinus lib.16. de Civitate Dei, capite 38. sic : *Duo igitur Isaac filii ESAV, & JACOB pariter crescunt. Primatus majoris transfunditur in minorem ex pacto, & placito inter illos; eò quod lenticulam, quem cibum minor paraverat, major immoderatiùs concupivit; eoque pretio primogenita sua fratri juratione interpositâ vendidit. Vbi discimus* (infert Augustinus) *in vescendo, non cibi genere, sed aviditate immodestâ quenquam culpandum.* Hæc Pater ibi.

Et quidem potest esse vitium *gulæ* in *rustico* comedente *fabas*, & non in *nobili*, & *delicato*, vel *ægroto* comedente *pretiosas aves*, dum modo isti succurrant *necessitati*, illè autem satiet *avidam* cupiditatem. *Nobiliorum* mensa nobiliores cibos *pro honestâ decentia personarum*, & *status*, & *delicatiore complexione*, flagitat; solus coercendus comedendi amor. Hùc S.Pater Augustus lib.4 contrà Julianum Pelagianum cap.14 Tomo 7. scribit : *Alimentorum sustentaculis indigemus. Si suavia non sint, quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & perniciosa sunt cavenda fastidia. Non solùm ergo cibo, sed cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cum ergo natura quodammodo poscit supplementa, quæ desunt, non vocatur libido, sed fames, aut sitis. Cum verò suppletâ necessitate, amor edendi*

di animum suscitat, jàm libido, jàm malum est, cui cedendum non est, sed re-sistendum. Hæc duo scilicet famem, & edendi amorem etiam poeta (Virgilius 8. Æneid.) *discrevit, qui post maris jactationem, sociis Æneæ naufragis, & peregrinis, satis esse judicans, tantum sumere alimentorum, quantum refectionis indigentia postularet, ait:*

Posquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Cum verò Æneas ipse ab Evandro rege susceptus est hospes, decentiùs arbitratus, ampliores exhiberi epulas regias, quàm necessitas poscceret, non satis fuit, ut diceret,

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ, sed addidit,
Et AMOR compressus edendi.

Quantò magis (infert Augustinus) *nos discernere, ac nosse debemus, quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, quorum negotium est, contrà concupiscentem carnem spiritum concupiscere, & condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem; ejusque delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare. Nam iste AMOR edendi, non edendo, sed continendo est comprimendus.* Hæc S. Pater; in quibus & explicat attinentia ad temperantiam in cibis, & non reprobat *ampliores epulas* (ex decentiâ) in mensis Regum, & nobilium juxtà decentiam nobilioris status, & exigentiam delicatioris complexionis, solùm admonet coercitum AMOREM *immoderatum* edendi.

D. Hieronymus (*contra Jovinianum*) explicat, quæ genera ciborum edenda: *Nec tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comestos, magno paratos, & præditos labore. Olerum, ac pomorum, ac leguminum facilior apparatus est, & arte, impendiisque coquorum non indiget; & sine curâ sustentat humanum genus moderatè sumptus; quia nec avidè devoratur, quod irritamenta gulæ non habet, & leviore digestione decoquitur.* Hæc Hieronymus; at ipse Sanctus Doctor intelligitur, si relata *indigentiæ* sufficiant; item intellige, quòd in hoc petat ducem *finem honestum*; non enim prædicat hæc, ut tu manduces *olera*, & *legumina*, & *poma*, solâ causâ fugiendi *curas*, & *dependentiam* à coquis, & *laborem*, hoc enim esset vacare ut *ultimò* fini *otio*, more Epicuri, qui & sic (causâ *otiandi*, & laborem fugiendi) dicebat, ut contrà ipsum à pag. 505. usque ad pag. 511. explicatum. Hieronymus (ut supra) suadet ex *fine honesto*, reprimendi *concupiscentiam*, subjiciendi sensum rectæ rationi, vacandi expeditiùs rerum divinarum contemplationi; aliter etiam camelus modicè, & parcè edit, & tamen non est moraliter laudabilis, quia *fine honesto* caret; imò, quia irrationalis est, talis finis incapax.

Aureè S.P. Aurelius Augustinus (lib. 2. *De moribus Manichæorum*, cap. 13. Tomo 1.) finem honestum contrà Manichæos explicat, quos increpat dicens: *Fortè quià non vescimini carnibus, & vinum non bibitis, signaculum oris mirandum, & laudandum putatis. Quod quæro à vobis, quo FINE faciatis. FINIS enim, quò referuntur ea, quæ facimus, scilicet propter quem facimus, quicquid facimus, si non solùm inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demùm etiam facta nostra aliquà laude digna sunt; sin ille (nempe FINIS) meritòque culpatur, quem expectamus, & intuemur, cum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitaverit. De Catilinâ memoriæ proditum est, quòd frigus, sitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi spurco, sacrilego quæ, etiam cum Apostolis nostris communia. Vnde ergo discenitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi FINE ILLO, quem perniciosissimè sequebatur? Namque ille ista tolerabat, ut immoderatissimas, & immanissimas expleret*

cupi-

cupiditates. Illi (nempe Apostoli nostri) è contrà, ut eas premerent, & dominanti rationi servire cogerent. Soletis, & vos, cum Catholicarum vobis Virginum multitudo prædicatur, dicere, Etiam mula virgo est. Temerè id quidem propter imperitiam (vestram) Catholicæ disciplinæ; sed tamen significantes vanam esse continentiam, nisi ad aliquem rectissimum FINEM certâ ratione referatur. Possunt & Catholici Christiani vestram à VINO, & CARNIBVS abstinentiam jumentis, & multis passeribus, postremò etiàm innumerabilibus gregibus vermium comparare; sed ne in vestram incidam temeritatem, non id præproperè faciam; sed discutiam primò, quo id FINE faciatis. Si ergo parsimoniæ gratiâ, & coercendæ libidinis, qua escis talibus, & potu delectamur, & capimur, audio, & probo; sed non ità est, &c. Hæc Augustinus, in quibus approbat ea à D. Hieronymo dictata genera ciborum *olera*, *legumina*, *poma*, at intellige, si *sufficiant* indigentiæ, sine *aviditate*, & *fine honesto*, ut etiam ipse Hieronymus vult: non autem solo fine (more Epicuri) *relegandi* curas, & laborem in præparatione cibi, vacandi OTIO, & vitandi *dependentiam à coquis.*

Item vescentem *modicè* carne, & *modicè* utentem vino præponit *avidè*, & *lautè*, & *studiosè* vescenti frugibus; ibidem discernens inter *indigentiam*, & *delicatam abstinentiam*, arguens contrà Manichæos addit: *Quæro à vobis*, si QUIS existat (quod fieri potest) ità homo parcus, & frugi, ut appetitum *ventris*, & *gutturis* moderans, non epuletur bis per unum diem, & huic cœnanti *oluscula* cum *exiguo lardo* apponantur, eodem lardo *uncta*, atque condita, *quantum comprimendæ fami* sat est, sitimque irriget propter diligentiam (sive dicas propter indigentiam) valetudinis *duabus*, aut *tribus* vini meracis *potionibus*, isque illi *victus* sit *quotidianus*; ALIUS verò ex aliâ parte *nihil* gustans *carnium*, nihil *vini*, exquisitas, & peregrinas *fruges* multis *ferculis* variatas, & *largo pipere* aspersas, *nonâ horâ* libenter assumat, *noctis etiam principio* talia *cœnaturus*; bibat autem *mulsum*, *carænum* passum, & nonnullorum pomorum *expressos succos*, vini speciem *satis imitantes*, atque id etiàm suavitate vincentes, & bibat, *non* quantum *sitit*, sed quantum *libet*, idque *sibi* exhibendi curet *quotidie*, talique victu, deliciisque *perfruatur* nullâ *necessitate*, magnâ *voluptate*: boletos, orizam tubera, pacentas, carœnum, piper, laser, distento ventre cum gratulatione ructet, & quotidie talia requirat, quem tandem *horum duorum* (quod ad cisiandum, potandumque attinet) *abstinentiùs* vitam ducere, *judicatis*? Non opinor, vos usque adeò esse cœcos *quin* illum *de parco lardo*, & *vino*, huic gurgiti *præferatis*. Hæc almus noster parens ibi: Ex quibus patet, ex *abstinentia* à talibus, vel talibus *generibus* ciborum, & potus, & ex abstinentia à *carnibus*, & *vini*, non statim inferri virtutem *abstinentiæ*, imò posse esse *gulam* cum abstinentia à carnibus, & vino, si sit *ingluvies*, vel *delicatus* avidus, & studiosus apparatus *frugum*, & quòd hæc *delicata abstinentia* ab omni carne, & vino, potest etiam esse cum *gula*; comestio autem *modica* carnis, & potio *modica* vini (*ex indigentia*) possit esse *abstinentiæ virtus*, sive virtus *temperantia* dicta.

Quilibet ergo uti potest eo *genere* cibi, & potus, quod *necessitati* congruat, & complexioni, *juxtà rectam rationem*; Deus enim propter hominem creavit alimenta; usus sit, abusus reprehenditur. Si *infirmitati tuæ*, *complexioni*, & *necessitati* sufficiant *olera*, *legumina*, *poma*, *panis*, & *aqua*, ut egregiùs concupiscentias austeritate retundas, erit *vita perfectior*; at *non cogeris*, nec est *præceptum* abstinendi ab aliquo genere cibi, sed solùm est *mandatum*, à cupiditate immodicâ, & à voluptuosâ aviditate abstinendi. Reflecte, quanta discretione (suprà) rem explicuerit AUGUSTINUS.

Qui

Qui (*in regula*) humaniſſimè, & diſcretiſſimè diſponit: *Carnem veſtram domate jejuniis, & abſtinentiâ, quantùm valetudo permittit. Qui infirmi ſunt ex priſtinâ conſuetudine, ſi aliter (nempe delicatiùs) tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec injuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quià ſumunt, quod non ſumunt ipſi; ſed ſibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorumve datur, quod aliis fortioribus, & ideò felicioribus non datur, cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſuâ ſæculari vitâ illi ad iſtam (monaſticam) deſcenderint, quamvis uſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire non potuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident ampliùs (non quia honorantur, ſed quià tolerantur) accipere; ne contingat deteſtanda perverſitas, ut in monaſterio, ubi (quantum poſſunt) fiunt divites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſsè habent minùs accipere, ne graventur, ità & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citiùs recreentur, etiamſi de humillima ſæculi paupertate venerint; tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior conſuetudo. Sed cum vires priſtinas reparaverint, reddeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minus indigent. Nec cibi eos teneat voluptas jàm vegetatos, quos neceſſitas levarat infirmos, &c.* Hæc S. Pater Auguſtinus.

In quibus *genera* ciborum etiam *delicatorum* (quando *recta ratio* dictat) indulget; nec religioſis (licèt ad auſteriorem vitam adjunctis) negat, quando petit infirmitas; ubique inculcat, reſiſtendum *immodicæ voluptati*; quare lib. 4. *contrà Julianum* cap. 12. Tomo 7. explicat ex Tullio de Rep. *Deum* imperare homini, *animum* debere imperare corpori, *rationem* libidini, iracundiæ, & cœteris vitioſis ejusdem animi partibus. Addit *Tullium* dicentem, *ut animus* corpori dicitur imperare, dicitur etiam animi portio, *ſuperior* imperare (ut reliquis paſſionibus vitioſis) *libidini*, ſed *corpori* ut REX *civibus ſuis*, aut parens liberis; libidini autem ut *ſervis* DOMINUS, qui *eam coercet, & frangit.* Sic regum, ſic imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia civibus, ſociiſque præſunt, ut *corporibus animus*. DOMINI autem ſervos ſuos ità fatigant, ut optima pars animi, ſcilicèt *ſapientia* (ſive *recta ratio*) vitioſas ejuſdem animi, imbecillas que partes, ut libidinès, ut iracundias, ut perturbationes cœteras, nempè fatigat, ſubjectat, rebelles retundit, & frangit.

MEDICINA MORALIS moderans AMOREM immodicum voluptatum GUSTUS in VINO eſt, conſiderare DAMNA ex nimietate VINI fluentia. Primò *ex literis ſacris.* Secundò *ex Philoſophiâ MORALI SYMBOLICA, & EMBLEMATICA per PANTHERAM, CANDELAM, SANGVISVGAM, NAVIM, TAVRVM PERILLI.* Tertiò *ex Philoſophiâ MORALI ÆNIGMATICA* hieroglyphicâ *per BACCHVM.*

IN Proverbiis ſacris cap. 23. v. 31. hæc eſt exhortatio: *Ne intuearis VINVM, quod flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut COLVBER, ſicut REGVLVS VENENA diffundet.* Ergò blandè, & delectabiliter vinum allicit guſtum,

sed tandem venena, & damna explicat; mordet ut coluber insidians, inficit ut regulus.

Damna ex *vino* innuit Philosophia moralis *symbolica* per *pantheram*, quæ (ut dictum pag. 25. in fine, & pag. 26. in principio) appetit vinum, & astutè cum vino à venatoribus capitur, & occiditur; unde amor *vini* ipsi est captura, mors, ruina; fit *Emblema*, cum pantheræ figuratæ additur lemma, *capitur potovino*.

Ebrium si dicas *candelam*, quam nimia copia olei extinguit, si dicas *navim*, quam onus nimium mergit, si dicas *sanguisugam*, quæ nimis sugendo sanguinem, nimio suctu crepat, discerpitur, attigisti *symbola ebrii*. Nam ebrium (& ebrii mentis lucem) *copia vini* extinguit, *onus vini* mergit; ebrius (*nimis sugendo vinum*) crepat, discerpitur; ita ut *ebrio* ad ludibrium detur *lemma*, quod candelæ extinctæ nimietate olei, *inopem me copia fecit*, & datum navi, *nimio gravamine mergar*, & datum sanguisugæ, nimis sugenti, *suctu nimio discerpor*; quæ cum relatis inscriptionibus sunt & *Emblemata*, cum quibus significatur *ebrius*; quem & dicas æneum *taurum* Perilli, in cujus ventre, admoto igne, includebatur homo, ut cremaretur, cui ideo epigraphe, *venter, non cornu timendum*, sic venter ebrii.

At & per BACCHVM satis hieroglyphicè sunt significati varii vini effectus, detrimentaque ex vino. Juxtà diversos vini effectus diversæ fuerunt Bacchi effigies.

Cur Bacchus aliquando vestitus *fœmineo* habitu? sic figuratum cerneres à Filostrato in tabulà Ariadnæ, habitu fœmineo, veste longà, & grandi; cur sic? ad innuendum, quòd si nomine Bacchi intelligitur vinum, muliebres, molles, debiles, *luxuriosos* reddit copia vini. Quodque membri virilis turpis imago in festis, & ceremoniis Bacchanalibus portaretur ab obscœnis priscis, ad innuendum luxuriosos effectus vini conspirat. Priapumque figuratum infantem crassum, deformem, & cum monstruosè magno membro virili dixerunt filium Bacchi, ut indicarent tales turpes, deformes, & vitandos effectus, quos ut filios generat vinum; Priapum autem ideò dixerunt Bacchi, & Veneris filium; at turpis impeditur generatio filii, cum turpis castratur pater; tunc castratur vinum, quando modicè bibis, vel aquam misces, vires enim ipsius debilitas.

Cur Bacchus figuratus jam *puer*, jam *juvenis imberbis*? ut indicaretur vinum reddere homines (etiam viros, & senes) pueriles, & moribus juvenes, nimis lœtos, saltantes, canentes, garrulos, aliaque levia exercentes. Est *copia vini* maturæ prudentiæ hostis, sobrietatis antipoda, magnes cantus obscœni, turpis, illiciti; est mater scurrilitatis; est levitatis, & loquacitatis parens. Videt Anacharsis Scytha in convivio quosdam crispatà voce canentes, cum sibilo modulantes; interrogatus, an similes cantores essent in Scythia? respondit, *In Scythiâ non sunt vites*; innuit, similes levitates esse vini filias. Huc tritum carmen:

Vinum facit, vetulas leviter salire,
Et ditescit pauperem, claudum facit ire,
Mutis dat eloquium, surdisque audire.

Vetula salit cum vino, pauper saltat quasi sit dives, claudus currit, mutus redditur suo more loquax, surdus audit, cum cella vinaria aperitur. O portentosa miracula vini! loquebar *ironicè*. Et cur *tigrides*, & *Panthera* effinguntur vehentes currum Bacchi? inter alia, ut indicetur, vinum *saltantes* reddere, sicut & hæ feræ immodicas saltationes exercent.

Cur ex avibus Baccho dicata *pica*? quia symbolum garrulæ loquacitatis

tatis est ; innuebant garrulam loquacitatem esse sociam vino . Hinc Bacchus dictus etiam *Pater* LIBER , quia vinum generat *liberos* , & licentiosos , *liberè* loquaces , & agentes sine moderamine discretionis. Hùc pulsat Servius in Virgilium, narrans, quòd in *Civitatibus liberis* erat positum ut insigne *libertatis* simulacrum *Marsiæ* , qui dicebatur unus ex Satyris *Bacchi* ministris .

Copia vini *feritatem* parit ; & cur cornua appicta Baccho, cur figuratur cornutus , nisi ad innuendum , quòd si cornua sunt *ferocitatis* symbola, vinum immodicum *feros* homines generat ? imò & Bacchus dictus est *taurus*, quia si taurus est impulsus feri , præcipitis, irruentis , temeri , & superbi symbolum, vinum immodicum ebrios , & hìnc feros, præcipites , irruentes , temeros,& superbos reddit; hinc Elienses fœminæ rogabant Bacchum, ad eas veniret *bovino pede* , id est, lentè, non *tauri* more irruendo *ferè* . Tigris , & Panthera animalia fera fuerunt dicata Baccho ; cur ? ut indicetur, quod immodicum vinum homines feros facit .

Statua Bacchi figurara *jam* læta, & delicata, imberbis, & placida, *jam* sub specie hominis terrifici , feri, barbà prolixà, innuebat, quòd modicum vini placidos , & lætos reddit ; at excessus horridos generat , incultos, sylvestres , & squallidos . *Thirsus* , qui erat *hasta* cuspide ferreà acutà data Baccho ut *insigne* , significabat , quòd si hasta ferreà cuspide acutà est instrumentum ad nocendum , occidendum , & pugnandum , immodicum vinum expedit nocere , occidere, pugnare , rixari, cruentos efficit; ebrius est pronus ad rixas , præceps ad arma . Hinc *Thirsus* , qui erat *hasta* , data ut insigne Baccho , erat illaqueata , & præcincta ex hederà , ut indicaretur, quòd si hedera ligat, & illaqueat cum suis nodis materiam,cui hæret, hasta (sicut ensis , gladius , baculus) non nisi ligata , & illaqueata permittatur ebrio .

Posset & addi, quòd (Plutarcho dicente) *hederæ* est vis occulta , qua mentem immutat, & ex sobrietate retrahit,insaniam furiosam causat, & tali furore replet , ac si biberetur immodicè vinum ; indicat ergò hedera dicata Baccho , quòd vinum mentem perturbat , insaniam, & furorem inducit ; quare corona Bacchi ex hederà insaniam furiosam , quam vinum in capite causat , innuit ; at *hasta* Bacchi illaqueatà *hederà* etiam indicat , lanceam in manu ebrii esse lanceam in manu insani , impellitur à furore ; sunt simul lancea, & furor, hasta & insania.Bacchus, idest vinum tenet lanceam, & furorem ; ergo ab ebrio (maxime cum instrumento nocendi in manu) caveas . Cur item *panthera* dicata Baccho ? mitto , quòd est avidissima vini ; addo quòd est animal calidissimum , & *luxuriosum* ; est dicata Baccho supponenti pro *vino*, ut indicetur, *luxuriam* esse sociam *vino* . Sed cur Bacho data corona ex *hederà* ? hæc Græcè dicitur *Cisso* , latinè *tradi libidini*; ergo corona ex hederà data Baccho , ut indicetur , *libidini se tradere* , qui se tradit *vino* ; ità de petulante libidine efferœnis ebrius gloriatur, ut turpes actiones sibi coronam esse delirus existimet; quare Proverbium vetus, *Nihil potest sine Baccho Venus* . *Panthera* item , & *tigris* effinguntur vehentia *currum Bacchi*, ad innuendum , quòd si sunt symbola *luxuriæ*, *iræ*, & *feritatis* , luxuriæ amor incitat libidinosos , ut bibant immodicè vinum , quo luxuria incitatur , & acquirit vires ; item stulti rixaturi , & pugnaturi, copià vini se armant , ut accendatur , & flagret ira , & sic ferociùs, intrepidè , & temerè excœcati irruant; quod & ego flevi Salmanticæ (tunc illìc regens) factum à cujusdam nationis juventute temerà pro VIVAT , & VICTRIX , quæ clamabat pro suà natione, obstante alterius nationis studiosà juventute ; se provocarunt ad arma; illa autem ut temerè se incitaret ad

cœcum, & cruentum furorem, vino generoso albo poto, mixto tormentario pulvere, se præparavit ad pugnam. Causa æmulationis fuit, quòd concurrerunt fortuitò in eadem calle, unà, & alterâ natione, qualibet pro suâ proclamante VIVAT, VINCAT; ut transiret prior, nulla voluit cedere alteri. Dicuntur Salmaticæ Hispanicè Los VITORES de las NACIONES.

Scio, quòd etiam *hedera* est data Baccho, ad significandum, quòd sicut hedera fugit substantiam arboris, vel muri, quibus hæret, sic vinosus fugit vinum; at etiàm indicat quòd sicut hedera debilitat arborem, quam fugit, sic etiam vinum debilitat, & enervat ebrium, exsiccat; ideoque Bacchus etiam est figuratus *caluus*, ut indicetur, quòd vinum immodicum *calvos* reddit, calvitiem accelerat, quia humiditatem cerebri nimio calore exsiccat. Item *Bacchus* figuratus est etiam *senex*, ut indicetur, quòd vinum modicum prudentiam, cujus senectus est symbolum, acuit; at immodicum vinum senectutem accelerat, quia nimio calore humidum radicale exsiccat. Item *hedera* est dicata Baccho, ad innuendum, quòd sicut *hedera* naturaliter *hærere* exigit, & ideò *hædera* ab *hærendo* dicta, sic ebrius naturaliter quærit murum, vel arborem, vel postem, quibus hæreat, pro quo tentans extendit brachia, & manus, quia vino gravatus in se, & per se stare nequit; rotat enim vertigine ebrii caput, ideoque *currus* datus Baccho, quia interiùs rotat in gyrum caput ebrii. Item *hedera* ex unà parte *viridis*, alia est ex parte *pallida*, quare dicata Baccho innuit detrimenta, quæ animo, & corpori copia immodica vini infert; animum enim *viridi*, & acerbà, & immaturà intelligentià afficit; facies ebrii *pallescit*, quia vini copia corporis humores vitiat, morbos generat, salutem infirmat, & hinc *pallor*, qui est infirmorum color. Item *hedera* ex unà parte *viridis*, ex alia parte colore *pallida* est data ut corona *Baccho*; ad innuendum, quòd *modicum* vinum dat virorem sanitatis, roborat caput; at vinum *immodicum* pallorem infirmitatis causat, & capitis debilitationem.

In his sibi nocet ebrius; caveas tu *à Baccho cum lanceà illaqueatà hederà*; tunc enim sunt simul cum ebrio *vinum*, *furor*, & *lancea*; ebriusque ad arma capienda arripitur cum furore, & insaniâ, & hûc Athenæus:

Insanire facit sanos quoque copia vini.

Frater noster Ambrosius Calepino (verbo *Bacchus*) consonat dicens: *Bacchæ* dictæ sunt mulieres, quæ Bacchum (idest, vinum avidè bibendo) *insanientes*, & immodestè segerentes in Indiâ, sunt secutæ, & ab his *Bacchis* dictus *Bacchus*, ut Diodoro placet; sive ut Eustachio videtur, dictus *Bacchus* à verbo Græco, latinè *à vociferando*, *& ululando*; facit enim *vinum* immodestos, feroces, vociferantes, ululantes cum vomitu, hinc *Bacchari* (inquit Calepinus) est *amentem fieri*; propriè erat Baccharum fœminarum, quæ magnis clamoribus *Bacchi*, sive *Liberi* Orgia celebrant. Item *Bacchari* est *furere*, *insanire*, quia vinum immodicum reddit furentes, & insanos. Aptè Menander: *Immodicum merum nos parum sapere cogit*. Cleomenem Spartanorum Regem apud Scythas vino versum in insaniam memorat Laertius,

Huc S. P. Augustinus lib. 6 de Civitate Dei cap. 9. *Bacchanalia* summâ celebrantur insaniâ; ubi Varro ipse confitetur, *à Bacchantibus* talia fieri non potuisse; *nisi mente commotâ*. Addunt (ait loquens de gentilibus) mulieres attributas *Libero*, sive *Baccho*, nempe *vino*, propter libidinem concitandam. Festa Bacchi fiebant cum furore, insaniâ, turpitudine, in quibus viri per noctem fœminis, & ætati teneræ turpiter miscebantur, ut narrat Calepinus, & contra hæc horrida festa tonat S. P. Augustinus lib. 6. *de*

Ci-

Civitate Dei, cap.9. Tomo 5.& Tomo 2.epist.44.& lib.18. de Civit.cap.13. Bacchus (addit noster Calepinus) appellatur *Liber*, vel quia vinum curas solvat, & ab ipsis *liberet*, vel quia vino usi loquantur (ut dictum suprà) *liberè*, fiunt enim plerique ebrietate petulantiores; vel ut vult Varro, *Bacchus* dictus *Liber* à *labendo*, eò quòd lubrica mens ebrii, quò lubet, prolabatur. Bacchum item dictum ajunt *Liberum* à *liberamento*, eò quòd mares in coeundo per vim vini, libidinem excitantis, ab emissis seminibus *liberentur*; & hoc idem *Liberam*, quam esse *Venerem* putant, agere in fœminis, quòd & ipsas perhibeant semina emittere; ob hoc viri *Libero* virilem corporis partem, fœminæ fœmineam pudendam *Liberæ* in templo dicabant. O effectus turpes immodici vini! O infelix copia fandi!

Baccho, quondam mos erat, vivos sacrificare homines; O cruenta immodici vini tyrannis! ebrius vino sacrificat vivos, dum hos ebria occidit insania.

Nomina *Bacchi* relatos horridos vini effectus innuunt; dictus enim (ut suprà memoratum) *Bacchus* ab *incondito ululatu*; dictus est *Jaccus*, id est, *vociferator*; dictus est *Lyæus*, quia *curas necessarias solvit*; dictus est *Liber* propter superius dicta; dictus est *Bromius*, id est, *strepens*; Bacchusque est effigiatus cum *tympano*, instrumento obstrepero, & (asserente Suida) Indi (tubæ vice) flagella quatiebant, habebant & *tympana*, horribilem quemdam bombum edentia, obscurum, & inconditum sonum, mugitui similem; tintinnabula ex orichalco inserebant, os vasis corio taurino obtegebant; hìnc tympanum datum Baccho effectus nimii vini hieroglyphicè ostendit; ebrius enim strepit in domo, & in foro, ululat, mugit, cum crepat, & dolet, & evomit; quasi tintinnabula sonant intùs in capite ejus, inconditos edit sonos, & horridas voces; ut taurus redditur ferox. Baculo tundebatur *tympanum*, & baculo, ut corrigatur, tundendus est *ebrius*.

Bacchus item dictus est *Temetus*, id est, *attentans corpus, & mentem*. Dictus est *Dyctirambus*, quia *secreta aperit*; vinum est clavis, quæ omnia aperit secreta; ebrius cuncta occulta propalat, ideò Proverbium *Veritas in vino*; arcana demens detegit ebrietas, & huc Horatius:

Quid non ebrietas designat? operta recludit;
Fœcundi calices, quem non fecere disertum?

Plato *in legibus* nullum tormentum ad veritatis examen putat efficacius vino; & cur *Bacchus* etiam effigiatus *calvus*, nisi ut indicaretur, quòd vinum secreta mentis aperit, nuda ostendit, sine aliquo capillo occultante? cur etiam *Bacchus* figuratus *nudus*, nisi ut indicaretur, quòd ebrius nihil obtegit, cui nec velum cautionis, nec prudentiæ pallium? Cur *Baccho* datum *tympanum* instrumentum *obstreperum*? ad indicandum, quòd vinum obstreperos non solùm reddit, sed *ebrius* quasi sonat tympanum, ut omnes congregentur, & audiant, quæ revelat, & ut preco divulgat, & vociferat secreta. Bacchus dicitur *igneus*; idem robur vino, & igni concessum; ignis accendit, vinum inflammat, ideòque Bacchus etiam est figuratus rubeus, & colore accenso; ignis est elementum violentum, & violentus est ebrius; ignis exsiccat, comburit, occidit, redigit in cineres, sic vinum immodicum; ignis occultus sub terrà, quando compressus, erumpit, castella, & promontoria cum magnà ruinà elevat, & interiora terræ, quæ erant occulta, manifestat, sic vinum immodicum non sine ruinis occulta aperit secreta; hùc Virgilius:

Multos cœcus amor *cogit secreta fateri*,
Arcanum demens detegit ebrietas.

Argutè Plato, ad explorandum adolescentium ingenia, convivia non-

nonnunquam parabat, ut inter pocula ab intimis se expectorarent præcordiis, ut potè qui nihil tùnc simularent, propalarentque cupiditates suas, studia animi, & interiora omnia; & Politica solet esse Principum,& ducum, parare convivia, ut vini æstu pateant secreta subditorum consilia. Plato ipse, ubi *secundò de legum ferendarum ratione* differit, optimum futurum existimat, si Chartaginensium more miles in castris nunquam *vinum* gustet, sed toto expeditionis tempore *aquam* biberit; *servis* nunquam concedatur Magistratus, quandiù munere funguntur; abstemii sint *Judices*, & *Præsides* eo tempore, quo negotia causarum pertractant, *vinum* non attingant. Hæc Plato.

Et quidem quorsùm illud Emblema, in quo figurantur *oliva*, & *vitis*, ista ramos proprios, ut propria brachia, ramis, sive brachiis *oliuæ* implicans, *oliva* autem repugnans consortia, & amplexus *vitis*, effingitur? ad innuendum, quòd si nomine *Mineruæ* cujus insigne *oliua*, & cui ex arboribus est *oliua* dicata, intelliguntur *virtus*, *prudentia*, *sapientia*, *scientia*, *ingenium*, *consilium*, *doctrina*, *virginitas*, *justitia*, & nomine *vitis* intelligitur *vinum*, hoc nimiũ inimicum est illis, ideò illis exosum est vinũ, cujus nimietas *virtutem* mergit, *prudentiam* occidit *sapientiam* impedit, *scientiam*, & *doctrinam*, & ingenium negat, *consilio* obstat, *virginitatem* corrumpit, & *justitiam* destruit. Ergo Judices, Magistratus, præsides, virtuosi, prudentes, consiliarii, studiosi, professores literarum, doctores, vos omnes, quibus est chara virtus, chara castitas, charus & honor, abstinete à *vino* nimio; est ignis virtuosa cuncta vorans; ideo *olivæ* repugnanti amplexus *vitis*, datum hoc harmonicum lemma, ac si dicat *oliva* ramis *vitis*:

Quid me vexatis rami? fum Palladis *arbor*;
Auferte hìnc botros; *virgo fugit* Bromium.

Bromius (dictum suprà) idem ac *Bacchus*, ideòque idem, ac *vinum*. Cur *Bacchus* dictus est etiam *Dionysius*? dicitur ità Dorico nomine, quod latinè *pennatum* significat. Cur Bacchus dictus *pennatus*? quia Bacchus supponit pro *vino*, at *vinum* dicitur *pennatum*, quasi habeat alas, quibus attolit corpus, & modò hùc, modò illùc volitare facit; si sit *modicum*, mentem acuit, attolit, quasi alas præstat, ut intelligentia ascendat, volet sublimis, ut alta Scrutetur; at si sit *excessus*, mentem attolit, ut volatu, more Icari, ruat in præceps, & ipsi corpori alas præstat, ut ad ruinam, & casum volet velocitèr. Ergo abstinete ab immodico vino *omnes*, maximè *judices*, *prælati*, *studiosi*, *doctores*.

Videte, quòd *vinum* immodicum *contemptibiles* reddit. Apud *Naxios* simulacra *Bacchi* scies fieri solita non solùm ex *vite*, sed ex *ficu*? cur sic? quia utriusque inventorem putarunt Bacchum; at & pro documento *morali* additur, quòd *ficus* secata est materia idonea pauciſſimis fabricis, & exiguis; secata ficus est inutile lignum, minimi pretii, & usus, de quo meritò faber ambigeret, si faceret scamnum, an simulacrum pudendum, ideò apud veteres truncus fici fuit hieroglyphicum hominis nullius frugis, imbecilli, & abjecti, contemptibilis rei; & quantùm ad opera facta ex *ficu* pertinet, Græci *ficulnum* pro imbecillo, & *contemnendo* ponunt; & hùc Horatius:

Olìm truncus eram ficulnus, inutile lignum.

At & truncus vitis secatus fabricæ inutilis est, sarmentaque secata nulli fabricæ idonea, *contemptibilia* sunt, & igni tantùm idonea; ergo simulacra *Bacchi* fuere secatis facta ex *vite*, & trunco *ficulneo*, ut indicaretur, immodicum vinum *abjectos*, *imbecillos*, *inutiles*, & *contemptibiles* gignere; homines nullius valoris, & nullius honoris, & pretii reddere.

O quàm

O quàm infame,& abominabile *ebrietatis* vitium! Subvertit naturam, est corporum aconitum, toxicum animorum, & lues; est gladius decollator ingenii, nervos debilitat, frangit vigorem, solem rationis obscurat, densà caligine obducit, succum juventutis exhaurit, perimit formam, vultus Gratiarum reddit larvis, & diabolicis spectris similes; *hìnc* manuum tremor, *hìnc* titubatio crurum, *hìnc* vertigo cerebri, *hìnc* grave olentis halitus matutina pestifera mephitis, afflatio, & spiratio tetri, diri, & fœtidi odoris; non sic fumat clibanus, aut furnus ardens, ut stomachus ebrii; patentis sepulchri os libentiùs sustineas, quàm cloacam gutturis ebrii feras; sulphur, & naphtham inter roncos effiat; *hìnc* oculorum tumor, & lippitudo; oculi *hìnc* torvi, obliqui, lascivi, igniti, minaces, & eorum orbes madentes redduntur putredinem lachrymantes vites; geminum frontis sidus, geminæ ore faces obturantur, & extinguntur lachrymarum vitis undis; *hìnc* rugæ asperæ, informes, tristes frontis sulci; rugæ frontem, gennas, os, cutem, vultum fœdant, notant, findunt, arant, crispant, laxant, sulcant; *hìnc* pustulæ, & furfures; *hìnc* nasi marcidi pyropi, gennæ pendulæ, scabies membrorum, caries, & contractio; *hìnc* malè consistens, & vacillans pes; *hìnc* titubans lingua, furiæ noctis, somni trepidatio, & metus. Fœcunda malorum est mater *ebrietas*, rixis gaudet, homicidia, cœdes, raptus, adulteria, stupra, tumultus, bella generat; nimio inflatus Jaccho in omnia vitia crepat; miser tandem somno, vinoque sepultus, largo Lyæi flumine submersus, ad ludibrium (clamoribus, jocis, sputis, sibilis puerorum, pro tubis,& tibiis) Bacchanales sustinet exequias. Ergo nimium vinum *contemptibiles* reddit.

Relata, & alia plura sunt mala, quæ vini copia causat, ut ideò *Cobali* malefici,& pernicioli dæmones Bacchum comitantes, inter quos præcipuus Aeratus, effingantur à Poesi, ut innuat, multa esse flagitia, quæ ut consequentiæ ex præmissis nimii vini poculis resultant. Et hæc ex Philosophia MORALI *hieroglyphicà* per BACCHUM contrà EBRIETATEM; sensus enim Philosophici naturales ad præsens non attinent.

Vide, quanta sapientia fuerit in illis hieroglyphicis antiquitatis pro nostrà doctrinà, ut ideò jure *in primà Porticu* ea dixerimus ab Adamo, post diluvium derivata à Noe. Hieroglyphicum vini dictum *Bacchus* opinor institutum à nostro Patriarcha NOE; primus enìm plantavit vineam, congregando in unum locum vites dispersas, quas sponte germinabat terra; expressit succum, bibit, inebriatus est, & sine crimine, quia vir justus ignorabat vigorem vini, cujus usus non fuerat adhùc, ideòque nec experientia. Et licèt Philosophiam aliam hieroglyphicam acceperit ab Adamo, tamen iste, quia usus vini non erat in primà ætate, tale vini hieroglyhicum non dederit, non quia Adam ornatus à Deo omni scientià naturali (ut decebat caput generis humani, & Doctorem, & Patriarcham universalem hominum, & ut opus speciale manuum Dei, & ideò perfectum ab artifice perfectissimo) vim vini, & artem faciendi vinum, ignoraverit, sed quia Adam providus Pater occultaverit, sciens talem vim vini,& damna ex abusu, & quòd genus humanum, pronum ad malum ex primo peccato, facilè in ebrietates laberetur, unde calamitates multæ, & quod in primà ætate non erat necessarium, quia natura humana erat in vigore. Quia tamen *Noe* vir *justus* erat peritus methodi Philosophiæ *hieroglyphicæ*, opinor, quòd postquam est expertus *primus* vim vini, & ebrietatem, licèt ex dictis *sine culpà*, instituerit illud hieroglyphicum *vini*, dictum postea *Bacchum*, ut per illud sancto fine hieroglyphicè indicaret effectus vini, & quà temperantià, & sobrietate bibendum, ut proficiat; & qua cautione cavendum,

dum, ne officiat ; & sic cum reliquâ Philosophiâ hieroglyphicâ edoctâ ab Adamo(ut dictum diffusè in primâ Porticu,& maximè pag.129.& 132.)dederit Noe etiam hoc hieroglyphicum *Abrahamo*,qui Philosophiam hieroglyphicam dedit Ægyptiis,& hinc fuit communicata Græcis, & aliis, & Romanis. At cum veteres essent proni ad adorandum ut Deos homines illos, à quibus beneficia, & inventiones artium pro commoditate generis humani accepissent , & quid excellens in eis viderent, ajunt, quòd in Baccho adorarunt NOEMVM institutorem *vini*, & in hieroglyphico (abutendo) authorem hieroglyphici; quare & quòd Bacchus figuratus sit etiam *nudus*, potuit esse ingeniosa idæa *Noemi*, ad innuendum, quod vinum omnia secreta *nudat*, & aperit, nihil velat, aut cooperit ; item ad innuendum, quòd nimio vino ebrius vestimenta reiicit, se *nudat* tanquam allevet onus, nec pudoris est capax; quod contigisse Noemo patet ex cap.9. Geneseos, v.20. *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam ; bibensque vinum inebriatus est*, & nudatus *jacuit in tabernaculo suo*. At quòd posteà in festis Bacchanalibus gentiles idolatræ soliti sint portare imaginem *membri virilis*, potuit conspirare non solùm ad innuendum, quòd nimium vinum luxuriam excitat, & genitalia commovet, sed fortè (extraditione, & notitiâ antiquatâ, quam habuerint) ad memoriam, quòd Noe ebrius habebat *pudenda*, sive *virilia* nudata ; narrante sacrâ Genesi ibi : *Quod cum vidisset Cham pater Chanaam, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foràs*. NOE damna ex vino expertus cum dolore, nobis ut pater, & magister, ut caveremus, indicavit cum amore. Hieroglyphicum, ut ab ipso, fuit purum, & sine idolatriâ, posteà suadente diabolo, abusa est hominum stultitia , & adoravit . Quod Noe sit adoratus Deus, vide pag.77.& 285.de Noe vide à pag.622.usque ad pag.631.Posteà fabulosa *alia* de Baccho figmenta fuere Poetarum opera ; quod directè, & expressè apparet in simulacro figurato *Bacchi*, id est *vini*, illud propriè hieroglyphicum est. At quòd in *festis Bacchi* portaretur imago *membri virilis*, verè fuit turpis relaxatio, & idolatrarum inventio.

Hoc dolendum, quòd invidus illius sanctæ scholæ *hieroglyphicæ* diabolus (quæ *pura* erat nostra paterna hæreditas ab Adamo, à Noe post diluvium, & Abrahamo) iniquis dolis, per stultas gentes, illa hieroglyphica scholam veritatis induxit idola, ut essent Academia erroris, & falsitatis ; & quod fuerat institutum ad salutem animi, & corporis, esset gentibus ruina, & strages, suppressis ab idolatriæ tyrannide illis salutaribus sensibus, & doctrinis, quæ in illis hieroglyphicis (ut à nostris primis Sanctis Patribus, & Doctoribus) thesaurizabantur . Sed apage hinc ad tartara, O communis hostis, pater mendacii, *Quis sicut Deus?* Deus author veritatis triumphat, dolos tuos ad tui confusionem aperit. Tu, lector, ubicumque videas simulacrum *Bacchi*, idolum gentilitatis, nolis sistere in vanitate; conspue idolatriam, purga, separa, lava sordem illam aquis Catholicæ veritatis; maneat simulacrum *Bacchi*, id est, hieroglyphicum *vini*, & effectuum *hujus*, purgatum ab omni gentilitiâ labe, & *purum*, ut est nobis datum ad nostram salutarem instructionem à nostris sanctis prioribus illis Patribus , & magistris; considera ibi sensus *morales*, & *physicos*, qui proficiunt, ut sic *modicè* uti vino ad salutem discas, sed *ab ebrietate* caveas.

NOE non occultavit vini faciendi artem ; *tùm* quia jàm erat nota filiis ex his, quæ viderant in ipso plantante vineam , & exprimente uvas ; *tùm* quià post diluvium terra (quia cooperta fuerat aquis, & aquæ maris salsedine sterilem reddiderant) jàm declinaverat à vigore, nec germinabat tantæ substantiæ alimenta ; *tùm* quià conditio humana jàm declinave-

rat

rat in secundâ ætate mundi ; & magis declinaret in sequentibus à robore hominum primæ ætatis. Hinc *Noe* jàm putarit conveniens *modicum vini*, ut præsidium, & medicinam; propter quæ non occultavit *artem* faciendi *vinum*, sed docuit in hieroglyphico vini effectus hujus, ut *modicum* proficeret, & caveremus ab *immodico*, ne noceret.

Alios fines mysticos, propter quos NOE sanctus, & propheta instituerit vinum, in hoc in sacris literis alphabeticis nunc significatos, & tempore Noemi significandos, nunc non vacat aperire. Et quidem vinum futurum erat materia SS. Sacramenti Eucharistiæ; NOE ex pag. 130., & 158. tùm ab Adamo, cui, ut dictum pag. 271. fuerunt revelata, tum quia (ut dictum pag. 126 & 624.) fuit Propheta, præscivit (Deo revelante) mysteria tunc futuræ *legis Gratiæ*; & *arca NOE*, te non latet, quòd fuit figura Crucis Christi, Corporis Christi, & tunc futurę Ecclesię, & sacrę doctrinæ, quod palsìm in sacris inter pretibus legas. Quare NOE artem faciēdi *vinum* docuit, tùm ut nobis jam debilibus *modicum* esset medicīna, tùm propter sensus mysticos *legis Gratiæ* in *vino* significatos. NOE *justus* non est inebriatus, quia biberit vinum *nimiâ voluptate*, sed quia nescius vim vini, id quod *syncerè* bibit, fuit sufficiens ad ebrietatem. Ex pag. 622. *Noe* invenit *aratrum* Symbolum CRUCIS.

Hæc *ex Philosophiâ Morali hieroglyphicâ ænigmaticâ* per BACCHUM.

PRO eàdem MEDICINA MORALI (contra AMOREM inordinatum voluptatum GUSTUS in VINO) proponit damna ex ebrietate Philosophia *MORALIS POETICA per NAVIM BACCHI, per CENTAUROS, & SILENOS.*

FIgmentum fuit Poeticum, quòd cursores maris Tyrrheni, captâ navi Bacchi, quià illam vehebant ad partem contrariam illi, ad quam navigabat, fuere à Baccho conversi in *delphinos*; quorsum ista? ad innuendum, quòd si *Bacchus* supponit pro *vino*, id institutum est ad præsidium sanitatis, auxilium in necessitate, & sic ut bibatur *sobriè*, & *temperanter*; hæc est pars, hæc est regio, ad quam ex suâ institutione navigat; si autem à vinosis, indicatis in cursoribus Tyrrheni, trahatur in oppositam partem, & regionem, nempè ad *voluptatem*, & *ebrietatem*, tunc vinum eos convertere dicitur in delphinos; *primò* quià sicut isti natant in mari aquæ, ità illi in pelago vini; secundò, quia sicut delphinus gravatur dolore capitis, & ideò dicitur amare homines, quià cum eos videt, dolor capitis sublevatur, ita immodicum vinum causat gravem capitis dolorem, caput dolore quatit, rotare impellit, ut ideò ebrii conversi in *delphinos* metaphorizentur à Poetis.

Item *rudentes*, & *remigia* navis Bacchi effinguntur à Poesi conversa in *serpentes*, quando navis à cursoribus cogebatur in portum contrarium illi, ad quem navigabat Bacchus; ad innuendum, quòd si *serpentes* sunt symbola *luxuriæ*, *voluptatum*, *iracundiæ*, horroris, diaboli, *feritatis*, cordis *insidiantis*, & *terrenis hærentis*, quia serpens repit, hærente pectore terræ, sanè cum vinum institutum ad *necessitatis* levamen, & ad *sobrietatem*, trahitur ad oppositum littus *voluptatis*, & *ebrietatis*, tunc rudentes, & remigia, nempè potentias navis humanæ reddit voluptuosas, luxuriosas, horridas, diabolicas, feras, iracundas, insidiantes, & terrenis hærentes.

Adde nunc, quid Poesis indicaverit per CENTAVROS, quos effinxerunt superiori portione humanâ, inferiori equinâ; cum autem *Pirithous*, *Deidamiam*, vel ut alii maluerunt, *Hippodamiam* filiam Bysti ducens, nuptias celebraret, convocavit *Centauros* ad convivium, quià affines erant; isti autem statim ac incaluerunt *vino*, ipsam *sponsam*, & reliquas Lapitha-

rum uxores convivio ſocias petulantèr attrectare ; & violare denique conati ſunt coràm ipſis Lapithis maritis ; quod iſti non ferentes, gravis, & cruenta pugna eſt exorta; multi Centauri occiſi, alii fugæ dediti, & novam regionem extrà propriam coacti morari, imò ut ibi habitarent, colonos legitimos ejecerunt tyrannicè. Quò reſpectabat in hoc figmento Poeſis ? ad innuenda damna, ex *ebrietate* matre naſcentia; hìnc luxuria, ſtupra, violare convivia, irreverentia petulans etiam præſente marito, pugna etiam inter affines, cœdes, fugæ, exilia, vagari peregrinè, rapere aliena, tyrannicè acquirere. O quot malorum capita in *ebrietate Hydra* ! At *Centauri* finguntur deformes, portione inferiori *equi*, ſymboli *luxuriæ*, *ſuperbiæ*, *pugnacitatis*, *animi præcipitis*; indicat igitur figmentum, homines ſuperbos, luxurioſos, pugnaces, rixoſos, præcipites non eſſe ad convivia invitandos, nec ad celebranda ſponſalitia, etiam ſi ſint affines; nam vini calore quæ non perpetrabunt flagitia ?

Jam ad SILENOS. *Silenum* effinxerunt comitem *Bacchi*; illum effinxerunt ſenem, ventricoſum, titubantem, tardum, portatum ab aſino; cur ſic ? nomine *Sileni* intellexerunt vigorem, ſive *vim vini*; Silenus ut ſuprà figuratus indicat effectus vini, facientis ſenes, ventricoſos, titubantes, tardos, portatos ab aſino, quia per ſe incedere non poſſunt, ideo inutiles negotiis; & dicuntur *Sileni* comites Bacchi, quia hæc incommoda nimio vino ſunt ſocia. At aptiùs per *Silenos* comites Bacchi intelligas deditos vino, & in hoc potando voluptuoſos; dicuntur comites Bacchi, quia ibi ſunt, ubi vinum; figurantur ſenes, ventricoſi, titubantes, portati ab aſino, tardi, inutiles negotiis, quia eos tales reddit nimia vini copia; item aptè finguntur portati ab *aſino*, ſymbolo *corporis*, & *portionis animalis* hominis, & motuum beſtialium in homine, quia ibi tendunt, quò ipſos appetitus voluptuoſus, & aſininus, & beſtialis portat; quin portio ſuperior regat aſinum, ſed aſinus trahit ad ſe portionem ſuperiorem, quin ebrietas permittat, quòd portio ſuperior aſinum regere poſſit; ebrietas enìm opprimit rationem.

Poetæ acceperunt ab *Hebræis*, à quibus diſcere potuerunt, *Aſinum* multotiès *in ſacris literis* ſymbolicè indicare *motus beſtiales in homine*, & *amorem carnalem*, & huc attinet illud præceptum non arandi in bove, & aſino, & quòd (apud Exodum cap.9.v.3. & cap.13.v.13.B. & cap.34.v.20.) inter *immunda* animalia *aſinus* reputetur ; item ab Hebræis potuerunt diſcere, quòd in noſtris ſacris chartis non ſemel *aſinus* (quià animal rude, ſtolidum, & pigrum) ſignìficare ſolet fatuos, & deſides; ex quibus Poetæ *Silenum* ſymbolum *ebrii* portari *ab aſino* ſymbolo *ruditatis*, *ſloliditatis*, *fatuitatis*, *pigritiæ*, effingere potuerunt, ad innuendum, à proprià fatuitate, ſtoliditate, & deſidià *ebrium* portari ad ruinam, & quòd ipſius ſtoliditas eum portat ad *ebrietatem*; & cum aſinus ſerviat hominibus ad onera ferenda, induxerunt *Silenum* ſymbolum *ebrii*, qui eſt uter vino plenus, portari ab *aſino*, quia quid eſt ebrius, niſi aſinus portans onus utris vino pleni? ipſe ſibi eſt onus portatum, & aſinus portans; at oppreſſus onere *aſinus* cadit, & cum ipſo *Silenus*, ſive *ebrius*, & cum iſte ſit uter plenus vino, *caſu aſini* rupto ore utris, vomitione effunditur vinum; aſinus & Silenus læduntur, & vinum perditur, prorsùs amittitur.

MODICUM VINI, cum oporteat, *utile ad SALUTEM*, *& etiam ad capessendas SCIENTIAS*. Primò ex *sacris literis*. Secundò ex *POESI id indicatum per BACCHUM portatum à MUSIS in NISAM*, *& per CORONAM ex HEDERA datam POETIS*, *& per BACCHUM socium MUSIS in eadem* arà, *& per BACCHUM dictum DIONISTUM*, *& per BACCHUM dictum PALLADIS fratrem*, *& per BACCHUM cum APOLLINE dictum MUSARUM DUCEM*. *De utilitate* vini *mistà* aquà *per ARAM BACCHI Sociam NYMPHIS*.

SAlomonicum audias documentum in *Ecclesiastici capite* 31. ubi sic: *Exultatio animæ*, *& cordis* VINUM moderatè *sumptum*; *ad jucunditatem enim creatum est*, *non ad ebrietatem*, *quæ te vità defraudet*. Pauli tuba sonat, *utere modico vino propter stomachum*, *& frequentes infirmitates*. Quare *modicum vini*, cum infirmitas exigit, ut *medicina* datur. Utendum igitur vino ut medicinà; at tunc est medicina, si *modica*, & juxtà necessitatem complexionis, & infirmitatis sit potatio.

Ad capessendas scientias opus est mente lætà, at *vinum lætificat cor hominis*; opus est mente serenà, clarà, & hùc respectat, quòd Musæ (per quas significantur *scientiæ*) effingãtur à Poetis in montibus altis Helycone, Parnaso, quia ibi est claritas aeris, læta, & serena lux, & recessus, qualis requiritur pro studio scientiarum, procùl à tumultu, & strepitu. Bacchum fuisse portatum à Musis in *Nisam* fuit figmentum Poeticum ad innuendum, quòd si *Bacchus* supponit pro vino, & *Musæ* pro scientiis, & *Nisa* erat locus placidissimus in Arabià, amœnus, & solitarius, sanè *solitudo*, *amœnitas loci*, *placida mens*, & *modicum vini* optantur à Musis, quià expediunt ad scientiarum studia. Corona ex hederà data Poetis; cur? fuit dicata Baccho, ideò est symbolum Bacchi, insigne vini; ergo fuit ex hederà corona data Poetis, ad innuendum, quòd modicum vini excitat Musam, acuit ingenium. Vinum dictum est *equus* Poetarum, quo agitante isti incalescunt, & sublimiùs concinunt. Huc carmina:

Jucundo sonipes vati est in carmine Bacchus,
Nam perit epotà nobile carmen aquà.

Et Horatius:

Nulla placere diù, *nec vivere carmina possunt*,
Quæ scribantur aquæ potoribus.

Ovidiana lyra consonat:

Nec non & carmina vino
Ingenium faciente canunt.

Tibullus in Synepeja modicum vini subscribit ad Musicam, quæ est Poesi germana:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Novit & ad certos nescia membra movere modos.

Et cur Bacchus, & Musæ in eàdem arà apud veteres? ad innuendum, quòd modico vino sunt sociæ scientiæ, Musaque Poetica modicum vini socium exigit. Cur *Bacchus* DIONYSIUS? dictum alibi, quòd *Dorico* idiomate *Dionysius* latinè *pennatus*; cur *Bacchas* effingitur *pennatus*? quia ex stomacho volat ad caput; vi immodicum præcipitat; si modicum, *alas* ingenio addit.

Finxit Poesis *Palladem*, & *Bacchum* filios *Jovis*, *fratres*; cur sic? no-

mine *Palladis* intelliguntur *ingenium, vis inventiva ſcientiarum, & artium, prudentia, conſilium*; nomine *Bacchi vinum*; effinguntur *Pallas*, & *Bacchus fratres*, quia modicum vini eſt fraternum auxilium illis, quæ ſignificantur nomine Palladis. Pallas tamen effingitur nata ex *capite* Jovis, Bacchus ex *femore* ſive femure; cur ſic? *femur* illam ſignificat partem pedis, quæ à coxendice uſque ad genua producitur; cur dicitur *femur*? à *ferendo*, quaſi ſit *ferimen*, quia illa pars fert hominem, ab illa fertur, & ſuſtinetur corpus; hùc Ambroſio Calepino pulſante, *Femur*, ait, *quod* & *femor*, à ferendo *dictum, quòd his præcipuè partibus ſuſtineatur animal, atque feratur*; itaque Pallas effingitur nata ex *capite*, Bacchus ex *femure*, ad innuendum, quòd modicum vini fert, & ſuſtentat ingenium. Imò & *Bacchum* cum *Apolline* effinxerunt ducem Muſarum, ad innuendum, quòd lux ingenii ſignificata Apollinis nomine, & modicum vini (indicatum nomine Bacchi ſimùl cum Apolline) ducunt ad carmina, & ſcientias.

Item & *Eloquentiæ*, ſive *ſermocinationi* modicum vini (at modicum pro varietate complexionum *recta ratio* determinet) auxiliatur; *immodicum vinum* eſt eloquentiæ obex, quià balbutiem generat, & linguam impedit; quare Mercurio numini eloquentiæ, & per quem intelligitur inſitum nobis eloquentiæ numen, ſacrificabant veteres *lacte*, non *vino*, ad innuendum, quòd eloquentia (de quo pag. 161. dictum) more lactis ſit dulcis; *immodicum* vinum eloquentiæ obſtat; at *modicum* eſt expeditè, & vividè loquendi calcar, quia *ſobrietatem* non vulnerat, quæ maximè eſt in oratione explicanda, & ideò Romæ Mercurio eloquentiæ numini putato non ubique ſupplicari ſolitum, ſed in vico nuncupato *Sobrio*.

Ex Heliodoro (lib. 5. Hiſtor. Æthiop.) Cnemon an Neusclem ſic: *Videris mihi ſacræ rei tenere optimam rationem, qui conjungis Baccho Mercurium, & orationis condimentum poculis admiſces*; vinum ergo modicum erat eloquentiæ ſpiritus; & ex Plinio lib. 23. accipimus, *vino* (modico) ali vires; ſanguinem, coloremque hominum, ac mentem cum nobilioribus partibus augeri; & ex Gellio libro 15. transfertur ad nos Platonis ſententia, firmans, *vinum* (modicum) *fontem eſſe ingenii*. Anima ut operetur intellectualiter in corpore, organizationem expeditam exigit; quam (quando oporteat) modicum vini expedit.

At id *modicum vini* intelligitur (ut plurimùm) *miſtà aquà*; unde tanta utilitas, ut Amphitrioni regi, quia inventori miſturæ, erexerit aram antiquitas; & Poeticum ænigma, *Bacchum temperandū Nymphis* reſpectat, ad innuendum, quòd ſi nomine *Bacchi* intelligitur vinum, & *Nympharum*, ſive Lympharum nomine intelligitur aqua, cum aquà, miſcendo, eſt temperandum vinum; quare & *Baccho*, & *Nymphis* aras erexere ſocias, ut indicarent, quòd, ut miſceantur, ſint ſociè vinum, & aqua; non ſit in mensà vinum ſine ſocià aquà, non Bacchus ſine Nymphis. *Vinum* enim dicitur *à vi*, quià vim menti infert; quare ſi *modicè* bibas, vim ſuavem infert; ſi bibas *immodicè*, infert violentam vim; ideòque Euripides dicebat: *Agnoſce Dionyſium* (nempe vinum) *filium Jovis*; *qui ſi ejus auctoritatem ſpectes*, *Deus eſt* (ſi immodicè potatus) *vehementiſſimus*, *idemque hominibus* (nempe ſi modicè bibas) *mitiſſimus*; ideò datum vino lemma, *medicè ſi modicè*.

Bacchi *nutrices* dixere Poetæ *Nymphas*, quia aqua vinum nutrit, cum pluente cœlo nutriuntur uvæ; plures nutrices Poetæ effinxerunt Baccho, id eſt, vino, quia pluribus pluviis, ſive aquis, nutritur, ergo vinum ſit ſocium nutrici. Effingunt *Bacchum* exſtractum fulmine ignivomo ab utero Semelis adhùc prægnantis, & poſteà applicatum ad ipſius Jovis femur, quouſque tempus impleret, ut partus immaturus ad maturitatem veniret, & perfectio-

ctionem, & tunc Bacchum natum perfectum, *lotum undis*; quorsùm istæ innuerunt, quòd vinum igne & calore solis extrahitur è vite igneum, Semele, id est, uvâ adhuc prægnante, & continente intrà se succum; posteà dicitur applicari ad Jovis femur, quià pedibus in torculare conculcatur; postea fit maturum, & perfectum, ut bibatur, at *lotum undis*, nempe *temperatum aquâ*.

Est vinum igneum, ergo ut calefaciat, sed ne comburat, temperetur aquâ. Quot partes aquæ sint miscendæ, & quot partibus vini, pro varietate complexionum, & indigentiæ, est pensandum; *recta ratio* sit medica, & sapiens medicus consulatur; tu & ipse tuam complexionem & necessitatem integris oculis prudentiæ, & sobrietatis examines.

Sileant igitur Sacerdotes Bacchi contrà aquam, & solùm pro vino canentes; solùm enim modicum vini viri sobrii cantant. Sed quià Sileni clamant gutture toto pro *vino*, propinemus AQVAM.

De UTILITATE, *&* DIGNITATE AQUÆ *à* POESI *significatis per* DEOS, *jurantes per* STYGEM; *item per* NYMPHAS, OCCEANUM, *&* NEPTUNUM. *Remedium contrà* ebrietatem AQUA, hieroglyphicè *indicatur per* Upupam *decerpentem* Capillos Veneris. *Castigatio ebrii per* ferulam *dicatam* BACCHO. *Tres necessitates naturales* fames, sitis, somnus *ex* POESI *per* CERBERUM tricipitem, *triplici ore hiante*.

GArriunt capellani Bacchi, *Aqua bobus*. Item *Aqua circumagendis molendinarum rotis nata*. Item *Aqua vehendis navibus propria*. Comites sunt Antiphanis, qui *vivere*, & *bibere* in eàdem colocabat statera dicens, *Dic mihi, quid est vivere?* respondebat, *bibere dico ego*. Non longè Martialis ab his, de se sic proferens:

Possum nihil ego sobrius, bibenti
Succurrunt mihi quindecim Poetæ

Alius sic:

Docti vina, rudes zythum, pecus hauriat undam.

Alius: *Aquam bibens nihil boni parias.*

Sileant isti Psittaci amantes vini, & Psittacorum more loquaciores vino fervidi. Obmutescant ista dolia vini perforata, bibentia, & mingentia; sileant istæ cellæ vinariæ, utres viventes; in festis enim Bacchi quòd luderent saltantes super utres, ad utres plenos vino conspirabat.

O Bacchi comites, Sileni, & in Bacchi templo cantores, nostrorum corporum constitutio est ex *vino*, an ex *aqua*? Sic definitur aqua: *Est unum è quatuor elementis componentibus corpus naturale; humidum, & frigidum, propter gravitatem deorsum tendens*. Ergo si ex illà corpus naturale componitur, an non conaturalior nobis *aqua*, quàm *vinum*? an non similior? cur non habeamus simpathiam cum aquâ, ex qua componimur? Quæ sunt epitheta aquæ? quòd sit *clara, viva, pura, limpida, dulcis, amœna, lenis*; cur displiceat tibi? cujus oculos non rapiat lucens, micans, candicans, argentea, limpida aqua in crystallino vitro? humore aqueo oculi constant, & tali aquâ inspectâ delectantur simpathicè, quià simile gaudet cum simili.

Cui sobrio non placeat fons amœnus, dulcis, crystallinus, sonans, vitreus, lenè susurrans? *Nymphas* ibi sonare dicas.

Cur non placeat ille alius fons properans, molles somnos placido mur-

mu-

mure invitans, penniſque pellucidis fluidi cryſtalli volans canorè ad publicum beneficium? ibi *Muſas Parnaſi* habitare fingas.

Cui non placeat illa manans è ſaxo vena perennis aquæ? ſpiracula dicas, quibus ad virorem reſpirant rura, viridaria, horti; fingas eſſe fontem in ſaxo illum fictum Pegaſi ungulà ruptum, quò accurrant noven Caſtaliæ puellæ ſorores, Pierii, Pindi, & Helyconis alumnæ, comites Phœbi, ut cantus, & carmina ambroſia mellifluo modulamine, & reſono gutture concinant.

Cui non placeat *flumen* jàm ſonorum labens, jàm citum, jàm concitum, jàm rapidum, jàm lentum, jàm ſpumeum, jàm recto tramite refugum, jàm ſerpens ſinuosè, & obliquè?

Cui non placeat ſinuoſus per gramina *rivus*? videas lymphas ut gemmas herbis ut ſmaragdis mixtas, vel ut in annulis gemmeis virentes herbas ut ſmaragdos viridantes inſitos.

Cur non conſideres utilitates *aquæ*? ab aquis nobis alimenta, piſces, cum ipſis artes, ab ipſis noſtra mundities; ſine aquâ cuncta vegetantia, & animantia exſiccantur, areſcunt, ſitiunt, pereunt. Ex altioribus terræ locis, quæ ad Septemtrionem expectant, major vis aquæ dilabitur; at ibi aqua irrigans, ibi amœniora, & fertiliora paſcua. Optimæ ſunt aquæ, quæ à ſublimibus regionibus, & terreſtribus tumulis fluunt; ſunt enìm dulces, & albæ, vinique parum ferre valent; illæ aquæ maximè optimæ, quæ ad ſolis ortum præſertìm æſtivum fluunt, has namque ſplendidiores, benè olentes, & leves eſſe, experimur. Has bibas; diſſuademus paluſtres, ſtagnantes, lacuſtres.

Cur non ames aquam? *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* in creatione orbis, ut habes in Geneſis capite primo; ſpiritus purus elementum purum ut ſitum purum amavit.

Cur non ames aquam ſymbolum noſtræ regenerationis ſpiritualis in Baptiſmo, per quem à ſorde originali lavamur?

Cur non ames aquas ſymbolum ſapientiæ? *aquà ſapientiæ ſalutaris patat* Deus ſanctos; & ipſa ſapientia ſub metaphorâ *aquarum* invitat ad divitias ſuas, *ſapientia clamitat, omnes ſitientes venite ad aquas.*

An paradiſus terreſtris quatuor fluminibus, quæ egrediebantur de paradiſo, ut irrigarent univerſam ſuperficiem terræ, non erat paradiſus *voluptatis*? ibi non erat *vinum*, & ſine vino paradiſus erat. Eſſent ibi uvæ, ibi vites, racemi, at vini uſus in paradiſo non fuit; imò nec illi ante diluviani vitæ longævæ uſi ſunt vino; Noe poſt diluvium (ut dictum in articulo ante elapſum) vites diſperſas, quas terra germinabat, congregavit in unum locum, plantavit ſic vineam, expreſſit primus ſuccum, primus bibit; neſciens vini latentes effectus, inebrietatus eſt; & *primus* vinitor *primus* fuit ebrius, licèt in viro juſto ſine crimine, quia ignorantia excuſavit à culpâ, nondum enìm (ut dictum in articulo citato) uſus vini fuerat, nec experientia. Incœpit ergo *vinum extrà* paradiſum, & cum *ebrietate*; incœpit *aqua* potabilis in paradiſo, & cum *ſobrietate. Aqua* incœpit *cum orbe*, & in ſtatu *innocentiæ* hominis; *vinum* incœpit *poſt* diluvium, poſt primam orbis ætatem, & in ſtatu *naturæ lapſæ. Aqua potabilis* incœpit in paradiſo loco *ſancto*, & ab illà origine *ſanctà* manabat, & fluebat ad irragandam univerſam ſuperficiem terræ; *vinum* incœpit à loco jam hominum ſordibus, & peccatis cœnoſo, & *maculato*, & propter hominum peccata ſub diluvii aquis anteà ſepulto.

Apud *Heſiodum* legas, *aquam* rerum ſublunarium eſſe *antiquiſſimam*, fluvioſque omnes jugi, perennique lapſu defluentes, habere in ſe quandam,

æter-

æternitatis expressam imaginem *Pindarus* dixit, *Optima quidèm aqua.*

Superstitio fuit veterum, solemne fuisse Diis *per paludem Stygiam jurare*; si quis autem aliquid eorum, quæ Styge teste juraſſet, quoquomodo violaret, totos centum annos divinitate spoliatus, à nectare arcebatur, & hùc Virgilius lib.9. ac 10.

Cocyti stagna alta vides, stygiamque paludem,
Dii cujus jurare timent, & fallere numen.

Hanc jurandi consuetudinem inde fluxisse Servius affirmat, quia *Victoria* filia *Stygis*, in bello Gigantum contrà Jovem, partes Jovis susceperit defendendas; in cujus rei gratiam Jupiter conceſſit, ut Dii per ejus matrem jurantes nemini audeant imponere, sed fidem servare teneantur. At cum fabulosum involucrum belli Gigantum contrà Jovem (ut dictum pag.432) alludat ad *verè* superbos illos artifices Babylonicos, qui delirarunt ædificare turrim, quæ tangeret cacumine cœlos, cum sit traditio, quòd valida aeris tempestas, cum turbine aquarum, dejecit turrim, *fortè* ad istam aquam alludat consuetudo superstitiosa veterum, quòd filia *Stygis* steterit pro Jove, quia ex paludibus, & lacubus, & fluviis excitantur, & ascendunt vapores, unde generantur nubes, & cum vento validæ undosæ tempestates; unde tempestas aeris undosa dicta sit filia paludis Stygis, & dicta sit *Victoria*, quia turrim dejecit. Et quidem nubes undans, prægnans, procelloſa, & densa (qualis fuerit illa, quæ pariens fulmina cum violentà pluviâ dejecit turrim) dicitur à Poetis *densa*, *obscura*, *opaca*, *cæca*, *atra*, *nigrans*, *squallens*, *picea*; at & hæc sunt epitheta (apud Poetas) paludis *Stygis*, & quòd dicta sit *picea*, & *atra*, explicat Virgilius ibi de *Jove* dicens:

Dixerat, *idque ratum* Stygii *per flumina fratris*
Per pice *torrentes*, atraque *voragine ripas*
Annuit, *& totum metu tremefecit Olympum.*

Dicitur palus *picis* horrida rivo, *atro* Styx livida fundo, &c. Quicquid sit de hoc, *Cœlius* libro 27. cap.5. considerans suprà dicta pro aquâ ex *Pindaro*, & *Hesiodo*, credidit, *Stygem* non propter adducta ex Poesi, *sed* propter *insitam à naturâ dignitatem aquæ* fictam à superis *in testem* solitam adhiberi.

Vtilitates *aquarum* sub pluribus figmentis indicarunt Poetæ, sicut per *Typhona*, & *Harpyas*, indicarunt vim ventorum, per *Jovem* vim igneam, & partem aeris superiorem, per *Junonem* partem aeris inferiorem, per *Vestam* terram, ità fluviorum, fontium, imbriumque, uno verbo AQVARVM naturam indicarunt per *Najades*, ac *Nymphas*, & per *Neptunum*. Vires illas seminis, aut *aquæ*, ex quibus fit generatio, *Nympharum* nomine appellarunt.

At cur *Nymphas* dixerunt sapientes Poetæ *fructiferas*, *nutrientes* omnia animalia, & homines, *præsides* viridium pratorum, florum *feraces*, Bacchi, id est, *vini* nutrices? ad innuendum, quòd ista bona ab *aquis* sunt nobis; dixerunt item pastorum Deas, ad innuendum, quòd ubi sint *aquæ*, ibi viridiora pascua, & potus pro gregibus, & ideò illùc pastores accurrunt.

Et aptè Nymphas dixerunt *Occeani* filias, quia indè primùm nascuntur *aquæ*, & per meandros, & canales subterraneos fluentes jam erumpunt in fontes, & fluvios, jàm in paludes, & lacus. Ideò *Occeanum* dixerunt *universarum aquarum patrem* fuisse à Deo creatum, & jussum undique à terrà recedere; quod alludit ad illud Geneseos cap.1. *Dixit Deus congregentur aquæ in locum unum*, *& appareat arida*, quod sapientes poetæ Græci acceperunt, sicut alia multa, ab Hebræis. Dictus est Occeanus *pater rerum*, quia imbres, & fluvii ex Occeano procreantur, atque ex his omnia plan-

tarum, animaliumque genera: *Atheloum* fluvium dixerunt Occeani filium, ad indicandum, quòd omnis etiam *aquæ dulcis* natura ex Occeano originem trahit. Et per *Neptunum* elementum *aquæ* intellexerunt, & ad indicandas qualitates aquarum,& origines, & utilitates figmenta plura conspirarunt. Vnde sicut *Hebem*, id est *ubertatem*, dixerunt à *Junone*, id est, *ab aere* natam, ut innuerent, quòd omnia cum aeris temperie pubescunt, & *Vulcanum* dixerunt *ex aere* natum, ad innuendum, quòd extenuatus aer convertitur in ignem indicatum hoc nomine *Vulcanus*: item Martem effinxerunt conjunctum cum Venere, ad innuendum, quòd sol indicatus ab aliquibus nomine *Martis*, & virtus seminalis indicata nomine *Veneris* omnia sublunaria generabilia generant; & *Dianam*, & *Phœbum* dixerunt filios *Jovis*, & *Latonæ*, ad innuendum, quòd si nomine *Latonæ* intelliguntur illæ tenebræ, quæ erant super faciem abyssi, & illud Chaos confusa, & informis materia prima, ex qua Deus postea cuncta distinxit in perfectas species,inde Deus significatus (at in sensu puro, & Catholico nomine Jovis, quatenùs *jupiter*, dicitur *à juvando pater*) evocavit solem, & lunam, cum spiritus Dei dixit, *Fiat lux*, *& facta est lux*, & *ex illa primà luce*, primo die creatà, dicunt quartà die (quæ quarta dies refertur *cap.* 1. *Geneseos* in qua Deus cœlestia luminaria fecit) factum à Deo Solem, item Lunam, & stellas; simùl in hoc indicabant ortum mundi, quod & illi *Poetæ* acceperunt ab Hebræis; sicut, inquam, relatarum rerum originem sub relatis involucris significarunt, ità sub suprà relatis tegumentis indicarunt *aquarum* originem, & utilitatem; sicut *Æsculapium* effinxerunt filium *Phœbi*, & *Coronidis*, quia aer salubris, intellectus nomine Æsculapii,provenit *à sole*, purgante aerem,& *vi quadam humoris* in aere relictà, significatà *Coronidis* nomine, unde aeris temperamentum salubre nascitur; *sanitas* autem, sive *valetudo* dicta est à Poesi *filia* Æsculapii, ut indicetur, quòd ab aere salubri provenit *sanitas*. Sic & Circem dixerunt filiam solis, & humoris; in quo per Circem, quæ dicta est à *miscendo*, significarunt generationem animalium, & plantarum, in qua est necesse, humorem calore misceri; quæ mixtio Solis, & humoris filia fingitur, quià elementa, ut aliquid generent, ab ipsà naturà miscentur; at calor est *à sole*, humor *ab aquà*. Sic Poesis occultabat, & indicabat Philosophiam *Naturalem*, sic & indicabat (ut suprà) originem, & utilitates *aquarum*.

Ergo si tot digna audis de *aqua*, cur tibi (O fili Bacchi) sit exosa? vide, quòd Poesis *Nymphas* dixit nutrientes etiam *homines*, & quòd tu sine *humido* vivere non possis.

Vina in doliis (ex Florentino) occultam cum vineà simpathyam habent, nam florentem in vite racemum sentire videntur; quid ergo? tu dolium vino plenum, & jam inhias in mustum florentes in vite racemos! es vinum, an homo?

Vina (ex Plinio apud Montuum pag. 21.) sint ne diluta aquà experiuntur cum *hederà*, nam si vas fiat ex ejus ligno, *vina* transfluunt,& remanet *aqua*, si aqua mixta fuerit; vel è converso, *aqua* effluit, & *vinum* remanet. Hæc alia est causa cur *hedera* fuit dicata *Baccho*, quià mixtionem aquæ cum vino, si sit, revelat; item ad innuendum, quòd sicut hedera mixtionem vini cum aquà repugnat, ità ille, qui sit ad vinum propensus. Age tu amphora vini, qui aquam omninò repugnas, es hedera, vel homo? *recta* te *ratio* gubernet.

Aqua est *sobrietati* amica, & contrà ebrietatem remedium. Scio, quòd etiam nomine Canis Cerberi tricipitis intellexere Poetæ tres naturales nostri corporis necessitates, quæ hominem ab æternarum, & divinarum re-

rerum contemplatione divertunt, nisi necessitati subvenias; sunt *fames*, *sitis*, *somnus*; Cerberus effingitur ore hiante triplici, quia corpus famelicum hiat pro cibo, sitiens pro potu, somnolentum pro somno; at si Cerberus sitiens hiat pro potu, *aqua* est refrigerium; imò contrà ebrietatem remedium. *Upupam* scimus *ebrietatis* hieroglyphicum, uvis vescitur immodicè, ità ut inde plerumque reddatur ebria; statìm autem ac se ebrietate tentari senserit, capillos Veneris decerpit, & sic sibi efficacissimè medetur; hæc herba in fontibus, & puteis, solet educari, hìnc symbolum fontium est, & puteorum; itaque ne ebrietas te tentet, ad fontes, & puteos confuge; tentat te? ad *aquas* evola. Cervus, devoratis viperis, ardens veneno, currit celer *ad aquas*.

Tandem remedium contra ebrietatèm est, te observare turpia, horrida, contemptibilia, quæ alii faciunt ebrii.

Cur existimes ferulam dicatam Baccho? ferula est virga, qua castigantur pueri; itaque ferula est dicata Baccho, ut indicetur, quòd ebrii, puerulorum more ad ruborem, castigatione egent.

Lyncem apud Bacchi simulacrum posuerunt, quia istud animal pascens, si casu avertat oculos, propositi cibi, ajunt, obliviscitur, & alium quærit; ergo apponendo lyncem apud simulacrum Bacchi innuerunt veteres, ebrietatem oblivionem inducere, item contemnenda ea oprobria, quæ in ebrietate protulerit ebrius, & oblivioni tradenda. Ab his morbis præservat *aqua*, quam etiam oportet bibere, ut *recta ratio* dictet, ne generet morbos nimietas, & ut vitetur *gula*, quæ etiam, nimià voluptate bibendo aquam, est. Ergo

Nec Veneris, nec tu vini *capiaris amore*,
Uno namque modo vinea, *Venusque nocent*,
Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Bellum sæpe parit ferus exitiale Cupido,
At Lapythas bello perdis, Jacche, tuo.

Vinum oportet? *modicè*, ideò quidam Poeta:

Sumere nec nimium Bacchi valet optimus usus,
Nec minimum; hìnc mœror provenit, inde furor.

De vino modico,

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos.

Contrà vinum immodicum,

Vina parant asinos, faciuntque furoribus aptos.

Et hucusque pro moderatione *voluptatum*

GUSTUS in cibo, & potu.

OVA NOCTUÆ *ebrietati* REMEDIUM.

SI adhùc post difusam prædicationem vino te ingurgitare, & in ipso ut piscis Bacchi, sive balæna, natare, violentè insistis? age, RECIPE *per tres dies* OVA NOCTUÆ; memorant enim *ova noctuæ* eà pollere vi, ut si per triduum ebriosis in vino dentur, tædium vini abducant, & abstemios homines reddant; & apud Philostratum est, quòd si noctuina ova levitèr cocta, & sorbillanda puero propinentur, priusquàm quòd ullum vinum gustaverit, inde, dum vixerit, vini odio teneri, quià temperantior hìnc fit naturalis calor; ergo, cyneps, RECIPE OVA NOCTUÆ *per triduum*; at consùlto perito medico physico, & spirituali, fineque honesto peccatum ebrietatis vitandi.

CURRUS LUXURIÆ ex BERNARDO.

BErnardus super Cantica sic : *Luxuriæ* CURRUS volvitur vitiorum quadrigâ ; videlicèt *ingluvie* ventris , *libidine* coitus , *mollitie* vestium, *otii*, saporumque resolutione. Trahitur *equis duobus*, nempe *prosperitate* vitæ, & rerum *abundantiâ*. Qui his præsident, *duo* sunt, nempè *ignaviæ* torpor, & *infida* securitas.

Ut iste CURRUS securi virtutum destruatur, contrà primam rotam, nempè *ingluviem ventris* , *& vini* egimus à pag 977. usque ad pag.1009. contrà secundam rotam, *libidinem coitus*, egimus à pag.914. usque ad pag. 976. Contrà tertiam rotam , *mollitiem vestium* à pag.937. usque ad pag. 943.& p.954.Contrà tertiam rotam, nempè *otium*(nam contrà *saporum resolutionem* in prædictis continetur) à pag.936. usque ad pag.937. actum. Contrà *duos equos* nempè *prosperitatem vitæ*,*& rerum abundantium* à pag. 968. usque ad pag.912. & à pag.556. usque ad 564. Contrà *ignaviæ torporem* , & *infidam securitatem* nùnc . Vide contrà *ignaviæ torporem* contrà Epicurum à pag.506. usque ad 511. & contrà *infidam securitatem* in bonis *fortunæ* , & *felicitate sæculi* à pag.540. usque ad 573. & à pag.649 usque ad pag.955. & à pag. 532. usque ad 538. nam & vita nostra est fugax. Sed hùc attinent dicta contrà *voluptates sensus* à pag.513. usque ad pag.522.& à pag.912. usque ad pag 914. Item illiduo præsides in curru luxuriæ, nempè *ignaviæ torpor*, & *infida securitas*, ruptis rotis currus luxuriæ securi virtutum, ruunt & illi præsides in curru. Quare ex dictis CURRUS LUXURIÆ, explicatus à BERNARDO, potest esse pulchra idæa concionatori, ut contrà *luxuriam* sit prædicatio . Et hæc de *passione* , quæ dicitur AMOR.

CAPUT XXIV.

DE ODIO ; ex Philosophiâ Morali hieroglyphicâ *per PISCEM , ex* Symbolicâ *per BARBARUM , & ARCUM* ferratum , *ex* Poeticâ *per JUNONEM , & HERCVLEM.* Antipathia *semen* Odii *per CORNICEM,& NOCTVAM,per ELEPHANTEM , & PORCVM , item per ELEPHANTEM , & CAPRVM , per LEONEM, & SVEM, per generosos EQVOS , & asinos rudentes p.* 498. *per OVEM , AGNVM , & LVPVM , & per alia ANIMALIA;*ex plantis *per QVERCVM,& OLEAM, per BRASSICAM , & VITEM ; ex lapidibus per ADAMANTEM , & MAGNETEM , item per alia.*

INter passiones AMOR fuit prima passio , de qua egimus ; accedit ODIUM passio contraria *amori* , quas passiones præcedit ADMIRATIO , & istæ tres passiones *admiratio, amor , odium* , quod ab aliis dicitur *aversatio*, dicuntur affectus primitivi , & dicunt istos primitivos , sive primigenios , quia ex his cœteri nascuntur ; & licèt nos pag. 885. memorantes numerum passionum , *admirationem* sub hac voce non expresserimus, tamen satis innuimus , dum ab objectis externis perceptis esse initium perturbationum nostrarum pag. 857. explicuimus . Sanè de moderatione *admirationis* , & curiositatis , quæ ad admirationem sequitur , dicemus , cum in *quintà porticu* de virtute morali *studiositatis* agamus ; nam si admiratio

sit

sit ex visione rei pulchræ, vel pretiosæ, vel dignitatis, vel cibi maximè delicati, vel liquoris, satis infertur ex dictis, quomodo ista *admiratio* moderanda, nempe eiisdem medicinis, cum quibus moderandum amorem voluptatum, sensus, gustus, tactus, dignitatum, divitiarum, cibi, & potus, satis demonstravimus. Nimia *admiratio*, ut infert curiosam, vanam, & inquietam sciendi libidinem, infrà ubi suprà reprimetur.

Amor, & *odium*, sive *aversatio* dicatur, sunt generales quidam affectus, ex quibus tùm simplices, tùm compositi nascuntur.

Sicut *amor* est consonantia ad id, quod aprehenditur bonum, conveniens, & utile, *odium* est dissonantia ad id, quod est, aut concipitur malum, & ideò disconveniens, & nocivum.

Odium Ægyptii hieroglyphicè indicarunt per *piscem*, quia ipsis in odio erat mare, quià turbabat aquas Nili, unde ipsis ubertas, & quia odium indocile est, sicut est indocilis piscis. Item *Barbarus* est hieroglyphicum *odii*, quia sicut apud barbaros nulla est fides, nulla charitas, nulla pietas, nulla stabilis fiducia, nullus amicitiæ locus, quià cuncta sunt suspecta, nulla securitas, sic apud odio habentes contingit; quis odio habitus odio habenti fidat? Adde *arcum ferratum*, quia ad nocendum natum, hieroglyphicum odii; quare & apud Poetas *arcus*, & *telum* Cupidinis, quibus *amorem* excitat, effinguntur *aurea*; at *ferrea*, aut *plumbea* illa, cum quibus *odium* ingenerat. Ferrum enim est instrumentum odii (sicut & plumbum) & ad lauciandos homines quæritur; ferro utimur ad cædes, & bella, sicut & plumbeis pilis; imò & sagittis, ut citiùs mors volando perveniret ad hominem, cum cuspide ferreà acutà, & venenatà, pennas addidit odium.

Odium Junonis contra Herculem à Poesi confictum ad insatiabilem tartaream sitim odii vitiosi conspirat, cum incessanter Juno effingatur non desistens ab insidiis, & peregrinis dolis, ruinam Herculis inhians.

Amor passio sensitiva, est passio appetitus sensitivi *concupiscibilis*, ideo tendit in *bonum* sensibile sive apparens, sive reale, sive physicum, sive morale; è conversò *odium* passio sensitiva est passio appetitus sensitivi *irascibilis* in *malum* sensibile; quia sicut *amor* dicitur motus appetitus concupiscibilis in bonum sensibile, sive quod potest percipi à sensu, ità à contrario *odium* est motus appetitus irascibilis contrà *malum* sensibile, sive sit apparens, sive reale, sive physicum, sive morale.

CAUSÆ ODII.

Hinc *causa* odii est *malum*; item *causæ*, & semina *odii* sunt *affectiones* contrariæ, *dissimiles mores*, dissimilitudo, & dissonantia genii, sive naturalis *antipathia*; & odii derivati ex naturali antipathia sunt symbola ex animalibus *elephas* ita antipathicus porco, ut fugiat statim, porci grunnitu audito, sicut & viso *capro*; item leo fugit statim, ac videt suem; equs generosus, si audiat asinorum ruditum, est tolerare impatiens, de quo vide paginam 498. sic odio habens nec videre odio habitum, nec audire sustinet vocem hujus. Cornix, & noctua odio ex antipathia agitantur, mutuò sibi insidiantur; cornix prælcia, noctuam cæcutire die, interdiù ova noctuæ rapit, & absumit; noctua nocte videt, & insidiatur, noctuque in ova cornicis invadit, quæ subfuratur, & edit; cornix hinc, & noctua (antipathià genii) mutua sibi detrimenta parant, & contrarietate geniali tantà, ut sint, qui experientià probatum dicant, quòd sanguines noctuæ, & cornicis coire, & uniri repugnant, etiamsi confundantur, & miscere procures.

De *odio* ex *antipathiâ* inter ovem, & lupum, satis constat, ut etiam post mortem antipathia duret, nam si fides ex intestino ovis associes fidibus factis ex intestino lupino, oviles non sonant, mutæ permanent, sicut præ metu, viso lupo, muta vivens remanebat ovis; si facias tympanum unum ex ovilla pelle, & aliud ex lupina, & pulsentur simùl, *lupinum* sonat, exauditur, at *ovillum* mutum redditur. Quid dicam de agno? pone agnum recenter natum, qui nullum aliud animal viderit, nec audiverit; si repentè audiat ululatum luporum, repentè exanimescit, subitarioque perculsus metu, mortuus repentè concidit. Hinc Cornix & noctua, elephas & porcus, *leo* & sus, equus generosus & asinus rudens, ovis & lupus, sicut agnus, & lupus hieroglyphica, & symbola fuerunt, & sunt *discordiæ* derivatæ ex *odio*, & detrimentorum, quæ derivantur ex *odio*, & *odii* derivati ex naturali *antipathiâ*; & indicatur, quod *antipathia* sit una ex *causis*, & seminibus *odii*.

Adde antipathiam miram inter crocodilum, & ichneumonem; inter Ichneumonem, & aspidem; item inter Elephantes, & dracones, & rhinocerotes; item inter murem, & hirundinem; item odium naturale inter camelos, & equos; item inter aquilas, & draconem; cervos, & accipitrem, cum his tribus est aquilæ acerrima pugna. Accipitrem tinnunculus terret, in tantum ut visum, vocemque ejus fugiat. Item est naturalis antipathia inter cygnos, & aquilam; inter corvum, & miluum; inter corvum, & cholironem; inter æsalonem, & corvum; inter achantem, & asinum; inter gallinaceum, & vulpes.

Nec (ait *Montuus centuriâ secundâ*) in omni animalium genere, verùm in plantis etiam, atque fossilibus reperiuntur apathiæ, & antipathiæ, namque hædera arboribus omnibus, & satis, est inimica; brassica viti, quercus oleæ, adamanti sanguis hircinus, adamas magneti, cum quo & allium diaspathiam habere affirmant. De quercus, & oleæ inimicitiâ legimus, quòd tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe de pactæ moriantur.

At à contrario amicissimi sunt pavones, & columbæ; item turtures, & psittaci; item merulæ, & turdi; item cornices, & ardeolæ; item harpe, & miluus; se amant naturali indole etiam noctua, & accipiter; passeres, & columbi tinnunculum amant; balæna, & musculus sunt inter se concordes; crocodiloque est familiaris trochilus. Ista in hoc numero allegata animalia sunt symbola *amoris*, & concordiæ ex naturali *sympathiâ*; priora sunt symbola, & hieroglyphica *odii*, detrimenti, & discordiæ ex naturali *antipathiâ*.

Sunt igitur inter *causas* & semina odii *malum*, dissimiles *mores*, affectiones *contrariæ*, naturalis *antipathia*. Adde *detractionem*, *iram*, *calumniam*, ista enim odium generant. Item *veritas* odium parit. Accedit *invidia* ex felicitate aliena, parit abominabile odium; quare fratres Joseph hunc odio habebant, quia huic invidebant, & feliciorem concipiebant, & Saul ex invidiâ Davidem habebat odio, & persequebatur usque ad necem. Ambitio, & avaritia odium pariunt, dum ambitiosus persequitur odio eum, quem timet in dignitate sibi præferri, & eum, qui in dignitate ipsum non collocat; sicut & avarus odio habet eum, quem in lucro videt præire felicem, vel qui lucra etiam illicita impedit. *Iniuriæ*, *verba contumeliosa*, *incivilitas*, *superbia* sunt odii causa; item & susurri odii, & discordiæ sunt seminarium.

EFFECTVS ODII.

ET odio sunt socia *displicentia*, *discordia*, *ira*; si sit odium vitiosum, sunt sociè etiàm *insidiæ*, *fraudes*, *calumniæ*, *neces* ut *effectus*; Odium perturbat cor, sanguinem, phantasiam, imò *rationem ipsam*. Vide pag. 892.

Odium deunit ab objecto odio habito; sicut enim effectus *amoris* est unire, effectus odii è contrario est dividere, & separare; & sicut *amor* accersit amorem reciprocum in dilecto, odium odio habentis inducit *odium* reciprocum in odio habito; & sicut *amor* se deprimit, ut amatus exaltetur, à contrario odio habens se exaltat, ut odio habitus deprimatur. *Amor* pro re amatà bella movet, *odium* contrà odio habitum classes, & arma convocat. *Amor* pro re dilecta labores arduos putat levia onera, *odium* laboris minimum pro odio habità personà existimat gigantea pondera. *Amor* beneficia magna putat parva, *odium* pigmeum obsequium recusat ac magnum beneficium. *Amori* non est satis, si pro dilecto operetur, quod sufficit, ardet operari, quod excedit, non satiatur si operetur possibile, etiam impossibile propitium inhiat exequi pro re amatà; *at odium* non satiatur, inferendo personæ odio habitæ malum, quod sufficit ad ruinam, appetit superfluum, possibile, & impossibile ad ludibrium, & stragem; nec sanguine effuso mitescit, sed acriùs, more lupi, & feræ, ab effuso sanguine ardentiùs efferatur. *Amor* est loquax pro re amatà; *odium* est preco, cornix, & pica garrula, tuba mugiens contrà personam odio habitam. *Amor* omnia facit communia, *odium* privata. *Amoris* vehementia ex amante affectu aliquando amantes reddit elingues, visà repente re amatà, vel si huic quid adversi contingat, ut filius mutus, videns gladium super caput patris, rupit vincula linguæ; *odium* ex livore aliquando taciturnos gignit. *Amor* præ affectu flet in tragicis, & lætis; *odium* præ rigore exsiccat, & indurat; si aliquando flet, sunt lachrymæ ex tartareo, & venenato cordis fonte præ rabie, & furore. *Amor* non expectat, quærit dilectum, ut benè faciat; *odium* quærit odio habitum, ut noceat. *Amor* est operosus, & vigil, ut proficiat; *odium*, ut officiat. *Amor* est beneficus, & silentiosus, non divulgat beneficia; *odium* est maleficum, & loquax. *Amor* aspectum, & audire vocem rei dilectæ, suspirat; *odium* personam odio habitam videre, & ejus vocem audire omninò resistit, tortura est ipsi. *Amans* de loco non curat, ille sibi dignior, & charior, qui dilectæ personæ vicinior; *odium* prælationem loci ambit, & distantiam à persona, contrà quam interiùs ignem tartareum imbibit. *Amor* defectus personæ amatæ occultat; *odium* personæ odio habitæ etiam defectus festucas aperit, & ponderat ut trabes; crimina si non sint, cum impostoris, vafro artificio textis, ea artifex falsitatis suadet. *Amor* laudat, & honorat amatum, quem si videat ab aliis etiam laudari, & honorari, gaudet, exultat, & dilectum laudantes amat; *at odium* odio habitum vituperat, ab aliis vituperari gaudet, & si videat ab aliis honorari, & laudari, tabescit, fremit, irascitur, laudantes odit, vituperantes amat. Habet *odium* effectus effectibus amoris contrarios.

Itèm *odium* corporis omnes operationes immutat, vultus pallet, ideò dictum *color lividus arguit malignum cor*; riget corpus, albescunt labia, arctantur fauces, cor restringitur, & induratur, deprimitur pulsus, titubat lingua, turbantur oculi, fronsque rugatur.

Sicut autem datur amor *simplicis complacentiæ*, qui est amor boni, pro ut est bonum est in se ipso, ità datur odium oppositum huic, quod est aversio à malo, pro ut est malum in se ipso. Et sicut datur *amor* concupiscentiæ, qui est amor boni ut utilis amanti, ità è contrario datur odium,

quod

quod est aversio à malo, quia est læsivum odio habentis. Et sicut datur amor amicitiæ, quo quis optat bonum amico, ità à contrario datur odium inimicitiæ, quo odio habens optat malum inferre inimico; & sicut amicus non solùm optat bona amico, & facit, sed optat, quòd alii optent, & faciant, ità è contrario odium inimicitiæ operatur, quòd odio habens non solùm optet inimico mala, & inferat, sed optat, quòd alii optent illi mala, & modis omnibus inferant; gaudetque odio habens, si inimicis aliquod malum (infamia, sive infortunium) acciderit.

Infertur ex dictis, quòd duplex est odium, unum *rei* & aliud *personæ*; illud, quo rem aliquam aversamur, ut nocentem, & malam; istud, quo *persona* odio habetur, & ipsi malum optatur, & hoc videtur esse illud, quod S.P.Augustinus (lib.de def.) definit dicent: *Odium est vetus ira ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans*.

Infertur item, quòd *odium* potest esse moraliter *bonum*, si sit odium *vitii*; at moraliter *malum*, si sit *contrà rectam rationem*. Odium enim culpæ, & vitii est laudabile, etiam datur in Deo, non prout odium est passio sensitiva, sive sensibilis formaliter, sic enim solũ *metaphoricè* est in Deo *Odium*, sicut & *ira*, Deus enim spiritus purissimus non potest (propter ipsius summam perfectionem) aliqua passione sensitivà, aut corporeà affici. Datur tamen in Deo sicut formaliter amor spiritualis virtutis, & boni, ita odium spirituale, ut dicit aversionem spiritualem à malo culpæ, in quo sensu ore Davidico dicit Deus Psalmo 118. *iniquos odio habui*. De quo ad Theologiam attinet.

MEDICINA MORALIS contrà morbum *ODII*, *primò ex literis sacris*. Rubus *symbolum ODII*. *Ubi pro CONCORDIA*. Justa vindicta *per ULYSSEM lanceà excœcantem POLYPHEMUM*. *Vindicta justa* occidere *ODIUM*. Justa ultiò *per SCORPIONEM occidentem CORVUM*.

OMnis, *qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*. Epist.1. Joann. cap.3. Item Levit. c.19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

Prov.cap.26.v.26. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.*

Prov.cap.10. *Odium suscitat rixas, & universa delicta operit charitas.* Hæc meditari, sit medicina tibi.

Considera, quòd odium, & omne malum, quod suggerit spiritus tenebrarum, conscientiam obtenebrat. In comparatione *odii* est *ira* festuca. Hæc est gloria amare, quod potes odisse. Odio habeas peccata, non personas. Qui odit, se ipsum occidit. Culpa odienda, natura amanda. Odium est signum infirmi animi, non heroici index. Nullum proficit in vulnere medicamentum, si intùs ferrum; nulla proficit oratio, in cujus pectore odium versatur. Ex privatis odiis publica incendia, sicut ex festuca incensa, aut lucernà neglectà, non nunquam flagrat urbs tota. Pluvia non cohæret cum serenitate, caligo cum lumine, amaritudo cum dulcedine, cum tranquillitate tempestas, cum fœcunditate sterilitas, pugna cum pace, ità nec cum odio amor; dulcis est amor, dulcedinem tibi negat odium.

Cur foveas *odium agreste*? cur odium *Novercale*? ex Philosophia Proverbiali sæculari dicebantur *odium agreste*, vel *odium Novercale*, ut adagia, illud explicans odium acerbum, & atrox; istud, ut innuens irreconciliabile odium, quia novercis omnibus innatum est fatale quodam, & ir-

re-

reconciliabile odium in privignos. At cur tale odium pectore foveas? *rubum ficcam* pectore tenes, fuit enim hieroglyphicum odii propter asperitatem; ficcam potiùs franges, quàm minimùm flectas; ergò cur asperitatem foveas corde? vide quòd rubus maximè adulta, & ficca, pungit, lacerat, cruentat; cor est carneum, miserere tui, quia cor lancinas proprium. Rubus in corde est ficca, ignis odii flagrat; ergo excute rubum, extingue ignem, aliter ardes.

Christum in proximo aspice, materiam odii subducas, tua peccata reflecte, charismata meliora æmuleris. Considera, quòd vulnus inflictum ab odio est cocodrili morsus, nunquam sanatur; solus amor est electus balsamus.

Odium incitat, ut inferas malum? abstine. Sunt viduæ, sunt pupilli? Deus in Exodo cap. 22. præcipit: *Viduæ, & pupillo non nocebitis; si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli*. Miserius est nocere, quàm lædi. Homo, naturæ obediens, homini non nocet.

Odium *concordiam* impedit, pacem relegat; cur te prives dulcedine pacis, & concordiæ nectare? *O quam bonum*, & quàm jucundum *habitare fratres in unum*, ajebat David; attende, non solùm dicit *bonum*, sed *jucundum*, id est, dulce, suave, placidum; & dicit O, significando excellentiam jucunditatis.

Concordia est *unio cordium*, & *animorum*; at ajebat S. P. Augustinus in Psalmo 140. *Sicut est concordia membrorum, ità & animorum esse debet*.

Quando corpus *perfectum*, & *pulchrum*? si unita membra. Unde optima constitutio corporis? ex temperatura *humidi, sicci, calidi, frigidi*; sunt contrariæ indoles, & tamen si temperentur ad concordiam, constitutio resultat. Ad generationem rerum uniuntur quatuor elementa inter se contraria; temperantur, & sic generant argentum, & aurum, lapides pretiosos, viventia innumera, arbores, flores, &c., O quot ex concordia commoda! Nolis allegare, quòd tua, & odio habiti indoles sint antipathicæ, contrariæ; temperentur, & concordabunt; se temperant elementa licèt *contraria*.

An *lyra* non sit harmonica? certè; at fides sunt contrariæ, jam subtiles, jam crassiores; cur harmonia ex contrariis? quia temperantur ad sonum.

An *Musica* non sit canora? certè, si dextera; at voces sunt contrariæ, una vox subtilis, alia crassa, & demissa, alia media; cur si contrariæ consonant? quia uniuntur ad harmoniam. Putas, quòd licèt tua indoles non sit similis, sed opposita indoli alterius, non possit esse concordia? erras; temperentur cordium fides, animorum voces, O quàm canora musica! O quàm harmonica lyra!

Commoda quæris? *concordiâ* sulciuntur opes exiguæ, concordiâ minimæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Vide ex *Proverbiis* cap. 17. v. 1.

Melior est buccela sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio.

Indoles sunt sympathicæ? eò magis concordiâ crescet amor; inter Olivam, & myrtum mira est sympathia, quibus simùl plantatis lemma, *mutuo amore crescunt*.

Vides coronam ex floribus contextam? est pulchra, & amæna? fateor; at observa, quòd *ex unione decor*.

An nescis, quod ex concordia mutuum auxilium? cœcus humeris portat

tat claudum videntem; ille portat, iſte dirigit; ſic mutuò auxiliantur ſibi. Pedes portant oculos, oculi dirigunt pedes; cum iſtà concordià mutuò ſe fovent. Vidiſti Diomedem, & Vlyſſem ſociè figuratos? adde lemma, *unus nihil, duo* plurimùm *poſſunt*; ſi duo ſint concordes, unus ingenio, alius robore, nec Hercules contrà duos. Geryonem tricipitem ſcis hieroglyphicum concordiæ inſuperabilis.

Cur inter te, & proximum *Odia*? Cur *rixæ*? an ut opibus tuis, & damno ſatientur alii? Videas *leonem*, & *aprum* acerrimo odio rixantes, & *vulturem* à longè expectantem finem pugnæ; obſervantem, ſi mutuò ſe occidant, vel ſaltem unus occidat alium, & ſic ſatietur ipſa ex alieno damno; quid hoc ſymbolum indicet, ſatis patet. Ingeniosè Æſopus finxit *leonem*, & *urſum*, qui ſimul hinnulũ fuerant nacti, de illo pugnant, gravi odio, & irà ferà ſe lacerant; vulpes obſervabat à longè pugnæ finem cupida ruinæ ipſorum; ipſi fervore prælii feſſi jacent, oculis obtenebratis ex furore; tunc quid vulpes? per medium eorum intrat pede tacito, rapit hinnulum, fugit rapida; quid hìnc? vulpes cum lucro ex ipſorum damno; ſurgunt tandem, & dicunt: *Nos miſeros, qui vulpi laboravimus*. O quot vulpes, & vultures veſtras rixas obſervant, & ambiunt! quot ſatellites! quot ſcribæ! quot judices avari! quot hæredes! quot ſervi, ut rapiant! quot ex illis, qui ſicut ſtercora ſolo diluvii tempore natant! quot, qui, ſalamandræ more, in ſerenitate non videntur, & ſolo tempore imbrium, & tempeſtatis apparent!

Sunt odia? reconcilientur corda, & idem affectivè erunt, unum ex duobus efficit amor.

Qui odiſti, putas grave, & durum amare? ama, & erit ſuave. Quem putas amorem? *oleum* dicas; oleum lenit, emollit ferrum ſymbolum belli, & *odii*; tanta eſt oleo ferrum emolliendi vis, ut ad feriendi uſum ineptum, & inutile reddat; quare fabri, qui ferrum lenteſcere, & emolliri volunt, candefactum id oleo intingere conſueverunt, ideò cultrum in aliquot oleæ baccas impactum pingere fuit uſus, ut ſic duritiei lenitæ, odiique ferrei emolliti hieroglyphicum eſſet. Odio habes, dicis, quià alter te odio habet? cor alterius eſt ferreum, & durum? vis tale odii emolliri *ferrum*? mitte *oleum*; quid hoc? ama eum, te odio habentem; illud tali oleo ferreum cor emollietur; quis non cedat amori? *Oleæ* ſurculus *querno* ramo implicatus (quia mutuam antypathiam habent quercus, & olea, & ſunt ſymbolum inveterati odii, & naturalis antypathiæ) etiam hieroglyphicum fuit reconciliationis eorum, inter quos fuerit odium antiquum; age, reconcilientur corda. Amor reſpondet amori, eſt ecchus amoris amor; ſi vis amari, ama.

Adde munera, urbanitatem, obſequia; dic *bona* de illo coram aliis, qui transferant; ſic odium alterius emolleſcet, tuum abibit, & omnia in pace erunt.

Item diverte imaginationem ad ſtudia honeſta, ad honeſtè jucunda, ad amicos honeſtos; conſidera, quot animo, & corpori odium inferat damna; occidit ſpiritualiter animam, corpus infirmat, & perdit; rixas, & diſcordias convocat; opes in rixis diſſipat, quietem fugat, ſomnum flagellat, inimicos accumulat, nam qui odit, odio habetur. Si hæc non ſufficiant, muta locum, peregrinatio divertat.

Odium foves, quia alter injuriam intulit? & tu multas injurias feciſti Deo, & tamen, quòd parcat, & te amet, optas; dimitte, qui vis, ut dimittatur.

Apettis *vindictam*? concedam tibi *laudabilem*; quam? iſtam; odium contrà proximum tuæ animæ, & corpori nocet, mortem ſpiritualem ani-

mæ,

mæ, & corporalem corpori infert, *ergo occide odium*. Vidisti figuratum Vlyssem, lanceà excœcantem Polyphemi barbari gigantis, & Cyclopis, oculum? si vidisti, quid indicari putasti? per *Ulyssem* intelligitur recta ratio, sive prudentia, per *lanceam* virtus vindicativa, sivè punitiva scelerum, per *Polyphemum* gigantem superbum, qui occiderat, & manducarat socios Vlyssis, & ipsum Vlyssem occidere, assare, & manducare inexorabilis intendebat, intelligitur *vitium*, intelligitur *odium*, quòd occidit moraliter rectæ rationis in corpore socios, nempe spirituales potentias animæ; item corpori nocet; adhùc occidit rectam rationem, dum eam à rectitudine cadere, & ipsi odio sensitivo portionem superiorẽ hominis servire assequitur; imò cum Polyphemus fuerit *barbarus*, barbarum cum arcu suprà diximus symbolum *odii*; ergo recta ratio, sive prudentia lanceà virtutis occidat Polyphemum, occidat vitium, enecet odium, huic enim actioni epigraphe *justa vindicta*; qua factà, nunquam contra vitium, nunquam contrà vitiosum odium cesset virtuosum laudabile odium.

Excute illud abominabile odium, quod est tibi tortura, noctem te reddit obscuram, socium inter inferni furias, quæ te crebrò dilaniant; RECIPE *laudabile odium contrà vitia*; pharmacum est sanctum, item & medicina nobilis. Time iram Dei, mortem improvisam, inferni pœnas, & ne temetipsum æterno odio tuimet crucies in inferno, abstine à vitioso odio contrà proximum in sæculo; time etiam occidi.

Vide, quòd *odium* insidiatur vitæ odio habiti; at timeas tu occidi, qui alium occidere ambis. Polyphemus inexorabilis volebat occidere Vlyssem, sed iste qui aliter effugere è cavernà Gigantis non poterat, & preces essent irritæ, prior Polyphemum gigantem excœcavit; nec fidas robori giganteo, nam Vlysses staturà parvà, sed ingenio, & industrià major, vicit; ideo Vlyssi, lanceà excœcanti Polyphemum, lemma, *Justa vindicta*.

Vidisti illud Emblema, in quo figuratur *corvus*, insidens ramo arboris, *scorpionem* tenens in ore, ut occidat, at scorpio in illo agone, ut se liberet, stimulum caudæ infigit corvo, & sic venenum diffundens, prior corvum occidit? vidisti? at respectat, ad innuendum, quòd qui alteri necem pretendit, non rarò ab illo altero prior occiditur, dum ille occisionem fugà, vel alio modo, vitare impotens, cuspidem (ut se defendat) figit in pectore ejus, qui ipsum præceps, & inexorabilis irruebat occidere; cui Emblemati lemma, *justa ultio*. Alitèr, tu es corvus? fortè alter scorpio erit.

Ideò tu odio habens, & hìnc fraudulentus, & insidians, cur non timeas, quòd odio habitus (si similis tibi) etiam vitæ tuæ insidietur, & tùm ex odio, tùm ut se tutè ab insidiis tuis se omninò preservet, te prior occidat? peccabit; at si sit similis tibi, quid de illo speres? legisti? qui legis, intellige. *Reconciliatio* contra morbum odii, & ad vitandos alios morbos animi, & corporis, & damna, quæ generat morbus præcipuus odii, est tuta medicina; tutissima est *timor Dei*, *charitas*; indiges vomitione, & purgatione cordis; ergo ut odium evomas, & cor purgetur, *Recipe* (Deo auxiliante) *Dei timorem*. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

Adversùs odium fraternum vide S.P. Augustinum *Tractatu* 1. *in epistolam Joannis post medium*, *Tomo* 9.

De *bono*, & *malo* odio vide S.P. Augustinum *lib.* 50. Homil. 37 cap. 2. per totum, & Homil. 40. cap. 1. post medium.

Dicta suprà à nobis sigillat Augustinus docens in Psalmo 54. *Cum aliquid patitur Christianus, non debet facilè velut odio ire in eum, à quo patitur. Vita nostra dilectio est; si vita dilectio, mors odium est.*

Et serm. 1 de Tempore Tomo 10. sic Augustinus: *Odium velut venenum*

num mortiferum de corpore vestro repellite ; & tanta sit in vobis charitas, quæ non solùm usque ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos.

Et serm.7. De *tempore Tomo* 10. addit : *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei*. Et serm.42. *Fratrem non quasi inimicum odio habeas, sed peccatum velut morbum persequere.* Et serm.3.de diversis: *Quid est odio habere mala tua? pœnitendo confiteri peccata tua*. Hoc est occidere odium malum, hoc est laudabile odium habere odio odium malum; ut enim dictat S.P. Augustus *serm.256* de temp. *Odium animæ amor nequitiæ ; ergo contra odium nequitiæ amor animæ. Qui diligitis Dominum, odio habete quod malum est*. Hæc contrà odium malum, & pro odio bono nempe pro odio vitii, sive peccati, subscribit spiritualis medicus Augustinus.

CAPUT XXV.

De DESIDERIO, & ABOMINATIONE. *Desiderium hieroglyphicè per* CERVUM, & SITIM.

DEsiderium (scribit S.P. Augustinus Serm.10. ex addit. à Chartus.) *est in homine, qui vult pervenire ; nam nemo desiderat, quod habet*. Et (in Psalmo 118. conc.8.) definit : *Desiderium est rerum absentium concupiscentia*.

Hinc desiderium distinguitur ab *amore*, quia *hic* ex terminis tendit ad bonum præscindendo ab absentia, & præsentià, sive possessione; *desiderium* autem est amor boni absentis, in quod appetendo tendimus ; *gaudium* est amor boni præsentis, & jàm possessi.

Desiderium passio ex se potest esse desiderium in *bono*, vel in *malo*; in *bono*, cum est desiderium virtutis, & juxtà rectam rationem; in *malo*, cum est desiderium vitii, & contrà rectam rationem.

Hinc desideria *cum consensu*, vel *bona*, vel *mala* moraliter sunt. De Desiderio *malo* dicebat Augustinus in Psal.139. *Desiderio tuo facis lucrum diabolo*; & alibi *Damnatio est servire desideriis carnalibus*. Et lib.3. ad Bonifacium cap.7. tomo 7. *Hìc præceptum est, ut desideriis peccati non obediamus; in Cœlo præmium, ut desideria peccati non habeamus*. De Desiderio *bono* loquebatur S. Pater lib.11. Confessionum cap.1. tomo 1. *Domine exaudi desiderium meum ; puto enim, quod non sit de terrà*. Et Tract.10. in Joannem, tomo 9. *Totum desiderium vitæ æternæ sit*. Et in Psalmum 62. tomo 8. *Appetamus Deo in sancto desiderio, ut appareat nobis in potentià, & glorià filii Dei*.

Bona, & *mala* desideria explicat de Symbolo lib.3. cap.1. tomo 9. dicens : *Pompæ diaboli sunt quæque illicita desideria, quæ turpant ; non quæ exornant animam*. Et in Psalmo 122. tomo 8. addit : *Desiderio bono levamur ad Deum, & desiderio malo ad ima præcipitamur*. Et Psalm.42. *Finis desiderii nostri Deus promissor*.

Sicut datur duplex appetitus, unus *rationalis* per essentiam, & spiritualis, attinens ad portionem superiorem, & spiritualem animæ, qui est *voluntas*, alius *sensitivus*, & corporeus, qui pertinet ad portionem inferiorem hominis, nempe corpus, sive carnem, & sensum, & hic dicitur appetitus *sensitivus*; ità dantur desideria *spiritualia*, & bonorum intelligibilium, spiritualium, & æternorum in voluntate recta, & dantur desideria sensitiva, & rerum, sive bonorum sensibilium in appetitu sentiente, & hæc, ne sint vitiosa, sunt moderanda.

Si desideria *spiritualia* sint *bona*, inquit S.Pater in Psalmum 110. conc. 20. in

20. in medio, tomo 8. sic: *Ardentibus spiritualibus desideriis, carnalia desideria sine dubitatione frigescunt.*

Desiderium vitii non statim ac desiderium est culpabile, & peccatum, si non sit voluntas consentiens; ideò ajebat Aureus S.P. Aurelius Augustinus in Psalmum 102. *Post remissionem peccatorum corpus infirmum geris; necesse est, sint quædam desideria carnalia, quæ tibi suggerant delectationes illicitas*; at de peccato Originali cap. 40. tomo 7. explicat: *Vitiosis desideriis si non consentitur, nullus peccati reatus contrahitur.* Et contrà Julianum lib. 5. cap. 3. tomo 7. *Aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis, tradatur eis*; quare hoc est culpabile malum, non quod excitentur ut motus, & passiones sensus, mala desideria, sed quòd eis consentias; addente Augustino lib. 3. contrà Julianum cap. 26. *Caro facit malum desiderium, sed non ipsa perficit, non sibi consentiente spiritu, & ad opera damnanda non pervenit.* Confirmat id de Continentiâ cap. 8. *Sunt in nobis desideria mala, quibus non consentiendo, non vivimus malè.* Et lib. 5. contrà Julianum cap. 3. *Cum dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quià desertus à Deo, cedit eis, atque consentit.* Quare lib. 13. de Trinitate cap. 5. tomo 3. *Malà voluntate, vel solà quisque miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.*

Passiones sunt affectus, & motus quidam naturales, non voluntarii, siquidem nobis insciis, & invitis primò excitantur; quià in statu naturæ *lapsæ*, & vitiatæ per peccatum originale, caro concupiscit adversùs spiritum, & est rebellis rationi, & hinc repentè excitantur passiones rebelles; in statu *innocentiæ* caro erat subdita rationi, quare ejus motus, sive passiones semper vergebant ad bonum, non erant rebelles, & turbulentæ, sed perfectè subditæ rationis imperio. At licèt nunc nobis invitis excitentur passiones, & prava desideria, si coercemus, & resistimus, non peccamus, imò quia vincimus nos metipsos, meremur. Hùc ajebat S.P. Augustinus lib. 6. contrà Julianum cap. 19. tomo 7. *Carnis concupiscentia manet in homine, secum per continentiam confligente; non pariendo peccata, sed desideria commovendo*; at in Psalmum 118. ait: *Nihil operatur peccatum, nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria*; ac si dicat, nostra caro, vitiata per peccatum originale, solùm potest excitare desideria illicita; at si nos nolumus consentire, non peccamus. Quare in Expositione Epistolæ ad Galatas cap. 5. tomo 4. dicit: *In quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desideriis ejus. In quo autem non existunt omninò ista desideria, non solùm non peccat, sed etiam non habet peccatum.* Vt desideria autem perfecta, & heroica commendet, ait Sermone 45. de tempore: *Desiderium tuum tale debet esse ad Deum, ut omninò non sit ipsa concupiscentia, cui resistere oporteat.*

Desiderium dici solet cupiditas, & concupiscentia ab appetitu concupiscibili, vel rationali, vel sentiente, in quo subjectatur; at datur ex pag. 869. concupiscentia *spiritus*, qua appetimus bona *spiritualia* animi, & concupiscentia *carnis*, qua appetimus bona *sensibilia corporis*, vel necessaria ad vitam tuendam, quæ dicitur concupiscentia *naturalis*, ut sanitatem, alimenta, vestimenta, domicilium, &c. vel non necessaria ut multas opes, voluptates, dignitates; & ista desideria bonorum corporis, sive bonorum *sensibilium* naturæ, & fortunæ (ne sint immodica) sunt moderanda.

Desiderii hieroglyphicum est *cervus*, qui devoratis viperis, ex veneno flagrans ardore, currit desiderio ardente sitiens ad fontes aquarum. Item *sitim* dicas desiderii hierogliphycum, desiderium enim est quædam sitis rei desideratæ; ideò Augustinus in Psalmum 62. *Desiderium sitis est animæ.*

CAUSÆ, ET EFFECTUS DESIDERII.

SUnt eædem cauſæ, quæ ſunt *amoris*, nam ab *amore* reſultat deſiderium; hìnc & ſunt iidem *effectus*. Vide pag. 905. & pag. 906. & 919.

MEDICINÆ MORALES contrà MORBUM immodici *DESIDERII bonorum SENSIBILIUM. Primò ex literis* ſacris. *Deinde ex Philoſophiâ MORALI* hieroglyphicà *per MERCURIUM TRICIPITEM in* triviis; *indè ex Philoſophiâ morali POETICA per HERCULEM, è terrâ attollentem GIGANTEM ANTÆUM. Commendatur* ſacra Scriptura. *Noſtra methodus* non *eſt* miſcere Sacra profanis.

QUæ ſurſùm ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Paulus ad Coloſſenſes 1.

Hoc erat illud *deſiderium*, quo flagrabat Jeſſæus vates ille, fundà inſignis, citharàque decorus, qui præcipitem immani dejecit mole Goliam, cum in Pſalmo 42. ſitit: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum; ità deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Sed cur ejus deſideria erant ſpiritualia, & ſpiritualium, & æternorum bonorum, niſi quià dejecerat deſideria immodica terrena, & ſenſibilium rerum? hæc ſymbolicè ſignificabantur in gigante Golia; apud Geneſim enìm capite 6. quid innuebant *gigantes in terrà*, niſi homines terrenis deditos, & ad terrena defluentes, cultui carnis ſtudentes, ſenſibilia, & caduca bona immodicè deſiderantes? gigantes in *infernum* detruſi ſunt, quia *infernus* eſt vitioſorum *deſideriorum* terminus.

Dejecit Rex muſicus, & Propheta Goliam *cum lapide in funda*; quid ſignabat *illa funda*, in qua erat *lapis*, niſi *Crucem Chriſti*, in qua poſitus *lapis Chriſtus* percuſſit diabolum, & vicit mundum? ergo cum Chriſto Crucifixo in corde noſtro, per crucem, & mortificationem, diabolicas aſtutias, & terrenas dejiciemus cupiditates. Imò & ut lapis expediatur è fundâ actiones in modum *Crucis* formantur; nàm funda primò ingyrum mittitur ad jaciendum lapidem, poſtea elevatione brachii, ut fiat ictus, ex primà, & ſecundà actione ſpecies *crucis* formatur.

Quid apud *Cantica cap.* 1. C. innuit *abire poſt veſtigia gregum*, niſi ambulare viam latam, & ſectari *deſideria* carnalia, cum quibus comparamur brutis, & reddimur ſimiles illis? Quid (apud *Geneſim cap.* 11.) indicat, ædificatores turris Babylonicæ *recedere ab oriente*, niſi recedere à Deo, & à rectâ ratione? tùnc reddimur artifices ſuperbiæ, & deſideriorum vanitatis; & quid apud Jeremiam (cap. 2. F. & 3. B.) eſt *abire ſibi metipſi*, niſi relicto Deo *proprium* ſectari *appetitum*? Age, oportet abire à deſideriis terrenis; quid enim apud Exodum (cap. 14. D.) indicat, *proficiſci de Ægypto*, niſi relinquere ſæculum, hujus deſideria, tenebraſque vitiorum? & quid apud Exodum (cap. 8. G.) indicat *abire longiùs ab Ægypto*, niſi recedere ab occaſionibus peccatorum, & ab omni eo, quòd deſideria carnis accendat? Imiteris *Eliam* (lib. 3. Regum cap. 19. A.) *fugientem Jezabelem*; in quo deſignatur vitatio carnalis concupiſcentiæ, quæ *non* per *obſiſtentiam*, ſed per *fugam* (ut dictum pag. 921.) eſt vincenda. Quid ſignabat præceptum Dei Abrahamo, ut *egrederetur* iſte *de terra ſuâ, & de cognatione ſuâ*, niſi cupiditates carnis, & terrenas, nobis cognatas, quia ad ipſas caro noſtra propendit, eſſe relinquendas? Anima noſtra à Deo eſt, ad Deum tendant *deſi-*

de-

deria noſtra ; cur abeas retrorſum ? apud Jeremiam cap. 15. A. *abire retrorsùm* ſignificat animam, quæ relictis ſpiritualibus, *ad deſideria* temporalia, & carnalia convertitur.

O miſer, cur terrenis cupiditatibus immerſus, & deſideriis ſæculi agitatus, in continuà confuſione, & turbatione gemas ? Quid, putes, innuat *Babylon* in ſacris chartis ? interpretatur *confuſio* ; eſt typus hujus mundi, qui plenus eſt confuſione ; ſignat animam in confuſione peccati miſeram, ipſumque ſtatum peccati ; quando anima confunditur, quando turbatur, quando, pace deſerta, bella ſuſcipit paſſionum, quando ſæculi anxia deſideria recipit, & tunc tumultus militiæ, & malitiæ circà eam fremit, tunc eſt, & moratur *in Babylone*. Cur in Babylone vivas ? cur confuſionem diligas ? Quid ſignabat Babylon ſeptuaginta annis tenens captivum populum Iſrael, niſi carnem, tenentem animam captivam, ut ſerviat deſideriis carnis ? cur deſideret anima tua carnes, & ollas Ægypti ?

Repelle ergo concupiſcentias immodicas ſenſuum ; concupiſcentia *carnis* refertur ad ea, quæ ſunt *guſtus*, *tactus*, *olfactus* ; concupiſcentia oculorum ad ea, quæ attinent ad *viſum*, *& auditum*, & etiam ad *ſenſus interiores* ; abiice delectari ſenſibilibus, abiice hæc deſiderare, & ſpiritus delectetur ſpiritualibus, quin delectationes, & concupiſcentias ſpirituales impediant tumultus deſideriorum ſæcularium ; dicas, & agas cum David in Pſalmo 84. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini* ; quid eſt deficit ? præ vehemente deſiderio, & amore, Deum videndi, languet.

Cur te crucies ſæcularibus deſideriis ? Qui ſæcularia avidè deſiderat, tyrannicè ſe cruciat. Deſideria dilatione torquent ; & in deſideriorum fornace ardes. Etiam quod tempore acceleratur, deſiderio tardum videtur. Ideo Auguſtinus (De *Virginit.*) ajebat : *Qui moderari neſcit cupiditatibus*, is, quaſi equis raptus indomitis, *volvitur*, *laniatur*, *affligitur*. Deſideras, quæ tibi deſiderata ſunt pœna ; ſi aſſequaris, ruina ; ſi non aſſequaris, vel aſſequi non poſſis, miſer es. Omne *deſiderium*, cum differtur, eſt *pœna* ; quid quando haberi res deſiderata non poteſt ? *infernus*. Nihil ſic afficit animum, ac impatiens deſiderium. Omne deſiderium convertitur in pœnam, quando non evenit citò, quod optatur ; quid quando uunquam evenit ? O ſtulte ; deſideras dominari ? Auguſtinus te admonet lib. 3. de Civit. Dei cap. 14. quòd *dominandi cupido peſſima beſtia*. Contra deſideria immodica ſenſibilium bonorum vide totam ferè ſecundam Porticum à pag. 471. uſque ad paginam 679.

Quid ergo ? dictat S.P. Auguſtus in Pſalmum 13. tomo 8. *Non verè Deum invocat, qui ea deſiderat, quæ illi diſplicent.* Ergo hoc deſiderandum, quod Deo placeat.

Id innuerunt veteres ſapientes (fugatis ſuperſtitionibus ſtultorum) per *Mercurium tricipitem in triviis* ; trivium eſt locus, ubi tres, pluresve viæ dividuntur, ancipitem, dubiumque reddens itineris ignarum ; in ſingulis capitibus inſcriptionem habebat, quò duceret iſta via, quò rursùs illa. Præter caput nihil humani fuiſſe figuratum in tali hieroglyphico dicunt, non pectus, non brachia, non pedes ; & ſic formabant, ut innuerent, Deum totum eſſe mentem, ut ait Tzetzem XIII. Chil. hiſt. 464. Fugatis igitur ſuperſtitionibus, poſteà à diabolo inductis in illis hieroglyphicis Abraham iticis per iniquos homines, & cæcos gentiles, purgata re, opinor quòd S Patriarcha Abraham, qui ſapientiam hieroglyphicam docuit in Ægypto, & per Mercurium tricipitem (ut dictum pag. 432. & pag. 272.) innuit Trinitatem in unitate Dei, hoc hieroglyphicum (ut dictum ſuprà) ſymbolum Dei, qui totus eſt mens, inſtituerit, ut viatoribus inſcriptio phyſicè oſten-

de-

deret viam; & moraliter, ut indicaret hieroglyphicè, quòd *quà Deus vocat, eundum*; nec alias vias à nobis capessendas, nisi quas Deus jubeat; nec alia desideria fovenda, nisi quæ Deus approbet, & placeant ipsi. Hæc ex Philosophiâ *Hieroglyphicâ*.

Nunc ex Philosophia Morali *Poetica*, Medicina contrà *vitiosa*, & terrena *desideria* est, carnem, sive corpus, & sensum attollere à terrenis cupiditatibus ad virtutem, & rectam rationem. Hoc indicavit *Poesis* per figmentum Herculis, pugnantis contra Antæum gigantem. Fuit Poeticum figmentum, quòd cum Hercules è Pyrenæis per Illyricam regionem iter faceret, & in Lybiam perveniisset, Antæum terræ filium obvium habuit, hominem admirandæ proceritatis, quippè qui ad sexaginta, & quatuor cubitorum longitudinem accederet, in omnes peregrinos inhumanum, quos secum luctari cogebat, & suffocabat. Hic cum Herculem ad luctam provocasset, ab hoc pœnè extinctus ter prosternitur; at gigas erat eâ virtute, ut quotiès *terram* matrem attingeret, totiès fortior resurgeret; quod sentiens Hercules, hunc comprehensum sublimem à terrâ tandiù sustinuit, quandiù expiraret; sic vi Herculeâ, brachiisque denique constrictus Antæus expiravit.

Relictis *physicis* sensibus, quos latere ajunt in hoc figmento, *moralia* instant. Quid per *Herculem*, nisi *spiritum*, sive *rectam rationem*, superiorem portionem hominis intellexerunt veteres sapientes Poetæ? quid per *Antæum* gigantem, *terræ* filium, nisi *corpus*, sive sensum, sive dicas carnem, quæ portio inferior hominis, & ex terrâ, est? Quid innuit illa *lucta*, illa pugna inter *Herculem*, & *Antæum*, nisi luctam, & pugnam *spiritus* adversùs *carnem*, & *carnis* adversùs *spiritum*? sanè in nostris sacris chartis habemus ex Paulo ad Galatas cap. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem*; ideò Job *militia est vita hominis super terram*, nam spiritus, & caro, quæ est terrâ, sunt in continuâ pugnâ; & illi Poetæ, qui si quid *boni* dixerunt, à fontibus *Hebræis* acceperunt, ab Hebræis id discere potuerunt.

Quid significant *pedes*, & *calcanei* gigantis Antæi tangentes terram, nisi affectus, cupiditates, concupiscentias, & desideria carnis hærentia, & fixa caducis, sæcularibus, & terrenis rebus? satis id indicatum pag. 871.

Imò & in nostris sacris literis *pedes*, quia sunt *infima* pars corporis, & terræ hærentes, & sordidi, signant symbolicè in sensu *malo* infimos, & terrenos, & carnales hominis affectus, & de his vitiosis affectibus exponere possumus illud in Proverbiorum capite 1. B. *Pedes eorum in malum currunt*. Sic & *calcaneus* est postrema pars pedis humani; *calcitrare*, quod calcaneis fit, est calces in aliquem quasi renitendo mittere; hinc hærentes terræ *calcanei* in sensu *malo* non solùm innuunt symbolicè *cupiditates* carnis, *desideriaque terrena*, sed *carnem* recalcitrantem contrà spiritum, & calces affectuum, adversantium spiritui, renitendo spiritui, in spiritum mittentem. Ecce pugnam spiritus adversùs carnem, & carnis contra spiritum, quam (apud sapientes Poetas) innuit pugna Herculis contrà Antæum, & Antæi contrà Herculem in nostris sacris literis, à quibus per Hebræos acceperunt illi sapientes Poetæ Græci. Apud *Exodum* cap. 29. C. & *Leviticum* cap. 7. D. & 8. F. *pectora hostiarum*, quæ cedebant in partem Sacerdotis, significabant *sapientiam* necessariam Sacerdoti, ad instruendum populum; & apud Leviticum cap. 7. D. & 8. F. *pectusculum*, quod est Sacerdotum, significat *bonam conscientiam*, quam Sacerdos habere debet.

Aptè effinxit Poesis, quòd Hercules Antæum vincebat, quando illum à terra elevabat, & *pectori* adstringebat, quia si *pectus* putatum est *sedes sa-*

pien-

pientiæ, atque prudentiæ, ideòque *virtutis*, tùnc *spiritus*, sive *ratio recta*, portio superior hominis, vincit inferiorem, nempe *carnem*, & *sensum*, quando hunc attollit à terra, nempe à terrenis cupiditatibus, & desideriis, & adstringit sapientiæ, prudentiæ, & virtuti.

Item aptè effingitur, quòd licèt Antæus ab Hercule sublatus è terrâ, & pectori adstrictus, penè extinguebatur, at si Antæus iterùm, & quoties terram attingeret, totiès fortior resurgebat, ad innuendum, quòd licèt à rectâ ratione, sive spiritu, & portione superiore hominis, per virtutem, & sapientiam, corpus (sive sensus, sive caro) attollatur à terra, nempe à terrenis desideriis, tamen si iterùm tangat terram, id est, terrenis desideriis afficiatur, quoties sic tetigerit, toties contrà spiritum assurget rebelle, & vires acquiret. Consequenter igitur fingitur à Poesi, quòd Hercules tùnc penitùs suffocavit Antæum, quandò comprehensum, & sublatum à terrâ, quin tangeret illam, firmiter, & perseveranter, elevatum, & pectori adstrictum tenuit; in quo indicarunt Poetæ illi, quòd tùnc perfectè subjicitur caro, & suffocatur concupiscentia, quando omnia desideria corporis nostri, quæ sunt terræ filii, terram non tangunt, nec terrena respiciunt, sed ab spiritu elevata è terrenis rebus, virtute perseverante, & firma, tenentur elevata ad Deum, conjuncta cum perfecta virtute, & subordinata spiritui, sive rationi rectæ, ne ullum fomentum ulteriùs à terra, sive à rebus terrenis corpus accipiat, ideò ajebat Augustinus Tract. 4. in Epist. Joan. tomo 9 *Tantùm nos exerceat sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi*. Ergo hæc est *medicina moralis* contrà desideria *carnalia*, & *terrena*, desideria nostra attollere à terrâ.

Et hoc intendebat S. P. Augustinus ubi suprà citatus dicens: *Desiderium tuum tale debet esse ad Deum*, ut *omninò non sit ipsa concupiscentia, cui resistere oporteat*. Item ubi suprà dixit de homine, quando accedit ad istam perfectionem, quam existimo virtutis in gradu *heroico*, sic: *In quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desideriis ejus. In quo autem non existunt omnia ista desideria, non solùm non peccat, sed etiam non habet peccatum*. Cur? quià suffocavit concupiscentiam.

Nolis mirari hos salutares sensus in figmento Poetico, cum ex pag. 427. reflectis, quòd Poetæ illi, *si quid boni* dixerunt, *ab Hebræis* acceperunt; sicut & de illis Philosophis gentilibus dictum à pag. 407. usque ad pag. 426. quòd si quid *boni*, & *veri* dixerunt, *ab Hebræis* potarunt.

Nec quia videas jam literas *sacras*, jàm *profanas*, sive sæculares, & Poeticas, simùl, putes, hoc esse *miscere sacra profanis*; non, inquam; nam *miscere sacra profanis* est, quando in materia profana, vel ad finem profanũ, vel impurum, vel ludricum, ut in scęnis, comædiis, & similibus, miscentur sacra, vel tanquam sacra serviant profanis, & ideò profanentur; non tamen est *miscere sacra profanis*, cum in materiâ honestâ, virtuosâ, & laudabiliter morali, & ad finem sanctum, adducuntur literæ sacræ, ut *duces*, & *reginæ*, & honestæ literæ sæculares adducuntur *ut ancillantes*; nam hoc modo sectamur morem Sanctorum Basilii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Pauli &c. ut vidimus à pag. 389. usque ad p. 442. & 406. Imò cum aperimus, quòd sensus *boni*, qui sunt latentes in figmentis, & involucris Poeticis, cohærent cum nostris sacris literis, eò magis detegitur, & aperitur, & demonstratur, *ad gloriam nostrarum sacrarum literarum*, quòd à nostris sacris fontibus acceperunt illi Poetæ, quæ dixerint *vera*, & *bona*, & furati sunt ex nostris; & dum, ut tegerent, & velarent furta, ea vestiebant involucris suis ridiculis, ut se cantarent auctores, nùnc illis suis velaminibus abjectis, patet furtum ad eorum confusionem, qui potuerunt uti nostris sacris sobriis arcanicis velami-

minibus, ut discebant ab Hebræis,& non texere alia superstitiosa,vel ridicula;unde quando sensus *bonos*,qui latent in figmentis Poeticis,demonstramus consonos *nostris sacris chartis*, nihil aliud facimus, quàm vindicare à gentilitia rapinà *nostras literas sacras*, restituendo ad ipsas puros, & procul ab omni gentilitià labe, *sensus illos sacros*, & *bonos*, quos à cocidicibus nostris sacris rapuerunt illi fures,& jactabant latrones illi, se talium laudabilium sensuum,& pretiosæ doctrinæ, concinnare fontes. Nos gauderemus, accepissent, si *benè* usi fuissent, & profeciissent. Quod in opere hoc non semel adverti,ut exulent scrupuli. Vide cap.8.pag.435.

Nos enim non adducimus *literas sacras*, ad dandam *auctoritatem figmentis Poeticis*, absit hoc, nec cogitetur umbra talis rei; sola motiva suprà relata gloriosa nostris sacris chartis nos movent; item ut illi, qui se jactant peritos Poeticæ eruditionis, dum illa figmenta legunt, non sistant in gentilitià vanitate, sed illam contemnant,& medullam (at puram) intelligant cum utilitate; aliter non erit eruditio, sed vanitas, & ridiculis speciebus intellectivam potentiam fœcundare, ut pariat monstra, vel vanitates,& in ordine ad bonum cum sterilitate. Quod ideò intendo, quia vel flevi, vel nescio si cum fletu, & risu, observavi aliquos tubas suæ eruditionis propriæ, cum tamen nihil boni inde extraherent, putantes se eruditionis primates cum solà fabulà, nominando Herculem, Antæum, Apollinem, Musas, &c. psittacorum more solà locutione materiali.

Hæc reflectas occasione *moralis* medicinæ ex literis *sacris*, & *profanis*, sive *poeticis* (sicut frequens est in hoc operere) contrà morbum *desiderii immodici* bonorum *sensibilium*; contrà quem morbum sunt morales medicinæ etiam illæ, quas à pag 907. usque ad pag. 1010. dedimus pro *moderatione* passionis *amoris* sensibilium bonorum, sive contrà morbum *immodici amoris* sensibilium, sive sint divitiæ, sive dignitates, sive attineant ad *tactum*, sive ad *gustum*, sive sint quævis voluptates sensus. Item cum *Felicitas* sit id, quod maximè *desideratur*, cuncta à nobis dicta in secundà Porticu à pag 471. usque ad pag. 679. ne Felicitas humana collocetur in bonis *naturæ*, & *fortunæ*, quæ bona sensibilia, & temporalia sunt, militant, ne ista *immodicè desiderentur*, & sunt medicinæ *morales* contrà morbum desiderii *immodici* eorum, ut jàm suprà monuimus.

ABOMINATIO.

Abominatio est passio opposita *desiderio*, sivè cupiditati, aut concupiscentiæ; quia *desiderium* amplecti inclinat, *at abominatio* respuit. Sicut desiderium succedit amori, ita abominatio odio. Sicut *cupiditas* (sive desiderium dicas) ab *amore* differt, quòd *amor* in *bonum*, quodcumque illud sit, aut præsens, aut futurum fertur, & consequentèr in bonum *absolutè* sumptum, cupiditas autem, sive desiderium fertur in bonum *absens*; ità abominatio differt ab odio, quòd odium importat declinationem à malo *absolutè*, & ex terminis, sumpto, sive sit præsens, sive futurum, at *abominatio* importat declinationem à malo *futuro*, sive imminente, & ideò abominatio explicatur per aversionem, & fugam, quia est fuga à malo, quod imminet nocere. Amor dicit pondus ad bonum, non actualem tendentiam, sicut desiderium; ità odium importat declinationem à malo per modum ponderis declinantis ab oppositio, & malo, & nocivo, non dicit motum actualem fugæ à malo, & motum actualem aversionis ab ipso, quam dicit abominatio, nam hæc est fuga à malo, aversio ab ipso, at fugere, & avertere positivum actualem motum explicant. Sicut item *amor* respicit bonum

ut

ut *delectationis* causam, *desiderium* autem (sive cupiditas) respicit ipsam *delectationem*, sive voluptatem, quæ non dum est, & conatum, & contentionem adhibet, ut fruatur; ità odium abhorret *malum* ut molestiæ, & tristitiæ, & nocumenti *causam*, at abominatio abhorret *ipsam molestiam*, tristitiam, damnum, quæ non dum sunt, & impetum, conatum, & contentionem adhibet, ut evitet. Amor præcedit, sequitur desiderium; ità odium præcedit, sequitur abominatio. In utraque affectione *amoris*, & *desiderii* spiritus animales versùs bonum effunduntur quodammodo, at in *amore* bonum velùt brachiis noster appetitus complectitur, per *desiderium* autem in bonum ipsum possidendum velut sagitta vibratur, & velut alis subvecta in bonum evolat. Sic in passione *odii*, & *abominationis* spiritus animales turbantur, commoventur; at in odio animus abhorret malum, quia dissonum, eò quod disconveniens, & nocivum, in abominationæ autem fugit sicut cervus visà repente viperà, & sicut oculus noster à facie colubri.

Ideò *abominari*, & *detestari*, cum sit rem aliquam cum fastidio, & odio abjicere, designat aliquod malum vel reale, vel aprehensum in re ipsa, quam quis abominatur, cujus causà abjicienda putatur & cum *quodam horrore*. Detestari, & *execrari* semper videntur fieri verbis, *abominari* verò aliquo facto, vel signo. Abominari est idem, ac esse aversum ab aliqua re, aliquid ut adversum habere; est idem abominari, ac fugere, respuere, perhorrescere, detestari. *Abominor* componitur ex *ab*, & *ominor*, quasi pro malo omine habere.

Causæ, & effectus abominationis sunt eædem ac odii. Medicinæ morales contra abominationis vitiosæ morbum sunt eædem, quæ suprà subscriptæ contrà morbum odii vitiosi contrà *personam*. Contrà morbum nimii odii, & abominationis nimiæ, & contrà rectam rationem, *physici mali*, ut sunt adversitas fortunæ, paupertas, infirmitas, mors, &c. sunt medicinæ morales, quæ assignabuntur infrà contrà morbum nimiæ tristitiæ propter relata mala.

Cervus fugiens à viperà repente visà, elephantus fugiens à porco, & capro visis, leo à sue, & pecora à lupo, propriùs sunt hieroglyphica abominationis, & positivæ aversionis, & fugæ à malo; licèt etiam sint hieroglyphica odii, quatenus ex odio mali illa fuga derivatur.

Caveas abominari *vitiosè*, sive contrà rectam *rationem*. Appetis abominari? subscribam tibi laudabiles abominationes; abomineris vitia; *fuge à facie peccati, sicut à facie colubri*. Apud Exodum cap. 8. F. *Abominationes Ægyptiorum* signant affectus carnales, & vitia, quæ mundani tanquam idola colunt; has abomineris abominationes, ne sis abominatio Domini; passìm enìm in sacris chartis peccatores, & peccata dicuntur abominatio Domini.

Si *abominari* est *fugere*, fuge *à culpà*. Apud Genesim cap. 19. E. *Fugere à Sodomà* indicat moraliter, declinare incendia carnis. Apud Genesim cap. 31. D. *Jacob fugiens à Laban* designat moraliter fugam à carnalibus vitiis. Fuge moraliter ad *montes*, quod in literis sacris indicat, relictis sæculi periculis, ad vitam sublimiorem per virtutes consurgere, & etiam ad sanctos, eos imitando, & orando. Agar, id est, caro non fugiat à facie domine suæ Saræ, nempè à recta ratione.

Si *abominari* est *avertere*, & avertere est à conspectu alicujus amovere, *averte oculos tuos*, ne videant vanitatem, averte ab erroribus, averte pedes tuos, id est affectus sensus, à malo. Apud Isaiam cap. 58. D. *Avertendus pes à sabbato* signat, cavendum à peccato. Si non avertas à peccato, time, quòd Deus se à te avertat; time, quòd avertat *faciem* suam, non

favendo; quòd avertat *aurem*, te orantem non audiendo; quòd avertat *manum*, te in peccato relinquendo, & dexteram auxilii efficacis non præstando; O, avertat Deus furorem suum parcendo.

CAPUT XXVI.

De GAUDIO, *sive* DELECTATIONE, & TRISTITIA: Indicatur hieroglyphicè GADDIUM *per humorem* sanguineum, *ex ætatibus per* juventutem, *ex stationibus anni* per Ver, *ex metallis per* aurum, *ex coloribus per* purpureum, *sive* roseum, *item per* GRATIAS, & NYMPHAS.

GAUDIUM, & TRISTITIA tenent *ultimum* locum, & gradum in ordine *passionum*, quià ad eas, tanquam ad passiones *ultimas*, omnes aliæ passiones terminantur, nulla enim est *passio*, quæ non terminetur, vel ad *tristitiam*, vel ad *delectationem*, communiter jàm dictam *gaudium*; sunt enim istæ passiones completivæ, & finales simpliciter omnium passionum, ideòque ad omnes passiones consequuntur; *Spes* enim, & *timor* subjiciuntur illis, quia licèt sint passiones principes, non tamen principalissimæ, quia non sunt quasi completivæ *simpliciter*, sed completivæ *in genere motus appetitivi* ad aliquid; sunt enim de *futuro*. Quemadmodum enim de bono *præsenti* est *gaudium*, de malo *præsenti* est *tristitia*, ità de bono *futuro* est *spes*, de malo *futuro* est *timor*; omnes autem hæ passiones, quæ sunt de bono, vel de malo *præsenti*, vel *futuro*, ad *Gaudium*, & *tristitiam* reducuntur. Vide pag. 902.

Tamen quià moris est *primò* agere de *sex passionibus* appetitus sensitivi *concupiscibilis*, & postea de *sex passionibus* appetitus sensitivi *irascibilis*, cum *sex* passiones *concupiscibilis* appetitus sint *Amor*, *Odium*, *Desiderium*, *Abominatio*, *Gaudium*, & *Tristitia*, ideò postquam actum est de prioribus *quatuor*, de ultimis *duabus*, nempe *Gaudio*, & *Tristitia* tractare ordo statutus requirit.

Discrimen assignant multi inter *gaudium*, *lætitiam*, & *delectationem*, quòd *delectatio* communiter dicatur de naturà *spirituali*, & *corporali*, & consequenter possint esse delectationes *spirituales*, & *sensitivæ*; *at gaudium*, & *lætitia* dici soleant tantùm de naturà *spirituali*. Item distingunt *gaudium*, & *lætitiam*, quòd lætari est *extrinsecùs*, gaudere verò *intrinsecùs* sine ullo exteriori indicio; quarè propriè *lætus* dicitur is, qui hilaritatem, quam intùs habet, eam vultu, & gestibus ostendit.

At etiam *gaudium*, & *lætitiam* posse inveniri in *bonis*, & *malis*, & ideo posse esse de bonis *spiritualibus*, & de bonis *sensibilibus*, & consequenter posse dici non solùm de natura *spirituali*, sed etiam de *corporea sentiente*, dictum ex S. P. Augustino pag. 568. & 569. Vide etiam pag. 457. & 458. & 912. quod datur etiam *voluptas*, sivè *delectatio*, spiritualis, & voluptas carnalis.

Imò Paulus ad Philipenses cap. 4. v. 4. *Gaudete semper in Domino, iterùm dico, gaudete*, ecce gaudium spirituale. In Eccles. cap. 9. *Vade ergo, & comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cùm GAUDIO vinum tuum, quià placent Deo opera tua*. Eccè gaudium etiam *corporale honestum*.

Item in Psalmo 32. *lætamini in Domino, & exultate justi*, ecce lætitiam spiritualem. In Ecclesiastico ubi suprà, *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum*, ecce lætitiam corporalem honestam; si sit cum nimietate,

erit

erit lætitia corporalis vitiosa. Et in Ecclesiastico cap. 3. *Et cognovi, quòd non esset melius, nisi lætari, & facere bona in vita sua*, quod exponitur etiam de *lætitia* corporali honestà. Gaudiũ *malum* vide infrà p. 1030. & 1032. ex Job.

Gaudium numeratur inter passiones *sensus*; at istæ sunt communes brutis, in homine moderandæ. Agnellus hædus, vitulus currendo, ludendo, saltando (sicut canes inter se, & videndo patronum) lætantur, & signis externis explicant suum gaudium sensitivum interius, & lætitiam sensitivam *exterius*. Gaudiũ, & lætitia spiritualia in solà naturà spirituali, sive rationali sunt.

Parva etiam mihi apparet illa differentia inter *lętari*, & *gaudere*, quòd illud est *extrinsecùs*, istud *intrinsecus*; etiam enim lætari est *intrinsecùs*, quare David in Psalmo 84 *Cor meum*, & *caro mea exultaverũt in Deum vivum*; ecce *exultatio*, quæ est *lætitia magna*, in corde, & consequenter *intrinsecùs*.

Ex dictis de *Amore*, & *Desiderio* infertur, quòd gesta *moralia* sunt quodammodo similia *naturalibus* rebus. In gravibus, & levibus tria consideranda occurrunt. *Primò* est *forma* gravis, vel levis, per quam grave quodam naturali pondere inclinat deorsùm, & leve sursùm. *Secundò* est considerabilis *motus*, per quem tendunt in sua centra, sive quodlibet in suum locum. *Tertiò* est considerabilis *quies* eorum in suo loco, & centro. Sicut autem gravia, vel levia per *suas formas*, nempe gravitatem, vel levitatem tendunt innato pondere in loca, & centra propria ut bonum sibi; sic per *Amorem* tendit quis pondere proprio, & spontè in bonum sibi conveniens, & proportionatum inclinationi, qua inclinat ad bonum putatum conveniens sibi; Hìnc cum bonum aliquod apprehendimus, *primò* per *amorem*, & quandam complacentiam *quasi* per naturalem formam, & pondus ad *bonum* nobis, ei conformamur; *secundò* per *desiderium* positivo *motu*, & tendentià in illud tendimus; *tertiò* per *delectationem* in ipso quià amato, & desiderato, at jam possesso, quiescimus, & *gaudemus*. Ecce *delectationem*, sive *gaudium*.

Sic respectu *mali* apprehensi, sponte, & quasi naturali impetu illud *odio* habemus, quia est disconveniens, & ideò displicens, & difforme voluntati nostræ, cujus objectum est bonum; postea tale malum positivo motu refugimus, & iste motus est *abominatio*; at si tale malum non possimus vitare, & illud patiamur, tùnc est *tristitia*, dicta etiam *dolor*.

Patet ex his, quòd *gaudium* sumit mensuram à desiderio proximè, ab amore radicaliter, & *desiderium* sumit suam mensuram *ab amore*; nam si *amor* est vehementior, quia *bonum* sit, vel apprehendatur majus, est vehementius *desiderium*; & si sit assecutio boni, quò vehementiora fuerint amor, & desiderium boni, *vehementius*, & *ardentius* erit *gaudium* de assecuto, & possesso bono. Sicut licèt omnia gravia inclinent ad centrum, tamen quæ habent formam graviorem, gravius inclinant, velociùs tendunt, sive descendunt, & quietius, & firmiùs in centro requiescunt.

Item *tristitia* sumit mensuram proximè *ab abominatione*, mediatè, radicaliter, sive fontaliter ab odio; *abominatio* sumit mensuram immediatè ab *odio*; nam quo sit efficacius odium mali, quia sit, vel apprehendatur gravius, disconvenientius, & nocentius, eò erit efficacior *abòminatio* mali, & fuga velocior, & horror major; quod malum si non vitetur, sed sustineatur, durior, & gravior tortura, dolor, & *tristitia* erit.

Dantur (ut dicebatur suprà) *gaudia spiritualia* de possessione bonorum spiritualium, sive intelligibilium, & æternorum, & *gaudia corporalia*, & sensitiva de possessione bonorum sensibilium, & corporeorum; *illa* sunt actus portionis superioris hominis, nempe rationalis, sive spiritualis, & sunt actus appetitus concupiscibilis rationalis, nempe voluntatis rectæ; *ista* sunt motus, sive passiones appetitus concupiscibilis sensitivi, & pertinentis ad in-

feriorem portionem hominis, nempè corpus; hinc GAUDIUM pro ut est *passio* appetitus sensitivi concupiscibilis, & de quo *gaudio* moderando in præsenti instituemus, definitur sic: *Est passio appetitus sensitivi concupiscibilis ex perfectionis appetitæ conjunctione, secundùm interiorem apprehensionem sensus, vel intellectus.* Vel sic: Gaudium est *affectio animi, alicujus præsentis boni opinione concepta.* Vel sic: *GAUDIUM* est *motus, quo fertur animus in bonum sibi conveniens jam adeptum.* Aptiùs sic GAUDIUM est *qui est in bono adepto.* Ex quibus patet, gaudium passionem (sicut & cœteras passiones) supponere cognitionem, sive apprehensionem boni, vel mali, & in hoc nostri motus sensitivi distinguntur à motibus rerum non animatarum.

Gaudium de possessione bonorum *sensibilium* est *honestum*, si sit *juxtà* rectam rationem, & ut caro, & talia bona serviant spiritui; de quo gaudio dixi supra ex Ecclesiast. cap. 9. Item Paulus ad Romanos cap. 12. *Gaudete cum gaudentibus*; & Psalmo 68. *Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitiâ*, quod non solùm exponitur de gaudio spirituali, sed etiam de corporali *honesto*. Gaudium corporeum *contrà rectam rationem* est perversum, & *vitiosum*, nempe quando *nimis* gaudemus de possessis sensibilibus bonis, tunc enim postponuntur spiritualia, intelligibilia, æterna, & divina; & contra hoc *gaudium* Jacobus in epist. cap. 4. *Nunc autem exultatis in superbiis vestris, omnis exultatio talis maligna est.*

Hieroglyphica gaudii sunt ex humoribus *sanguineus*, ut in pag. 894. explicatum; ex ætatibus *juventus*, sive adolescentia, quæ ex fervore sanguinis est ætas festiva, & *læta*; ideò Seneca in Hippolyto ajebat: *Propria describit Deus officia, & ævum per suos ducit gradus; lætitia Juvenem, frons decet tristis senem.* Quod in anni stationibus VER, id in hominis vita est *Juventus*, in qua vernat ut flos prima lanugo; VER autem (quià floridum, & amænum, & post nigra, & aspera nubila hyemis) est symbolum *gaudii*, cum quo vultus amœnum, placidumque se explicat. VER symbolum *gaudii* explicat descriptio *veris* ex Ovidio lib. 1. Fastorum:

Omnia tunc florent, & tunc nova temporis ætas;
Et nova de gravido palmite gemma tumet,
Et modò formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum,
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatque potus.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et lutum celsà sub trabe figit opus,
Tunc patitur cultus ager, & renovatur aratro.

Et Tibullus lib. 3.

Jam violas puerique, hilaresque puellæ,
Ruraque nullo nata serente vehunt,
Prataque pubescunt variorum flore colorum.
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,
Cum se purpureo vere remittit humus.

Et Ovidius in *transformat.* sic:

Omnia tunc florent, florumque coloribus almus
Ludit ager, &c.

Item ex *elementis terra florida*, & virens est symbolum *gaudii*, sicut & *aer lucidus*, & *serenus*, maxime cum aliquibus nubibus calore, ex Solis calore, *purpureis*. Ex *metallis aurum* est gaudii symbolum, quià ad exhilarandum miram sympathiam habet cum corde. Ex *planetis Sol* oriens est *gaudii*

dii symbolum; quia Oriente sole *gaudium universale*. Jam ex *coloribus* cur *purpureum*, symbolum *gaudii*, repugnes? color est lætus, & gratus aspectui; at & gaudium gratos, & lætos reddit, affectuque gaudii rubescit purpureus color in genis.

Nunc ex Poeticâ *Gratias*, & *Nymphas* satis *gaudii* symbolum consenties, si reflectas, quòd *Gratiæ* sint figuratæ juvenes, læto vultu, & saltantes tempore verno; sed & Nymphæ sunt figuratæ pulchræ, & floridis vestibus. Ex floribus, *gaudii* symbolum est *Rosa*, nam & impulsu *gaudii roseus* redditur vultus. Quæ uberiùs inferes ex *gaudii* effectibus.

CAUSÆ, & EFFECTUS GAUDII passionis sensus.

CAusæ sensibilis *gaudii* remotæ sunt illæ, quas pag. 905. diximus causas *amoris*, qui est passio prima, & fontalis, unde gaudium originem habet; causa *gaudii* proxima est assecutio boni amati, & desiderati, sive ipsum bonum adeptum.

Effectus physici gaudii colliguntur ex deffinitione medicâ *gaudii*; sic Medicina definit: Gaudium est excessus quidam concupiscibilis appetitus (nempe sensitivi) *cum manifestâ cordis amplificatione*. Hanc medicam definitionem explicat, *medico more*, in Cathedra primaria Medicinæ in nostro publico, & Regio Neapolitano Musæo Lucas Tozzi dicens, gaudium aptè dici motum concupiscibilis appetitus, nempe sentientis, quia re verâ ad hunc pertinet, qui ad præsentiam boni commovetur, & quodammodo exultat; *voluptas* enim, ac *delectatio*, non nisi *de bono*, & non solùm in sensu *interno*, sed etiam in sensu *externo* manifestatur; quandoquidem V.g. quando *gratum cibum* gustamus, ne dum *delectationem* percipimus *in ipsa appetitu concupiscibili sensitivo*, verùm etiam *in organo gustus*; ideò rectè dicitur, gaudium excitari *ex præsentiâ boni*, *sensu percepti*, quia re verâ *sensus* oblectatur circà gratam affectionem *extrinsecùs* habitam, & *intrinsecùs* deinde impressam; unde etiam *vellicationes*, *titillationes*, atque *internæ* commotiones *in sanguine*, & partibus *solidis* percipiuntur, & specialiùs *in corde*, ut patet ex pulsu magno, & elato, ob uberiorem sanguinis appulsum. Sed *septum* quoque *transversum* subinde commovetur, atque amplificatur, quandoquidem facillimè consequitur inde *risus*, & *thoracis amplitudo*, simulque unà *totum corpus* exultat, & *roseo colore* perfunditur vultus, oculi alacriores observantur à sanguine vividiori, & magis expanso; affectu enim gaudii amplificatur, & dilatatur cor, & apud Isaiam cap. 60. legimus: *Tunc videbis, & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum*, & à dilatatione cordis dicta est cordis delectatio, quasi *lætitia* cordis. Dilatato corde, spiritus vitales diffunduntur in corpus, & hinc, & ex commotione sanguinis quasi foras erumpere propendente, rubescit, & accenditur *facies*, purpureoque, sive roseo, & sanguineo, aliquando veluti tincta murice, veluti Sidonio, Puniceo, Tyriove colore ignescit.

MEDICINÆ MORALES contra morbum *GAUDII VITIOSI ex sacris chartis, & Augustino.*

O Sæculi immodica gaudia, cujus effectus suspiria. Divina tuba in Proverbiorum capite 14. sonat: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat*. Hùc Job. cap. 30. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*. O gaudia mundi, hodie cantica, crastina die Epicedia! hodie Musarum cantus, cras Præficarum fletus! hodie

sym-

symphonia, cras funebris, & mæsta tibia! hodie organa, cras ludibria! hodie lauri, cras cupressi! hodie dies alba notabilis margaritâ, crastina dies nigra! hodie in Capitolio, cras in sepulchro! hodie VIVAT, cras EXPIRAT! hodie splendor, cras ecclypsis! hodie palma, cras cum falce, & securi Parca! etiam inter risus sunt adversitatum imminentium impetus; *an* risus non miscetur cum dolore? *an* extrema gaudii luctus non occupat? *an* non convertitur in luctum cithara? an non vertuntur in fletus, & suspiria harmonica organa? Hodie dies *alcionis*, cras *turturis solitariæ* lamẽtationes.

At cur dixerim, *hodie* lætitia, *cras* mæstitia? hodie carmen, cras *væ*? *hodie* jocatio, *cras* lamentatio? pulsat Job. cap. 20. *Laus impiorm brevis*, & *gaudium eorum instar puncti*. O gaudium *in puncto*! ubi punctum, ibi finis! in puncto gaudium incipit, in eodem puncto finit! vix incipit, jam adversitate, dolore, vel passione contrariâ expirat, in eodem puncto oriens, & occasus! ergo est Chymæra, non Sol. Dionysius tyrannus, Diagoras Rhodius, & Sophocles rident, risuque immoderato, ridendo, sunt extincti.

Cur nimis gaudeas de sæcularibus bonis? cur corporeum ames immodicum gaudium? Audias Augustinum in Psalmum 52. *Temporalibus gaudent, qui bona æterna non norunt desiderare*. O miser, in te mærorem (pœnitentiæ) invenias, si derelicto creatore gaudium in te quærebas. Quot immodica in mundo corporea habeas gaudia, tot, si non pœniteat, postea eris coactus subire tormenta. Verum non est gaudium, nisi pax, & justitia teneantur; à justitia est pax, à pace gaudium, ergo est *justitia* radix.

Scias ex Augustino *de libero arbitrio*, *lib.* 1. *cap.* 13. Tomo 1. *Nihil aliud est beatè vivere, quàm veris bonis, certisque gaudere*; hæc autem sunt bona spiritualia, sive intelligibilia, virtutes, Deusque possessus per illas. Scias ex eodem Augustino (*De Cathechiz. rudibus cap.* 16. *Tomo* 4.) quòd *Verius gaudet homo de verâ conscientiâ inter molestias, quàm de malâ inter delicias*. Dicas Deo cum Augustino (libro 10. Confessionum cap. 22. Tomo 1.) sic: *Ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te*; & alibi Deo dicit: *Tædeat me gaudere sine te, & delectet contristari pro te*; & libro 10. Confessionum cap. 23. addit dicere Deo: *Qui non de te gaudere volunt, vitam beatam nolunt*. Ideò libro 14. de Civitate Dei, cap. 8. addit: *Gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens*; at tale bonum est *spirituale*, est Deus per exercitia virtutum possessus. Ergo (Tractatu 10. in Joannem, Tomo 9.) ideò admonet: *Modò gaudium nostrum in spe sit, nemo gaudeat quasi in re præsenti, ne hæreat in via. Totum gaudium de re futura sit*. Et in Psalmo 4. Tomo 8. sic: *Sola bona interiora* (nempe spiritualia) *diligenda sunt*; *cæteris autem* (nempe sensibilibus, sive corporeis) *ad necessitatem utendum est, non ad gaudium perfruendum*. Quare sermone 46. de Sanctis clamat: *Non quæramus gaudium in hoc mundo, quia verum gaudium comparari hìc potest, possideri non potest*. Ex quo (De verbis Domini serm. 37. cap. 1. Tomo 10.) concludit: *vincat GAUDIUM in Domino, donec finiatur GAUDIUM in sæculo*; GAUDIUM *in Domino semper augeatur*, GAUDIUM in sæculo *semper minuatur, donec finiatur. Gaudium mundi* communiter accipitur pro *effusa lætitiâ*, & *sine sine honesto*, in quo sensu optat Augustinus, quòd penitus evacuentur, & exulent *gaudia sensus*, sive sæculi, & omninò in nobis sola spiritualia gaudia regnent. Hæc pharmaca moralia subscribit spiritualis medicus Augustinus contrà morbum immodici gaudii de adeptis terrenis, & sensibilibus bonis.

Quid, existimes in literis sacris (Ecclesiast. cap. 9. B.) significat *cum gaudio bibere vinum*? libentèr percipere doctrinam, & consolationes spirituales. Quid (apud Isaiam cap. 12. B.) signat illud, *Haurite aquas in gau-*

ra-

dio de fontibus Salvatoris ? libenter ſuſcipere doctrinam ſacrarum ſcripturarum, & ſanctorum Eccleſiæ Doctorum ; ergo bibe aquas tibi ex ſacris chartis, & ex Auguſtino oblatas. Quid apud Mathæum (cap. 2. B) indicat *gaudium de invento theſauro* ? gaudium adeptæ ſapientiæ ; hæc eſt Deus, ergo in Deo adepto ſummo bono ſit gaudium, & ut gaudeas, adipiſci agas. Quomodo, Dei ope, ages ? apud Pſalmum 83. ait David, *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: cur ſic ? quia *cor, & caro in laude Dei concordabant ſpiritui* ; cum caro concordat ſpiritui, rectæve rationi, tunc exultatio vera. Quomodo caro concordabit ſpiritui ? Paulus (Epiſt. 1. ad Corinthios capite 7. C.) *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur* ; & quid apud Ezechielem capite 7. D. indicat, quòd *non debet lætari, qui emit* ? quòd homo utatur hoc mundo, quaſi non utatur. Si hæc agas, quid ? apud Pſalmum 64. *lætabitur germinans*; quid indicat hoc ? quòd juſtus gaudet benè operando ſecundùm virtutes, & dona Spiritus Sancti. O gaudia vera ! Gaudia ſæculi inſana, & ſunt gaudia vana, ſunt Babylonis flumina, labuntur, tranſeunt. Auguſtinus in Pſalmo 136. ad illa verba *ſuper flumina Babylonis illìc ſedimus*, exponit : *Flumina Babylonis ſunt omnia, quæ hìc amantur, & tranſeunt* ; ergo labuntur, fluunt, tranſeunt; ideo Auguſtinus de ſtrepitu aquæ, quo percutiens ſaxa, ſonat fluvius, addit: *Attende, quia fluit; attende, quia labitur* ; ergo non eſt verum, & firmum in his fluminibus *gaudium*, labitur è pectore præceps.

Item cum *gaudium* paſſio ſenſitiva derivetur ab *amore*, & *deſiderio*, ſunt medicinæ etiam *morales* contra morbum immodici, & vitioſi *gaudii* ſenſus, illæ, quas aſſignavimus contrà morbos vitioſi *amoris*, vitioſique *deſiderii*. Item cum *gaudium* paſſio ſenſus ſit de bonis ſenſibilibus adeptis, & hæc ſint bona *naturæ*, & bona *fortunæ*, ſunt etiam medicinæ *morales* contrà vitioſum ſenſitivum *gaudium* ea, quæ *in ſecundà Porticu* abundè diximus, ne *felicitas humana* relatis *ſenſibilibus* collocetur in bonis.

Adde. *Gaudium* ſumit menſuram *à deſiderio*, & *deſiderium* ab *amore*, qui eſt primus motus, & prima paſſio, ex qua omnis alia ſumit originem ; imò & *odium* mali, *abominatio* mali, & *triſtitia* de malo, etiam ab *amore boni* ſumunt originem, nam ideo *malum* odimus, abominamur, & triſtamur, ſi malum ſuſtineamus, quia *bonum malo contrarium* amamus. Hìnc medicina *moralis*, moderans *amorẽ* boni ſenſibilis, moderatur *deſiderium*, & *gaudium*. Quomodo noſter ſenſitivus moderandus *amor* ? ſic. Cum amor tendat in bonum, illud objectum principaliùs, & intenſiùs ametur, in quo majus, & excellentius bonum reperiatur ; at excellentiſſimum bonum eſt *Deus*, item bonum *commune* eſt excellentius, quàm *privatum*, ergo intenſiùs diligas *Deum*, quàm te, cum & tui conſervatio ſit à Deo, & ſine ipſo conſervari, & vivere nequeas, & excellentiùs conſervatio tua (ſicut & eſſe) eſt in Deo, quàm in te ipſo; unde conſervatio tua theſaurizatur in Deo, & ſi annihilatus abires, iterùm te Deus reficere poteſt. Imò & in *Deo* includitur omne *commune*, & *privatum* cujuſcumque bonum. Poſt Deum *bonum commune* excellentius eſt, quàm *privatum*, quia proficit pluribus, & tuum bonum *privatum* continetur in bono *communi*, ſive *publico*. Age, præferas amorem *Dei*, & *publici* boni, amori *tui*, & ſic tuus ſenſibilis, & bonorum ſenſibilium moderatus erit AMOR, hìnc moderatum reſultabit DESIDERIUM, ex quibus emanabit cum moderatione GAUDIUM.

Si ſic modereris *amorem, deſiderium*, & *gaudium* de *ſenſibilibus* bonis adeptis, magis amabis *intelligibilia*, & *ſpiritualia* bona, quæ ſunt exercitia *optimarum virtutum* ; ex quo emanabit, quòd præferas *ſpiritualia* gaudia, item & delectationes *intelligibiles, virtuoſas*, & *ſpirituales*, delectationibus

ſen-

sensitivis, sive *sensibilibus*, quæ sunt bestiis communes, ex quo vives *ut homo*, non vives *ut bestia*. Delectationes, & gaudia *sensuum* non quæras *simpliciter*, & *ut ultimum* finem, sed solùm (scholastico more dicamus) *secundùm quid*, nempè quatenùs conducant ad delectationes intelligibiles, sive spirituales, & virtuosas, & serviant his, asinusque corpus serviat, ut adjuvet ad portanda onera, id est, exercitia spiritus, sive in vita *contemplativa*, sive in vita *activa*, dum anima degit in corpore. Bona *sensibilia* serviãt fini *spirituali*. Hæc si agas, PAXTIBI; aliter tonat Job. cap. 21. contrà vitiosè gaudentes: *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad INFERNA descendunt.*

CONSIDERARE pernicioſos EFFECTUS PHYSICOS immodici ſenſibilis *GAUDII etiam juvat MEDICINÆ MORALI contrà illud. MEDICINA PHYSICA* contra morbum *immodici GAUDII ſenſibilis eſt SYMBOLUM medicinæ MORALIS contrà ipſum.*

HOneſtum GAUDIUM proficit etiam corpori; quare in ſacra Philoſophia Proverbiali, cap. 25. ſic: *Cor gaudens exhilarat faciem; in mœrore animi dejicitur ſpiritus*. Et Eccleſiaſtici capite 30. *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Ideò de gaudio etiam corporeo honeſto, & fine virtuoſo, & juxtà rectam rationem, ſuprà memoravimus ex Eccleſiaſtici cap. 3. *Et cognovi, quòd non eſſet melius, niſi lætari, & facere bona in vitâ ſuâ*; & ibidem, *Et deprehendi, nihil eſſe melius, quàm lætari hominem in opere ſuo*, nempe honeſto. Et cap. 9. *Vade ergo, & comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quiâ placent Deo opera tua.* Gaudium enim corporale honeſtum, & fine honeſto, & rectæ rationis, eſt *per participationem* etiam *ſpirituale.*

At *immodicum* GAUDIUM *corporeum*, ſive *ſenſibile* nocet etiam *corpori*; non ſolùm *animum*, & *mentem* conturbat, imò (ut advertit Lucas Tozzi in Cathedra Medicinæ in noſtro Regio Athenæo primarius) *gaudium* ſenſibile, ſi modum excedat, ſanguinem, & ſpiritus, plurimùm à corde ſegregando, imbecillum, & effœminatum reddit gaudentem; atque inductâ virium jacturâ, exſolutoque ſpiritu, repentè aliquando interitum attulit, ut præ cœteris 2. *de cauſ. ſymptom.* memorat Galenus; & ex Franciſco Guichardino accipimus, quòd Livius, & Camilla ſe ardenter amarant, & optarant; accedit eventus poſſeſſionis; unâ cubant; præ nimio gaudio Livius in lecto moritur; Camilla ut frigidum cadaver ſentit, præ triſtitiâ ſe interimit. Ideo dictum:

Ancipiti illius contraria prælia menti
Gaudia, triſtitia, ſpes, metuſque movent.

Varia pathemata variè excruciant homines, crudeliterque divexant. Ideo Boetius lib. 1. metro 7. dictat, quòd qui velit tranquillè vivere, hæc præcepta ſervet: *Gaudia* pelle, *timorem, ſpemque* fugato, nec *dolor* adſit. Nubila *mens* eſt, victaque *frænis*, hæc ubi *regnant.*

Gaudium, quod eſt corporis nectar, & ambroſia, ſi ſit nimium, morbos generat; & inter cauſas *paralyſeos* Rhaſes medicus excellens inter Arabas *nimium gaudium* recenſet. Prodeſt gaudium mæſtis, & melancholicis, & tamen ſi ſit repentina mutatio à mœſtitiâ ad gaudium eſt in illis timenda; interitus his facilè evenit, quia depreſſum mæſtitiâ cor, effœtuſque ſanguis, ſi repente diffletur per gaudium, facillimè fatiſcit, & emoritur. Gaudia

etiam

etiam ipsa interdum inquietant animum; ideo Ovidius 7. Metamorph.

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

Vexant igitur mentem *nimia corporea* gaudia, & corpus affligunt, impediunt cognitionem alterius rei distinctæ ab objecto, quod delectat; ità animum absorbent, ut non relinquant ipsum adeò liberum, & expeditum, ut cogitet de aliis rebus. Delectationes enim corporeæ mentem obruunt, spirituales autem non aggravant, imò illuminant, ideoque David, *Gustate, & videte*; adest dubium, *gustare* spiritualiter attinet ad voluntatem, *videre* ad intellectum, qui est spiritualis oculus animæ, voluntas sequitur ad intellectum, iste ordine naturæ præcedit voluntatem, ideo *nihil volitum, quin præcognitum*; hinc *videre* præcedit ad *gustare*, quia intellectus, & ejus exercitia voluntatem præcedunt, & exercitia voluntatis; ergo cur *gustare* præponitur à David ad *videre*? dicat *videte*, & *gustate*, cur dicat *gustate, & videte*? ad innuendum, quòd spirituales gustus, & delectationes, mentem non obruunt, imò illuminant; gustare est via ad videre, quia Deum amare est lux ad videndum; ille clariùs intelligit, qui intensiùs Deum amat. Non sic delectationes corporeæ, gustusque sensus; isti mentem obtenebrant, excæcatur intellectus, non videt, si sensus se illis nimiè tradat.

Aptèque dictum, quòd *nimia sensibilia*, & *corporea gaudia* corpus affligant, & repentinam mortem causent; immodicum enim gaudium, & insolentius corporeum, spiritum, caloremque, tam vehementer è corde in summa corporis effundit, dissipatque, ut arce illà vitæ, caloris beneficio prorsùs destituta, vel syncope, vel morte repentinà homo corruat. Ex Agellio (*libro* 3. *Noct. Attic.* cap. 15.) scimus Rhodiam Diagoram, qui tres filios videns coronatos Olympiæ die, & à populo gratulante floribus ornatos, cum amplecteretur eos ponentes coronas suas in capite patris, inter manus filiorum præ gaudio animam efflavit. Valerius lib 9. refert Sophoclem, Xeuxim, Philemonem; Plutarchus (tract. de mulieribus insignibus) narrat Polycratem Naxensem; Plinius lib. 7. Dionysium Siciliæ tyrannum, qui præ *nimio* obiere gaudio, quod & generare febres patet, licèt rariùs quàm alia pathemata, quia tardè, & sensim extrorsùm gaudium spiritus vitales movere solet.

Ergo cur ista considerare damna *physica* ex *nimio* gaudio corporeo, non juvet medicinæ *morali*, ut tu fine honesto abstineas? non licet tibi occidere te, nec vitiosè *physicos* etiam morbos causare, quibus ad vitam *contemplativam*, & *activam* ineptus, vel minùs idoneus reddaris.

MEDICINA PHYSICA contrà *immodicum* sensibile, sive corporeum GAVDIVM, si exigatur, sitque necessaria ingentis GAVDII *remissio*, nempe cum spiritus vitales dissipantur, & evanescunt, præscribitur à laudato nostro comprofessore Academico in cathedrà Medicinæ primario *Luca Tozzi*. Monet, occurrendum leviter *infrigidantibus*, & *incrassantibus* simùl, ac *roborantibus*, ut nimirùm ab illis sanguis temperetur, & evolantes spiritus compescantur. Sed & cohibendus quoque erit ejusmodi affectus immoderatus contrariis passionibus, & præsertim si cum immodico, & effrænato risu jungatur, *incusso aliquatenus timore*, objectà scilicet re aliquantulùm molestà; itemque *repræsentatis iis*, quæ sensim ad *mœstitiam* deducunt. Verumtamen hæc *non affatim* sunt inducenda, ne subitam, ac violentam in corde motionem penitùs contrariam, & non minùs periculis vacuam, exutantia, vitam in pejus adducant, aut de medio *tollant*. Hæc ille dexterè pro *Medicinà physica*.

At hæc Medicina *physica* contra morbum *physicum*, *physicumque* vitium immodici gaudii, sensibilis est SYMBOLVM Medicinæ *moralis* con-

trà eundem morbum, quatenus *etiam* est ægritudo *moralis*, sive *morale* vitium, & contrà *rectam rationem.*

Itaque *nimio gaudio* occurrendum cum medicinis physice *infrigidantibus* pro curatione *physica*, sic & cum medicinis *moraliter* infrigidantibus pro curatione *morali.*

Quæ sunt *moraliter* infrigidantia gaudium nimium de bonis sensibilibus adeptis? *Frigus* in sacris chartis ferè *in malum* sumitur, sicut *fervor* in bonum; frigida omnia attribuuntur diabolo, ut Boreas, seu Aquilo, & aquæ frigidæ, & serpens, & similia. Apud Ieremiam cap.6. B. *Frigida cisterna* signat *iniquitatem*. Apud Apoc.cap.3. C. *Frigidus* significat *infidelem*. Apud Proverbia cap.20. A. Propter frigus piger arare noluit significat *torporem pigritiæ*. At nec *iniquitas*, *infidelitas*, nec *torpor pigritiæ* sunt ea *infrigidantia*, quæ sint medicina contrà gaudia immodica sensus, imò essent animo addita toxica. Ergo quæ sint medicamenta idonea *infrigidantia* immodica gaudia sensus? considerare, quòd sint caduca, fluxa, relinquenda, non satiantia, non sunt summum bonum; facilè amittuntur, difficilè & cum timore, & periculis conservantur. Accedit memoria mortis; frigescunt sensitiva gaudia nimia, cum gelidi cadaveris ebibitur recordatio. Apud Proverbia cap.31. C. *Frigora nivis* designant *pœnas inferni*, ubi erit stridor dentium. Item apud Proverbia cap.25 C. *Dies frigoris* signat diem *judicii* universalis. O quàm electæ *morales* medicinæ *infrigidantes* sunt relatæ reflexiones contrà quælibet *nimia sensus gaudia*, sive sint de bono utili, sive de bono delectabili. Ergo pro medicinà *infrigidante* gaudia immodica sæculi, RECIPE *recordationem frigidatis cadaveris*, *frigorum nivis*, *diei frigoris*. Quid hoc? Memento MORTIS, INFERNI, VNIVERSALIS JVDICII.

Addit *Luccas Tozzi* pro medicinà *physica* contra gaudia immodica sensus medicinas *incrassantes*. Crassitudo *in malo sensu* signat in sacris chartis cor immundum, & carnale; in quo sensu apud Deuteronomium cap.32. B. habetur, *incrassatus est dilectus*; & apud Isaiam cap.6. C. *Incrassatum est cor pupuli*. Ista *incrassantia* non sunt medicamenta, sed venena moralia; quare non ista *incrassantia*, sed alia moraliter *bona* sunt applicanda contra gaudium sensus immodicum moralia incrassantia pharmaca. Quæ ista? Apud Isaiam cap.34.B. *Incrassatus* adipe *gladius Dei* signat Justitiam Dei punitivam, qua punit divites, & potentes. Apud librum 3 Regum, cap.7. D. *Crassitudo* maris ænei *trium unciarum* signat symbolicè *firmitatem virtutum* in FIDE, SPE, & CHARITATE. Memoria gladii Dei, & firmitas virtutum in fide, spe, & charitate, an non sint electissimæ morales medicinæ contra *gaudia immodica sensus*? ore rotumdo fateris. Ergo pro medicinà *incrassante* contra GAVDIA *nimia* sensus RECIPE *recordationem gladii Dei*, *& crassitudinem maris ænei trium unciarum*.

Subscribit item laudatus medicus primarius pro medicina *physicà* contra GAVDIA sensus (excedentia modum) pharmaca *roborantia*, *confortantia*, *fortificantia*. Apud Isaiam cap.27.A. & cap.28.A. & cap.42.D. *Fortis gladius Dei* significat Dei virtutem punitivam, cui nemo resistere potest; & *Bellum Dei forte* significat, quòd nemo Deum punientem effugere potest. Apud Proverbia sacra cap.10.D. *Fortitudo simplicis* significat *viam Domini*, quià servando mandata Dei, *simplices* fiunt *fortes*. Apud Genesim cap.49.A. *Fortitudo Jacob* dicitur Ruben, & designat fundamentum *fidei nobis à Deo traditæ*, in qua ostenditur fortitudo Dei. Item *Fortitudo Jacob* significat *timorem Dei*, cor adversùs concupiscentias roborantem. Apud Cantica cap.8. B. *Fortis ut mors dilectio* signat *charitatem*, quia sicut *mors*

avel-

evellit animam à sensibus carnis, sic *charitas* à concupiscentiis carnalibus, & facit mori mundo; delectationes, & gaudia mundi penitùs occidit, & mentem ad cœlestia erigit. Apud Numeros cap. 24. D. *Robustum habitaculum Cinæi* signat *fidem Christi*. Apud Numeros cap. 2. A. *Confortare lumbos* dicitur de illo, *qui mortificat corpus suum*, & servituti subjicit, ut serviat rectæ rationi. Apud Psalmum 26. *Confortetur cor tuum* significat, *confirmandum esse affectum in bonum*, procedendo de virtute in virtutem.

In summà, & compendio, ex dictis *Fortis gladius Dei* signat ejus *justitiam punitivam*, cui nemo resistere potest. *Bellum Dei forte* signat, quòd nemo potest Deum *punientem* effugere. *Fortitudo simplicis* significat viam Domini, servando mandata. *Fortitudo Jacob* signat *fidem datam* à Deo, & *timorem Dei*, cor adversùs concupiscentias roborantem. Item *Fortis ut mors dilectio* significat *charitatem*, avellentem à gaudiis, & concupiscentiis carnalibus, animumque erigentem ad Deum. *Robustum habitaculum Cinæi* significat *fidem Christi*. Item *confortare lumbos* est mortificare corpus, ut serviat rectæ rationi. Tandem *Confortare cor* signat, confirmandum esse affectum in bonum, procedendo de virtute in virtutem.

O quàm electa *moralia* pharmaca *roborantia*, *confortantia*, *fortificantia* contra sæculi, & sensus *immodica* GAVDIA! verè morbus moralis iste cum receptis relatis moralibus medicinis sanatur.

Ergo si ægrotas, RECIPE recordationem FORTIS GLADII DEI, BELLI FORTIS DEI, nempe *justitiæ punitivæ Dei*, *cui resistere*, *& quàm effugere non potes*. Item ope Dei RECIPE FORTITVDINEM SIMPLICIS, & FORTITVDINEM JACOB; id est, *recipe* vias Domini (*servando mandata*) & timorem Dei, *roborantem* cor *contrà concupiscentias*, & gaudia *sensus*; tene firmiter *fidem* à Deo datam. RECIPE item *Fortem*, ut est mors, CHARITATEM, *avellentem à concupiscentiis*, & gaudiis *carnis*; & quia habitatio sana proficit, *Habites ROBUSTUM HABITACULUM CINÆI in sensu suprà explicato*, nempè tene *fidem* Christi. Item CONFORTA LVMBOS, *mortificando corpus*, *ut serviat rectæ rationi*, *& spiritui*. CONFORTA COR, *confirmando affectum bonum*, *& proficiendo de VIRTUTE in VIRTUTEM*. Hæc si (ope Dei, qui prestò adest corde invocanti) agas, Medicinas optimas morales *roborantes*, *confortantes*, *fortificantes* recipis contra moraliter vitiosa sensus gaudia, ne noceant animo, imò & ne physicè noceant taliâ immodica gaudia corpori, ex consequenti relatæ *morales* medicinæ operantur.

Addebatur pro Medicinâ *physicâ* contrà *gaudia* immodica corporis, passiones contrarias, nempe *tristitiam*, & *timorem*, inducere, & quæ disponant ad *mœstitiam*; at & in sensu *morali* jam hæc subscripsimus, dum jussimus, RECIPE recordationem MORTIS, INFERNI, & VNIVERSALIS JUDICII, GLADII DEI, FRIGORIS NIVIUM, & DIEI FRIGORIS. Vide suprà.

Tandem admonet Medicina *physica*, quòd contrariæ gaudio nimio passiones *tristitia*, *timor*, & alia objecta *mœsta*, non *repentè* inducantur, sed *sensim*, ne repentina mutatio vitam in pejus adducat, aut inferat necem; at & in sensu *morali* etiàm dextera prudentia, & festinatio *lenta* (nisi aliter dictet in circunstantiis *ratio recta*) requiritur, ut motiva moralia, & spiritualia *mœsta*, & *tristia* suprà relata objiciantur *nimis* gaudenti, *immodicèque* immerso in sensus, sive sæculi gaudiis. Deus speciali suo auxilio, & efficaci gratiâ, *in instanti*, & repentè potest tutè talem mutationem efficere; hoc potest dextera excelsi. At nos ministri (& semper implorata Dei ope) tempore, & prudente consilio indigemus, nec ità repentè possumus

voluptuosè affixum carni, & sæculo, evellere à sensibilium bonorum gaudiis, & concupiscentiis; quare *dexterè* admonendo, *fortiter*, & *suaviter*, accomodatiori modo, ut recipiatur, est medicina *moralis* paranda, ne ab ægroto repugnetur, aut ne irritatus pejor fiat, & ne ut phreneticus delirio ex febre immodicarum passionum assurgat contrà spiritualem medicum; maximè si sit ægrotus princeps; nam & Propheta Natham prævià parabolà Davidem admonuit, & ipsi *moralem* medicinam paravit. At pro varietate circunstantiarum, locorum, temporis, personarum, statuum, *recta ratio* sit *dux*, & consulendi sapientes spirituales medici pro medicinà *morali* congruà, & tempore congruo, & quibus quæ, & qualis, & quando, & quomodo congruat.

Ergo methodus *physicæ* curationis ab *immodicis* gaudiis sensus, ne *corpori* noceant, est demonstrata SYMBOLUM medicinæ *moralis* contra eadem *immodica* gaudia sensus, ut sunt ægritudo *animi*, spirituique, & *animæ* nocent.

DE TRISTITIA:

Tristitia hieroglyphicè, sive symbolicè per NOCTEM, sive VESPERE, per cibum AMARUM, per SINAPIM, ex humoribus per MELANCHOLICUM, ex stationibus anni per HYEMEM, ex ætatibus per SENECTUTEM, ex planetis per SATVRNVM, ex elementis per TERRAM NIGRAM, ex animalibus per LEPOREM, ex piscibus per POLYPUM, ex leguminibus per FABAS, ex metallis per PLUMBUM, ex coloribus per NIGRUM ATRUM. Item per TVRTVREM, & Aves NOCTURNAS, per PINUM, APIUM, & CVPRESSVM.

ANimæ DOLOR, *quæ TRISTITIA nuncupatur, dissensio est* (definit Augustinus libro 14. de Civitate Dei cap. 15. tomo 5.) *ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt*. Cui ideò definitioni consonat illa communis *tristitiæ* definitio per hæc verba: Tristia est *dolor de malo præsenti*. Est enim *tristitia* passio oppositа *gaudio*; quare sicut *Gaudium* passio sensitiva deffinitur per hoc, quòd sit *Motus quidam in appetitu sensitivo ex præsentia boni, sensu percepti*; ita *Tristitia* ut est passio sensitiva deffinitur per hoc, quòd sit *Motus quidam doloroſus in appetitu sensitivo ex præsentiâ mali, sensu percepti*. Quare tristitia differt ab abominatione, quia hæc est de malo *futuro*, at tristitia de malo *præsenti*; item differt à *gaudio*, quia hoc est de *bono* præsenti, at tristitia de præsenti *malo*.

Tristitia est alia *spiritualis*, alia *sensibilis*. De *Tristitiâ spirituali* loquebatur Augustinus (in Psalmo 41. enarratione 1. tomo 8.) dicens Deo: *In te mihi est gaudium; redime me ab eâ* tristitiâ, *quam mihi mea peccata faciunt*. Et in Psalmo 42. *Causa* tristitiæ tuæ *peccatum est*, *causa* lætitiæ tuæ *justitia sit*. Et serm. 151. de Tempore addit: *Tristitia de iniquitate propriam justitiam parturit* Et serm. 45. de Sanctis cap. 3. Tomo 10. *Qui seminaverunt in lachrymis, transibit dolor, & gemitus; transit* tristitia *cum fine*, & *venit* lætitia *sine fine*. Quare de ista tristitia salutari spirituali in Psalmo 37. monet: *Tristitia nobis sit, donec & anima nostra exuatur illusionibus, & corpus nostrum induatur sanitate, quæ est immortalitas*. Tristitia hinc spiritua-

tualis est de malis spiritualibus, quæ sunt vitia, & carere gratia Dei; tristitia sensitiva de malis sensibilibus; hæc tristitia est moderanda, ut sit rectæ rationi adæquata, nec excedat.

Tristitiam, & *Gaudium* Sanctus P. Augustinus in Psalmo 64. symbolicè significari explicat per *mane*, & *vespere*, sive *noctem*; dicens: *Mane* prosperitatem *significat*, *quia* mane *lætum est*, *transactà velut* tristitiâ *noctis*: tristes autem *tenebræ*, *veniente* Vesperâ. Quare *mane* est symbolum gaudii, & lætitiæ; *Vespera* & *nox* symbolum *tristitiæ*.

Item libro 10. Confessionum cap. 14. Tomo 1. dicit cibum *amarum* symbolum *tristitiæ*, sicut cibum *dulcem* symbolum lætitiæ, sive *gaudii*, illis verbis: *Memoria quasi* venter *est animi*; lætitia *verò*, *atque* tristitia, *quasi cibus* dulcis, & amarus. Hæc S.Pater. Et quidem ità; nam effectus tristitiæ est, *obtenebrare*, & *obscurare*, & *amaricare* animum, ut ideo Sanctus Pater (*libro* 12. de Genesi ad literam, cap. 33. Tomo 3.) dicat: *Non parvum animæ malum est tristitia*. Sane *Tristitia spiritualis* de peccatis patratis est salutaris, at *tristitia* de malis sensibilibus est infirmitatum parens; ideò dicente Augustino (lib. 14. de Civitate, capite 8.) sic: *Quæ secundùm Deum est* tristitia, *pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur*; *mundi autem* tristitia MORTEM *operatur*. Est etiam *sinapis* symbolum *tristitiæ*, quià tristitiam generat, & lachrymari cogit, lachrymas enim prolicere quotidie experimur, ideo Ennius apud Macrobium ait: *Nec triste quæritat sinapi, nec mœstum cœpe*; & Comicus Græcus ait, *Sinapi respexit*, & *frontem contraxit*. Sinapi dicitur Græcè vocabulo, latinè signante, quòd *lædit olfactu oculos*, unde *lachrymæ*; maximà enim caliditate extenuat, & dissolvit cerebri humiditates, quibus deinde fluentibus proveniunt lachrymæ; at & effectus *tristitiæ* sunt lachrymæ, & contractio frontis.

Item *Tristitia* symbolicè signatur per humorem *melancholicum*, & ex stationibus anni per *hyemem*, ex ætatibus per *senectutem*, ex Planetis per *Saturnum*, figuratum etiam senem, jacentem humi, ex elementis per *terram nigram*, de quibus vide pag. 893 & 897. item per *leporem*, & ex piscibus per *polypum*, cujus caput comestum tristia, & horrenda somnia parit, vide pag. 897. ex coloribus per *nigrum atrum*; item per *fabas*, vide pag. 951. num. *Quinta*. Ex metallis per *plumbum*, quòd est coloris obscuri, gravis ponderis, facilè eliquabile; sic tristitia obscurat animum, quasi pondere gravat, & eliquationem lachrymarum causat. Item tristitia symbolicè per *cupressum*, *pinum*, *apium*, quæ sunt plantæ etiam nostro aspectui mœstæ, & funebres, ideò fuerũt in more earum rami in januis domuum defunctorum, & cupressi in cęmeteriis; est cupressus arbor baccis torva, fructu amara, morosa, fructu supervacua, & talis est *tristitia*; sed & *turtures* solitariæ gementes sunt symbola animi tristis, sicut & *aves nocturnæ*, quia tristit amat tenebras, & tenebrosus, & nocturnus est animus tristis. Quæ omnia magis notescent ex effectibus *tristitiæ*, infrà referendis.

Ad *Tristitiam* reducitur *misericordia* de malo alterius, maximè cum opinione, quòd *injustè* patitur; item ad *Tristitiam* reducitur *invidia*, qua quis nollet, bonum possideri ab altero; item ad Tristitiam reducitur *Nemesis*, qua quis tristatur, quia putat, alium indignè prosperari bonis. Item *pœnitentia*, quæ est dolor de malo præterito, ad *tristitiam* reducitur, & erit hæc tristitia laudabilis, si sit spiritualis, nempe de *malo morali præterito patrato*, nempe de peccatis commissis, & non ex motivo caduco *sensibilis*.

Tristitia etiam solet nuncupari *dolor*; dolere est dolore affici, vel cruciari corpore, vel animo; & licèt *dolor* referri soleat ad corporis cruciatum, *tristitia* verò, & *mœror* ad animum, capitur tamen *dolor*, ut utrumque inclu-

cludit. *Triſtitia* verò ſolam animi affectionem dicit; & quia præ dolore albeſcit vultus languidè, ideò pag. 896. & 897. diximus *lunam*, & *aquam*, & *colorem album*, & *pituitam*, ſive humorem *phlegmaticum* ſymbola *doloris*.

CAUSÆ TRISTITIÆ.

CAuſa gaudii eſt *bonum* poſſeſſum, ergo cauſa triſtitiæ eſt *malum*, quod ſuſtinetur, & bonum amatum, quod non obtinetur; amor boni, quod quis non aſſequitur, cauſat triſtitiam, qua torquetur. Malum eſt privatio boni; cum bonum amatur, privatione boni animus cruciatur; ideò dicente Auguſtino libro 14. de Civitate Dei cap. 7. *Amor boni eſt cauſa triſtitiæ.*

Item eſt cauſa triſtitiæ *impotentia* ad ſuperandas difficultates, impedientes aſſecutionem amati, & deſiderati boni, ideò dicente Auguſtino *De Naturâ boni* cap. 20. ſic: *Voluntas reſiſtendi majori poteſtati*, in animo efficit dolorem.

Adde *dilatationem boni* amati, & deſiderati, triſtitiam cauſat; quare in Proverbiali ſacrâ Philoſophiâ cap. 13. *ſpes, quæ differtur; affligit animam.*

Ira triſtitiam cauſat, cum iratus nequit adimplere vindictam. Sed & *Deſperatio* eſt triſtitiæ mater, cum bonum ſperatum concipitur deſperatum. Adde *reminiſcentiam* mali patrati, item *calamitates*, ſive *infortunia*, *inimicos*, *ægritudines*, *paupertatem*, *infamiam*, cauſas *triſtitiæ* ſed & humor *melancholicus*, prava corporis, vel animi diſpoſitio *triſtitiam* fovent.

MEDICINÆ MORALES contrà TRISTITIAM immodicam de ſenſibilibus bonis *non adeptis. Ex ſacris literis.*

QUæram, ut medear; & cognito morbo, apta medicina paretur.

Cur TRISTARIS? quia in mundo non *FELIX.*

FIli. Felicitas non eſt in hoc ſæculo. Cur, exiſtimes, in Pſalmo 30. dicat David, quòd *abſcondit Deus dulcedinem timentibus ſe?* ad innuendum, quòd veræ felicitatis dulcedo non percipitur in hoc ſæculo, eſt nunc abſcondita, ut detur, & appareat in futuro; nunc apparet amaritudo, ſuccedit poſteà beatitudo. Ex Job. cap. 5. B. *Homo naſcitur ad laborem*; præditus ratione conſideret impoſſibile, quòd hæc ſuæ peregrinationis tempora ſine gemitu evadat; nunc flendo mitte ſemina tua, ut tempore opportuno cum exultatione videas æternæ felicitatis manipulos tuos; illa eſt felicitas æterna, & vera; quæ dicitur à ſeculo felicitas, eſt vanitas, vapor, umbra, illuſio, ſuperbia.

Remove à te amorem felicitatis caducæ; eſt enim muſca importuna, quæ te aculeo acerbæ triſtitiæ pungit; & quid, exiſtimes, apud Exodum cap. 8. G. ſignificet *muſca recedens ab Ægypto*? indicat ablationem curarum, & ſolicitudinum ſæculi, quæ mentem quieſcere non ſinunt.

Æterna felicitas ſatiat appetitum, & quid ſignat apud Geneſim cap. 26. C. *puteus ſaturitatis, vel abundantiæ*? felicitatem æternam indicat, in qua totius eſt boni ſaturitas. Felicitas ſæculi eſt fabula, vel non venit, vel tardè venit, non ſatiat, citò avolat.

Hæc vita eſt *peregrinatio*, felicitas eſt in patriâ. Apud Geneſim cap. 14. B. & 39. C. Hebræus Abraham deſignat nos peregrinos, hujus ſæculi vi-

tam

tam transigentes; *Hebræus* enim id est *transitor*, & *Hebræus* ab *Heber*, qui exponitur *transiens*; quis prudens in transitu, & transeuntem sæculi felicitatem optet? permanentem quæras. Felicitas sæculi est *herba breviter arescens*; & apud Psalmum 36. & Exodum cap.9. F. *herba*, *quam percutit grando*, signat prosperitatem sæculi, sive vitam felicem mundanam, quam grando percutit, cum Deus castigat, & punit. Apud Genesim cap.1. A. & cap.3. D. quid signant *herbæ*, quæ nascuntur super terram? *affectiones*, & *passiones* corporis, quod terra est, nempe *iram*, *timorem*, *audaciam*, *gaudium*, *tristitiam*, &c. si istæ sint immodicæ, eas comedit serpens diabolus, cum eis utitur, ut homines perdat; si sint modicæ, & adæquatæ rectæ rationi, sive moderatæ, talibus passionibus ut herbis salubriter virtuosis pascitur animus, sunt enim tunc bona opera herba salubris, qua pascitur, pascendus postea illà *herbà virente*, quæ apud Ezechielem cap.34 D. est symbolum *visionis beatificæ* in æterna felicitate, ubi Deus in æternum oves suas pascit; est illa herba virens æterno virore, quia nunquam marcescet. Ergo herbas sæculi contemnas, æternam illam esurias.

Abel justus, & spiritualis vir natus est post Cain hominem carnalem, & felicitatis sæculi cupidum; fuit Abel figura vitæ spiritualis, quæ sequitur post carnalem, dicente Paulo ad Corinthios epist 1. cap.15. F. *Priùs esse quod animale*, *deinde quod spirituale*; interpretatur Abel *vanitas*, quia ut spiritualis, & justus cognovit (quod & viri spirituales cognoscunt) omnem felicitatem sæculi esse vanitati subiectam; ac si nomen Abel dicat, & prædicet, *Felicitas sæculi vanitas*; item animale, & carnale, quod præcedit spirituale, est *vanitas*; bona sensibilia, quæ me præcedunt, & video, VANITAS; sola bona æterna, spiritualia, & intelligibilia, VERITAS.

Mundus iste in sacris literis est figuratus in *Hierichò*, civitas fuit, quam primùm destruxit Josue; cur sita in infimo loco? quia bona sæculi infimum locum tenent. Hierichò interpretatur *luna*, quæ continuè mutatur in lumine suo; indicat ergo, mundana esse mutationi subjecta, non in eodem statu, & splendore fortunæ firma. Signat ergo Hierichò pompas sæculi; ille destruit Hierichò, qui renunciat illis; si sensibilia bona sunt infima, & mutationi subjecta, ergo non est in eis felicitas. Apud Marcum cap.16. A. Juvenis ille in albis, qui sedebat in dextris monumenti Salvatoris, Angelus erat; cur specie *juvenis*? ut indicaret constantiam (sine fine) æternæ felicitatis, in æternum vigentis. Cur *in albis*? ad innuendam lætitiam, & jucunditatem illius felicis status. Cur *sedens*? ad innuendum quietem invariabilem in illa æterna prosperitate; ergo illa est felicitas.

Ex dictis (in summà) vera felicitas est in hoc sæculo *abscondita*; homo est *natus* ad laborem; *curæ* felicitatis sæculi sunt *muscæ*, quæ animum perturbant, in hoc seculo sumus *transeunter*, & hæc vita est *peregrinatio*; felicitas sæculi est *herba* breviter arescens, & quam percutit grando adversitatis, & justitiæ Dei; bona sensibilia sunt *vanitas*, infimum tenent locum, sunt *Hierichò*, sicut *luna* mutantur, nunquam in splendore firma; ergo cur *tristeris*, quia non assequaris *sæculi felicitatem*? cur quia non possideas VANITATEM.

Age; appetas felicitatem illam, quæ est *herba* virore æterno vigens, & pro ea herbas terræ carnis passiones *tristitiam*, & alias sensus affectiones modereris; appetas illum *puteum* cœlestis saturitatis, & abundantiæ, in quo satiatur sitis habendi; appetas *Juventutem* angelicam, felicitatem illam in visione clarà Dei nunquam senescentem, lætè in æternum candicantem, in perpetuas æternitates sedentem.

Vera felicitas in Deo; ideo ad Deum referenda omnia. *Macelloth*,

id

id est, *ab initio*, fuit vigesima secunda mansio filiorum Israel in deserto, quò pervenerunt post *Charadath*; designat (apud Numeros cap.33.D.) relationem omnium *ad primum principium*, hoc est Deus, ergo ad Deum referenda omnia, quia ipse, qui primum principium, est ultimus finis noster, ipse & nostra felicitas. Vt hoc assequaris, macta Deo holocaustum; quid prædico? apud Leviticum cap.4. C. *Mactare holocaustum* significat, corpus, & animam cum fortibus operibus justitiæ offerenda Deo; sic mactabis, quæ amant, & appetunt mundani; & quid apud Exodum cap.8.G. significat, quòd *mactabant filii Israel, quæ colebant Ægyptii*, nisi fideles, & amantes felicitatem æternam, extinguere concupiscentias immodicas sensus, quas sectantur filii sæculi? Hoc est semen illius felicitatis, in qua nulla perturbatio. Cum *malleus* sit typus tentationum, & tribulationum, & passionum carnis, continuò tundentium animum, quid significat (apud librum 3.Regum, cap.6. A.) quòd in fabricâ templi Salomonis non sit auditus malleus? conspirat ad innuendum, quòd si templum illud erat typus templi cœlestis gloriæ, nullus strepitus, nulla perturbatio est in cœlesti patriâ; ergo ibi est felicitas vera; quid in sæculo nisi perturbationes? & ipsæ passiones animi vocantur perturbationes.

Quid apud Ecclesiasticum cap. 30. D. signat *spado amplectens Virginem, & suspirans*, nisi eum, qui appetit, quod habere non potest? at felicitas vera, & perfecta in sæculi felicitate non est; an velis amplexari stercora? reflecte, quòd (apud Thren. cap 4. A.) *amplexari stercora* significat vanam hujus mundi pompam appetere.

Ama Hierusalem; apud *Tobiam* enim cap. 13. *Diligere Hierusalem* est amare cœlestem gloriam.

Hoc sæculum est nox; admonet David in Psalmo 33. *diligamus dies videre bonos*; qui sunt isti? dies sæculi sunt mali, quia mala nos circumdant; ergo *dies boni* sunt in Cœlo, ibi nulla nubes, nulla tempestas, calamitas nulla est.

Deus est *hortus* deliciarum, voluptatis paradisus; & apud Leviticum cap.20. D. quid indicant *lac*, & *mel* nisi delicias supernæ patriæ, quæ ibi suavissimè, & sine ullo labore possidentur?

Ergo (in compendio) pro felicitate *æternà* referas cuncta ad primum principium; *macta* holocaustum offerendo Deo cum fortibus operibus justitiæ corpus, & animam; *macta*, quæ colunt Ægyptii, id est, mundani, concupiscentias immodicas extinguendo, extinctà enim concupiscentiâ felicitatis sæculi & tua de ipsà non assecutà extinguetur TRISTITIA; appete illud *templum*, in quo nulla est mallei passionum, *tristitiæ*, aut calamitatum perturbatio. Cur quærens felicitatem in hoc sæculo sis *spado*, amplectens virginem, & suspirans? relega istam *tristitiam insanam*, relegando felicitatis sæculi stultam cupiditatem. Cur velis amplexari *stercora*? Dilige *Hierusalem* cœlestem, civitas est pulcherrima, dilige illius *dies* videre *bonos*; dilige illum cœlestem *hortum* deliciarum, & *paradisum* illum voluptatis; appete gustare illud cœleste *lac*, & *mel*; sic inter amœnitates cœlestes, affectus paradisi, & delicias spirituales, ista tyrannica TRISTITIA de sensibili felicitate non assecutà penitus exulabit. Vide à pag 649. usque ad 656. imò ferè totam secundam Porticum à pag. 477. usque ad 672. & à pag.795. usque ad 804.

O Fili. *Amalec* interpretatur *populus elingens*, vel *ablingens populum*, seu *bibens sanguinem* ; filius fuit *Eliphaz* è *Thamna* concubina, nepos Esáu, à quo orti sunt *Amalecitæ*. Quid signat *Amalec*, id est, *populum elingens* ? designat *affectus pravos*, qui secum trahunt omnes animæ vires ; sunt passiones vitiosæ *populũ elingentes*, quia mollitèr lambendo elingunt civitatem animi, & ejus ad se trahunt vires, & potẽtias ; sed à quo gignitur *Amalec*? à quo generantur affectus pravi, sive passiones vitiosæ? ab *Eliphaz*. Quid Eliphaz indicat? *animam derelictam à Deo*. Ex qua concubinà animus *Eliphaz* generat *Amalec*, id est, pravos affectus ? è *Thamna*: Quid indicat Thamna? *voluptatem* sensibilem, cupiditatem sensibilium bonorum. Ecce fili, causam tuæ *immodicæ tristitiæ* de divitiis non adeptis ; *anima tua* derelicta à Deo est *Eliphaz*, qui ex Thamna concubinà, nempe ex voluptate sensus, & amante cupiditate immodicà sensibilium bonorum, genuit talem Amalec, nempe vitiosum *tristitiæ immodicæ* affectum, quiá divitias, quas immodicè cupis, non es adeptus. *Amalecites* es tu, id est, homo *terrenis* adhærens. Augustinus in Psalmum 52. exponit, quòd *Amalec* interpretatur *parturiens, & dolens* ; si tu non esses immodicè amator, & cupidus divitiarum, quia eis careas, non esses *tristis*, parturiens suspiria, & anxietates, gemens, & *dolens*. Cur velis esse, & dici *Amalec*, id est, *bibens sanguinem* ? sanguinem pauperum bibunt, qui ambiunt locupletari.

Qui divitias immodicè cupis, abundantiam immodicè optas, prosperitatemque temporalem, quæ ad superflua se extendit ; at istà abundantiâ (inquit *Job. cap.* 12. A.) dicuntur abundare tabernacula prædonum, qui licèt malè acquirant, tamen in hac vitâ prosperitate tali fucatâ fruuntur. Sed miser, reflecte ; quòd ubi divitiæ, ibi ut plurimùm vitia plura ; apud *Ezechielem* enim cap. 27. D. *Abundantia opum Tyri* diversa vitia significare potest ; si sis corde inter divitias, tunc es verè pauper, & miser ; quid enim apud *Ecclesiasticum* (cap. 11. B.) significat *abundare paupertate* ? longè *abesse à virtutibus* ; O quàm longè abest à virtutibus, qui est corde fixo divitiis !

O quàm deformem te animo considero ! *gibbosus* es. Camelum te video. Cur sic ? Est *camelus* animal ferendis oneribus serviens, & tu servis oneri divitiarum, appetendo. Camelus obedit verberibus, tu solo verbere mortis, vel inferni, à cupiditate desistes. Camelus est animal immundum, & immundi sunt tui affectus, quià sunt affectus hujus visibilis mundi. Camelus ruminat, sed non dividit unguem, tu ruminas, quæ sunt legis præcipientis contemptum mundi, sed non dividis vitam præsentem à futurâ, quia immemor futuræ agis vitam præsentem. Camelus præsefert oris, & totius corporis quandam fœditatem, & absurda vestigia ; tu deformis es animo, & verbis, quia pro lucris eructas mendacia, & absurda sunt vestigia tua ad usuram, absurdi & appetitus. Camelus servat iram, donec occurrat occasio opportuna vindictæ, & te ad id inclinat turpis lucri cupido. *Camelus* habet *gibbum* in dorso, & tu *gibbosus* es ; *camelus* enim, ut habet *gibbum*, significat divites *gibbo* suarum divitiarus tumentes ; & si divitiis careas, tumes inanibus desideriis ; quid enim apud *Leviticum cap.* 21. D. significat *gibbus* ? quicquid turpe anima cogitat, vel facit. Quis est *gibbosus*? qui turpitudinem in animâ habet, & grave onus peccatorum portat, & hoc non videt, quia retrò est peccatorum *gibbus*, & congeries, nec ea transfert à tergo ad oculos, ut pœniteat, & sic Deus transferat à suis oculis ad tergum, ut parcat. *Gibbosus* est ille, quem terrenæ solicitudinis pondus de-

premit, ne unquam ad ſuperna reſpiciat, ſed ſolùm his, quæ in infimis calcantur, intendit; at tu turpitudinem affectuum terræ in animâ habes; pondus peccatorum, quorum avaritia eſt radix, portas à tergo, pœnitentiæ immemor; terrenæ ſolicitudinis pondus te deprimit, ne unquam ad ſuperna reſpicias, ſed ſolùm his ſenſibilibus bonis, quæ in infimis calcantur, intendas, ergo *gibboſus* es. Age, abiice *gibbum*, ſis animo *recto*; nam & cum cœtera animalia creaverit Deus vultu ad terram *demiſſo*, ſolùm creavit hominem vultu *erecto*, ut *recto animo* poſſit, terrena conculcando, ſola videre, amare, & optare cœleſtia. Sis animo ſpecioſo; cameli more, pudeat habere *gibbum*; es camelus, an homo?

Abiice *Thamnam* concubinam, nempe cupiditatem *immodicam*, ne ſit *Eliphaz*, id eſt, *anima derelicta à Deo*, quæ generet *Amalec*, id eſt, pravas paſſiones, inter quas vitioſum *triſtitiæ* affectum; pudeat te eſſe *Amalecitam*; cur *voluntariè* ſis *Amalec*, id eſt, *triſtis*, anxiè *parturiens*, & *dolens*? Apud librum 3. Regum, cap. 4. C. *Cameli Amalec occidendi* ſignant affectus brutales, & immodicos ſenſus, eſſe virtutis gladio jugulandos à rectâ ratione; hinc & immodicam, & vitioſam triſtitiam, & cupiditatem immodicam, ex qua naſcitur, occidendam.

Ecce ſudo, ut præſtem tibi *medicinam moralem* contrà vitioſam *triſtitiam*, & vix audis talem medicinam, jàm *triſtaris*. Apud Mathæum cap. 19. à verſu 21. dixit Jeſus (præter alia) adoleſcenti, petenti *medicinam moralem* ad vitam, & lætitiam æternam, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, &c. Cum audiſſet autem verbum adoleſcens, abiit TRISTIS; erat enim habens multas poſſeſſiones*. Ecce, *triſtatus* eſt adoleſcens, auditâ medicinâ pro lætitiâ æternâ. Et tu, ſi ſis dives, quia horres, vendere, & dare pauperibus, vel ſi non ſis dives, quia jubeo abiicere divitiarum immodica deſideria, quæ tibi *triſtitiam* generant, nec eas tibi *triſtitia* præſtat, imò maximè infirmat, & vexat, auditâ medicinâ contrà *triſtitiam*, abis TRISTIS! Medicina contrà *triſtitiam* vitioſam, & pro gaudio, & lætitiâ æternis, te *contriſtat*! fili, unum è duobus, *aut* MORI, & TRISTARI *in æternum*, aut præſcriptam MORALEM *animo, conformi rectæ rationi*, BIBERE MEDICINAM.

CUR TRISTIS? quia PAUPER.

FIli; vide, ne te cupiditas decipiat, & ſuadeat te pauperem, cum re nullâ eges; ſi habeas alimenta, & tegumenta neceſſaria, reliquis ſuperfluis non indiges. Modicum ſufficit naturæ, & relicturo ſatis eſt ſufficiens; hùc Emblema, in quo paſſer figuratur efficiens brevem nidum, cum epigraphe, *relicturo ſatis*. Si habeas, quod ſufficit, non indiges quod ſuperſt. Rex quid aliud ex totâ ſuâ Monarchiâ ſuſcipit niſi veſtimentum, & victum? reliqua non ſibi, ſed aliis. Apud librum 3. Regum, cap. 17. B. *Hydria, in quâ erat modicum farinæ*, indicat, modicum nobis ſufficere. Abundat ille, cui neceſſaria ſunt; quare Apoſtolus ad Philipenſes cap. 4. C. ajebat, *ſe ſcire abundare*, hoc eſt, neceſſariis ſe eſſe contentum. Divitiæ in ſacris chartis ſignificantur per *laqueos*; ſi divitiis cares, hos laqueos non times. Cur velis eſſe *lamina plumbi*? apud Job cap. 19. B. *lamina plumbi* deſignare poteſt eos, quos pondus *avaritiæ* gravat. Cur velis *leprâ* infici? apud Leviticum cap. 13. B. *lepra florens in toto corpore* avaritiam deſignat, quæ totum avarum commaculat; & apud Leviticum cap. 14. E. *lepra in domo* ſignat avaritiam in his, qui in hoc ſæculo volunt divites fieri. Nolim ſuadere, quòd caput abrumpas ab avibus; apud *Leviticum* cap. 5. C. *Non abrumpi caput ab avi-*

quibus signat, mentem à carnali delectatione præcidendam, sed à corporis curà necessarià non esse separandam, v.g. cum quis nimis abstinet, & prorsùs nihil curat de necessariis; necessaria habeas, nec caput abrumpatur à curà honestà, & necessarià corporis; si tamen *necessaria* habeas, pudeat, te *pauperem* dicere.

At sis pauper, ut dicis; quæ medicina, ut necessaria habeas? sis *justus*, ait enim David, *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. Quære primùm regnum Dei, & omnia necessaria adjicientur tibi; scit Pater cœlestis, quòd necessariis indigemus. Paupertas est tibi fortè beneficium; si enim esses dives, ex abusu essent fortè tibi divitiæ ruina, & vitiorum occasio. Voluit te Deus pauperem in sæculo, ut si benè paupertate utaris, sis dives in cœlo. Para tibi divitias æternas in paradiso. Si pauper sis, latrones insidiantes non times, nec servis indiges, dormis tutus, viator in viâ cantas sine timore prædonum, nullus tibi invidet, hinc nec insidiatur; omnia tua tecum portas; quid auferri possit, non times; ubique tuos invenis lares, ubique eleemosynarum patrimonium, ubique enim invenies humanos; nec curis, & timore vexaris; sine onere divitiarum expeditior ad cœlum ibis, & hanc peregrinationem sine bonorum terrenorum gravamine efficies.

Si pauper sis conformis Dei voluntati, *beatus tu*, dicente Jesu apud Lucam cap. 5. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*; quæ beatitudo promittitur non solum paupertate *voluntariâ* pauperibus, ut Deo, renunciatis divitiis, servirent liberiùs, sed etiam pauperibus paupertate *necessariâ*, si conformes sint voluntati Dei. Dicit musicus Vates Rex in Psalmo 22. v. 28. de Deo, *Populum pauperem salvum faciet*, ergo si benè utaris paupertate, BEATUS *tu*, quia SALVUS eris. Sed & Salvatori, ad exemplum, fuit chara paupertas; dictum de ipso, *Non habet filius hominis, ubi caput suum reclinet*, sed & quamvis *tristeris* de paupertate, ideò dives eris? uberiorem paupertatem cum animi mœrore tibi accersis. Age, lætare in Domino; excute TRISTITIAM.

O bona pauperies, nisi te Deus ante tulisset,
Nunc tua durities cunctis despecta fuisset.

CUR TRISTIS? quia CALAMITATES, & INFORTUNIA sustineo.

DIcas cum Job, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. O* (exclamat S.P. Augustinus sermone 111. de tempore Tomo 8.) *infelicitas generis humani, amarus est mundus, & diligitur! puta, si dulcis esset, qualis amaretur, flores ejus quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum!* Appellas calamitates, & infortunia, quòd *bona caduca* rapuit adversa fortuna; ea sunt *spinæ*; apud Mathæum cap. 13. A. *spinæ*, quia pungunt, & dolorem inferunt, solent significare solicitudines sæculi, animum affligentes, & divitias, solicitudinem ingerentes; sicut enim *spinæ* non sinunt, semen emicare, sed densitate suâ seminatum supprimunt, ità & curæ temporales spirituale semen, quod in animâ seminatur, non sinunt fructum afferre, sed adurunt, & suffocant, sicut *spinæ* productum ejus retardantes. Ergo si divitiæ, & bona caduca sunt *spinæ* pungentes, & cruentantes, cur *nimiè tristeris*, quià fortuna, quàm dicis adversam, tales hirsutas, horrentes, hamatas, vulnificas, & mordaces tulerit *spinas*? hæc dicis *Ogygia* mala? hæc dicis mala *Dialygia*? erant adagia de ingentibus, & diuturnis malis. Hæc dicis *Lemnium malum*? erat proverbium de malis im-

mensis, ac miserandis. Hæc putas Cythnicas calamitates? hæc Cyrnias jacturas? Hæc Iliadem malorum, & mare? Ideò te putas, *habere mustellam*, aut *equum habere Sejanum*? dicebatur *primum* de mustella de eo, cui essent in auspicata omnia, tanquam fatis à Diis iratis; *secundum* autem de equo Sejano dicebatur in calamitosos, & ad extremam inopiam redactos. Ideò, quia damna in bonis fortunæ sustineas, te existimas missum ad *corvos*; an in *lapidicinas*? an te putes *asinum inter apes*? *primum* dicebatur de eo, qui veniret in exitium, aut rem malam; *secundum* de eo è medio tollendo; *tertium* de eo, qui infeliciter incidit in homines improbos, & importunos. O Fili, malo asino veheris; nolis ex damnis fortunæ te putare *canem in vincula*. Nolis hæc putare *malorum Panegyrim*, dictum de malis agminatim ingruentibus, & invicem succedentibus. Ideò putas, te pati graviora *Sambico*? dictum de his, qui cruciatibus exquisitis torquentur, aut quibus insignia mala accidunt. An putes, te *minxisse in patrios cineres*, aut incidisse in *magnetum mala*? *primum* dicebatur, quia magna fuit religio, & pietas veterum erga paterna sepulchra; ideò ille, cui cuncta cederent *infeliciter*, in patrios cineres mingere dicebatur; *secundum* proverbium dicebatur de malis ingentibus, aut de iis malis, quæ in authores eorum recidunt. Non sic. Age, *nimiam*, excute TRISTITIAM. Vide pag. 556. & pag. 908.

CUR TRISTARIS? quiâ INFIRMUS.

PUlchras medicinas *morales* contrà tuam *nimiam* TRISTITIAM, prorsùs alienam à conformitate cum voluntate Divinâ, tibi subscribit Spiritus Sanctus, qui in Ecclesiastico cap. 31. monet: *Infirmitas gravis SOBRIAM facit animam*. Paulus ad Corinthios epistolâ 2. cap. 12. *VIRTUS in infirmitate PERFICITUR. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me VIRTUS CHRISTI*. Et in sacrâ philosophiâ Proverbiali cap. 20. *Livor vulneris absterget MALA*. Ergo si infirmitas SOBRIAM facit animam, si perficit VIRTUTEM, si abstergit MALA, cur *nimis*, sine conformitate cum voluntate Divinâ, *tristeris* de *infirmitate*? age, cum Paulo, sanctè gloriare in infirmitatibus tuis, ut inhabitet in te VIRTUS CHRISTI.

Sed an nimia, & vitiosa, & contrà rectam rationem *tristitia* sit tibi medicina? imò venenum, infirmitatisque incrementum. Ergo quæ medicina? considerare suprà dicta. Item Spiritus Sanctus in Ecclesiastici cap. 8. tibi propinat: *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse CURABIT te*. Item Jacobus in Epistola 5. aliam medicinam adhibet: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei SALVABIT infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Post hæc abstine, ut recta ratio dictet; sit rationalis diæta; hanc medicinam subscribit Spiritus Sanctus in Ecclesiastico cap. 37. monens: *In multis esois erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Qui autem ABSTINENS est, adiicit sibi VITAM.*

Infirmitas corporis, si benè utaris, est firmitas spiritus. Infirmitatem animi, quæ est peccatum, abhorreas; apud Exodum cap. 15. D. *Langores Ægypti*, sunt *opera carnalia*; hos langores, & infirmitates ope Dei caveas, si infirmatus fueris, sit tristitia pœnitens. Omnes infirmitates corporales, sive langores, quos curavit Jesus, referuntur ad infirmitates spirituales animarum secundùm differentias *passionum*; docuit, de spiritualibus infirmi-

tati-

tatibus nos debere contristari, & per pœnitentiam, dolorem, & tristitiam de peccatis commissis, ab illis surgere, & virtutum pharmaco, suâ ope, convalescere.

Infirma, dicis, est mihi *manus*; at apud leviticum cap. 25. C. *manum infirmari* significat *defectum in operatione virtutum*, manus enim sunt symbola operum; qui *nimis tristaris* de infirmitate *corporis*, infirmas habes manus *animi*. Sunt mihi, ais, *debilia genua*; at apud Deuteronomium cap. 7. C. & alibi, *debilia genua* designant *virtutem animi inhabilem ad proficiendum*; qui *nimis tristaris* de infirmitate corporis, nec vuluntati Dei te conformas, debilia habes *animi* genua.

Infirmitas corporis fortè te præservat à violentâ morte; fortè aliquis te interimeret in foro, si non jaceres in lecto; & si esses in culpâ mortali occisus, absque pœnitentiæ tempore, cum morte corporis, subires æternam. Infirmitas impedit vitia, quæ fortè tibi expediret valetudo robusta, aut sanitas integra. Si non jaceres, fortè alium occideres, aut alia perpetrares scelera, unde tibi cum ruinâ tuæ vitæ, & infamiâ, suspensio in furcâ. Hoc tibi convenit, quod Deus disponit. Deus creaturas suas amat, & scit, quid expediat. Infirmitas vel est pœna peccati, vel exercitium; si primum, gaudeas, quia purgas in hac vitâ caducâ, ut convalescas in æternâ; si secundum, Deus nunc suavitèr te exercet, ut posteà in æternum præmiet; ergo gaudeas, iterûm dico, gaudeas, dicente Augustino (cap. 17. contrà Academicos, Tomo 6.) sic: *Deus cum dilectione corrigit, non solùm INFIRMITATIBUS, sed etiàm MORTIBUS TEMPORALIBUS eos, quos non vult damnare cum mundo*. Ergo vitiosam, & disformem voluntati Dei, excute TRISTITIAM.

CUR nimis TRISTARIS? quia cœcus.

O Fili; non est pessimum, sis cœcus corpore, doleo acerbiùs, quòd sis cœcus & animo.

O Fili, quanto indiges collyrio! in sacris chartis collyrium signat (quia est medicamentum oculorum) cognitionem propriæ infirmitatis, vel opera, quibus inungendi sunt oculi mentis; peculiariùs humilitatem; inunge oculos mentis, & *nimis* contrà voluntatem divinam non dolebis de cœcitate corporis. Cur *cœcitatem* corporis non agnoscas beneficium Dei? *ascendit mors per fenestras*, legimus in sacris literis; fenestræ animi sunt oculi, per quos intrant *peccaminosæ* species; cur non agas gratias Deo, qui tibi præcluserit fenestras, per quas in animum intrat animæ mors? quot mala per *visum* vide à pag. 919. usque ad pag. 924. Beneficium fuit Dei, quòd cœcus fuisset Isaac, cum putavit, Jacob esse Esau primò genitum, & ideò benedictionem primò geniti Esau dedit Jacob minori.

Deus tibi abstulit oculos corporis, ut clariores sint tuæ oculi mentis; clausit illos videntes sensibilia caduca, ut hi vividiùs, & acutiùs respiciant æterna.

Caveas ab illa cœcitate, qua licèt quis videat *veritatem*, tamen excœcatur concupiscentiâ, vel irâ, vel odio, vel nimiâ sensibili *tristitiâ*, aut quovis alio pravo affectu, ne eam videat, vel ne consideret; qualis cœcitas erat in Pharisæis, & Judæis, quos mente excœcavit malitia.

Apud *Sophoniam* cap. 1. D. *cœcus* significat *omnem peccatorem*, avertentem oculos ab incommutabili bono, nec considerantem, dum peccat, quæ avertere debet. *Cœcus* dicitur *ipse sensus* (sive sensualitas) quem *serpens*, id est, *voluptas* decepit, ponens illi offendiculum; at Deus pius clausit oculos

tui

tui corporis, ut intellectus, acutiùs videns, dirigeret cœcum sensum, & offendicula occasiones peccati, & casus averteret. Tenebræ corporis, si benè utaris, lux sunt mentis.

Tenebræ in codicibus sacris non semel significant *statum peccati*, vel *ipsum peccatorem*, lumine gratiæ carentem; has tenebras (Dei ope auxiliantis omnibus, quià seriò vult, omnes homines salvos fieri) evites; si incurristi, sole pœnitentiæ avertas; caveas *à negotio perambulante in tenebris*, quòd in Psalmo 90. significat *occultam immodicam concupiscentiam*, unde tibi immodica TRISTITIA. *Tenebræ* etiam significant *corpus ipsum cum vitiis*. Obscurantur, & *densiores* fiunt *tenebræ*, cum quis *non confitetur peccatum suum*, imò *defendit*. Tenebræ sunt *intentio mali*, & sunt obscuriores, quando opus malum exercetur.

Tenebræ Ægypti (apud Exodum cap. 10. E.) signant *pœnas inferni*. Apud Joel (cap. 2. G.) *tenebræ* significant *iràm Dei*, aut *punitionem*, tunc Sol convertitur peccatori in tenebras. Quid, putes, apud Genesim cap. 15. D. significat *caligo tenebrosa facta super Abraham in occasu Solis*? significat *diem judicii*, qui dicitur *dies caliginis*; *tenebrosus horror* ipsius Abrahæ signat *ejus mortem*, aut *finem mundi*; & apud Job (cap. 17. D.) *In tenebris stravi lectulum meum* significat *sepulchrum*. Ergo caveas à tenebris moralibus, & cœcitate mentis; reflecte vividè tenebras *iræ Dei*, tenebras *mortis*, tenebras *inferni*, caliginem, tenebras *diei judicii*, & *finis mundi*, & sic non *tristaberis nimìs* de corporis caligine, cœcitate, & tenebris; sole pœnitentiæ tenebras peccati (Dei ope) fugabis, tenebras culpæ cavere timebis, & (Deo auxiliante) abstinebis; lumine gratiæ lætus eris; videbis, quòd corporis cœcitas fuit tibi beneficium Dei; hinc lætaberis, & exultabis in Domino, & TRISTITIA *nimia* de sensibili cœcitate excutietur.

CUR TRISTARIS? quia Surdus.

O Fili; multa audimus contra proximum, & contrà nos, quæ audire, tormentum est, & tristitia, ergo tibi non audienti sit ea non audire lætitia. Ajebat Augustinus (Sermone 48. *de diversis*, cap. 8. Tomo 10.) sic: *Cum aliquid, quod non oportet, audieris, etsi non feceris, nonne aure peccas?* Et in Psalmo 49. Tomo 8. sic: *Qui adulationem audiunt, quamvis sciant, mala esse quæ audiunt, ne offendant eos, à quibus audiunt, non solùm non reprehendendo, sed tacendo, consentiunt.* Ergo læteris, quia cum *surditas* impedit, te audire, quæ non oportet, te ab occasione (per auditum) peccandi præservat.

In Præfatione in enarrationem secundam Psalmi 29. dicit S. P. *In capite vides, & audis, & olfacis, & gustas, & tangis; in cæteris autem membris non sentis nisi tactu.* Et in Psalmo 130. sic: *Singula officium suum habent membra. Oculus videt, & non audit. Auris audit, & non videt. Manus operatur, nec audit, nec videt.* Quinque sensus sunt quinque *fenestræ*, per quas *mors peccati* intrat in animum; auditus est una ex fenestris, hic non est in corpore, sed in capite, in capite tuo nec est, quià *surdus* es, ergo *gaudeas*, quia non sunt in te tot fenestræ, per quas mors intret; saltem una est præclusa, ne mors peccati per illam intret in animum.

Surdus corpore, sis etiam animo, ne audias strepitus sæculi. Surditas corporis acuat auditum mentis, ut audias vocem Dei, interiùs vocantis; & qui nequis audire voces inanes hominum, optes audire concentus Angelorum. Surdi sunt inobedientes legi Dei; ab istà surditate caveas; inducit enim audire strepitus inferni in æternum.

Scias,

Scias, quòd *aures in Deo* significant in sacris literis vim illam, qua omnia percipit, & nihil eum latet, & his dicitur percipere nostra desideria, orationes, & clamorem; Deus habet aures suas, & tu habeas aures animi; ille vocat? audi, responde; respondes? ipse audit; ergo si sint consonæ aures Dei, & tui animi aures, de surditate corporis noli *tristari.*

Caveas ab aure *perforatà*, aut *amputatà*; nam apud *Exodum* cap.21. A. *auris perforata* significare potest inobedientiam, pœnà æternà puniendam; & idem significat apud *Leviticum* cap.22.C. *auris amputata.* Caveas ab *auribus aggravatis*, quæ apud Isaiam cap. 6. C. significant aures illas, quæ ad spiritualem intelligentia non elevantur. Si non habeas animi aures *perforatas*, nec *amputatas*, nec *legi Dei surdas*, hinc tibi æternus auditus inter Angelicos cantus; item *surditas corporis* proficit, ne per auditus corporei fenestram *mors* æternà intret in animum; ergo *noli* TRISTARI, in Domino GAUDEAS.

CUR TRISTIS? quia Olfactu *careo:*

O Fili; multa passim occurrunt fœtentia, ergo sit tibi ea non odorare lætitia. Multi odores aromatici irritant libidinem; alii, ut odor lilii, causant dolorem capitis; qui non odoras, ab his (ex hoc capite) te præservas malis, ergo ideò de non olfactu nolis nimis TRISTARI. Qui olfacit, benè utatur sensu, gratias Deo agat; qui non olfacit, conformetur voluntati Dei; scit Deus, quòd tibi non conveniat, ergo gratias agas Deo, & in ejus voluntate GAUDEAS.

At cares *odoratu corporis*? hinc magis appetas *odores suaves animi.* Apud Genesim cap.27.D. *odor agri pleni* significat *universitatem virtutum* in agro Ecclesiæ, & in agro animi. Apud Genesim cap.8. D. *Odor suavis, & gratus Deo* significat fragrantiam bonorum operum, quæ Deo sunt accepta. Percipiat anima tua *odorem lilii* in virginitate, *odorem olivæ* in operibus misericordiæ, *odorem rosæ*, & *malorum punicorum*, in desiderio martyrii pro Christo Domino, *odorem violæ*, & *nardi* in humilitate, *odorem spicæ maturæ* in operum perfectione, *odorem vineæ* in suavitate bonorum operum, *odorem thuris* in oratione, *odorem thimiamatis* in omnibus relatis virtutibus, *odorem aquæ bonæ* in doctrinà salubri, & Catholicà, *odorem unguentorum* in sanctis operibus, in fide, spe, & charitate; in sacris enim literis relatæ virtutes per relatos odores *symbolicè* significantur. Qui cares olfactu corporis, non cares olfactu animi; fac (ope Dei) animi tui olfactum relatos in te percipere odores; sic enim *Christi bonus odor* eris, ut (2. Corinth.cap.2.D.) inquit Paulus, & apud Isaiam cap.3.D. *Olfactoria* dici possunt ea omnia, quibus *bonus odor fumus Deo*. Si olfactus tui animi relatos in se percipiat odores, tu eris bonus odor Deo, ergo GAUDEAS, nec *tristeris*, quià olfactu corporis careas.

Sigillat Augustinus (in Psalmo 37.) dicens: *Habeat aliquis sanum olfactum animæ, sentit quomodo puteant peccata*; quæ si habeas, *tristeris* de tali odore; *gaudebo* de tali tuà tristitia, non quià contristatus es, sed quià contristatus es *ad pœnitentiam.*

Quantùm *ad odores sensibiles* ajebat S.P.Augustinus lib.10.Confessionum cap.32. Tomo 1. *De illecebrà odorum non satago nimis; cum absunt, non requiro; cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere.* Imiteris Augustinum.

Et cur tu de non olfactu *corporis nimis tristeris*, & alter de hoc olfactu *nimis gaudeat*? scribit Augustinus (serm.102. de diverf. cap. 5. To-

mo

mo 10.) dicens: *Si dicas, quid est olfacere? Respondeo, odores sentire. Acutè olfacis, canem sagacem non vincis.* Ergo cur, tu olfaciens, *nimìs gaudeas*, de eo, in quo te excedit canis?

CUR TRISTIS? quia gustu *caro*.

GUstus est sensus in animalibus, quo saporum diversitatem discernunt. *Gustare* autem est libare, quasique primoribus labiis attingere, aut linguà ad palatum adjunctà saporem aliquem indicare. Ideò S.P. Augustinus in Psalmo 51. dicit: *Homo nesciens, quid sit mel, nisi gustaverit, quid dicat, nescit.* Et libro 7. Confessionum, cap. 16. de *palato non sano* ait: *Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis.* Aristoteles (lib. 2. de Anima, cap. 9. Tit. 94.) dicit: *Gustatus in nobis acrior est, propterea quòd ipse est tactus quidam, qui sit in homine acerrimus.* Et lib. 3. de Animà, cap. 18. Tit. 64. addit: *Gustus sensus est, quo res, quæ sub tactum cadunt, & quæ alunt, internoscuntur.* Et lib 3. de Animà, cap. 13. Tit. 68. adiicit: *Gustatum animalibus natura tribuit, ut voluptatem, & dolorem in cibo sentiant, expetant, atque ad eum veniant.* Et lib. de *Sensu*, cap. 1. scribit idem Aristoteles: *Gustatus salutarem cibum à pestifero ità secernit, ut insuave, & ingratum fugiat, salutarem, gratumque appetat.*

Est igitur gustus index *variorum succorum*, à quo porrectæ sunt venæ ad cordis sedem, quibus diversi liquores examinarentur; hæ dum dilatantur variè, & contrahuntur, secundùm succorum differentias varietatem eorum discernunt; & gustus sani nullum indicium est certius, quàm si illa, quæ salubria sunt, eadem & suavia videantur; & contrà, quæ lædunt plurimum, eadem & offendant.

Nunc ad institutum. Fili, *tristari* te, dicis, de *carentia* GVSTVS; at cur *nimìs tristeris*? sis dexter artifex; ex malo facias bonum; peccator ex bono, *abutendo*, sibi generat *malum*, tu ex malo hoc physico, *benè utendo*, efficias *bonum*. Si habes *gustum*, non respuas, utaris honestè, age gratias Deo. Si careas *gustu*, sis conformis voluntati Dei; existima, quòd sic tibi expedit, & proficit, age gratias Deo. Si *gustu* cares, quo discernas sapores, excusas rixari, & altercari cum coquis; o quot fastidia evitas! Item sine nauseà, quia amaritudinem non sentis, expeditiùs pro salute corporis, ut servire possit spiritui, recipies medicinales potiones amaras. Sed & sic non ità proximus es *gulæ*, quia cares sensu, percipiente sapidos succos, in quibus fortè gula te ingurgitaret cum detrimento corporeæ salutis, & animi.

Gula (inquit S.P. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 7. Tomo 1.) *cum aliquid jucundè sapit, etiam si* exiguam, *tamen irrevocabilem partem sibi vendicat; & hoc cogit fieri, quod naturæ corporis convenit; quod nisi ità esset, nullus remaneret sapor in ore, postquam fuerint mansa illa reddita, atque desputa.* At si gustum haberes, fortè *gula* non revocaret sibi *exiguam*, & *irrevocabilem partem*, cum aliquid jucundè sapit; sed fortè sibi usurparet *majorem*, aut *maximam*, aut *totum*, quatenùs gulà suadente, & imperante, comederes, & gustares immodicè ea, quæ jucundè sapiunt; ergo *privatio gustus* gulam aliquo modo minuit, quia eam sapor non perceptus non acuit; & saltem obstat illi gulæ, quæ cibis *nimìs delicatè conditis* delectatur; si enim ex defectu gustus, non percipitur sapor, unde erit impulsus, ut *nimìs* condita, & *nimìs* artificiosè parata appetas? ergo *in Domino GAUDEAS*.

At si cares gustu *corporis*, non cares gustu *animi*; *gusta* suavitatem

Do-

Domini, quod in sacris literis significat, experimento suavitatem Dei cognoscere, & debitè Eucharistiam sumere. O quàm suavis est Dominus! vultis scire? *gustate, & videte*. Caveas *gustare mortem*, quod apud *Mathæum cap.* 16. *D.* significat aliquod peccatum committere, quod mortem inducit æternam. Caveas *à carne prægustatà à bestiis*, quod apud *Exodum cap.*22.*D.* significat animam præoccupatam à passionibus immodicis sensus. Si peccasti, scias, quòd apud *librum primum Regum cap.*14.*D.* Jonathas illicitè, & contrà præceptum patris, *gustans mel, & confitens, se gustasse*, significat concupiscentiam aperiendam in confessione. Ergo *gustu animi* gusta *suavitatem Domini*, gusta debitè *Eucharistiam*; nolis, peccando, *æternam* gustare *mortem*; nolis permittere, animam tuam à bestiis pravarum passionum sensus *prægustari*; si prægustarint, aperias *in confessione*. Hæc si *gustu animi* facias, VIVES, GAUDEBIS; de privatione ergo *gustus corporei*, qui breviter cum vitâ expiraret, *Nolis nimìs tristari.*

CUR TRISTIS ? quia tactu *careo.*

Tactus est unus è quinque sensibus, animalibus communis, de quo S.P. Augustinus (lib.8.de Civitate Dei cap.6. Tomo 5.) ait: *sensibilia dicimus, quæ VISU, TACTUQUE corporis sentiri queunt; intelligibilia, quæ conspectu mentis intelligi possunt.*

Cur *nimìs tristeris*, quia careas potentiâ communi bestiis? magis ames potentias communes Angelis. *Tactus in Angelis* (apud sacras literas) significat *constantiam illam, & discretionem, qua quod utile, quod noxium sit, peritè discernunt*. Apud Leviticum cap.6 C. quid significat *tangere sacrificia*? signat *credere, & sperare in Christum, ipsumque amare*. Hùc S.P. Augustinus (Sermone 17. ex additis à Sirm. Tomo 10.) dicit, *Tactus FIDEM significat; tangendo enìm acceditur ad eum, qui tangitur*. Ergo hos diligas animi tactus; hoc est tangere *intelligibilia*; non tangere *sensibilia*, cur sit tibi *nimia tristitia*? etiam irrationalia bruta objecta sensibilia tangunt; latè illa excedis tactu spirituali gaudens, quo spiritualia, sive intelligibilia tangis, quo tactu suavia percipias in æternâ felicitate. Si peccasti, exerce opera pœnitentiæ, hoc enim apud *Leviticum cap. 6. D.* significat *tangere hostiam pro peccato.*

Apud Leviticum cap. 11. A. quid symbolicè indicat *contingere cadavera immundorum*? significat *exercere pravas actiones, & studio peccare*. Caveas ab idolatriâ, quia id significat apud Leviticum cap.15. D. *tangere lectum menstruatæ*. Caveas sociari malis, & id significat apud Numeros cap.19.C. *tangere aliquid morticinum*. Caveas peccare, vel peccantem imitari, vel consentire peccanti, hoc enim significatur in Levitico (cap.5. A. & 7. B.& 11.C.) per *tangere aliquid immundum, vel occisum à bestiâ.*

Ergo (in summâ) si in sensibus prædictis *tangas sicut Angeli*, id est, discernas utile, & noxium; *si tangas sacrificia*, id est, credas, & speres in Christum, ipsumque ames; *si tangas hostiam pro peccato*, id est, pœnitentiam agas, si peccasti; *si non tangas cadavera immundorum*, id est, si non exerceas vitiosos actus; *si non tangas lectum menstruatæ*, id est, si idolatriam fugias, & unum verum Deum toto corde colas; *si non tangas aliquid morticinum*, id est, si non associeris malis; *si non tangas aliquid immundum*, id est, si non pecces, nec peccantem imiteris, nec consentias peccanti; si, inquam, *laudabiles* animi *tactus* habeas, & *illicitos* animi *tactus* renuas, de privatione tactus corporei *absit*, exulet, *nimìs, & contrà rectam rationem*, id est, *sine conformitate cum voluntate Dei*, *TRISTARI*. *In Domino GAUDEAS*,

quia es præditus *animi sano tactu*; quo suavia æterna percipias: *Tactus corporis* est caducus, in morte expirat; *privatio corporei tactus* cum multas voluptates sensus hujus impedit, quià non percipit, multa peccata ex hoc fonte, & capite, evitat.

Fili, opta *tangere fimbriam vestimenti Christi*, quod apud Mathæum cap. 14. D. significat *recipere gratiam Spiritus Sancti*, & *benefacere pauperibus*, & *Incarnationem credere*. Deus, in sacris literis, dicitur *tangere nos*; quando tangit? quando *inspirat*, quando *tangit corda per gratiam*. Quando Dei manus *tangit nos*? quando *per inspirationem movet*, & *inducit ad compunctionem*, & *ut emmendemur*, quando *præstat auxilium*, quando *probat*, & ideo Job, *manus Domini tetigit me*; istos *tactus Dei* tactu *tui animi* percipias; illos autem Deus tangit, quorum fide tangitur.

Apud Mathæum cap. 20. D. Christus *tangens oculos cæci*, symbolicè significat *Christum*, *illuminantem hominis mentem*; nunc per ista consilia *tangit* oculos tuos, illuminat tuam mentem, *tangit* tuum animum; *tactu tui animi* percipe *tactum Christi*; aliter *tanget puniendo*; percipe, antequam *tangat* severus, quia nunc *benignè* tangit te CHRISTUS.

CUR TRISTIS? quia mutus.

Mutus dictus est *à mugiendo*, ut quidam (inquit noster Augustinianus Calepino) putant; nam quamvis mutus loqui non possit, prorumpit tamen in vocem, quæ *mugitus* potiùs, quàm *sermo* videtur; vel dicitur *mutus*, quasi *minutus*, quòd eo sensu minutus sit; vel dicitur *à mussando*, quòd non alium, quàm inconditum sonum edat. *Mutire* autem est *timidè*, & *imperfectè* loqui; *obmutescere* verò est, quasi mutum agere.

Cur nimis *TRISTARIS? innuis*, *quia* mutus *es*.

O fili, cum lingua sit universitas iniquitatis, quot verba detractoria, scurrilia, vana, infamatoria, & impura evitas! Legisti in Psalmo 11. linguam *magniloquam*? indicat linguam *superbam*. Legisti in Psalmo 56. linguam *dolosam*: significat trahentes *occultè ad malum*, & suadentes *in peccato manere*, & linguà *agere dolum* est verbis *sanctis* miscere *perversa*. Apud Job, cap. 20. C. quid significat *linguà abscondere malum*? sub tegmine blandæ locutionis *operire malitiam*, quæ est *in animo*. In Psalmo 51. quid significant *verba præcipitationis*, nisi ea verba, cum quibus peccantes semetipsos præcipitant? Apud Job, cap. 6. D. verba, *quæ in ventum proferuntur*, indicant verba *ociosa*. Ergo (in summà) si *mutus* es, non eructas verba *detractoria*, *scurrilia*, *vana*, *impura*, *infamatoria*, *mendacia*; non exerces linguam *magniloquam*, id est, *superbam*; non exerces linguam *dolosam*, id est, nullum alium tui sermonibus oris trahis ad malum, nulli suades in peccato manere; linguà *dolum non agis*, id est, verbis sanctis non misces perversa; *linguà non abscondis malum*, id est, sub tegmine blandæ locutionis malitiam non operis; *verba præcipitationis*, & *ociosa* in ventum non profers; ergo si te esse *mutum* (saltem ex fonte, & capite sermonis, sive linguæ) tot peccata, prolatione saltìm, patrari obstat, cur *nimis tristeris* de eo physico, & sensibili malo, quod ex parte suà mala pejora impedit?

Docet Augustinus in Psalmo 86. *Qui desiderat*, & *si lingua taceat*, *corde cantat*; *qui autem non desiderat*, *quolibet clamore aures hominum feriat*, *mutus est Deo*. Es *mutus* corpore? Augustinus docet te, quomodo animo loqui, & cantare possis, itaut anima loquatur, & cantet, licet corporis lingua muta taceat; *sancta desideria fove*; hæc sunt lingua, qua Deum alloquitur anima.

Ver-

Verbum est in *corde*, *ore*, *& manibus*, cum est in *consilio*, *verbo*, & *actione*; cares verbo *oris*? manent tibi verba *cordis*, & *manuum*, nempe verba sancti *desiderii*, & rectæ *operationis*. Desideria sancta, & opera bona sunt duo labia, quibus mens nostra Deum alloquitur.

Imò nec (licèt sis corpore *mutus*) cares *verbis oris*, nam verba oris in Psalmo 137. significant *verba mentis*; mens est os spirituale, quo anima interiùs verba profert, dicuntur *verbum mentis*; ergo habes *tres* linguas, quibus Deum alloqui possis, nempe *cor*, *os*, & *manus*; cor (idest, voluntas) loquitur, *benè desiderando*; mens loquitur, *Deum contemplando*; manus animæ loquitur, *benè operando*; ergo si *tres* nobiles, & eloquentes potes habere *linguas*, cur cum dolore, & nimià tristitià, te *mutum* dicas? age (ope Dei, faventis invocanti corde vero) proferas *verba cantionum*, quæ apud Psalmum 135. dici possunt *laudes Dei in statu gratiæ decantatæ*; qui nequis cantare *corporeo* ore, canta ore, & linguà *animi*; illud interius, & spirituale audit, & intelligit, & amat Deus idioma.

Item loquere *manibus*, distribue pauperibus; hanc locutionem intelligunt pauperes, hæc & est lingua, qua Deus (benè faciendo) nobiscum sermocinatur; potes loqui eo genere linguæ, quo ad nos loquitur Deus? ergo GAUDEAS.

Quando erit TRISTITIA *tua* laudabilis? si sit, quia protuleris *verba delectorum*; hæc enim (apud Psalmum 21.) sunt cupiditates hujus vitæ, carnaliaque desideria, immodicæ passiones sensus; si protuleris *verba delectorum*, laudabo, sis ex fine sancto pœnitentiæ TRISTIS.

CUR TRISTIS? quià mancus.

FIli, manibus corporeis cares; scit Deus, quòd si illas haberes, scelera perpetrares, unde tibi malum æternum, ergo misericordia Dei fuit, quòd careres manibus. Fortè occideres, furareris, sacra profanares, parentes ipos alapà percuteres, unde tibi ruina honoris, corporis, & animi.

Manus animus tuus sanas (si ope Dei velis) habet. Inquit Augustinus (De Catachysmo cap. 2. Tomo 9.) sic: *Manus tuæ inveniantur in bono opere*. Operum symbola sunt manus corporis, quia sunt instrumenta ad operandum, & ipsa opera bona sunt bonæ manus animi. Et Sermone 15. (ex additis à Sirmondo Tomo 10.) ait: *Amor hominis est quasi manus animæ*; ergo sit tibi amor Dei, & erit animæ pulchra manus, tenebit Deum. *Manus in animà* non semel in sacris chartis significat *virtutem*, qua tenere aliquid, & constringere potest, quare indicat vim operativam animæ; operetur anima tua virtuosè, & teneat Deum contemplando, constringat amando. Si has *spirituales* habeas *manus*, quibus Deum ipsum teneas, & coronam æternam tibi immarcescibilibus virtutum floribus texas, cur de privatione manuum corporis, quæ sunt caducæ, *nimis* TRISTERIS? *in Domino* GAUDEAS.

CUR TRISTIS? quià claudus?

O Fili, *cur tristeris*? Pulsat Augustinus in Psalmo 33. quid nunciat? audi: *Duos* PEDES habeto, noli esse CLAUDUS. Qui sunt DUO PEDES? *duo præcepta dilectionis DEI, & PROXIMI. Istis pedibus curre ad DEUM.* Vides quàm aureè Augustinus tibi dictat, quomodo aureos, pretiosos, & agiles, ut curras, possis habere pedes.

Et contrà Julianum lib. 3. cap. 26 & libro 4. cap. 7. Tomo 7. ait: *Per vul-*

nus à diabolo inflictum claudicat genus humanum; at contrà illam claudicationem *ex diabolico vulnere* subscripsit Augustinus suprà relatos *duos pedes* ex CHARITATE.

Ajebat idem Augustus Pater, *De verbis Domini*, *sermone* 55. Tomo 10. *Quandiu inest per vitium claudicatio, nullo modo potest esse recta ambulatio; sanato autem vitio, reparata est natura.* Fili, animus claudicat per vitium, in viis Dei non est recta tua ambulatio; age, repelle vitium, & erit cum ambulatione rectà reparata anima.

Apud sacras literas *claudi* significant non semel *symbolicè* eos, qui gressum bonorum operum perdiderunt, & qui divina præcepta non implent; ab istà claudicatione *spirituali* caveas; in te, ope Dei, est spiritu rectè ambulare. Claudicatio *corporis* fortè tibi proficit, imò & quòd penitùs pedibus corporeis careas; fortè ires ad lupanar, ad domum ludi, ad vindictas, & occisiones, & scelera, ad conventicula contrà Principem, unde tibi malorum agmina; ideò *de hoc sensibili malo* nolis *nimiè* TRISTARI; si habeas *duos pedes* dilectionis *Dei*, & *proximi*, quibus ad Deum curras, in Domino GAUDEAS.

CUR TRISTARIS? quia deformis, pusillus, & gibbosus.

O Fili, vix aperis morbum, jam medicus adest Augustinus (lib. 4. de Doctrinà Christianà, cap. 28. Tomo 3.) subscribens: *Cujus pulchrum est corpus, & deformis est animus, magis dolendus est*, quàm *si deforme haberet & corpus*. Pulchrum animum ergo appetas; doleat ille, qui corpore pulcher, animo est deformis. Si deformis sis corpore, eò vividiùs sis sollicitus pulchritudinis animi; scias ex Augustino (libro 19 de Civitate, cap. 13. Tomo 5.) quòd *vita deformis est, ubi virtus servit dominæ voluptati*; voluptas tua servit dominæ *virtuti*? ergo pulchra est vita tua, pulcher es animà. Si animum fœditate peccati deformasti, scias ex Augustino (De Verbis Apost. serm. 27. cap. 3. Tomo 10.) quòd *Imaginem Dei in nobis deformare potuimus, reformare non possumus*. Quid ergo? favet Augustinus (in Psalmo 103. Tomo 8.) dicens animæ, *Quid facies, ut pulchra sis? priùs tibi displiceat deformitas tua; & tunc ab illo ipso, cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem.*

Ajebat aptè Euripides, *Deformis sim potiùs, quàm pulcher, & malus*. Deformes naturà nemo reprehendit, deformes vitio, & voluntate, omnes culpant. Si natura te edidit deformem, O quot faces extinxit, quot occurrit incendiis! fortè pulchritudo, ex abusu, esset tibi calamitas; deformem cum genuit, non dedit, quod delectet, at dedit, quid profit, dum pericula abusus negavit. Noluit tibi dare natura, quod quolibet instanti minuitur, & perit; noluit tibi dare dotem, quam ægritudo corrumpit, quam senectus eripit. Multos forma fecit adulteros, & aperuit januas morti infami; eos præservasset deformitas corporis. *Ratio* & *virtus* (quæ est animi pulchritudo) benè conveniunt sub eodem animi lare; pulchrius est, pulchrum fieri, quàm nasci. Es parvus? *gaudeas*, quia minori sarcinà terræ te natura gravavit; in corpore parvo potest hospitio recipi animus magnus, sicut in incultà conchà pretiosa gemma clauditur. Non quantitas molis, sed quantitas virtutis est amanda. Vide pag. 241. & pag 481.

Optas, quomodo possis fieri *pulcher*? indicavi; sed per singula discurramus.

Caput est symbolum *rationis*, & *voluntatis*, seu *liberi arbitrii*; quia sicut *caput* toti corpori superminet, ità ratio cum libero arbitrio omni actio-

ni provident ; & sub ipsis est appetitus sensitivus : *Capilli numerati* designant non semel *virtutes* animæ, & *cogitationes*.

Aures significant *promptitudinem discendi*, & *obediendi*, & hunc sensum indicare videtur Salvator in illis verbis apud Lucam cap.8.A. *Qui habet aures audiendi, audiat*, & aures Ecclesiæ sunt rectè audientes Verbum Dei, illique obedientes. Et *auris dextra* significare potest *intentionem supernæ visionis*; siniſtra verò auris intentionem *piæ operationis*.

Frons est symbolum operum, quæ exteriùs videntur. *Supercilia* (apud Leviticum, cap.14. A.) significare possunt *contemplationem* rerum sublimium, quæ sunt æternæ, & divinæ.

Oculi (apud Genesim cap.20. D.) possunt significare *verecundiam*, & *pudorem*, ut cum Ambimelech dedit Abrahæ mille argenteos in velamen oculorum Saræ.

Item *oculi* significant *Prudentiam*, quæ est oculus animi, sicut & *providentiam*; ideò (apud Ecclesiastem cap.2.B.) *oculi sapientis, qui dicuntur esse in ejus capite*, designant perspicacitatem *prudentiæ*, *& providentiæ*, quæ est in mente sapientis. *Oculi modesti* sunt symbolum *humilitatis*, sicut elati superbiæ.

Palpebræ (apud Proverbia, cap.4.D) significant *consilia*; & palpebræ præcedunt gressus, cum operationem nostram recta consilia præveniunt.

Nasus in sacris literis non semel significat *discretionem*, per quam *virtutes* eligimus, & delicta (quasi ex odore) reprobamus; & apud Job, cap. 27.A. *nasus* (sive nares) *animæ* significat vim ejus interiorem, qua divina quià benè odora haurimus, & etiam spiraculum fidei; quià per nares est spiratio corporis, ideò est symbolum fidei, quæ est spiraculum animæ.

Labia signant *vim producendi cogitationes*, quæ mundæ esse debent, ne sint labia polluta. Item duo labia (unum *superius*, & aliud *inferius*) signant duas portiones hominis, *superiorem* unam, nempè *rationalem*, *inferiorem* aliam nempe *sensitivam*, & tunc sunt labium unum, quando sensus sunt concordes rationi; talis concordia reddit labia pulchra, & tunc est quasi vitta coccinea, & rosea in labiis, quando portionem superiorem, & inferiorem charitas accensa unit, & labium inferius subditur, & unitur superiori, nempe *sensus* rectæ *rationi*; aliter ex divisione deformitat patet in ore.

Dentes in anima (in sensu bono) non semel in sacris chartis designant *vim meditativam verbi Dei*, *& vim discernendi bonum à malo*, quæ *discretio* dicitur, sicut & officium est dentium dividere, & secare utile à noxio.

Genæ (apud Cantica cap.1.C.) signant *pudicitiam*, quia rubescunt, & rosescunt, & iste color roseus est pudicitiæ symbolum.

Collum (apud Cantica cap.1. C.) *sponsæ sicut monile* significat *obedientiam*, seu *ipsos obedientes Ecclesiæ*. Et apud Genesim, cap.41.C. *Collum Joseph, habens torquem auream* signare potest *mentem*, sapientià ornatam.

Humeri, quia in eis onera portamus, significant patientiam in laboribus. *Brachium* est symbolum *fortitudinis*. *Manus* sunt symbola *operum*.

Digiti (apud Proverbia cap.7.A. & cap.31.C.) designant varias *virtutes*, tàm *morales*, quàm *Theologicas*. Et apud Psalmum 8. & 143. *Digiti varii* diversa dona Spiritus Sancti designare possunt, quibus adversùs dæmones pugnamus.

Pectus non semel in sacris literis significat aliquando *amorem*, & etiam potest significare *sapientiam*.

Stomachus bonus non semel ponitur pro *irà*, *odio*, & *fastidio* contrà *vitium*. *Venter* (apud Isaiam, cap.16.D.) significat *compassionem*; quare illa

ver-

verba, *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit*, exponuntur per *compassionem*, & apud Psalmum 37. cum dicitur de Judæis, *erraverunt ab utero*, id est, *à lege*, venter significat legem Dei, à qua erraverunt.

Genua, quia flectuntur, & incurvantur, significant *virtutem Religionis*, quia curvamus genua Deo, colentes.

Crura (apud Joannem cap. 16. F.) significant *vias* Christi *duas*, quæ sunt *misericordia*, & *veritas*; quæ sunt columnæ marmoreæ, quia à nullo possunt infirmari, ideò Christo non sunt fracta crura.

Pedes animæ sunt duæ præcipuæ animæ potentiæ, *intellectus*, & *voluntas*, quibus ad bona, vel mala incedit. Apud Ezechielem, cap. 1. B. *Pedes quatuor animalium recti* significant *bona opera*; & apud Exodum cap. 12. B. *Pedes calciati sunt bona opera cum debitis circunstantiis.*

Ergo (in compendio) *Caput bonum* significat rationem, & voluntatem bonam; *capilli pulchri, & aurei numerati* significant virtutes, item capilli aurei, & boni signant cogitationes bonas; *frons* pulchra significat bona opera, quæ ad exemplum apparent; *aures* integræ, & perfectæ designant symbolicè in sacris literis promptitudinem discendi, & obediendi, & rectè audientes verbum Dei, & illi obedientes; item dextra auris signat intentionem supernæ visionis, & sinistra auris intentionem piæ operationis; *supercilia* significant contemplationem rerum cœlestium; *oculi boni* significant verecundiam, & pudorem, prudentiam, & providentiam; *palpebræ pulchræ* indicant consilia bona; *nasus perfectus* designat discretionem, per quam virtutes eligimus, & vim interiorē, qua divina haurimus, & etiam symbolicè indicat spiraculum fidei; *labia bona* symbolicè signant vim producendi cogitationes bonas, quas oportet ideò esse mundas, ne sint labia polluta, item significant duas portiones hominis *rationalem*, sive superiorem, & *sensitivam*, sive inferiorem, tuncque ista labia sunt pulchra, & rosea, quando per incendium charitatis sunt concordes rectæ rationi; *dentes boni* significant vim discernendi bonum à malo; *genæ* pulchræ indicant pudicitiam; *collum speciosum* indicat obedientiam, & cum torque indicat symbolicè mentem sapientiâ ornatam; *humeri fortes* signant patientiam in onerosis laboribus, & constantiam; *brachia* bona signant fortitudinem virtutem; *manus integræ* signant opera bona; *digiti varii boni* signant varias virtutes, & varia Spiritus Sancti dona; *pectus sanum* signat sapientiam, & sanctum amorem; *stomachus bonus* signat symbolicè iram contrà culpam, odium peccati, & fastidium de rebus sæculi; *venter sanus* significat compassionem, & legem Dei; *genua* solida indicant virtutem Religionis veræ; *crura sana* indicant misericordiam, & veritatem, duas vias Christi; *pedes recti* significant intellectum, & voluntatem bonam, & opera bona. O fili, si relata foveas animo, NOLIS TRISTARI *de disformi corpore*, eris pulcher animo; vilescet Adonis in fabulis, aureus vilescet & ipse Sol. Si sis pusillus, & pigmæus, eris animo procerus; si curvus, & gibbosus, eris animo rectus; statura tua erit assimillata palmæ, ergo GAVDEAS. Vide p. 241. & à pag. 477. usque ad 483.

CUR TRISTARIS? quià contumelias, labores, vituperia, infamiam *patior.*

GAudeas, quià te purgant; *aurum* in fornace probatur, ex igne symbolo tribulationis, splendore scintillante, coruscans evadit. *Marmor* scarpello percutitur, illinc politum nascitur. *Lignum* securi percutitur, erat sylvestre, incultum, & rude, & vulnere ferri perficitur imago alicujus sancti, quæ posteà adoranda collocatur in aris. *Oliva* tunditur, conteritur,

pre-

premitur, exprimitur, & illinc oleum lucet in templo. *Vinum* premitur in torculari, pedibus conculcatur, & posteà illa accidentia (propter sanguinem Christi contentum sub illis) veneramur in calice. *Triticum* premitur, & pedibus bovum conculcatur in areà, & posteà accidentia (quia corpus Christi Domini post consecrationem ibi latet) consecratà veneramur in hostià. Quos Deus diligit, castigat; te purgat? te exercet? ergo diligit. Vide; fortè quæ pateris; sint pœna peccati; *felix tu*, quem Deus purgat in hac vità, ut sis politus in æternà. Si non sunt pœna peccati, sunt exercitium, ergo *felix tu*, quem Deus probat, & exercet, ut tandem coronet. Breves sunt sæculi labores; si conformis sis voluntati Dei, æternas tibi gignunt delicias. Brevia incommoda gaudia pariunt æterna.

Fili; verba sunt Salvatoris, *Qui vult venire post me, tollat CRUCEM suam, & sequatur me*; relata motiva tuæ tristitiæ sunt CRUCES, quas si portes conformis voluntati Dei, *sequeris* Christum, ergo *felix tu*; oportuit Christum contumelias, labores, vituperia, infamiam, CRUCEM pati, ut intraret in gloriam suam, ergo & tu, si cum tua CRUCE sequaris, intrabis cum ipso in gloriam tuam. Cum CRUX sit aditus ad gloriam, cur *nimis* TRISTERIS? in CHRISTO GAVDEAS.

Scias, quòd generosus animus non potest contumelias pati, quia eas heroico animo digerit. Aliquis vulnerat te verbis? verba sunt aer linguà percussus; te verberat aere? citò volat ventus, abiit. Plena victoria est, tacere à clamatione, & provocanti non respondere. Te aliquis contemnit? contemne contemptum; hoc est spiritus magnanimi, & sereno animo eris. Est malus, qui te contemnit, & tu ipsi displices? displicere malis, laudari est. Justè te objurgat aliquis? prodest; te objurgat immeritò? existima, quòd prodesse voluit, & æquo animo eris. Lascivia simiarum febrim excutit leoni, ità inimici convitia nonnunquam nos acuunt ad honesta. Magis debes convitianti, quàm laudanti, & adulanti, quia iste excitat superbiam, ille humilitati, & patientiæ occasionem præstat. Laudator te expedit incautè tutum, convitiator te cautum reddit. Laudantem non times, & licentiùs laberis; convitiantem metuis, & à vitiis abstines. In pugnà convitiorum ille victor, qui sustinet; ille victus, qui improbrat. Convitiatores dicam aniculas ebrias, & rabidas, si convitiis lacessant, putant se magnas. Convitiatori, adempta linguà, nihil remanet; tibi prudentèr tacenti, & ferenti, manet ratio cum laureà. Si tu patienter feras, convitiator plura non jaciet jacula; quæ si jaciat, ipse se ferit, jaculum namque si in solidum aliquid incidet, non nunquam in mittentem retorquetur. Si infles scintillam, excitas incendium, si inspuas, extinguis; ità si convitianti inflatos addas sermones, illius iræ ignem acuis, & hinc incendia; si dissimules, aut mites sermones proferas, iram omnem extinguis, priusquàm excandescat. Si patienter feras convitia, Christi signa, ut miles Christi, præfers; glorioso autem milites vulnerà jactant, & nihil aliud, quàm cicatrices ostendunt. Nec Ægyptus ob calorem, nec Scythia ob frigoris rigorem fulmina sentit; ità virum magnanimum speciositas augusta animi præservat à fulminibus, quià non sentit contumelias.

Convitiari stultorum est, dicente Spiritu Sancto in Proverbiis, cap. 10. *Qui profert contumeliam, insipiens est*; æquo autem animo contumelias tolerare, solius est sapientis. Quid putes, sit stultum provocare magnanimum? cornices provocare Aquilam; videas illas garrulas, garrientes tumultuariè contrà aquilam; at ista firma, constans, immobilis considens, nulla pennarum asperitate terribilis, nec hiatu rostri minax garrulitatem earum contemnit, ut ideò sit hieroglyphicum, contumelias magnanimè contemnentis.

Quæ

Quæ sunt convitia? diceris *Homo tressis*? dicebatur de homine contemptissimo. Diceris *nebula in pariete*? dicebatur de re nihili, somnique simillimà. Diceris *abominandus scarabæus*? fuit adagium, dictum de vilissimo homine. Dieeris *Ollaris Deus*? dicebatur de homine contemptæ sortis. Diceris *ficulneus gladius*? dicebatur de contemptà re. Diceris *telluris onus*? dicebatur de homine vehementèr inutili. Diceris de *lapide emptus*? dicebatur de homine vilissimo, & vehementèr obscuro, fortè quia servi ponebantur in lapide, & inde emebantur. Diceris *homo triboli*? dicebatur de homine nequissimo, nulliusque pretii. Diceris *exiguum oboli pretium*? dicebatur de re nihili, & contemptà. Hæc nauci ne facias, nec *floci* facias; sunt *vapula papyrea*, nempe negligenda; *manum non vertas*, nihil refert; sis *aquila thripas aspiciens*, dicebatur de magnis, qui pusilla negligunt; sunt convitia talia, & similia *conchà digna*, id est, res nullius pretii, nec teruntium tristitiæ insumas; sunt *munus levidense*, ut vilia, & minima sunt contemnenda; nolim dicere, quòd convitiatoribus *mandes laqueum*, ut sonat; at moneo, animo recto, & propter Deum præmiatorem, spiritu patiente sustineas.

Aliquis deridet te? provocat? convitiatur? evita conversationem cum eo, recede, docente Spiritu Sancto in sacrà Proverbiali Philosophià, cap. 22. *Eiice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ*. Et in Ecclesiastici cap. 8. *Nec contrà faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo*.

CUR TRISTIS? quià filius mortuus est, *quià* mortui *sunt* chari.

ADest Augustinus (De decem Chord. cap. 12. Tomo 9.) monens: *Si filius tuus mortuus est, mitte partem suam in cœlum, & noli servare fratribus suis*. Quid hoc? partem suam da pauperibus, & pro animà suà expendas, sacrificia celebrari, non prætereat. Fortè si filius viveret, te occideret, fuerunt enim multi parricidæ. Fortè si viveret, multa perpetraret scelera, unde sibi, & tibi infamia, & ruina. Si benè educasti, gaudeas, te præcedat potiùs in cœlo, quàm si successorem reliquisses in sæculo. Fortè Deus talem invenit, ut assumpserit, ne malitia mutaret intellectum ejus. Erat Dei, tibi commodavit; quod erat suum, repetiit. Si in paradiso sit, advocatum habes in glorià, ergo cur *nimis tristeris* in terrà? breves dies hominis sunt; si benè vivas, & sanctè decedas, brevi videbis illum felicem, & tu cum ipso felix. Vide à pag. 603. usque ad pag. 610.

Defuncta est *sponsa*? succedat sponsa *virtus*, hæc (si velis) est immortalis, nunquam expirat. Si sanctè *sponsa* migravit, præcessit paratura tibi requiem. Ex quo illam in sponsam elegisti, sciebas, quòd mortalis erat. Vide à pag. 577. usque ad pag. 594.

Defunctus est *sponsus*? sit tibi sponsus *Christus*, cui soli expeditiùs servies, quià jàm non es divisa; si cum hoc sponso te desponses toto corde in terris, est thalamus pretiosus in Cœlis. Pulsat Augustinus (De conjug. bono, cap. 25.) dicens: *Continentes, vel mares, qui defunctis uxoribus, vel fœminæ, quæ defunctis viris, sciant, sibi amplius quidem mercedis deberi, quàm conjugalis castitas poscit*.

Defuncti sunt *chari*? mortales erant. Resonat Paulus (1. Thes. 4.) dicens, *De dormientibus* NON CONTRISTEMINI. Credis resurectionem mortuorum? ergo cur impatienter fleas ablatos, quos credis reversuros, & ope Dei cum ipsis in æternum fruiturum? si sanctè mortui sunt, vita caduca

mu-

mutata est in æternam; non moritur, qui moriendo nascitur, in æternum victurus. Non est lugendus, qui planè antecedit felix, sed sanctè invidendus, & imitandus. Cur immodicè feras eos obiisse, & abiisse, quos mox sequeris? Impatientia malè ominatur *spei*, & *fidem* prævaricatur. Credis, quòd sit infinita Dei clementia? credis; ergo *piè* opineris, quòd sint *in gloriâ*, sìc enim *nimìs non tristaberis*, sed in Domino de eorum felicitate GAUDEBIS. Augustinus (sermone 163. de Tempore, Tomo 10.) tibi ministrat motiva solatii, dicens: *Dies resurrectionis Christi, DEFUNCTIS VITA, peccatoribus VENIA, sanctis est GLORIA.*

Opinaris, quòd prohibeam jura naturæ? aberras; caro sumus, infirmi; dolet natura, separatis charis, quià erant nostri, & idem affectivè nobiscum, maximè si consanguinitas uniat; at si contristatur infirmus sensus, prævaleat spiritus, ne sit *nimius* dolor, id est, ne sit contrà voluntatem Dei.

Mortuus est *Pater*? defuncta est *mater*? dolemus, at sit dolor rationalis, subditus Divinæ voluntati; ideo ne sit nimius medicina est à Deo roganda. Dolebat *S.P. Augustinus* de morte *S. Monicæ matris*; ut dolorem abstergeret, ipso funeris die in balneum ivit, sed non profuit; posteà dormitum se contulit, posteàquàm evigilavit, magnà ex parte dolorem mitigatum deprehendit, & recordatus versuum D. Ambrosii repetebat, precans Deum sic:

Deus Creator omnium,
Diem decoro lumine,
Artus solutos ut quies
Menteſque fessas allevet,
Polique rector, vestiens
Noctem soporis gratiâ,
Reddat laboris usui,
Luctusque solvat ANXIOS:

Ergo, defunctis charis, isti versus D. Ambrosii, qui fuerunt (corde toto prolati) Sancto Patri Augustino medicina, leniens acerbam vim doloris in suæ charæ sanctæ matris morte, sint & tibi salubre pharmacum.

Chrysostomus (& habetur 13.q.2. cap. *ubicunquæ*) ait: *Lugere autem, plorare, & lamentari eos, qui ab hac vitâ decedunt, ex pusillanimitate contingit. Hoc autem ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur; unde Apostolus non simpliciter ait*, Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, *sed addit*, sicut & cœteri, qui spem non habent; *pietatis namque affectu, humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur, sicut nonnullos sanctorum, exequiis aliorum lachrymas impendisse, legimus.* Et D. Ambrosius (in obitu Theodosii Imperatoris) dolebat dicens populo: *vobis juges pluviæ minabantur, & ultra solitum caligo tenebrosior denunciabat; ipsa igitur excessum elementa mærebant, cœlum tenebris abductum, aer horrens caligine, terra replebatur aquarum alluvionibus. Quid ni* Mundus *defleret eum Principem continuò esse rapiendum*? Ergo taceat Euphrantes Syrus, qui vxore defunctà, exclamabat. O Philosophia tyrannica *sunt præcepta tua; amare jubes, & si quis amisserit, quod amabat, dolere prohibes*. Taceat, inquam, nam Philosophia vera honestè amare jubet, & rationaliter dolere non impedit. Ideò Augustinus (De Verb. Apost. serm. 32.) ait: *Permittantur pia corda de suorum charorum mortibus contristari dolore sanabili.*

De *defunctorum curà* vide S.P. Augustinum *De Verbis Apost.* serm. 32. cap. 1. & 2. & serm. 33. cap. 1. Tomo 10. Item de curà pro mortuis Tomo 4. cap. 1. & sequent. Item de curà defunctorum de 8. Dulcitii quæst. q. 1. Tomo 4.

CUR TRISTIS? quia vindictam *ardesco:*

O Fili, in Proverbiis c.20. *Ne dicas, reddam malum pro malo: expecta Deum, & liberabit te.*

Ulciscendi libido (ajebat Tertullianus) negotium curat, aut *gloriæ*, aut *malitiæ*; at talis gloria ubique vana, malitia Deo odiosa, hoc quidem loco maximè, quià malum duplicat, quod semèl est factum; quid enim refert inter provocantem, & provocatum, nisi quòd ille in malefico deprehenditur prior, iste posterior? uterque reus Domini est, qui omne nequam prohibet, & damnat, quippe præcipit malum non rependendum. Quem honorem præstabimus Deo, si nobis arbitrium ultionis arrogamus? ipse est Judex, ad quem punire attinet; cur judicaturam usurpare audeas? *Mihi vindictam, & ego retribuam*, inquit Dominus; si *mihi*, ait, vindictam, cur tu tibi jus vindicandi latrocinari præsumas?

Quid tibi tua proficit vindicta? vindictam sequitur pœnitentia, fuga, reatus, ut paritèr plectaris; ergo si abstineas à vindicta, te præservas à pœna. Non est vindicta in homine sine impetu, at impetus præcipitat; quicquid impetu actum est, offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Si levis sit vindicta, insanies; si gravis, oneraberis; ergo patiens excutis à te præcipitia, & onera, cum à vindicta abstines. Quid tibi cum ultione, cujus modum regere non potes per impatientiam doloris? Si patientiæ incubas, non dolebis; si non doleas, pruritus non torquebit ultionis.

Tu delinquis, ergo & delinquentibus facilè parcas. Qui te læsit, est *imbecillior*? ergo *parce*; pusilli enim, & miseri est repetere mordentem; vides mures, & formicas, ad quas si manum admoveris, ora convertunt. Non est magnanimi recordari mala, sed magis despicere. Magnarum est virium lædentem negligere. Qui te læsit, est *potentior*? ergo *cede*; scriptum est, *cum potentiori ne contendas, & durum est contra stimulum calcitrare*. Vnum malum *à potentiore* accepisti? *sustine, absline*, ne duplicetur ipsius iniquitas; redimis te à duplicato malo.

Inimus cum Deo pactum, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; remitte, sicut & nos remittimus*; ergo si tu non remittas, quòd tibi non remittatur, postulas. Magna est virtus gloriæ, si cui potuisti nocere, parcas. Vindicari vis? patienter sustine, & funestam dedisti plagam; patientia tua læsorem confundit, prædicante Paulo ad Rom.12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.*

Inimicum salvare, nec injuriam vindicare est diadema victoriæ. Si læsus dissimulas, injuriam in ipsum authorem redundat. Cato læsus, & objurgatus, cur pateretur, dixit, *Non memini, me percussum esse.* Archelaus aspergitur aquà; increpatus, cur sustineret? respondit, *Non me conspersit; sed eum, quem esse putavit.* Socrates colapho percussus à quodam in viâ (alii putant, Diogenes) id solum respondit, *Homines nesciunt, quando debent prodire cum galeâ.*

Da locum iræ; Plato cum baculum puero intendisset, diù constitit, ut refrænaretur ardor iræ. Deus parcit, & tu parcas; ille maximus parcit, tu miser misero ignosce fratri. Ovid.3. de Ponto:

Crede mihi, miseris cœlestia numina parcunt;
Nec semper læsos, & sine fine premunt.

Injurianti (ajebat Augustinus lib.4. de Civit. Dei) *citò parcendum est, ne veniæ viam tibi intercludas*; inimicus (addit lib.1. de Serm. Domini in monte) *ut homo diligendus.* Symbolum *veniæ injuriarum* est homo, pecto-

re

re percuſſo, oculis ad Cœlum elevatis, dextrà tenēns enſem nudam cuſpide dejecto versùs terram, & in actu intendendi frangere enſem. Congruè elevatis oculis ad Cœlum, ut audiens à Deo, *Dimittite, & dimittetur vobis; mihi vindictam, & ego retribuam.* Laudo eum, qui digerit oſſa, & ferra, ſtruthio cameli more. Si tibi, parcenti inimico tuo, parcit Deus, cur *non parcendo* velis TRISTARI? ergo GAVDE *parcendo*; nolis reddere malum pro malo; expecta Dominum, & liberabit te.

Appetis vindictam? Auguſtinus ſubſcribit tibi laudabilem (ſerm. 37. de diverſ.) dicens: *Si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipſam iram tuam te converte, quià ipſa eſt inimica tua, quæ occidit animam tuam.*

Et ſerm. 41. de Verbis, cap. 1. Tomo 10. *ut velint homines vindicari, quando læduntur, ſuperbia facit. Cum humiliari dedignantur, vindicari volunt, quaſi pœna cuique prodeſſe poſſit aliena. Læſſus, & injuriam paſſus vindicari vult; de alienà pœnà ſibi quærit medicamentum, & acquirit grande tormentum.* Ergo propriam humilitate occide iram, & ſic propriam evitabis torturam. Vide pag. 1016. & 1017.

Artem ſanctam vindictæ, nempe ſalvando perſonam, & occidendo inimicitiam, iterùm explicat aureo calamo S. P. Auguſtinus Aurelius (lib. 50. Homil. Hom. 40. Tomo 10.) docens: *Non expectemus vindicari. Quid eſt vindicari, niſi malo alieno paſci? Scio, quotidie venire hominem, genua figere, & in iſtà humilitate dicit, DOMINE VINDICA ME, occide inimicum meum. Planè oras, ut occidat inimicum tuum, & ſalvet fratrem tuum; occidat INIMICITIAS, ſalvet NATURAM; ſic ora, ut vindicet te Deus; pereat, qui te perſequebatur, ſed maneat, qui tibi reddatur.* Qui te perſequebatur eſt impulſus vindictæ contrà perſonam, vitium inimicitiæ; qui tibi reddatur, eſt frater, perſona, ergo ille pereat, iſta ſit ſalva.

Non negamus tibi naturalem legem defendendi vitam, corpus, famam, res, & illatam vim repellendi *incontinenti*, ſine cupiditate nocendi alteri, & ſervato moderamine inculpatæ tutelæ.

CUR TRISTIS? quià MORIOR.

O Fili, ex inſtanti primo, quo incepimus vivere, incepimus mori. Primum filum vitæ fuit & primum, ex quo texitur tela mortis. Prima reſpiratio ad vitam, eſt primus greſſus ad ſepulturam. Dùm vivimus, inceſſanter morimur. Quot motus reſpirationis dat horologium cordis, tot ſunt curſus, ut ſonet hora mortis. Per peccatum mors introivit in mundum, & ſtatutum eſt hominibus ſemèl mori.

Fidelibus mors eſt utilis, quià à peccandi periculis hominem ſubtrahit, & in non peccandi ſecuritate conſtituit. Miſericordia Dei notum fecit nobis, morituros, abſcondidit diem, horam, & momentum, ut *rectè* viveremus, nec differretur pœnitentia, cum non poſſumus nobis tempus promittere futurum; at ſi tu agnoſcis jam mori, magna Dei clementia eſt hæc notitia, ergo (ſi peccaſti) pœnitentia (ope Dei) ſit infallibilis conſequentia. Si, *malè* vivendo homines mortem animæ invocant, *benè* moriendo, animæ vitam Deus revocat.

Timeas animæ mortem; ipſa eſt mors horrida, in profundum ire peccati. Ajebat Auguſtinus in Pſalmo 63. *Mortem ſempiternam time, & præſentem non curabis.* Addit in Pſalmo 118. *vita præſens mors eſt potiùs dicenda, quàm vita*; ergo ſi moriris, & pœnitens, à morte tranſis ad vitam; cur doleas, relinquendo hanc vitam, hujus vitæ relinquere mortem?

Mors carnalis eſt ſomnus, dormis uſque ad reſurrectionis diem; cur

nimìs triſtis, quia corpus jam ſine hujus vitæ dolore dormiat uſque in illum diem? an non eſſet anguſtia, quòd uſque ad illum diem eſſet in præſentis vitæ agone?

Si moriris, ſolvis tributum, hoc non repetitur ultrà debitum; non ſunt jàm ſatellites, morbi, labores, & dolores, qui crebrò pro debito ad noſtri corporis januas pulſent, & domum interiorem animi pro debito mortis inquietent.

Adam, ſi voluit, potuit non mori; ipſo peccante, jam ex neceſſitate morimur; ut ſit meritum in ipsà neceſſitate, adſit electio, quæ? *moriaris Dei voluntati conformis*. An quia nolis mori, an quia nimìs triſteris, ideò vives? imò triſtitia nimia accelerat mortem.

Infirmitatis affectus (ajebat Auguſtinus Tract. 123. in Joannem) *quo nemo vult mori, naturalis eſt*; at prævaleat ſpiritus promptus, ſi caro eſt infirma. Vbi mortis timor eſt, nec vita dicenda; ſi moriris, jàm eſt excuſſus timor mortis.

Agnoſcis te mori? *Nihil* (ſcribit Auguſtinus de Geneſi contrà Manichæos lib. 2. cap. 28. Tomo 1.) *ſic homines revocat à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio*. Corporis mors eſt bona bonis, mala malis; ergo ſi ſis malus, ſis pœnitens, ut fias à Deo bonus, & ſic ſit tibi bona mors.

Miſeratio fuit clementiſſimi patris Dei, quòd corpore moreretur homo, inducto primo peccato; cum enim hoc fuerit avernalis, & Stygius fons omnium ærumnarum, quas in palude cœnosà ſæculi patimur, & in hac lachrymarum valle, vita præſens ſine fine eſſet pœna, & tortura immortalis. Mors eſt omnium malorum corporis in hoc ſæculo medicina univerſalis.

Breves voluit Deus dies noſtræ vitæ corporeæ, ut in illis virtuosè operando, brevibus laboribus expediti ab ærumnis vitæ laborioſæ, & anxiæ caduçæ, breviùs, & celeriùs avolaret ſpiritus ad gaudia immortalia; horum futurum particeps & ipſum corpus poſt reſurectionem univerſalem.

Rectè viventibus mors non eſt mors, ſed lætus ad meliora tranſitus. Non doleas mori; ſed *benè mori*, Dei ope, agas; ſic enìm non moriris, ſed ut in æternum vivas, cum corporis morte naſceris. Mors juſtorum eſt natalis; non fletur, ſed celebratur. Ajebat Paulus, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*; qui rectè vixit, cum mors inſtat, lætus ſuſtinet judicem; gaudet, quia expirat tempus flendi, & jàm tempus ridendi, gaudii, & præmii, nunquam expiraturum, inchoat.

Si peccaſti, corde toto *pæniteat*; ardenter *ama* amplecti Chriſtum; amor *mortem* reddet *charam*, quia dilectum clarè, & citò videre, & clarè amplecti, tibi facilitat. Si moriaris inter Chriſti amplexus, *cur* TRISTERIS? age, GAVDEAS, egredere anima; inter Chriſti vulnera, & brachia, *cur* TIMEAS? extentis brachis, ut te recipiat, & amplectatur, expectat in CRVCE Chriſtus; expectat, corde lanceà aperto, ut intres, & ibi tutè habeas nidum; inclinat caput, ad cor apertum, te advocans, & accerſens, quaſi dicat, *veni, intrà*. Reflecte Chriſti in *Cruce* manus cum clavis fixas, pedes item fixos cum clavis, at ſimùl conſidera caput inclinatum ad latus cordis aperti, & aure inclinatà; quid hoc indicat? *manus* ſunt inſtrumenta punitionis, ſicut & *pedibus* inceditur ad puniendum, *cor* eſt rogus, & ſedes amoris, *inclinatio* capitis eſt actio vocantis; ergo inclinato capite ad cor apertum, & ſedem amoris, te advocat, & ſi fueris *peccator*, ad cordialem reconciliationem; manus oſtendit fixas cruci, & pedes, ne (ſi pœnitens accedas) timeas rigorem; *aurem* cum capite ad te *inclinat*, ut tuam audiat

con-

confessionem. Hadùc est hora, adhuc est momentum; in quacumque horâ, Si momento conversus sis, peccati tui Christus ampliùs non recordabitur, & sordidus fueris, a quâ lachrymarum te lava, nam & à latere Christi manant *sanguis*, & *aqua*, ille redimit, ista lavat, & purificat. O quàm pulcher intrabis in cœlum, tali aquâ lotus, tali sanguine purpuratus! ut sis *Rex in æternum*, intras. Eccè resonant angelici cantus, & inter musicos concentus, festivo modulamine, advocant, *Veni de Libano, sponsa anima; veni, coronaberis*. Mors est transitus ad CORONAM? Musica cœlestis mulcet? citharæ angelicæ recreant? cantores alati advocant? ergo si cum concentu es recipiendus in Capitolio cœlesti, immortali redimitus laureâ, cur de morte corporeâ nimìs TRISTERIS? *in Domino* GAUDEAS.

Reflectere nocivos *EFFECTUS* immodicæ *TRISTITIÆ etiam prodest* medicinæ *MORALI contrà* ipsam. *Ubi tristitiæ* effectus *per LUCERNAM* velo coopertam; *item per CAPUT* coopertum, *& per juvenem nudum, ligatum, circumvoluto serpente, rodente COR.*

SAcræ literæ explicant nocentes *nimiæ tristitiæ* effectus: Nam in Proverbiis cap. 15. legimus, *In mœrore animi dejicitur spiritus*. Et cap. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa*. Et cap. 25. *Tristitia nocet cordi*. Ecclesiastici cap. 3. *TRISTITIAM longè à te expelle; multos enìm occidit tristitià, & non est utilitas in illa*. Et cap. 35. *à tristitià festinat MORS*. Satìs patent tyranniçi nimiæ tristitiæ effectus, quibus cruciantur corpus, & animus ex sacris literis, quæ ideò ut piæ matres nos admonent, moderari *tristitiam*, causat euìm mœrorem animi, dejectionem spiritus, exsiccat ossa, multos occidit, non est in eà utilitas, & MORS à tristitià festinat.

In relatis effectibus continentur omnes alii, quos Medicina recensetz Multa mala corpori, & animo *tristitia* congerit, cor refrigerat, calidum nativum strangulat, & absumit, spiritus cogit, potentèr exsiccat, vires labefactat, concoctionem interçipit; pulsum parvum, tardum, rarum, imbecillem facit, & MORTEM citò cum falce pulsare causat, sicut & forcipem (ut loquamur poetiço more) Parcis præstat, ut filum vitæ secent. Redditur nimiè tristis animo æger, curis multis, & ærumnis affectus; hìnc, indè vagatur, discursitationibus caput demissum fatigat, sic putans, se posse mederi dolori, cum tamen sic remedia negligens, solos dolores acuat. Vidisti cervam sauciatam? celeri cursu hìnc, inde fugit, semper reflexà cervice respiciens sagittam corpori infixam; at celeri cursu acerbiùs se sauciat, nec cursus, nec vagatio, nec capitis demissio sunt aliquòd *dolori* levamen, imò tormenta augent. Videas ægrum febre acutà vexatum; hùc, illùc in lecto inquietè se jactat, se versat anxiè, lectum, aut locum in lecto mutat spe levamenti vanà; nam quid assequitur? fatigari anxiè. Ità si æger animo sis, tristitia te ad peregrinationes, ad littora pererranda, impellit; fugis turbas, solitudinem ambis, tristis discurris, & ambulas, caput inclinas, manum ad barbam applicas; sed quid hìnc? cruciari.

Ad relata attinent effectus tristitiæ, ut *Medicè* explicantur à *Lucca Tozzi* (in nostro regio, & publico Neapolitano Athenæo) in cathedrà Medicinæ primario, *in Tractatu de Passionibus*, docens: *Tristitia* (sive *mœstitia*) *est affectus animi, in quo desperato gaudio ob aliquod malum præsens, velut tale putatum, animal mente, & corde deiicitur; adeòque dolentem, negligentem, sylvestremque vitam ducit*. Necesse est itaque, quòd ex objecto

ma-

malo sensibili similis affectio menti, & cordi inferatur, ut ex inde mala impressio universo etiam sanguini inducatur; qui propterea in suo motu retardatus, parumper concrescit, & crassus, terrestris, acidusque evadit. Hinc non solùm in organis interioribus, verùm etiam in externis, potissimùm in facie, & oculis, ejusce mœroris affectio manifestatur; siquidem vultus livescit, oculi illachrymantur, & totum corpus manifesto torpore corripitur; quin & pulsus contrahuntur, & debilitantur; fiuntque in mœrentibus tardi, rari, pusilli, quoniam sanguis hebescit in motu, & concrescit in crasi. Hac de causà propter diuturnam molestiam, cunctæ corporis partes marcorem incurrunt, corrugantur, frigescunt, cum vigilià, inappetentià, & non rarò etiam cum delirio melancholico. Vnde patent damna mœstitiæ, sive tristitiæ, nam pigrum, ineptumque hominem reddit, cor atrà fuligine opprimit, & si diù perseveraverit, insaniam parit, per quam societas, conversatio, & quodcumque valet, animum reficere, & exhilarare, *molestiam afferunt*. Hæc dexteritate medicà laudatus medicus primarius, & ab his non discordant illa à nobis dicta à pag. 901. dum *humorem melancholicum* explicavimus. Vide ibi, & similia pag. 227. & 243.

Consonant præfatæ explicationes Chrysostomo, in Epistolà 8. dicenti: *Tristitia* est animarum crudele tormentum, dolor quidam enexplicabilis, & judicium omni judicio, vindictàque deterius, nam *vermi* est similis *venenato*, non solummodò *carnem*, sed *animam* ipsam perimens; & est *tinea*, non solùm *ad ossa*, sed *ad corda* pertingens; & est *perpetuus quidam carnifex*, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens; & est *jugis nox*, *ac tenebræ*, *& turbo*, *& febris*, non apparens, omni igne validiùs incendens, & *pugna*, requiem non *habens*. Hæc aurea Suada Chrysostomi.

Ad præfatas doctrinas attinet illud symbolum, vel cum suo epigraphe Emblema, in quo figuratur, ut tristitiæ symbolum, *lucerna*, *velo nigro cooperta*, & etiam aliud, in quo figuratur *demissum caput*, *velamine nigro tectum*, *etiam occultante faciem*; quid hoc? lucerna est symbolum intellectus, qui residet in capite, & est lucerna animi; velamen nigrum est symbolum tristitiæ, & tenebrarum, quare velamen nigrum, tegens lucernam, & caput, innuit, passione immodicæ tristitiæ obtenebrari animum, intellectum obscuritate, ut nigro velo, cooperiri, & occupari. Etiam in sacris literis caput coopertum constat fuisse signum tristitiæ, quare lib. 2. Regum cap. 15. legimus, quòd David Rex, & cum eo omnis plebs, operto capite præ tristitia, clivum olivarum ascendit; & cap. 19. de eodem David, mortem Absalonis flente, habetur, *Porrò Rex cooperuit caput suum*, *& clamavit voce magna*, *Fili mi Absalon*, *Absalon fili mi*. Item qui periculum mortis sibi imminere videbant, præ tristitiâ caput obnubebant; ut ideò hinc lucerna velo nigro tecta, vel caput velo nigro coopertum pateant aptum tristitiæ symbolum, & tenebrosos in animo indicare tristitiæ effectus. Et ex Varrone constat, fuisse in more, *mulieres in luctu nigrum colorem solemnem habuisse*, *amiculo nigello*, capillo demisso sequebantur *luctum*.

Huc illud aliud tristitiæ, & effectuum tristitiæ symbolum artificiosum, *juvenis nudus*; *manibus*, *& pedibus legatis*, *serpente rodente cor*.

Cur *manibus*, & *pedibus ligatis*, *catenàque constrictis*? ad innuendum, quòd tristitia, quasi vinculis constringit, & arcet animum; tenet pigrum, torpentem, immobilem ad operandum; nec manus relinquit ad operationem, nec pedes ad ambulandum, sed quasi stupidum reddit saxum. Cur *nudus*? quia sine veste solatii, nudus ab omni consolationis habitu. *Quid indicat serpens circumvolutus*, *& rodens cor*? quòd totum hominem tristi-

tia

tia premit, cor vulnerati vexat, & rodit, ideò Cicero definit, *Animi dolor est ægritudo cum vexatione cordis*. Consonant hæc suprà dictis ex sacris chartis.

Zeusis tristitiam, & hujus effectus ostendit sub specie hominis *mœsti, lachrymosi, fronte tristi, nigro colore vestiti, tenentis in manu facem extinctam, adhùc fumantem*. Fax extincta, adhùc fumans, innuit animum tenebrosum, sed quia adhùc animus est in corpore, fumat quasi extinctus, quia non lucet, ut perfectè vivens. Cœtera patent, sunt enim signa externa animi tristis. Proverbia fuerunt, *Mala senium accelerant*. *Curæ* causant canos. At in Proverbiis sacris cap.25. *Ut vestem tinea, & lignum corrodit, ità cor viri TRISTITIA lædit*. Ecce & *tineam*, ex Salomone, *tristitiæ* symbolum, symbola alia legisti suprà in verbis Chrysostomi.

Ex sæcularibus, qui serviant sacris, Menander ajebat: *Tristitiæ hominibus pariunt morbos. Semper aliquid, tristitiâ afficiens, persecutum* est *vitam*.

D. Thomas (1.2.q.27.a.4.) *Tristitia inter omnes passiones maximè corpori* nocet. Ideò *tristis* dictus à *tero*, quod est consumo; *tristis* quasi tritus.

Si consideres effectus *physicos tristitiæ* noxios corpori, & menti, & maximè impedientes vitam laudabilem honestam tàm *activam*, quàm *contemplativam*, non solùm à tristitiâ abstinebis, ne noceat corpori, sed abstineas maximè, ne noceat *spiritui*, ideoque *ex hoc fine spirituali* considerare *physicos* effectus tristitiæ, erit etiam, ne (ipsos relegando) impediant opera spiritus, aliqualis medicina MORALIS.

Relinque velamen tristitiæ *immodicæ* sensibilis ex defectu sensibilis boni, & præsentiâ sensibilis mali, &, si peccasti, adjice tibi *velamen* confusionis, & pœnitentiæ, quæ est tristitia laudabilis, quià est de spirituali malo, & ut assequaris spirituale bonum; scias, quòd (apud Ezechielem cap.13. & apud Paulum 1.Corinth.cap.11.B.) *velamen super caput* indicat confusionem peccati. Et apud Genesim (cap.20.D.) *velamen oculorum* designat *pudorem*. Et apud librum 3.Regum cap.19. C. Elias *velans faciem suam, audito sibilo Dei*, signat *humilitatem cognoscentis divina, ut quò plura cognoscit, ampliùs humilietur*. Et apud Ezechielem cap.1.F. *velantia animalia corpus duabus alis* designabant, per *timorem*, & *pœnitentiam tegi peccata nostra*. O fili, ista velamina eligas, & velamen capitis signum sensibilis tristitiæ, & tristitiam ipsam sensibilem propter mala sensibilia, & caduca, spiritu patiente, constante, magnanimo, & forti excutias.

MEDICINA physica *TRISTITIÆ* sensibilis *est* *STMBOLUM* Medicinæ *MORALIS*.

Laudatus medicus *Lucas Tozzi* (ubi suprà) hæc medicamina contrà passionem immodicam tristitiæ sensibilis dictat. *Postremò* (ait) quantùm ad illius correctionem, sive remedia, commendantur mœstis, & melancholicis, quæcumque vim habent repurgandi sanguinem à fœculenta terrestreitate accidà, spiritus figente. Quare plurimùm in id valet *aer lucidus, tenuis, purus, & apricus*; cujus sanè beneficio plerique diuturnà mœstitiâ convaluere. *Res paritèr odoræ, gratèque olentes, optimæ sunt; aspectus quoque virentium arborum, deambulationes per loca amæniora, idque genus alia*.

Verumtamen oportebit, ex adverso ea omnia simùl unà removere, quæ occasionem mœrendi præbere, vel doloris causam memorare possunt. Qua arte usa fertur Græcorum Helena, cum Trojani excidii apud eos mentio fieret. Simùl enim suum *Nepenthes* illis offerebat, & ad res lætas sermonem convertebat, ut auctor est Homerus.

Hinc *amicorum* ſocietas, & *muſicis inſtrumentis* excitata voluptas, ſummum remedium mœſtis eſt.

Attamen non ideò cohibendus illis eſt *fletus*, & *ejulatus*, quo plurimum cor, & cerebrum atro illo humore exonerantur, & animus è tantà triſtitià ſublevatur.

Sed cur lachrymæ tàm facilè proſiliant in *mœrentibus*, quæ non rarò ex nimià lætitià in *gaudentibus* comparent? Ratio deducitur ex varià impreſſione ocularibus glandibus illatà; quippe quæ *conſtringuntur*, ac exprimuntur propter dolorem *in mœſtitià*, & *amplificantur* plus juſto in *gaudio*. Utroque autem modo poteſt fieri illachrymatio; glandulæ enìm oculares, ubi aqueus liquor continetur, ſunt inſtar ſpongiæ, quæ ſivè comprimantur, ſive delaxentur, contentum liquorem emittunt.

Denique *ad mœrorem* valdè confert *ſomnus*; is enìm laxat fibras cordis, cerebri, & nervorum, quæ ex dolore, & luctu erant corrugatæ, & contractæ; ſiquidem ex mœrore dolentes plurimùm conqueruntur de quadam cordis compreſſione, & thoracis anguſtià, quanquam hæc *in Diaphragma* potiùs pertineat; quod ſicùt in *gaudio* nimìs amplificatur, *in mœſtitià* conſtringitur; unde etiam *reſpiratio interrupta*, *ſingultus*, *ſuſpiria*. Si ergo *ſomnus* mœrori remedium eſt, planè quæ vim habent *ſopiendi*, cujuſmodi ſunt ex *opio* concinnata, præſentanea auxilia erunt; ejus equidem virtutis dicitur fuiſſe *Nepenthes* illud Homericum. Item *ex vino*, & cordis exhilaratio & mentis ſopor commodè inducitur ad mœſtitiam abigendam; quo circà in ſacris literis ſummoperè mœrentibus commendatur: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo*. Hæc Medicina phyſica medica contrà TRISTITIAM ſenſibilem ex noſtro primario medico ſuprà citato. At hæc *phyſica Medicina* contra *triſtitiam* ſenſibilem immodicam eſt ſymbolum Medicinæ MORALIS contrà eandem triſtitiam. Patebit, ſi gloſſemus, & per ſingula diſcurramus.

Tullius (3. Tuſc.) ajebat: *Corpora curari poſſunt, animorum nulla medicina eſt*. Difficulter ſanè curatur triſtitia paſſio; & licèt Medicinà phyſica ſubſcribat, quod poteſt, tamen in praxi debiliter poteſt. O, paſſioni, quæ maximà indiget medicinà, difficilis eſt medicina! interrogat Cleanthes, *Quid eſt triſtitia?* Reſpondet, *Animæ reſolutio*. Addebat Stobæus ſerm. 97. *Multorum malorum cauſa omnibus eſt ſuaptè naturà triſtitia; propter hanc etiam inſania oboritur multis, & ægritudines incurabiles. Interficiunt etiam aliqui ſe ipſos præ triſtitià, cum quod infert mœrorem, majus eſt, quàm unde ſperetur ſalus*. Ideo S. P. Auguſt. lib. Confeſſ. *Ne dederis in triſtitiam cor tuum*.

Sed Eccleſiaſtes cap. 7. *Triſtitia nocet cordi*; & in Eccleſiaſtici cap. 14. *Felix, qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſuà*, & cap. 30. *Melior eſt mors, quàm vita amara; triſtitiam nondes animæ tuæ*. Adeò gravis morbus gravi attentione pro curatione indiget.

PURGATIO SANGUINIS.

MEdicina *phyſica* dictat *purgationem ſanguinis à fœculentà terreſtreitate accidà ſpiritus figente*.

Sanguis in ſacris chartis eſt ſymbolum *animæ*, dicente Auguſtino (contrà adverſ. leg. lib. 2. cap. 6. Tomo 6.) *Lex ANIMAM voluit ſignificare per SANGUINEM; rem ſcilicèt inviſibilem per rem viſibilem; quia SANGUIS, per venas omnes ab ipſo corde diffuſus, in noſtro corpore plus cæteris humoribus principatur; itaut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, ſed ipſe procedat. Ità quoque ANIMA, quæ omnibus, quibus*

bus conſtamus, inviſibiliter prævalet, illo (nempe SANGUINE) *melius ſignificatur, quod omnibus, quibus conſtamus, viſibilibus prævalet.* Eſt igitur *ſanguis* ſymbolum *animæ.* Quæ medicina *phyſica* contrà morbum immodicæ TRISTITIÆ? *purgare ſanguinem phyſicum*; ergo quæ medicina *moralis* ſit? *purgare ſanguinem moralem*, ſed hic eſt *anima*, ergo eſt purganda *anima*. Sanguis *phyſicus* à qua pravà qualitate eſt purgandus? *à fœculentà* phyſica *terreſtreitate accidà, ſpiritus figente*, qualitas enìm melancholica, ſive *triſtis* (ut dictum pag.893.) eſt *terrea*, & iſte humor dicitur *terra humorum*; ergo à qua qualitate eſt purgandus ſanguis *moralis*, nempè anima? *à fœculenta terreſtreitate MORALI accida, figente ſpiritus animæ*; quæ eſt talis qualitas? vitium, deſideria *terreſtria*, cupiditates *fœculentorum* bonorum *terræ*, ſive ſenſibilium; iſta figunt terrenis ſpiritum hominis, animam, & potentias; ergo, age, ut *triſtitia immodica*, vitioſa, & contrà rectam rationem (quia terrena, & ſenſibilia bona nimìs deſiderata non aſſequeris) exulet, purga ſanguinem moralem animam *à fœculentà terreſtreitate morali* deſideriorum terræ; ſpiritualia bona, & cœleſtia appete; unde enìm naſcitur, quòd nimìs te contriſtent *terræ* ſenſibilia mala? quia immodicè cupis *terræ* ſenſibilia bona. *Vis ſanus fieri?* purgatio moralis eſt neceſſaria.

Si TRISTITIA conſtringit COR, ſcias ex Auguſtino Patre in Epiſt. 34. Tomo 2. quòd *cum ſuperflua, & TERRENA diliguntur*, arctiùs adepta, quàm concupita CONSTRINGUNT; ergo *terrena* bona concupita *conſtringunt*, adepta *conſtringunt* arctiùs; ecce cur *triſtitia* tuum cor conſtringit; ecce unde provenit tua triſtitia, & conſtrictio cordis, quæ eſt effectus triſtitiæ; ergo purga ſanguinem moralem ab omni deſiderio terræ, & fœculentà morali accidà terreſtreitate, & ſic non erit cordis ſenſibilis conſtrictio, *ſenſibilis triſtitia exulabit*, ſanus eris. De purgatione *morali* ſanguinis *moralis* vide etiam pag.966.

Triſtitia, conſtringens *cor*, *reſpirationem* expeditam impedit, hìnc ſingultus, & ſuſpiria cauſat; ergo quod remedium? purgare à terrenis; quomodo? *Auguſtinus* (Tract. 18. in Joannem) ſubſcribit: *Pone* in terra terrena, *ſursùm COR*. Illa eſt perfecta ſanitas Deum videre; quæ medicina ad hanc ſanitatem? *Auguſtinus* in Pſalmo 5. *Non eſt inhærendum* terrenis, *ſi volumus Deum videre, qui mundo CORDE conſpicitur.*

Præ triſtitia putreſcit *cor* tuum; quod remedium? *Auguſtinus* (in Pſalmo 31. enarrat. 2.) dictat: *Putruerat COR tuum cum eſſet in* terrà; audis ſursùm COR, *erige, ne putreat*. Et ſerm. 14. (ex addit. à Pariſ. cap. 13. Tomo 10.) *Sancti, qui* in terrà *habitant, carne* terram *calcant, corde* in cœlo *habitant*. Vide, quanto conatu S.P. Auguſtinus medicus ſpiritualis ſubſcribit, *purgare* moralem ſanguinem *à fœculentà morali terreſtreitate*; addit (in lib. Quæſt. ſuper Exodum q. 29. Tomo 4.) ſic: *Moventur CORDA hominum ſecundùm proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt*; voluntas ſit in creatore, & *fœculenta terreſtris qualitas* non erit in corde. Ideò ut *purgetur* iſta terrena qualitas à corde, & ſanguine morali, quæ eſt anima, in Pſalmo 96. concludit, *Si vis eſſe* COELUM, PURGA de corde tuo TERRAM. Et quis ſit *medicus maximus*? ipſe S. Pater in Pſalmo 84. tibi oſtendit, *Homo medicus ſanat oculum corporis, Deus MEDICUS ſanat oculum cordis.*

Addit Medicina phyſica pro remedio contrà triſtitiam, quòd ſit *aer lucidus, tenuis, purus, & apricus.*

A E R.

AER est unum è quatuor elementis, levius, & subtilius aquà, gravius igne, naturà calidum, & humidum, necessarium ad vitam animalium, & respirationem viventiũ, quod ratione suæ subtilitatis, faciliſque transmutationis, facilè quasvis impressiones recipit; in eoque volucres volant, ut pisces in aquà. AURA verò dici solet aer *subtilis*, & *refrigeratus*. VENTUS autem dicitur *aer ipse agitatus*, magno impetu occursu contrarii pulsus.

AER est tanquàm medium glutinum, & compago, diversa simùl conjungens; ideò est symbolum SPIRITUS SANCTI, omnia unientis, quæ dissidentia videntur, & roborantis in omnibus fistulis mundani instrumenti; & hoc significatur ab Ezechiele, dum narrat, *Et spiritus vitæ erat in rotis*; per quatuor rotas intelliguntur quatuor elementa, aer est in medio, quasi uniens.

Apud librum 3. Regum, cap. 19. C. & Job, cap. 4. D. *Aura tenuis* designat *Spiritus Sancti inspirationem*; & etiam dicitur *aura lenis* Deus, quià notitiam suam, quatenùs cognosci ut cumque à nobis in hoc statu valeat, nostris sensibus temperat. AER, quatenùs est *refrigerans*, significat consolationem, quà Deus consolatur nos; item & *tranquillitatem* præcipuè *à tentatione*, & *tribulatione*, & *animi perturbatione*.

Ergo (in summà) AER est symbolum *Spiritus sancti*, omnia unientis, quæ videntur dissidentia. AURA *tenuis* designat *Spiritum sanctum*, & *ejusdem inspirationem*, & se temperantem nobis, ut ipsum agnoscamus. Item AER *refrigerans* designat symbolicè *consolationem*, qua Deus consolatur nos, & *tranquillitatem ab animi perturbatione*. Quid subscribit *Medicina physica* contrà morbum *immodicæ tristitiæ sensibilis*? subscribit *aerem lucidum, tenuem, serenum, auram refrigerantem*; ergo, Fili, *Medicina moralis* contrà eundem morbum subscribit *moralem, & spiritualem aerem lucidum, clarum, tenuem, subtilem, refrigerantem, serenum, auram refrigerantem*; quis est iste AER? quæ ista AURA? SPIRITUS SANCTUS, & *hujus inspirationes*; ergo istum *aerem* optes, *hanc auram* suscipias; sic enim tuum cor fixum terræ, & ideò dissidens à cœlo, unietur cum spiritualibus, & cœlestibus bonis, inspirationes divinas audies, habebis *consolationes*, quibus Deus consolatur nos; frueris tranquillitate ab animi perturbatione, & consequenter à passione sensibili immodicæ tristitiæ, quæ te perturbat, & torquet; si aere corporeo corpus respirat, *hoc aerè spirituali* respirabit animus, & sic etiam cor tuum impeditè respirans, quià tristitia constringit illud, expeditam, serenam, & suavem respirationem acquiret. Sic eris sanus à talis tristitiæ morbo. *Vis sanus fieri?* age, ad *spiritualem aerem*, ad *auram tenuem*, salus læta, & robusta erit. Proficiet non solùm animo, sed & corpori, quià non torquebitur.

Medicus spiritualis Augustinus (De Verb. Apost. serm. 15.) adest, te admonens: *Contemne* spiritum tuum, *accipe* spiritum Dei. *Non timeat* spiritus tuus, *ne cum cœperit in te habitare* Spiritus Dei, *angustias patiaris in corpore*. Et serm. 18. *vita tua* Spiritus sanctus *est*, *templum sordidum non ingreditur*; ergo scope animæ templum, sanguinem *moralem* purgando *à fœculentà terrestreitate*, spiritus potentias figente terrenis.

ADdit Medicina physica contrà terrenæ, & sensibilis *tristitiæ* morbum MUSICAM ut remedium; & quidem ità, de quo nos latè diximus à pag. 221. in articulo, cui titulus MEDICUS MUSICUS.

Augustinus in Psal. 91. *Quamvis sit magnus tactor organi* Spiritus sanctus, *tamen per angustas* spiritus humani *syllabas sonat*. Si sanguinem *moralem* purges, & ad *aerem lucidum, & tenuem* Spiritus sancti confugias, ecce Spiritus sanctus (ut te lætificet, & ab angustiis tristitiæ harmonico, & musico concentu, redimat) tangit organum animi tui; ex dexteritate tactoris organi inferas, quàm suavis, læta, & sonora (procul à tristitiâ) erit musica animi harmonia! Si Spiritus sanctus te invitat cum Musicâ, & ipse (si velis) òrgana tangit, ut læteris, cur sis TRISTIS? Eja, statìm scopas à pulvere, & sorde peccati organum animi, ut Spiritus sanctus sonet.

Fili, tua *nimia* cupiditas sensibilium bonorum, more filii prodigi, avertere fecit á patre; more illius profectus es in sæculum, regionem distantem à cœlo, dissipasti vitiosè hæreditatem tuam paternam, dum animam, ejusque potentias traxisti, ut servirent sensui; quià *nimia cupiditas* bonorum sensibilium te inflammat, *tristitia* de ipsis non adeptis, vel amissis, nimiè te vexat. Quid filius prodigus jam miser, & *tristis*? resolvit redire ad Patrem. Quid Pater? plausù recipit, musico concentu, & symphoniâ. Quem significat in illâ *Parabolâ* Pater? DEUM. Eiá, age; contrà *tristitiam vitiosam*, sit *tristitia pœnitens*; reddi *pœnitens* ad Deum; ut expellatur tua tristitia, te expectat cum Musicâ, te expectat cum *symphoniâ*; quid est *symphonia*? vocum consonantia, & musicus concentus, qui *harmonia* dicitur. Quid apud Lucam (cap. 15. F.) symbolicè signat illa *symphonia* in adventu filii prodigi ad domum patris? *concordiam charitatis, & virtutum, & etiam eos, qui in laudibus Dei sunt concordes*; ideò apud Isaiam (cap. 22. G.) *Musicorum vasa* dici possunt *vacantes laudibus divinis*. Ergo *tristis*, at pœnitentiæ dolore, redeas ad patrem Deum, fili prodige; te expectat cum *Musicâ symphoniâ*, cum charitate *concordi*, cum *virtutibus*, ut doceat te istam Musicam; sonet ergo cum illo concors tui animi symphonia, foveas charitatem concordem patri, imiteris virtutes; sis Musicorum vas cantans divinas laudes; & exulabit penitùs *tristitia terrena*, cum cœlestis harmonica in animo tuo resonet *symphonia*.

Musici (inquit Augustinus in Psalmo 150.) *dicunt, tria esse genera sonorum*, VOCE, FLATU, PULSU. *Vox* est ore, *flatus* est à corde, desideriorum aulâ, *pulsus* est in manu symbolo operis; ergo quomodo *terrena non* abibit *tristitia*, si spiritualis musicus *ore, corde*, & *opere* sones?

Apud Psalmum 56. inquit Augustinus: *Organa dicuntur omnia instrumenta Musicorum*; Organum adhùc tangere nescis? dicit Augustinus, quòd Spiritus sanctus *est insignis tactor organi*; ille, si velis, docebit te omnia. Ergo cur sit tuus *tristis* animus? sub tali magistro eris *divinus* MVSICVS; quid ergo? GAVDEAS.

Heus tu, melancholice æger, tristitiâ niger, placet tibi CITHARA? Cithara ab inferiori parte resonans in sacris literis, in bono sensu jam signat *Christi* inferiorem portionem (nempe corpus ipsum) patientem, jam *Crucem*, in qua gratum Patri edidit sonum, jàm *pectus devotum*, jàm *rectas operationes*, ergo disce CITHARAM, quia citharædus, & tactor organi Spiritus sanctus, docebit te omnia.

Placet tibi PSALTERIUM? constat *decem chordis*; signat *decem* præcepta *decalogi*. Discas ergo CITHARAM, & discas PSALTERIVM; &

tangas; quomodo? Augustinus in Psalmo 42. *Tangite* psalterium, *obediendo præceptis*; *tangite* citharam, *tolerando passiones*.

Item Psalterium instrumentum triangulum decem chordarum *infernè* percutitur, *supernè* verò resonat; ità anima Sanctissimæ Trinitatis fide formata, decem legis præceptis instructa, *inferiùs* affligendo carnem percutitur, *superiùs* verò suavissimum Deo melos reddit; & psallit Deo in Psalterio decachordo, qui mente cum observantia *præceptorum*, & *fidei* integritate psallit; & ipsa mens, vel spiritus, de superius resonans, est *Psalterium decachordum*. Ergo tu Psalterium discas, sis & ipsum decachordum spirituale Psalterium; licèt enim caro castigetur *inferiùs*, tamen contrà animi terrenam tristitiam lætissimè spiritus resonabit *superiùs*.

Item *Cithara* apud Genesim (cap. 4. D. & aliqua alia sacræ Scripturæ loca) designat verbum *solatii electorum*, quia sicut ad sonum citharæ hilarescimus, ità electi prædicatores, & verba eorum inter sæculi ærumnas, sunt nobis solatium; ergo es *tristis*? audias *citharam*, audias *verba consolationum*; tu & ipse *citharam* tangas, nam citharam tangere, est verba *consolationis* suscipere.

At cur non discas *cantare*, ut longiùs tristitiam eiicias? Proverbium est Hispanicum, *quien canta, sus males espanta*; id est, qui cantat, mala torquentia fugat. Nescis cantare? Spiritus Sanctus, insignis tactor *organi*, est & divinus magister *cantus*. Vides, quàm dulcissimè, & divinè Mariam cantare docuit? Spiritus sanctus supervenit in illam, hinc ipsa à Spiritu sancto edocta Canticum divinum, & sublime intonuit; quod? *Magnificat anima mea Dominum*. Simeon, à Spiritu sancto edoctus, cantare didicit; quod Canticum? dulce, propheticum, & divinum, *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, &c.* hoc fuit Canticum Simeonis.

Adhùc etiam *Spiritus sanctus* docebit te *Canticum graduum*, quindecim continens Psalmos, qui numerus constituitur ex *hebdomade*, & *Ogdoade*, & per vetus, & novum testamentum, *viam in Cœlum* demonstrat.

Docebit te *Canticum meretricis*, quod (apud Isaiam cap. 23. D.) significat *planctum animæ pœnitentis*.

Docebit te *Carmina in nocte*, quæ (apud Job, cap. 35. C.) designant *lætitiam in tribulatione*, qua lætitiâ indiges quià *tristis*.

Docebit te *Cantilenas Salomonis*, quæ *ad lætitiam spiritualem* attinent.

Docebit te *Canticum etiam solà voce*, quod (quià est sine instrumento) signat *contemplationem divinorum*, & pertinet ad *theoricam*, Psalterium enim, & cithara, quià sunt tangere cum instrumento, pertinent ad *practicam*.

Docebit te cantare *Canticum novum*, quod (in Psalmo 32. 39. 95. 97. 143.) significat annunciare *Incarnationem Verbi Divini*, & *Christi Resurrectionem*.

Docebit te, *Canere Domino*, quod in sacris literis est habere *vitam puram*, canere *voce*, *corde*, & *opere*, ut carmina delectent Deum.

Docebit te cantare *de Canticis Sion*, quod (apud Psalmum 136.) est, *exultando* canere in laudem Dei; si exultes, ergo *tristitia* fugiet.

Tandem *Spiritus sanctus* magister *spiritualis cantus* te efficiet insignem *cantorem*, quià *cantor* in sensu bono significat spiritum, laudantem Deum.

Ergo *cantare*, & instrumenta (in sensibus spiritualibus relatis) *tangere* discas, optimum sic *sonandi*, & *cantandi* magistrum Spiritum sanctum habes;

bes; Sole enim talis MVSICÆ, & CANTVS, caligo tenebrosa *sensibilis*, & *terrænæ tristitiæ*, procùl, & longissimè abibit, tantæ lucis flagello fugata, dicente *Augustino* in Psalmo 145. *Deliciæ spiritus nostri divina cantica, ubi FLETUS sine GAUDIO esse non potest*. Et (serm. 2. de divers. Tomo 8.) addit: *Canticum res est HILARITATIS, & si diligentiùs consideremus, RES est AMORIS*.

ODORES, LOCA AMOENA, ARBORES, HORTI, FLORES, FONTES, LITTORA, sivè RIPÆ, AMICI.

TErtiò addit Medicina physica ut remedium contrà immodicam sensibilem tristitiam *res odoras, gratè olentes, aspectus virentium arborum, deambulationes per loca amœniora, idque genus alia, v.g. littora, fontes, amicorum societatem*.

Qui debeant esse *odores morales*, in pag. 1047. explicatum videas.

Aspectus virentium arborum etiam in sensu *morali* præcipimus. *Arbor* in sacris chartis non semel significat *Christum*, qui habet radicem in terrà viventium, unde primam, traxit originem, nempe *à Divinitate*, quamvis *corpus*, organum suæ divinitatis traxerit originem à populo jàm sicco, & arido, dicente Isaia, quòd *ascendit ut virgultum de terrà, & sicut radix de terrà sitienti*. Item *arbor* designat *Crucem Christi*. Apud Mathæum cap. 21. A. Arbores, unde cædebant ramos in die palmarum, ut sternerent in viâ, qua transiturus erat Jesus, significant *sanctos*, quorum exempla sunt simplicioribus proponenda. Apud Genesim cap. 23. D. *Arbores diversæ* diversas *virtutes* significare possunt. Ergo, in summà, Arbor significat *Christum, Crucem Christi, sanctos*, quorum exempla sunt proponenda nobis. Item *arbores variæ* in sensu bono *varias virtutes* significant; aspicias ergo has arbores, & erit spiritualis tibi consolatio; sensibilis *tristitia* exulabit, quia spiritualis prævalebit lætitia.

Deambulare per loca amœniora etiam in sensu *morali* subscribimus: Amœna loca signant symbolicè delicias paradisi; ambulare *honestè sicut in die* (ut exponitur Paulus ad Rom. cap. 13. D.) signat *benè operari in lege Domini*. Item in sacris chartis ambulare *rectè, & cum confidentia*, est, operando virtutes, sine hæsitatione incedere.

Hortus deliciarum significat in sensu bono *Deum*. HORTUS Domini dicitur *Ecclesia*. Horti dici possunt sancti, floribus virtutum amœni. Apud Cantica cap. 6. D. Hortus nucum potest significare Prophetas, & sanctos, & perfectorum congregationem. FLORES apparentes in terrà nostrà (apud Cantica cap. 1. C.) jam significant Apostolos, qui erant primitiæ in Ecclesia; item significant etiam alios *sanctos*, ferventi ergà Deum pietate, varios virtutis flores, & fructus, edentes. FONTES in sacris chartis in sensu bono signant sanctos Doctores è quibus aqua doctrinæ fluit ad nos; item alios *sanctos*, unde ad nos exemplorum rivi fluunt copiosi. Apud Proverbia cap. 14. D. *Fons vitæ* designat *timorem Dei*, quia *initium sapientiæ timor Domini*. FLUMINA egredientia de paradiso (apud Genesim cap. 2. B.) designant virtutes, procedentes à Deo, & quia erant quatuor flumina, signant quatuor virtutes Cardinales.

Ergo (in compendio) *Deambulare per loca amœniora* significat in sensu bono contemplari delicias paradisi, bene operari in lege Domini, operari virtutes. *Horti* significant in sensu bono sanctos, & *hortus deliciarum* significat Deum. *Hortus nucum* signat Apostolos, & sanctos, & perfectorum congregationem. *Flores* signant Apostolos, & virtutes, & etiam alios

san-

sanctos. *Fontes* significant sanctos Doctores, & viros perfectos, unde sancta exempla nobis. *Fons vitæ* signat timorem Dei. *Fluvii* de paradiso signant virtutes procedentes à Deo, à quo omne bonum, & illa *quatuor* flumina signant *quatuor* Cardinales virtutes. Adde, quòd apud Exodum cap.2.A. *Ripa fluminis, in qua erat Moses*, potest designare doctrinam Spiritus sancti, in qua est lex; *littusque*, ut est refugium à naufragiis, significat Christum. O fili, quàm amœna loca, ut exulet *tristitia*! Deambula per illa, per relatos hortos, & flores, fontes, fluvios, & littora, ripas, & arbores; & expirabit sæculi tristitia.

Adde societatem cum bonis *amicis*; sunt animo mœrenti *medicina*, dicente Spiritu Sancto in *Eccles.* cap.6. sic: *Amicus fidelis* PROTECTIO FORTIS. Amicus fidelis MEDICAMENTVM VITÆ; & IMMORTALITATIS, *& qui metuunt Dominum, invenient illum*. D. Ambrosius (lib.3. de Offic.) ait: *Solatium hujus vitæ est, ut habeas, qui tibi gratuletur in prosperis, compatiatur in* TRISTIBUS.

REMOVERE TRISTANTIA; penitùs *non prohibere FLETUS.*

Quartò addit *Medicina physica*, contrà ægritudinem *immodicæ sensibilis tristitiæ, removere omnia ea, quæ præbeant occasionem mœrendi.* At ut removeamus, læta tibi est oblata Spiritus sancti Musica; item per plures articulos hujus capitis plura motiva expressimus, imò in opere toto, quæ te à tristitiâ divertant, & ad animi tranquillitatem inducant. Recolas eos, sunt enim morale *Nepenthes*, amuletum contrà vitiosam tristitiam.

Addit itèm Medicina physica, *tristibus non ideò* esse cohibendum fletum, quo *cor exgravatur, & animus plurimùm sublevatur*; at & hoc idem subscribit nostra *Medicina Moralis*, non impedit fletus, imò probat, & approbat, ut salubre levamen; *fleas, gemas, suspires*, at ex motivo pœnitentiæ de peccatis commissis; dicit enim *Augustinus* (serm.151. de temp. cap.1. Tomo 10.) *Tristitia de iniquitate propriam justitiam operatur*. Et (serm.45. de Sanctis, cap.3. Tomo 10) addit: *Qui seminaverunt* in lachrymis, *transibit dolor, & gemitus: transit* tristitia *cum fine, & venit* lætitia *sine fine*. Ergo lachrymeris; optamus lachrymas pœnitentes, & fletus.

SOMNUS, EXHILARANS CONFECTIO, VINUM.

TAndèm *somnum* subscribit *Medicina physica* contrà immodicæ sensibilis tristitiæ morbum. Et quidem ità; nam S.P. Augustinus (ut pag. 1057. dictum) in morte Sanctæ matris non ex balneo, sed *ex somno* fatetur, se sensisse levamen; at & Medicina Moralis somnum moralem, & spiritualem tibi subscribit; quid hoc?

Fili, *dormias*, at sicut Jacob *in itinere*, quod (apud Genesim, cap.28. B.& 31. D.) designat *contemplationis quietem*, & *occlusionem oculorum curis rerum temporalium*.

Dormias, at ut Jacob *super lapidem*, quod designat, *contemplari Christum*, juxtà illud Pauli, *petra autem erat Christus*.

Dormias, at *ut Samuel in templo*; quod significat, *se per considerationem spiritualium recondere in mente, à se penitùs repellendo omnem temporalem sollicitudinem*.

Dormias, at sicut Abraham; quod (apud Genesim cap.15. C.) etiam designat *contemplationem*.

Dor-

Dormias, *at inter medios cleros*; quod (apud Psalmum 67.) significat, *cognoscere divini judicii causas*.

Dormias, *at fiducialiter*, quod apud Hoseam (cap.2.D.) significat *confidere in Deo*.

Dormias, at sicut Achab *in sacco*, quod (apud lib.3 Reg.cap.21.) designat *pœnitentes*.

Dormias, at *in confessione tuà*, quòd (apud Jeremiam, cap.3.G.) significat eos, qui *cognoscunt peccata suà*, & *pœnitentiam agunt*.

Dormias, & sicut Adamus *cum sopore*, qui significat *contemplationem Dei*, & quòd *nemo elevatus, nisi ab exterioribus se abstrahat sensibus*.

In summà *dormias*, habendo quietem contemplationis, occludendo oculos curis rerum temporalium; *dormias*, contemplando Christum; *dormias*, te recondendo in mente per considerationem rerum spiritualium, à te penitùs repellendo omnem sollicitudinem temporalem; *dormias*, sicut Abraham; *dormias* inter medios cleros, reflectendo divini judicii causas; *dormias* fiduciali tèr, confidendo in Deo; *dormias* sicut Achab in sacco, & in confessione tuà, cognoscendo peccata, & pœnitentiam agendo. Et si *Medicina physica*, ad somnum conciliandum præscribit inducentia *soporem*, ut opium, nostra facultas *medica moralis* etiam *soporantia moralia*, & *spiritualia*, tibi præscribit, nempe contemplari vividè, & intensè Deum, nam sic ab exterioribus te abstrahes sensibus, elevatus eris dormiens *cœlesti sopore*, quem significabat sopor Adami; hoc sit spirituale *Nepenthes* soporans.

Hæc si facias talem somnum, & *soporem* dulcem acquires, ut penitùs exulet *tristitia tua* vitiosa à tristi, & melancholico corde.

Caveas dormire *in sinu, à quo cavendum est*, nam hoc apud Michæam (cap.7. B.) significat carnem, cujus blanditiis non est fidendum. Caveas dormire *in vestimento*, quod apud Exodum (cap.22.D.) signat eum, *qui securus, & laxus jacet in peccato*. Caveas, (Hæc & relata, intellige *moralitèr*; non intendo symbola, sed significata) dormire *in lectis eburneis*, quod apud Amos (cap. 6. D.) designat eos, *qui delitiis vacant*; caveas sic dormire, nam dormies *in doloribus*, quod apud Isaiam (cap.50. D.) designat, *perpetuò in inferno cruciari*.

Dormitione, & somno indiges, ut saneris ab ægritudine *tuæ immodicæ sensibilis tristitiæ*, & nos aprobamus somnum; at tibi prævenimus somnos salubres, & explicuimus fugiendos *noxios*; isti enìm gravabunt torquentis tristitiæ morbum. Si dormias laudabiles somnos, humiliter, & lætè in Deo, dicere poteris, ut habetur in Psalmo 4. *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam*; quid hoc? eris felix in cœlo, & cum corruptibile hoc corpus induatur incorruptione, & mortale hoc corpus induatur immortalitate, tunc etiam tutum dormiet, id est, requiescet in Cœlo, ubi (ut indicatur apud Hoseam cap.2. B.) *dormitur sine terrore*.

Quod addit Medicina *physica* remedium, nempe *exhilarantes* confectiones, & *vinum* contrà *Tristitiam*, satis abundè inferes in linea *morali*, si recolas de hoc dicta, & glossata calamo non avaro à pag.969. usque ad pag. 976.

Ergo maneat *Medicina physica* SYMBOLUM *Medicinæ moralis* contra ægritudinem immodicæ tristitiæ sensibilis, quàm contrà morbum eundem in lineà *medicà phisicà* edocet noster comprofessor in Regio publico Neapolitano Athenæo (primarius in Cathedrà) medicus LVCAS TOZZI.

ULTIMA MEDICINA MORALIS, *contrà* sensibilis immodicæ *TRISTITIÆ* morbum *PATIENTIA*. *Id* primò *ex literis* sacris, *ex Augustino*. *Posteà ex Philosophiâ* hieroglyphicâ *per simulacrum ANGERONÆ*. *Tandem ex sæcularibus literis*, ut ancillantibus, *& ex Philosophiâ* morali Poeticâ *per PROMETHEUM*, *& THITONUM*, *Non petenda à Deo injusta per PHÆDRAM*.

*Ecclesiasticus cap.*14. prædicat : *Felix*, *qui non habuit animi sui tristitiam* ; *& non excidit à spe*. Et cap. 30. *Melior est mors*, *quàm vita amara*. *Tristitiam non des animæ tuæ*. At si mala sensibilia torquent, quæ *Medicina* ? PATIENTIA. Ideò apud Esdram cap. 10. *Nunc ergo retine apud tè ipsum dolorem tuum*, & fortiter *fer*, *qui tibi contingerit casus*. Patientia autem est pars *Fortitudinis*, sicut *constantia*, *Magnanimitas*, *Perseverantia* ; si has virtutes habes, mala sensibilia *immodicè* non times, nec de illis contrà *rectam rationem* tristaris. Ideò apud Proverbia cap. 16. habetur : *Melior est* patiens viro *forti*, nempè fortitudine corporis, *& qui dominatur animo suo*, *expugnatore urbium*, nempe melior est. Et cap. 19. Proverb. *Doctrina viri per* patientiam *nascitur*, & *gloria* ejus est, iniqua *prætergredi*. Et in Ecclesiastico cap. 27. *Vasa figuli probat fornax*, *& homines justos tentatio tribulationis*. Ideò Paulus Epist. 2. ad Timotheum c. 3. *Patientia vobis necessaria est*, *ut voluntatem Dei facientes*, *reportetis promissionem*.

Tribulatio venit à *tribulo* ; tribulus est herba pungitiva ; ergo cum Deus tribulationes mittit, tunc ad æterna bona, quorum eramus immemores, pungit. Ergo si Deus, ut sis felix, te pungit, *Patientia* est tibi utilis.

Dolor dicitur à *dolando* ; est enim *dolare*, sive edolare, idem, ac *minuere* ; & est fabrorum, cum materiæ complanatur asperitas ; unde *dolatus*, id est, *lævigatus* ; ideò dicitur *dolor*, quia sicut *lætitiâ* augentur corpora, *dolore* minuuntur ; at Patientia auget animum.

Tribulationes sustines ? Augustinus super Psalmum 21. tibi pro *patientiâ* subscribit : *Intelligat homo*, *medicum esse Deum*, *& tribulationem medicamentum esse ad salutem*, *non pœnam ad damnationem* ; *sub medicamento positus areris*, *secaris*, *clamas* ; *non audit medicus ad voluntatem*, *sed ad sanitatem*. Et in Actibus Apostolorum cap. 4. legimus, *Per multas tribulationes oportet*, *nos intrare in regnum Dei*. Ideò S. P. Augustinus super Psalmum 60. glossat. *In fornace ardet palea*, *& purgatur aurum* ; *illa in cinerem vertitur*. Fornax *est mundus*, aurum *justus*, ignis *tribulatio*, artifex *Deus*. *Quod vult ergo* artifex, *facio* ; *ubi me ponit* artifex, TOLERO ; *jubeor ego* tolerare, *novit ille* purgare. *Ardeat licèt* palea, *ad incendendum* me, illa, *quasi* in cinerem *vertitur*, ego *sordibus careo*.

Dolor *minuit* ? Augustinus lib. 1 de Civitate Dei : *Sicut sub uno igne* aurum *rutilat*, palea *fumat*, *sub eàdem tribulâ* stipula *comminuitur*, *&* frumenta *purgantur*. Ergo sis aurum, in sensu bono virtutis *patientiæ*, quæ in igne adversitatis probatur.

Si dolor à *dolando*, & *dolare* est *lævigare*, *polire*, cum Deus tibi dolores mittit, tunc ut paternus faber te lævigat, & polit. Arca Noe ex lignis lævigatis erat symbolum hominis, quem Deus spiritualis faber ferrâ, & scalpello adversitatum polit, ut in diluvio periculorum sæculi, sit tutus à naufragio.

Mala pateris ? nescis cur ? arbitreris, te *justè* pati, à Deo enim judicaris, cujus justa sunt judicia. An audeas contrà Deum murmurare ? blasphemas,

mas, sacrilege nefande! Ait Augustinus (super Joannem) sic: *Ex nullà re magis offendisse Deum ille populus Judaicus dicitur, quàm contrà Deum murmurando*. Scis, cur ità acerbè sensibilia hujus sæculi mala sentis? quià considerare bona intelligibilia, quæ sequuntur, negligis. Nequaquam nos Dei gratia in adversitate deserit; quomodo invicti pugnemus, & præmium immortale mereamur, vult, & respicit. Percutit, sed custodit. An *Patientiæ* virtutem exercebis in prosperis? exercetur in adversis. Non sine ferro, & flammà, aut non sine persecutione martyres fuerunt. Tu non potes effugere calamitatem, ergo *Patientia* faciat de necessitate virtutem.

Cur invideas homini prosperato in sæculo, cujus peccatis non est in sæculo ultor, sed laudator? in Proverbiis, cap. 1. habes: *Prosperitas stultorum perdet eos*. Nulla felicitas sæculi est diuturna; dum tenetur, amittitur; æterna indè incipit sine puncto finali oratio horrida, & inculta tormenti, sine brevi parentesi in oratione infinitæ pœnæ.

Lætitia arcana mentis aperit, unde pluriès prosperati in hoc sæculo ruina; adversitas cum nos exteriùs deprimit, intùs cautos reddit. Multos sua sæculi felicitas dejecit, multos diuturna sæculi pax victos reddidit. Prosper in sæculo quasi per amœna prata ad carcerem venit, & inde ad patibulum vehitur. Sæculi bona nunquam simùl tota perveniunt, & ea, quæ veniunt, nunquam perpetua subsistunt.

Plus debes fortunæ *adversæ*, quàm *prosperæ*, nam *ista* fallit, *illa* instruit; prospera *blanda* mentitur, *adversa* est magistra vera, quià sensibilium bonorum vanitatem, mutabilitatem, & inconstantiam demonstrat. Ponit *adversa* syllogismum in *Ferio*, sed cum *ferit*, demonstrativè docet.

Prospera fortuna sæculi, ut plurimùm famulatur improbis; ergo cur foveas tristitiam, quia improborum non habes ancillam? Ægritudo mundanæ fortunæ carnem vulnerat, sed mentem curat. Non te vexaret sensibilium malorum molestia, si te non teneret servum bonorum sensibilium ambitiosa, vel avara, aut nimia concupiscentia.

Ajebat Augustinus in Psalmo 76. *Omnis Philosophiæ Magistra nobis est* inopia; *non ità laudamus Joseph, cum frumentum distribuebat, sicut cum carcerem habitabat*; ità, nam in carcere *patientèr* adversitatem ferebat. Ergo cur *tristeris*? adest *Augustinus* (de Verb. Dom. serm. 33.) *Deus, qui contristat, consolatur*.

Scias ex Augustino (lib. 14. de Civitate, cap. 5) quòd *Non ex carne tantùm afficitur anima*, ut *cupiat, metuat, lætetur, & tristetur*; *verùm etiam ex se ipsà potest his motibus agitari*. Vt ideò pag. 902. sit dictum, quòd etiam sunt passiones spirituales; quare in Psalmo 87. addit: *Dolere anima, etiam non dolente corpore, potest; dolere autem corpus sine animà non potest*. Et in Psalmo 42. *Dolor animæ* tristitia *dicitur*; *molestia verò, quæ fit in corpore*, dolor *dici potest*, tristitia *non potest*; *sed ex* dolore corporis *plerumque* anima *contristatur*, & quia dolor animæ licèt dicatur *tristitia*, tamen est dolor, D. Thomas (1. 2. q. 35. a. 1.) ait: *Dolor est passio animæ in appetitu sensitivo, vel intellectivo*. At sive anima tristetur ex se ipsà, sive tristetur ex carne, virtus *Patientiæ* est optima medicina.

Hùc pulsat Philosophia *Moralis* hieroglyphica. Simulacrum *Angeronæ* fuit, panno ad collum involuto, figuratum; imò etiam os erat obtectum, quasi sigillatum. Quid indicat? *Angerona* dicta est ab *angore*; significat ergo *Angerona* angores, & adversitates; at *ore* effingebatur *tecto, clauso*, quasi sigillato, & impedita *loqui*; cur sic? ad innuendum, quòd si in animo, & corpore anxio, os clausum, sive sigillatum, est symbolum *Patientiæ*, sunt angores, molestiæ, adversa *patienter* toleranda. Sæpè Deus

nùnc eos vulnerat ; quos ad ſalutem æternam præparat.

Jam literæ *ſæculares* pulſant ; quis eſt, qui pulſat ad Januam ? *Seneca.* Quid nuncias ? *Triſtitiam* (ait lib. de Moribus) *ſi potes, non admiſceris; ſed ſi non potes, omnibus non oſtentes* ; quid hoc ? ſuſtine *patienter*. Qui ſe oſtentat triſtem, ſe manifeſtat abiectum. Non prohibemus *ſocietatem cum amicis honeſtis*, & prudentibus, & illis *moderatè* communicare triſtitiæ anguſtias ; ajebat enìm Nazianzenus, *Communio, & ſocietas luctus ſolatio eſt dolenti*, & ut ajebat Poeta.

Solatium eſt miſeris ſocios habere pœnantes.

Id eſt, qui condoleant ; & explicare amicis dolorem eſt aliquomodo excludere foràs hunc, & cordi aliquod dare levamen ; ut enìm non latuit Ovidium 5. Triſt. 1.

Strangulat incluſus dolor, atque cor æſtuat intus,
Cogitur & vires multiplicare ſuas.

Et non præteriit Seneca (in *Agam.*) dicens : *Magis exurunt, quos ſecretæ lacerant curæ* ; unde ſicut apud ipſum Senecam *in Troad.*

Implere lachrymis fletus, ærumnas levat,

Ità amicis *communicare* vim doloris, eſt medela, & utrumque Medicina *phyſica* probat ; non tamen nimìs eſt flendum, nam hoc muliebre eſt; conſultare, obſtare, implorare auxilium, id virile eſt. Utrumque ergo *honeſtè, temperatè*, & *juxtà rectam rationem* nec Medicina noſtra *Moralis* vetat, at commendat *Patientiam.*

Macrobius (lib. 1. Saturn.) non omiſſit : *Non omninò Diis* (nos dicamus Deo) *exoſos eſſe, qui in hac vità cum ærumnarum varietate luctantur; ſed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorum poterit venire curioſitas*. Ajebat Seneca : *quis vir eſt, qui non eſt erectus ad honeſta ? qui non eſt laboris juſti appetens. Nihil infelicius eo, cui nihil advenit unquam adverſi ; non licuit illi ſe expiare ; malè de illo Dii judicaverunt; indignus viſus eſt, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignobiliſſimum quemque refugit, rectum, & fortitèr obviantem aggreditur, adversùs quem vim ſuam intendit ; ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Miſerum te judico, qui nunquam fueris miſer ; traxiſti ſine adverſario vitam. Nemo ſcit, quid potueris, nec tu quidem ipſe; opus enìm eſt ad ſui notitiam experimento; quid quiſque poſſit, non niſi tentando, didicit*. Hæc Seneca ; etiam Gentiles ſuo modo *Patientiam* in adverſitate intimant.

Ex *Poeticà morali Philoſophià*. Effinxit Poeſis Prometheum catenæ alligatum, multaque gravia paſſum ſupplicia ; cur ? quia iratus erat jupiter propter Promethei dolos ; at poſteà reconciliatus Jovi, fuit à vinculis liber. Quò iſta reſpiciunt ? ad innuendum, quod ſæpè ideò mala patimur, quia iratum habent noſtræ culpæ Deum ; ſunt pœna peccati noſtri dolores ; at ſi *patienter* ferantur, & *pœnitentèr*, nobis reconciliemus Deum ; dolorum, & laborum invadens turba ceſſabit.

Ille eſt triſtis quia moritur, cum tamen mors ſit omnium ſæculi calamitatum finis, & beneficium nobis à Deo conceſſum, ne immortales vivendo eſſemus immortales patiendo. Ecce effinxit Poeſis, Auroram impetraſſe immortalitatem *Tithono*, at iſte eſt precatus, ſibi liceret mori ; quid intendit figmentum ? ſatius eſſe ſemèl mori, quàm crebris hujus vitæ difficultatibus infeſtari, perpetuòque eſſe miſerum, ergo hæc conſideratio *patiens* minus amaram reddet *mortem*, ab *amaritudine* dictam.

Finxit item Poeſis, *Theſeum*, *Phædræ* uxoris precibus commotum, à Neptuno Patre impetraſſe, ut Hippolytum filium necarer, quem Phædra

fal-

falsò accusavit tentatæ pudicitiæ quia novercæ libidini noluisset assentiri. Neptunus Phocas, Hippolyto juxtà maris littus vecto, in curru immisit; quibus tanta trepidatio equis injecta est, ut in fugam versi, illum è curru delapsum discerpserint; quare Phædra post modò pœnitentiâ ducta, laqueo se suspendit. Quid ex hoc figmento intendit indicare Poesis? Phœdra à Neptuno mortem Hippolyti falsâ imputatione petivit, conceditur, discerpitur Hippolytus, posteà ipsam pœnituit tale scelus intendisse, desperatione ducta laqueum injecit sibi; ergo instruxit Poesis, à Deo sola roganda justa, & quæ conveniant; multi enim proprias calamitates sibi postulant. Petis à Deo tristis honores, divitias, felicitatem sæculi, & essent tibi ruina. Petis *tristis* eximi à sensibilibus malibus, & esset tibi ruina spiritus. Petis injusta, & conceduntur tibi ut pœna. Ergo fiat voluntas Dei, & si patiaris sensibilia mala, voluntati Dei conformis *patienter* sustineas. Sæpè nescimus, quid petimus; quod Deo placeat, sit. *Æquo* animo esse in prosperis, & adversis est exilium *sensibilis nimiæ tristitiæ*.

Ergo (ut admonet N. Fund. Doctor B. Ægidius Romanus lib. 3. de Regim. Princ. par. 1. cap. 8.) Tristitia nunquam est assumenda, nec est *laudabilis*, nisi supposito aliquo *turpi*. Si quis enim videt, se in aliquo *turpi egisse*, debet *dolere*, & *tristari*. De *turpitudine* igitur est tristandum; omnis alia tristitia est *moderanda*, & *vitanda*; & pro hoc assignat ex Aristotele 9 Ethicorum *tria remedia*, nempe *virtutes*, *amicos*, & *considerationem veritatis*; & quidem in his *tribus* continentur omnes medicinæ à nobis datæ.

VIRTVTES sunt medicina contrà *tristitiam*, quià vitiosi se ipsis non gaudent, quia sibi inimicantur, & sibi diffident, nam unum *ratione* judicant, & aliud *passione* agunt.

AMICI sunt *medicina* contrà *tristitiam*, quia juvant portare tristitiæ onus, ideoque non fit ità grave; consolamur, non quià dolent, nam videre amicos ut dolentes esset nobis augere dolorem, sed quià cum dolent, quià dolemus, imprimitur nostræ phantasiæ species, quòd sint amici veri, & toto corde.

CONSIDERATIO *veritatis* est medicina contrà *tristitiam*; quia licèt de *turpibus* dolere debeamus, de *bonis tamen fortunæ* non adeptis, vel amissis, vel de aliis, quæ nobis possunt contingere, quin operemur *turpiter*, id est, *vitiosè*, non debemus *dolere*. Si consideremus *veritatem*, cognoscemus bona sensibilia esse modica bona, & privationes eorum esse modica mala, quare non est cur *doleamus*, nisi fortè *per accidens*, inquantum per amissionem eorum *impedimur* ab operibus *virtuosis*. Si in *malis* corporis *tristis* sit anima tua, quià caro est infirma, at *spiritus*, obedire voluntati Dei, *sit promptus*.

Et hæc de *passione tristitiæ*, & ejus moderatione, de qua diffusè dictum, sicut & de *Gaudio*, quia sunt duæ *passiones* principalissimæ; licèt enim pag. 891. *Amor*, *Odium*, *Gaudium*, *Tristitia*, sint dictæ quatuor passiones *principaliores* appetitus sensitivi *concupiscibilis*, & pag. 897. *Gaudium*, *Tristitia*, *Spes*, & *Timor* sint dictæ *quatuor* passiones *principalissimæ* inter omnes utriusque appetitus *concupiscibilis*, & *irascibilis*, intelligendum respectu aliarum; at *Gaudium*, & *Tristitia*, sint *maximè* principalissimæ inter cunctas; sunt etiam principaliores, quàm *Amor*, & *Odium*, quàm *Spes*, & *Timor* propter pag. 1026. dicta.

De *Misericordia*, *Invidia*, & *Nemesi*, quæ passiones reducuntur ad *Tristitiam*, infrà (post passiones principales) dicetur.

CAPUT XXVII.

De SPE, & DESPERATIONE.

PRIMO DE SPE;

SYMBOLA sunt *SPEI FLORES*, *LILIUM*, *ex coloribus VIRIDIS*, *ex stationibus anni VER*, *ex* avibus *alba CORNIX*, *ex artefactis ANCHORA*, *ubi alia SYMBOLA* artificiosa *SPEI.*

POst tractatum de *sex Passionibus principalibus* appetitus sensitivi *concupiscibilis*, jam gradum facimus ut agamus de *sex* Passionibus *principalibus* appetitus sensitivi *irascibilis*, quia instituimus, priùs agere de Passionibus attinentibus ad *illum*, posteà de attinentibus ad *istum*. Alitèr esset tractandum sic: *Primò* de Amore, & Odio. *Secundò* de Desiderio, & abominatione. *Tertiò* de Spe, & Desperatione. *Quartò* de Audacia, & Timore. *Quintò* de Ira, & Mansuetudine. *Sextò* de Gaudio, & Tristitia, ex quibus illud solet etiam dici Delectatio, & ista Dolor. Et de *Gaudio*, & *Tristitia* ultimò solent alii agere, quia sunt duæ passiones *maximè* principalissimæ, & ultimæ, in quibus tandem desinunt reliquæ *Passiones* omnes.

Sex Passiones principales appetitus sensitivi irascibilis sunt pag. 885. numeratæ *Spes*, *& Desperatio*; *Timor*, *& Audacia*; *Ira*, *& Mansuetudo*. Nunc primò de *Spe*, *& Desperatione*, quia sibi sunt immediatè contrariæ.

SPES deffinitur sic: *Et appetitus boni*, *cum fiducià illud obtinendi*. D. Thomas 3. Sent. Dist. 16. q. 1. a. 1. definit: *Spes est extensio in appetibile*. Nunc non agimus de *Spe* virtute Theologicà, quam S. P. Augustinus lib. de Civitate Dei definit sic: *Spes est*, *qua quis ad id*, *quod credit*, *se perventurum præsumit*; at licèt S. Pater ibi loquatur de Spe Theologicà, tamen talis definitio, *ut sonat*, etiam potest convenire *spei passioni sensibili*, nam per hanc homo putat, se perventurum ad id, quod imaginatur, & suis motivis naturalibus credit, & sibi suadet, se perventurum.

Ajebat S. P. Augustinus (in Enchirid. cap. 8. Tomo 3.) sic: *Spes non nisi bonarum rerum est*, *nec nisi futurarum*.

In quibus includit *quatuor*, quæ requiruntur pro *Spe*, quæ *primò* est de BONO; nam de *malo* non est *Spes*, sed Timor.

Secundò est *spes* de BONO FUTURO, de bono enim præsenti est *delectatio*, sivè gaudium.

Tertio spes est de BONO FVTVRO ARDVO, id est, quando est *difficile* haberi, & appetimus vincere difficultatem, & iste *appetitus* est *spes*; oritur enim ista ex affectione, quam *bonum absens*, cum aliquà *difficultate* conjunctum, imprimit, & non aliter nos commovet, quàm si *arduum*, & difficile re verà non foret, aliter languesceret appetitus, & cum ipso spes, si difficultates terrerent, spes enim acuit vires, ideò dicente Augustino (De Quantitate Animæ cap. 22. Tomo 1.) sic: *In metu cum aliqua* SPES *subest*, *vehementiores vires apparere adsolent*. Et congruè dicitur, quòd *spes* est de *bono futuro*, at *arduo*, sive difficilis affectionis, ut distinguatur à *Desiderio*, quod cum sit boni *absentis*, non possessi, & consequenter *futuri*, tamen non est de *bono* futuro *arduo*. Circà quodcumque bonum possunt esse *Amor*, & *Desiderium*, Spes tamen esse non habet nisi circà

cà bonum *arduum*; nullus enim *sperare* dicitur, nisi sibi videatur esse *bonum arduum*, & *difficile*.

Quartò Spes est de bono *possibili*, quia circà *impossibile* nullus *sperat*, sed *desperat*. Est igitur *spes* de bono *arduo possibili*, & licèt sit *difficultas* in assecutione, tamen concipimus, quòd *difficultas* non sit *invincibilis*. Vnde *Bonum* ut *bonum* excitat, & allicit appetitum sensitivum; *ut absens* lacessit, & provocat *Desiderium*; *ut difficile* haberi deterret, sed *credulitas*, qua credimus, & putamus, nos posse assequi bonum *difficile*, excitat *spem*.

Spes alia est *Theologica*, & hæc est de *bono intelligibili*, *& spirituali*, actus *voluntatis* potentiæ *spiritualis*; nempe de *Deo* assequendo; alia est *spes* passio *sensibilis*, affectio, sive passio appetitus sensitivi, & hæc est de *sensibili bono*.

Hinc *spes* alia est *vera*, alia est *vana*; prima est *in Deo*, & de *Deo*; secunda est immodica spes in bonis *sensibilibus*, & *de illis*, quæ est *spes fallax* sæculi; & hùc S.P. *Augustinus* in Psal. 118. conc. 2. Tom. 8.) pulsat, docens: *Si VITA nostra ibi est, ubi* est VERITAS, *non est* vita nostra sub Sole, *ubi est* VANITAS. *Sed hoc tam magnum bonum magis habemus IN SPE, non dum tenemus IN RE.*

SYMBOLA *promissa* SPEI.

SYMBOLA SPEI ex terminis sunt FLORES, LILIVM; nam ex floribus in arbore speramus fructus. LILIVM, quià florem majorem edit, & suaviorem, in symbolum *spei* assumitur; & quidem loquendo de *spe vera*, in nostris sacris chartis (apud Danielem cap. 4. A.) *flores* possunt designare expectationem, sive *spem* futurorum bonorum; & apud Exodum (cap. 25. C. & cap. 37. C.) *lilia* in *candelabro* significare possunt retributionem æternam, quarè *lilia ipsa*, adhùc non in candelabro, possunt significare *spem* æternæ retributionis.

Ex coloribus *viridis* est symbolum *spei*, sicut ex stationibus anni VER quià *floridum*, & *viride*, est *spei* symbolum; cum enim eo tempore prata, & arbores, & campi, & segetes virent, & florent, speramus munera terræ.

Ex Avibus *candida* CORNIX est *spei* symbolum; edit enim vocem *cras*, *cras*, significat rem de *futuro*, quæ vox *sperantibus* communis est. Ab Homero (Illiad. 1.) dicitur *cornix*, habens linguam *extensam*, sic qui *sperant*. Ajunt, quòd *sitibunda cornix* in urnam calculos injectat, cur sic? quia *sperat* sic, aquam elatam bibere. Si sit *famelica*, præ esuritione scorpionem corripit; cur sic? quià *sperat* sic, fami satisfacere; ideò dicitur *symbolum spei*, quià qui *sperant*, sitim quandam, & famem pati videntur, difficilia appetunt vincere, & *hiando* linguam suam in *futurum* tempus *extendunt*. Ajunt item, quòd candida cornix sit *spei* symbolum, quia *spes* est *appetitus boni*, *cum fiducià obtinendi*, & in colore *albo* significatur *bonum*, sicut in *nigro* indicatur *malum*. Cornicem *albam* visam scribit Cardanus lib. 14. de *Rerum varietate*, *cap.* 74.

Aurora est symbolum *spei*, quià prænunciat solem, & Athenienses *Auroram* appellarunt *spem*.

Item *anchora* est *spei* symbolum, quia est navigantibus spes securitatis in tempestate, & hùc illud, *spei*, *ut anchoræ*, *nitimur*. Ideò Augustinus *spem veram*, & *in Deo*, commendans in Psalmo 64. ait: *Jàm SPEM interra viventium quasi ANCHORAM præmisimus*, *ne in isto mari turbati naufragemus*.

Hùc attinent *symbola* spei *artificiosa*, nempe Mulier figurata appara-

tu

tu *viridi*, habens in dextrà *lilium*. Item aliud, *Mulier* veste *viridi* ornata; & *floribus* coronata, cum *Cupidine* ad pectus, quem lactat uberibus. Cur sit colore *viridi*, & *floribus* ornata, dictum suprà. *Cupidinis* nomine intelligitur *Amor*, quare *Cupido*, quem *lactat* uberibus effigies symbolica *spei*, innuit, *amorem* assequendi bonum arduum, & difficile, à *spe* lactari, foveri, nutriri, servari. Ad relata conspirat aliud symbolum, nempe Mulier figurata, ornata colore Auroræ, arbuscula *florida* ipsi in capite, vestis ipsi plena variis plantis, in sinistrà tenens *anchoram*. Cur sic, satis ex dictis patet.

UTILITAS SPEI.

APtè effingitur *spes lactans Cupidinem*, sive *Amorem* boni, & fovens, alitèr talis *Amor* expiraret, & laberetur in *Desperationem*.

Ideò Augustinus in Psalmo 123. *Tribulatio est nostra in præsenti sæculo, SPES verò nostra de futuro sæculo; & nisi in tribulatione præsentis sæculi consolctur nos SPES futuri sæculi, PERIMUS*. Et in Epist. 156. *Mala hujus mundi tolerabilia dicuntur SPE futuri.*

Et quidem appetis *bona*? Deus est fons bonitatis. Appetis auxilium? Deus est omnipotens. Speras in illo? est fidelis, ergo in Deo sperandum. Ideò Augustinus in Psalmo 36. Si ponas SPEM tuam in DEO TVO, *non confunderis; nam ille, in quo SPEM posuisti, falli non potest.*

Spes fovet, lactat, & animum acuit, & nutrit, ut ideò cecinerit Ovidius lib. 1. Elegiâ 2. de SPE sic:

Hæc DEA cum fugerent sceleratas NUMINA terras,
In Diis invisa sola remansit humi.
Hæc facit, ut vivat fossor, quoque compede vinctus.
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut videat cum terras utique nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis.
Sæpè aliquem solers medicorum cura reliquit,
Nec SPES huic, venâ deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in Cruce *vota facit.*

Consonat Tibullus lib. 2. Eleg. 7.

Jàm mala finissem lætò, sed credula vitam
SPES *fovet, & melius* cras *fore semper, ait.*
SPES *fovet agricolas*, SPES *sulcis credit aratis*
Semina, quæ magno fœnore reddat ager;
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit antè cibus.
SPES *etiam valida solatur* compede *vinctum,*
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Lucanus addit lib. 8. Pharsaliæ:

Causa jubet melior, superos sperare *secundos.*

Et quidem universa, quæ aguntur in hoc mundo, SPE alicujus boni aguntur; ideò *Bias rogatus, quid dulcius foret homini*? respondit, SPES; ità, si intelligat, quòd *spes boni* dulces reddit amaros labores; alitèr nimis *sperare* potiùs est continuò torqueri. Quià SPES labores lætos facit, ajebat Augustinus in Psalmo 29. de SPE in Deo sic: *In psallendo exultatio, in orando gemitus; geme de præsentibus, psallede futuris, ora de RE, psalle de SPE.*

Lactat ergò SPES amorem erga bonum, & pro hoc assequendo labo-

rio-

riosa dulcificat; quare & ajebat *Bernardus* (de Tran. Malach.) *Debet dolorem fiducia SPEI delinire.*

SPES VERA in *DEO. SYMBOLA SPEI* in *DEO ANTHIAS* ex piscibus ; *item HELIOTROPIUM*; *additur aliud* artificiosum *SYMBOLUM.*

DAtis SYMBOLIS SPEI ex terminis, sivè in genere, nunc quia divisimus SPEM in VERAM, & VANAM, ex quibus *prima* est SPES *in* DEO, *secunda* immodica in bonis sensibilibus sæculi, & in hominibus, utriusque dabimus SYMBOLA.

SPEI *in* DEO est *symbolum* piscis ANTHIAS, quià in eo loco, in quo *Anthias* piscis est incola, ille locus est bellarum expers, & ab urinatoribus tutus; adeò ut *fiduciâ* in Anthiâ confirmati alii pisces ibidem adauctèr fœtificent, ac pariant, tanquam portum certæ securitatis nacti, ut ex Aristotele, Æliano, & Plutarcho eruditi tradunt; quibus tamen ignota est causa, an nempe hoc eveniat, quià marina monstra fugiant Anthiam, an verò quià Anthias instinctu agnoscat, illum locum esse prorsùs purgatum à natantibus monstris; unde & in loco, in quo natat *anthias*, videres lusitantes *delphinos*, & tripudiantes, tanquàm *anthiâ præsente* sint securi à marinorum *Theonum*, & *Cleonum* immanitate. Ex quo *Politici* anthiam assumunt in symbolum *Principis optimi*, cujus protectione subditi sint tuti. Et quantum symbolum in relato sensu potest indicare Deum, *fiducia*, qua pisces sunt tuti, & sine timore, in loco, in quo habitat *anthias*, est symbolum SPEI in DEO, cum cujus præsentiâ, & protectione erit nobis ab omnibus monstris, & periculis plena, & completa securitas.

Adde Heliotropium florem (continuò conversum ad *solem*, symbolum Dei) symbolum *spei*, quæ solum inspicit Deum. Ideò aliud symbolum *spei* videas manibus, & oculis elevatis ad cœlum; & hæc est *Spes vera*, dicente Michæa cap. 3. *Ego ad Dominum aspiciam, expectabo Deum salutare meum.*

O fili, SPES *nostra* (ut ajebat Augustinus de Verbis Domini serm. 46.) *non de isto tempore, nec de hoc mundo est.* Caveas *à spe* sæculi, *in* sæculo, & *de* sæculo, tonante Augustino (de Verbis Domini Serm. 55.) *In omni tribulationum angustiâ*, SPES in solatium *supernæ pietatis currendum est, quià in* DEO SOLO OMNIS SPES, & SALVS *sine dubio consistit.*

Petrus (Actorum cap. 12. v. 6.) dormiebat inter duos milites; cur dormit in carcere? cur inter hostes? cur catenis constrictus dormit? cur dormit, si jam ex carcere imminet patibulum? dormit, quià *securus* inter hostes; cur *securus*? quià dormit in sinu Dei, in Deo *sperabat*, ergo cur non dormiret *tutus*?

Tres pueri in fornace, *Daniel* in lacu leonum, *David* in prælîis, *Jonas* in ventre balenæ, *Joseph* in carcere, *Josue* in periculis, *Jacob* in impugnatione ab Esau, & Laban, *Loth* in periculis Sodomæ, *speraverunt in Deo*, & Deus salvavit eos. Confidentèr dicas cum David: *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo*; & in Psalmo 26. *In Domino* SPERANS, *non infirmabor*. Et alibi: *In eo* SPERAVERUNT *Patres nostri*, SPERAVERUNT, *& liberasti eos*; ideò Machab. cap. 2. *Omnes, qui* SPERANT

in

in eo, non infirmabuntur, & Proverb. cap.2. Qui SPERAT *in Domino*, SALVABITUR.

SYMBOLUM vanæ, & fallacis SPEI, nempè *Spei immodicæ sæculi, in sæculo, & de sæculo, sive* in, *& de bonis sensibilibus, EX POETICA* morali Philosophià *per JUNONEM*, pendentem in *AERE, formatam ex NUBIBUS, & per IXIONEM, eam amplectentem.*

SEd SPEI VANÆ in sæculo, & sensibilibus bonis est *symbolum* Puella figurata, staturà *altà*, capillis *elatis*, mammis *nudis*, uno solo oculo *in fronte*, duas magnas *alas* tenens ad humeros, in dextrà tenet *nubem*, in sinistra *noctuam*, & plantam cucurbitam.

Cur *puella*? quia est instabilis, & volubilis ætas, talisque est *spes* mundi, sicut & instabilia sunt sensibilia bona.

Cur *alta*, & capillis *elatis*? quia vanitate elata, & alta est spes sæculi.

Cur uno oculo in *fronte*? quia *sperans* in sæculo non in debito loco, nec æquum judicium habet, & sola terrena respicit.

Cur magnis *alis*? quia *spes* vana ad multa volat, quià multa sensibilia inhiat, & multos sub alis suis tenet stultos.

Cur cum *nube* in dextrà? quià *spes* sæculi, ut vana, brevi disparet; sicut nubes evanescit, quià non est fundata.

Cur *noctua* in sinistrà? quia est avis nocturna, odit lucem; sic qui sperat in sæculo, in tenebris ambulat, sine lumine rationis, in nocte peccati.

Quid indicat planta cucurbita? brevi nascitur, crescit, & cadit, sic SPES, & vana gloria mundi.

Cur *mammis nudis*? quia lactat innumeros, stultorum enim infinitus est numerus.

Ad *spem* sæculi fallacem, & vanam in bonis, & de bonis sensibilibus conspirabat Poesis, effingens *Junonem* pendentem in *aere*, & ex *nubibus* figuratam; cur sic? ad innuendum, quòd si nomine Junonis intelliguntur *divitiæ*, *regna*, & reliqua sensibilia bona, hæc sunt *aer*, *vanitas*, sunt *nubes* brevissimè evanescens; sunt bona phantastica, fallunt sensus. Hùc & illud aliud Poeticum figmentum, quòd *Ixion* sollicitavit *Junonem* in adulterium, *Juno* illi corpus factum ex nubibus præferens, sui imaginem obtulit, cum qua ille jacuerit; quid hoc *allegoricè* innuit? *spem fallacem sæculi*, & sensibilium bonorum; nos decipit imago, & species; non sunt bona, sed figura; sunt nubes; putamus rem, & amplectimur umbram. Et quidem in nostris sacris literis (ex quibus illi Poetæ, per Hebræos, didicerunt, quòd *boni*, & *purè* vel expresè, vel *symbolicè*, *arcanicè*, & *allegoricè* dixerunt) *nubes* in multis locis, inter quæ apud *Isaiam* cap.25. B. signant *temporalia bona*, sive *sensibilia*. Et apud librum Sapientiæ cap.2. *aer* significat *labilitatem sensibilium bonorum*, *& rerum sæculi*; quare Poetæ acceperint ab Hebræis hæc per *aerem*, & *nubes* symbolicè significata, & hìnc ad innuendum *spem vanam* in sensibilibus bonis, finxerunt *Junonem*, per quam intellexerunt *aerem*, cum figurà ex *nubibus* decipientem *Ixionem*, vt innuerent, non esse sperandum in bonis *sensibilibus*, esse spem vanam, & fallacem, quia non sunt bona, sed phantastica, & apparens imago bonorum; ut aer, & nubes instabilia sunt, disparent, quià non sunt solida; sola *intelligibilia*, *æterna*, *spiritualia* sunt, & appellari debent *bona vera*, quæ ideò sperandа, & appetenda.

De

De quo *speras*? dicis de *hoc sæculo*; si tu non dicis ore, hoc explicas opere. Contrà stat *Augustinus* (de Verbis Domini serm. 39. cap. 1. Tomo 10.) dicens: *Non est* SPES *NOSTRA de hoc sæculo; ab amore hujus sæculi vocati sumus, ut aliud sæculum* SPEREMUS. Potiùs fidas vento, aut ei, quod inscribatur in aquis, quàm prosperitatibus mundi. *Charitatis venenum* (inquit Augustinus lib. 83. quæst. quæst. 36.) *est* SPES *adipiscendorum, aut retinendorum temporalium*. Et in Psalmo 30. conc. 3. Tomo 8. addit: *Ipsi sunt, qui malè cadunt, qui* SPEM *suam in hoc sæculo ponunt*. Et de serm. Domini in monte lib. 2. cap. 24. Tomo 4. *Tentatio duplex est, aut* SPE *adipiscendi aliquid commodum temporale, aut in terrore amittendi.*

In *quo*, & de *quo speras*? opera tua dicunt in homine, & de homine, in principe aliquo sæculi. Contrà arguit Augustinus (de *Cathec. rudib.* cap. 7. Tomo 4.) sic: *Non in HOMINE est ponenda* SPES, *quià facilè ab homine judicari non potest, quis homo sit justus*. Et cap. 25. *Aliud est diligere HOMINEM*, aliud SPEM *ponere in HOMINE; tantumque interest, ut illud Deus jubeat, hoc prohibeat*. Prohibet Deus? respondent sacræ scripturæ voces; Psalmus 117. nunciat: *Bonum est confidere in DOMINO, quàm confidere in HOMINE*. Hieremias cap. 17. clamat: *Maledictus homo, qui confidit in HOMINE*. At si homo sit Princeps, aut Monarcha? Psalmus 145. prædicat: *Nolite confidere in PRINCIPIBUS, in quibus NON est* SALUS. Et Psalmus 117. v. 9. *Bonum est sperare in DOMINO, quàm sperare in principibus*. Qui in homine sperat, super calamum ventorum confidit; cur? quià omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, ut flos fœni cadet. Omnis homo etiam princeps mendax, infirmus, instabilis, labilis, mutabilis; hominibus fallax, & lubrica fides. David ait: *Ego dixi in excessu meo, OMNIS HOMO MENDAX*.

In *quo* confidis? opera tua ajunt, *in divitiis*. Contrà stat Augustinus in Psalmo 102. Tomo 8.) dicens: *In honorum cupiditate quantæ spinæ? in luxuriâ libidinum quantæ spinæ! in ardore avaritiæ quantæ spinæ!* confidis in *spinis*? pungunt, & aptæ sunt igni. Et in Psalmo 48. *Sunt, qui præsumant in divitiis, ista est præsumptio generis humani*. Nostræ divitiæ in cœlis. Qui in divitiis falsis confidit, veras non sperat. Divitiæ nostræ Deus. Non sunt divitiæ istæ sæculares, quibus crescentibus crescit inopia securitatis.

MEDICINÆ MORALES contrà immodicam *SPEM bonorum SENSIBILIUM, & prosperitatum* SÆCULI. *Ubi de CAUSIS, & EFFECTIBUS SPEI.*

SUnt illæ, quæ subscriptæ sunt contrà AMOREM immodicum, & vitiosum DESIDERIUM sensibilium bonorum, & contrà vitiosum GAVDIVM de illis. Item est *Medicina moralis* reflectere superiùs in hoc capite dicta.

Sed circà bonum *sensibile* aliud est *sperare* in *ipso*, & de *ipso*, quod potiùs est *confidere* in *ipso*, & de *ipso*, aliud est sperare ipsum futurum licèt *arduum*, & difficile, contrà nitendo *difficultati*, quæ objiciatur appetitui pro talis boni consecutione, ut superetur, & vincatur; & hæc est propriè *spes* passio *sensibilis*, de quà nunc agitur; & cum hac *spe* ferè semper conjungitur *audacia*, per quàm non omninò cessamus à boni prosequtione, quanvis difficile objiciatur; & EFFECTVS hujus *spei* sunt reddere actionem *expeditam*, spernere *impedimenta*, & ex affectu *spei* vultus apparet *hilaris*, sed cum aliqua animi *anxietate*, & *impatientiâ*, adeò ut totum corpus *commoveatur*; nam *spes* assequendi dat hilaritatem, & ardor ad vincendam

difficultatem, causat vivacitatem; ex alio capite *dilatio* consecutionis, & *difficultates* vincendæ causant *impatientiam*, & animi *anxietatem*, quatenùs jàm appetitus boni vellet possessum, & assecutum, quod adhùc est futurum, & arduè, & difficulter concipitur habendum, & non nisi superatis difficultatibus, quæ impedire prævidentur.

Spes *sensibilis* in utroque sensu est moderanda; non enim est sperandum *immodicè in bonis* sensibilibus, nec *de ipsis*, quasi cum ipsis simus felices, & cum ipsis, & de ipsis possimus sperare assequi quæ velimus, & vincere impedimenta quælibet, hæc enim *spes* (aptiùs dicas, hæc *confidentia*) est vana, vitiosa, & detestabilis. Nec item licet sperare, & conari *immodicè* bona sensibilia ardua, difficultèr assequibilia, sed reflectere (& ideò semper præferendo bonum publicum, in quo continetur bonum Divinum) an talis spes sit juxtà *rectam rationem*, & honesto debito *fine*; & prudenter consiliari, an sit *possibilis* talis assecutio, & an sit prudens talis conatus, & an sint media necessaria ad sperandum, & aggrediendum; cum enim CAUSÆ *spei* sint bonum *futurum arduum*, apprehensum ut *possibile*, & item *media* ad assecutionem, & victoriam de difficultatibus, oportet *maturè* reflectere, antequàm speres, & aggrediaris, an sit *possibile*, quod speras, & conaris, & an tibi sint *media* ut assequaris, & difficultates vincas; alitèr erit spes *insana*, & ruina. Sicut enim nihil arduum sperare vincibile, & assequibile, & nihil aggredi, ubi aliqua difficultas vincibilis sit, est *pusillanimitatis*, ità sperare, conari, aggredi impossibilia, & non vincibilia, & sine mediis necessariis, est audacia *temera*, & *insana*.

Itaque *medium*, in quo consistit, virtus, est sperare, conari, aggredi *speranda*, & non sperare, non conari, non aggredi, non speranda; *illud* est Magnanimitatis, & Fortitudinis virtutis, & humilitatis, & Prudentiæ, *istud* est arrogantiæ stultæ, & temeritatis, & superbiæ, & imprudentiæ insanæ. Non enim est sperandum, & aggrediendum more *juvenum*, qui solent dici *bonæ* (imò levis) *spei*, quia sperant omnia bona, quæ objiciuntur; & quia propter non experientiam, & ardorem sanguinis, cuncta putant facilia, & assequibilia, more ebriorum, quin prævio consilio deliberent, incautè invadunt, intendunt negotia, quæ nequeunt perficere, incipiunt (ut dicitur) turrim ædificare, & nequeunt consummare, unde eorum ruina, & ludibrium.

De DESPERATIONE, CAUSIS, *&* EFFECTIBUS ejus, *&* MEDICINIS *contrà ipsam.*

DEsperatio est oppositа spei. Deffinitur illa à Cicerone (lib. 4. *Tusc. quæst.*) sic: Desperatio est *ægritudo sine ullà rerum expectatione meliorum*. Spes enim est circa bonum futurum arduum, sive difficilitèr assequibile, at putatur difficultas vincibilis; si autem talis, & tanta sit difficultas, vel concipiatur ità, ut sit invincibilis, & consecutionem boni desperet, tunc vicè *spei* exoritur *Desperatio*. Et (ut inquit D. Thomas 2.2.q.20.art.4.) Desperatio non importat solam privationẽ *spei*, sed *recessum* à re desideratà propter impossibilitatẽ existimatam. Ideò Definitio *Desperationis* clarior est: Desperatio est *fuga, seu aversio à bona arduo, judicato ut impossibili*. Cum enim bonum ut *impossibile* sit *impossibilitas* boni, & hæc appetitui boni sit *mala*, aptè Desperatio definitur per *fugam*, quæ est à malo. Sed cumulatiùs Cicero (4. Tusc.) definit: Desperatio est *diffidentia boni obtinendi, vel mali depellendi*.

Causæ, & *effectus* Desperationis sunt illæ, quæ opponuntur causis, & effectibus *spei*. Causæ spei sunt bonum futurum arduum *possibile*, & *media*

ad

ad illud, ergò cauſæ Deſperationis ſunt bonum *impoſſibile*, deſideratum,& ſine *mediis* ad aſſecutionem illius, & *malum imminens inevitabile.*

Effectus *ſpei ſenſibilis* ſunt reddere vultum hilarem, & vivaces oculos; *effectus* Deſperationis ſunt *languor vultus*, *oculorum depreſſio*, *quaſi immobilitas totius corporis cum taciturnitate, & triſtitiâ.*

Deſperationis ægritudo pernicioſa eſt,& plurima ex illa, ut fonte, derivantur mala. Deſperatus, quid futurum ſit, non curat, omnia ſecum trahere in baratrum cupit; in hoc ponit bonum,ut ipſimet ſit ſummum malum; pudorem, & modeſtiam deſerit; eſt omnis perjurii, immunditiæ, ſpurcitiæ emiſſarius; ex deſperatione tranſit ad ſpem præcipitem, omnis remedii impatiens; *actum eſt*, inquit; *nullus ſum*, *ad porcellum da mihi munus tres drachmas*, dicebatur proverbium de eo, qui mori decreviſſet; addit, ad *reſtim res redit*, ſignificabatur hoc adagio ſumma *deſperatio* rerum; & ut fuit proverbium, *à quinque ſcopulis deſilit in fluctus*, & *pinus in morem* (ut dicebatur de re radicitùs pereunte) ſuſpendio arborem deſperatus eligit; quare in libro 2. Regum cap. 1. habemus: *An ignoras, quòd periculoſa ſit deſperatio?*

Medicinæ contrà *Deſperationem* ſunt non ſperare non ſperanda; humiliter conſiderare proprias vires, & extrà, & ſuprà illas non ſperare, nec appetere. Conſiderare, quòd Deſperatio *immodica* nullum eſt remedium, imò læthalis plaga, deſperatà enim ſalute nullum telum acutius mortalibus; ſi te ſuſpendis, vel occidis, addis tibi inter mala naturæ maximum; ergo quid Juvet *Deſperatio?*

MEDICINA phyſica *contrà DESPERATIONEM eſt* SYMBOLUM *MEDICINÆ* MORALIS *contrà* illam..

IN Medicina *phyſicà* contrà morbum *Deſperationis* paſſionis *ſenſibilis*, invenio, miniſtrare motiva *ſpei*, quæ allevat vires; totis viribus ſudandum, ne *Deſperatio* hæreat, quia ab eà illicò exoriuntur plurima mala; ità omnis induſtria adhibenda eſt, ut SPES perennitèr conſervetur; eſt enim de genere earum rerum, quæ nunquam non proſunt; ſuſtinet enim vires, ne concidant. Hæc LUCAS TOZZI in noſtro Regio Neapolitano Lycæo in Cathedrà Medicinæ primarius.

Ne autem *deſperet* quis vitiosè,& immodicè ex amiſſione, vel non aſſecutione *ſenſibilium* bonorum, conducit admonere, Fili, *ſumma* eſt ſtultitia fruſtrà confici *deſperatione*, cum intelligas, prodeſſe nihil. Neceſſitas ferendæ conditionis humanæ quaſi cum Deo pugnare prohibet. Noli graviora tua mala facere. Levis erit paſſio, ſi nihil tua opinio adjecerit; dicas, *nihil eſt*, *aut certè exiguum*, *duremus*, *tempora meliora erunt. Tempori ſuccedit tempus, tempeſtati hyemis lætitia veris, & poſt noctem dies, poſt nubila Phœbus*; *ſol ſæpè ſplendens naſcitur*, *ſi ſæpè in occaſu* (ut Poetico more loquar) *moritur.* Hùc Emblema, cœlum figuratum nubilum,& pluens,cui epigraphe, *Non ſemper imbres.* Si nùnc non aſſequeris, quod intendis,non ſemper erit *impoſſibilitas*.

Hæc exprimebat Ovidius dicens *Metam.* 7.

Nec fera tempeſtas toto tamen errat in anno,
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Et 4. Pont. 4. addit:

Nulla dies adeò eſt auſtralibus humida nimbis,
Non intermiſſis ut fluat imber aquis.
Nec ſterilis locus ullus ità eſt, ut non ſit in illo

Mixta ferè duris utilis herba rubis.

Virg. 1. Æn.

Ponamus nimios gemitus; flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

Jucundius est mare quietum post seditiones ventorum, & perturbationes aquarum. Potest fortunam cavere, qui potest ferre. Imagineris, fortunam facere ludum, negat, & dat, rapit, & reddit. Cur *Desperes*? quià eris *pauper*? inter plures eris. Quià *exul*? considera te ibi natum. Quia in *carcere* recludendus? totus mundus est carcer, sunt & carceres aulæ Regum, tuus est minor. Quia *morieris*? semel mortuus desinis mori posse. Non est in rebus sæculi miser, nisi qui se miserum esse credit. Ille est infortunatus, qui infortunium suum æquo animo ferre nequit. Hæc, & similia possunt suggeri pro Medicinà *physica*, ne aliquis *sensibiliter* vitiosè *desperet*, & ut hæreat in *spe sensibili*.

At Medicina *physica* statuens, quòd contrà *Desperationem sensibilem* occurendum cum motivis, perenniter conservantibus in SPE, est symbolum Medicinæ Moralis, quæ subscribit SPEM *totam* perpetuò *reponere in* summo bono *intelligibili*, nempè *Deo*; sic enìm bona *spiritualia* appetentur, & non assecutio *sensibilium* bonorum nec *desperationem*, nec *tristitiam* inferet. Dices Deo cum David in Psalmo 5. *Mihi adhærere Deo, bonum est. Fiat voluntas tua sicùt in Cœlo, & in terrà*

Cur te mala fortunæ in *Desperationem* præcipitent? non meretur fortunam prosperam, qui sustinere nequit adversam. Fortuna (imagineris) lacessit, ut probet, si invenit pusillanimes, dejicit; si animo proceros, relinquit majores. Altitudo fortunæ cum potest præcipitare, fortuna est non ascendere. Non te corrumperet adversa fortuna, si te non viciasset propitia. Sub ruinà animi constantis jacet sepulta invidia, suprà illam potest erigi colossus ad gloriam. Mundum dicas mare inquietum; conaris spumantes, sibilantes, & rugientes cohibere fluctus? impossibile intendis. Cur dicas summa mala, quæ finem habent? Inter adversa coronatur constantia. Quis in mundo non patitur? qui non vivit. Si amaritudinem amygdali priùs gustes, dulciùs vinum posteà bibis. Ros noctis est nocte lachryma, sed in Aurorà lucet in herbis ut gemma. Adversitas æquo animo lata nubilum vertit in Solem. Deficere in adversis est muliebris animi. Nunquam ità nocentes sunt influxus stellarum, ne aliquid influant mortalibus propitium. Spinæ Mundi pungunt nos, ut cognoscamus rosas paradisi. Cum Cœlo contendere, ne audeas. Tempus est medicus infirmitati, & collyrium cœcæ fortunæ. Deus, si conveniat, meliora dabit.

Fortunæ adversæ sunt in mundo tabellarius ordinarius, solum est extraordinarius amicus eventus. In morbis fortunæ hæc est dexteritas non sentire dolorem, & procurare remedium. Adversitas fortunæ est ità vilis, ut si sit, qui resistat, viribus deficit.

Fortunæ adversæ (si benè, & patientèr utaris) sunt antidota contrà peccatorum venena. Qui in pelago mundi navigat, rarò tranquillum mare invenit. Recurre ad *Deum* dicente Nahum, *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis*; & in Psalmo 30. *Juxtà est Dominus his, qui tribulato sunt corde*. Ajebat Augustinus (*super Joannem*) sic: *Hoc est, quod nos lætificat in omnibus laboribus, & periculis vitæ hujus, AMOR noster in DEUM, & pium STUDIUM, & certa SPES, & FERVOR spiritus.*

Deus cum ad infimum adversæ fortunæ deprimit, si sis conformis, ad culmen virtutis revocat. Si Deus abstulit, quæ bona sensibilia dedit, sua tulit, nostra non erant. Si aliorum mala perpendas, invenies tua minora.

Tem-

Tempestates maris gemmis ornant rupes, & scopulos; & adversa ditant virtutibus animum, ideò scopulo sic diviti lemma, *Divitem fecere procellæ*. Aqua Occeani à ventis contrariis commota grandior eminet. Aquarum impetu probatur rupis constantia. Procellæ navim minantur, sed ferunt. Ventus contrarii aquas maris ad cœlum elevant. Spinæ rosam valant, non violant. In igne lentescit ferri rigor, & in igne tribulationis mollescit cordis durities, Deum invocat. Ictus fortunæ adversantis est vox Dei vocantis. Penna gladiolo percussa, & acuminata valet. Arcam Noemi aquæ diluvii elevabant, non mergebant. Horologium rotarum, quià torquetur, edit vocem; tortura adversæ fortunæ cor tuum vocem ad Deum extollere monet. Fel piscis amarum restituit Tobiæ visum, & tibi amara fortuna cœcitatem mentis curat. Herbæ amariores sunt medicæ uberioris virtutis. Equs morsus à lupo redditur fortior. Rosa apud acrimoniam cœpæ plantata suaviùs odorat. Cervus à canibus vexatus confugit ad hominem, & tu vexatus ad Deum. Cum teruntur, vehementiùs flagrant aromata. Ergo, ne *desperes*, qui legis, aphorismos *morales* intellige.

CONFIRMATUR doctrina contrà *DESPERATIONEM*; *hujus SYMBOLUM est URSUS*; *additur aliud SYMBOLUM* artificiosum; *ubi quòd MORS est effectus DESPERATIONIS*. Motiva *pro SPE*, *maximè in DEO*.

MOrs effectus *Desperationis*. Testor *Cleopatram*, quæ mortuo Antonio, ne ab Augusto portaretur captiva, desperata dedit aspidi brachium; eligens potiùs mori, quàm capi. Adde *Catonem Uticensem*, qui (victo à Cæsare Pompeo, cui favebat) ensi incumbens, desperatus mortem sibi intulit. *Adde* Hispanos *Numantinos*, qui ne consentirent Scipionis Africani intolerabilibus pactis, post longam obsidionem, ultimo prælio se præpararunt; satiùs ducentes, pro patriâ fortitèr occumbere, quàm per ignominiam tradi. Nec omitto Hispanos *Saguntinos*, qui post diuturnam obsidionem Pœnorum, fameque ad extrema redacti, maluerunt ignem in foro accendere, in eo omnia pretiosa cremare, se, & suos liberos in eundem præcipitare ignem, & sìc (apud eorum opinionem) *gloriosè mori*, quàm in hostium manus venire, aut servire contrariis, & exteris alienigenis. *Desperatio* speciem fortitudinis sibi assumit, sed non est fortitudo virtus.

Ideò symbolum *Desperationis* est aptum *Mulier vestita colore* nigello *affini colori albo*, *cum pugione intrà pectus*, *jam in actione cadendi*, *in terra figuratus est circinus fractus*; *in sinistrà tenet cupressi ramum*. Color vestis est index *Desperationis*, qua passione vultus languescit, & quodammodo vi affectionis albescit. *Pugio* in pectore signat vim, & effectum Desperationis, qua desperatus se ipsum occidit. *Ramus Cupressi* innuit, quòd sicut hæc arbor semèl secata non repullulat, ità desperatus extinguit in se omne semen virtutis, nec germinat jam *spem*; item Cupressus (propter dicta, & quià est arbor funesta) est symbolum *mortis*, quam sibi desperatus infert. *Circinus*, *in terrà fractus*, innuit, quòd usus rectus rationis non est in desperato, nec est ei circinus jàm mentis, quò suas metiatur, regulet, & moderetur actiones, quia desperationis vis usum rectum judicii depressit, & quasi fregit, ne jam utatur illo.

Sed & *Ursus* est *Desperationis* symbolum; cum enim se videt à venatoribus lacessitum, nec vitare, aut resistere posse, manu applicatà ad caput, ut quantum possit, caput præservet, se *præcipitat è rupe*, cui ideò figurato

in

in tali actione datum lemma, *Extremis extrema*, & ideò Martialis dicebat Cheremeni:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam.

Et Ovidius 2. de Ponto sic:

Qui rapitur fatis, quid præterfata requiret?
Porrigit ad spinas, duraque saxa manus.

Videas *cervam* à venatoribus confugientem *ad domos*, ubi occiditur. Videas *alitem* ab accipitre volantem *ad homines*, à quibus extinguitur. Videas *passerem*, aucupum venationem fugientem, confugientem *ad noctuam*, à qua statìm opprimitur. O Desperationis effectus tragici! Est *Desperatio* repentinus animi motus ad improbum conatum,& ad quodcumque facinus patrandum concitatissima rabies. Mors *Desperationem* præmittit,& desperatum dicere cogit, *Ergo me terra non potuit deglutire? non potuit me mare sorbere? cui vita sit tam amara? mors mihi medicina.* O miser, quæris, quomodo malè pereas! in exitio tuo quæris refugium? vitam, & lucem odisti, & Parcas violentèr festinas postulas! Quæ desperatus incipit negotia, perdita jàm dicas.

Desperatio est *diffidentia boni obtinendi, vel mali depellendi*, ut deffinit Cicero.

Cur *desperes*? quià bonum *sensibile* non acquiris? quià non assequeris? & ideò te occidis? an vita tua non sit tibi thesaurus pretiosior cunctis divitiis terræ? *Desperas*, quià non ascendisti ad dignitates? si non ascendisti, non cades, & quid sint in ipsis nisi tribulationes? sed si ipsas non habes, vitam non habere addis? Ostulte!

Cur desperes? quia *mala depellere diffidis*? quià *mortem depellere* non confidis? & contrà mortem confugis ad laqueum? quid hoc? fugiens à morte confugis ad mortem? fugiens ab igne confugis ad ignem? O cœce! Vide, quòd *Desperatio* aggravat pœnam. Confugis a *Furia* ad *Furiam*? Vide, quòd turpius est occidere te, quàm occidi ab alio; hoc enìm potest contingere sine culpà, illud non sine crimine; ergo cur ex non culpà confugias ad culpam? Occideris ex culpà *tuà*? aggravas culpam, si temetipsum occidas; ergo cur ex culpà *minori* confugias ad *graviorem* culpam? Age, noli vinci à mollitie; animi est debilis vinci à sensibilibus bonis, & malis; sis animo superior ipsis; vincere se ipsum est animi fortis, & magnanimi. Fortuna adversa dedit tibi pilum, quo te suspenderes, at tu tibi funem tuà desperatione efficis!

Si *mors* imminet *inevitabilis*, vitam tibi, Dei auxilio, pares *æternam*; cur *desperando* addas morti caducæ corporis necem spiritualem animæ perpetuam?

Si bona *sensibilia* non es assecutus, meliora speres *æterna*.

Si bona sensibilia perdidisti, salvasti personam? hæc est maxima naturalis tibi possessio. Naufraga periere cætera? Si vita non fuit naufraga, cum pretiosissima naturali suppellectile attigisti portum, dominaris, quam pedibus calcas, terram.

Sed si perdidisti *sensibilia* bona, vide an omnia; si aliqua remaneant, & tibi sufficiant, cur desperes? si perdidisti omnia, & te invenis, ergo non omnia perdidisti, qui pretiosissimum naturale pignus servas.

Reflecte item, an possit fieri id, de quo *desperas*, & scias, quod turpiter desperatur id, quod fieri potest.

Reflecte, an sit *remedium* contrà infortunium; nam si sit, iniquissimum eò maximè est, *Desperationem* accersere. Non vides rotam gyrantem? punctum infimum posteà ad summum ascendit. *Spera*, ut vivas, nam de-

spe-

sperando vitæ telam concludis, vitæ filum secas, quid speras? dum vivis, es capax melioris fortunæ; hùc Theocritus:

Fidere, amice, docet; melius cras forsan habebit,
Sperandum *est* vivis, *non est* spes *ulla* sepulto,
Nunc pluit, & clarus nunc jupiter æthere surgit.

Ergo hæreas *in spe*, ne *Desperes*. Quomodo tranquillè eris *in spe*? si tua *spes* sit fixa in Deo.

CONFORMITAS cum voluntate *DEI, boni, & sapientes AMICI sunt etiam MEDICINA* contrà *DESPERATIONEM.*

SCias, quòd cithara tunc plùs musica, quando ampliùs torta; organum non percussum silet, at dexterè percussum harmonicè sonat. Sis voluntati Dei CONFORMIS. Macula est *pantheræ* in dorso, quæ *crescit* crescente *Lunâ*, & hac decrescente *decrescit*; est symbolum animæ dispositioni cœlesti conformis, quare Pantheræ figuratæ, subjectæ lunæ figuratæ superiùs, datum est lemma, *Sic mutor ad illam*, & est Emblema, quo indicantur dicta suprà; & Carducci addidit:

Cynthiæ ad aspectum maculam panthera colorat,
Sic sequitur virtus fida poli regimen.

Item ex Plinio lib. 37. cap. 10. *Selenites imaginem lunæ continens, reddit eam in dies singulos crescentis, minuentisque numero*, cui epigraphe, *circum moveor tecum*, nempè cum Lunâ; & est aliud Emblema, quo significatur symbolicè, standum voluntati Divinæ, & hùc Epitectus Philosophus Deo dicebat: *Quocumque me voles, ducito. Constitui, & conformari voluntatem meam Divinæ. Vult, me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi*, & ideo sperare? *volo. Potiri? volo. Non potiri*, & consequenter non assequi? *volo. Mori? volo.* Ergo dic Deo: *Da, quod vis, & quantum vis, & quando vis; in manu tua sum, gyra, & reversa me per circuitum; incurva ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Percutis, & sanas; deducis ad inferos, & reducis.* Ex Tobiæ cap. 13. *Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit. Si vis, me esse in tenebris, benedictus tu; si in luce, benedictus tu; si vis, me* sperare *sensibilia bona, benedictus tu, si eadem vis, non sperare, nec appetere, nec assequi, & mala pati, benedictus tu.*

Adde, si boni, & prudentes amici dicti sunt *medicina* contrà tristitiam, ità ne vitiosè *desperes*; dicente ideò Philosophiâ Morali, *Cui corpus malè affectum est, is opus habet medico; cui animus, amico*. Et ut ajebat Plutarchus (in Orat. Consol.) *Animo malè affecto medicinæ sunt sermones*; & alter: *Animo ægrotanti medicus est Oratio*. Et alter: *Ratio in consolando plurimum valet*; & apud Stobæum, *Consolatio maximum est remedium tristitiæ*, sed etiam est medicina contrà *Desperationem*; nam boni, & prudentes, & sapientes amici te consolabuntur, prædicando perenniter *spem in Deo*, & *sperare* bona *æterna*, quæ vividè sperando, spes bonorum *sensibilium* te pescet, & frigescet, quare non assecutio eorum in *Desperationem* præcipitem, vitiosam, & immodicam te minimè impellet.

Sit sola *Desperatio prudens sensibilium bonorum*; nempe *non sperare* sensibilia *bona* vel *illicita, vel illicitè*, vel *impossibilia viribus, & mediis tuis*. Speres beatitudinem futuram arduam, quià *Regnum Cœlorum vim patitur*, at possibilem auxilio Dei. Nunquam desperes de Divinâ clementia; spera in eà & de eà, si peccasti. Sit tibi *spes* spiritualis, & Theologica bonorum æternorum, spem sensibilem, & sensibilium bonurum moderans. Sed nec quià

Deus

Deus est *clemens*, hinc tibi expedias libertatem peccandi; hanc enim (ut monet Augustinus de Verb. Dom. serm. 59. c. 8.) scias, esse SPEM *perversam*.

Licèt *Desperatio* ex terminis, & juxtà morem communem loquendi, & intelligendi, supponat pro *Desperatione vitiosà*, tamen in rigore etiam datur *Desperatio sensibilis virtuosa, prudens, & rationalis*, nempè quando quis *desperat*, id est, *non sperat*, nec *confidit* assequi bona *sensibilia* non assequibilia, quia *impossibilia viribus, & mediis naturalibus propriis*; quòd enim ego *Desperem mihi dominium universale*, & *Monarchiam totius mundi*, est *Desperatio sensibilis rationalis*, & nec est *Desperatio vitiosa*, quià non appeto *ambitiosè*, & item, quia in non assequendo tali dominio, mea voluntas Divinæ voluntati *conformatur*. Similiter, quòd quis *desperet* viribus propriis *superare* plures armatos contrà ipsum (& ideò vel fugiat, & evitet, vel ineat pacta) est *desperatio rationalis*; imò irruere esset vitiosa Desperatio, & temera audacia. Item, quòd quando videas *inevitabiliter* mori, *desperes desperatione sensibili*, & *rationali*, de vità caducà, conformis voluntati Dei, & totà *spe spirituali* in Deo agas de assecutione vitæ eternæ, illa desperatio sensibilis est *rationalis*, & digna *laude*.

Ne item quis desperet propter *mala sensibilia inevitabilia*, sunt etiam *Medicinæ morales* ea, quæ dicta sunt in superioribus in hac Porticu contrà *immodicam Tristitiam de sensibilibus malis*.

Desperatio igitur *passio sensibilis*, de qua agimus, sicut *spes* sensibilis *passio*, sunt *ex se* indifferentes, ut determinentur in bonum, vel malum *moraliter*, sicut, & reliquæ appetitus sensitivi passiones, ut à pag. 866. explicatum.

CAPUT XXVIII.

De TIMORE, & AUDACIA.

Primò de TIMORE, cujus SYMBOLA sunt LEPUS, CERVUS, POLYPUS, SCUTUM, additur aliud SYMBOLUM artificiosum.

ILla est doctrina S.P. Augustini (De Agone Christ. cap. ult. Tomo 3.) dicentis: Per TIMOREM, & CUPIDITATEM *intrat, & regnat inimicus, qui primò* DEI TIMORE, deinde CHARITATE *pellendus est*, & serm. 20. de diverf. addit: *Per januas CUPIDITATIS, & TIMORIS diabolus intrat*. Et quidem *cupiditas* bonorum sensibilium, & timor ea amittendi, vel *timor* malorum sensibilium sunt januæ, per quas inimicus intrat in cor hominis, ut totum hominem possideat.

Ideò *timor Dei, & Charitas* expellunt foras relatam cupiditatem sensibilium bonorum, & timorem ea amittendi, & sensibilium malorum, sunt-que duo propugnacula, & duo spiritualia tormenta bellica, quibus fugatur, & retunditur inimicus.

Timor sensibilis est moderandus; nam *Timor* vel est, quia times non assequi bona sensibilia, vel times perdere, relata enim concipis ut *mala*; vel est *timor*, quià quælibet corpori mala sensibilia imminent; at Augustinus (lib. 10. Confess. cap. 28.) ait: *Væ prosperitatibus hujus sæculi à TIMORE adversitatis, & à corruptione lætitiæ; væ adversitatibus sæculi à desiderio prosperitatis*. Et Tractatu 43. in Joannem, Tomo 9. addit: *Multi perversè TIMENDO mortem corporis, inciderunt in mortem animæ*. Et Epist. 70. Tomo 4. *Cum amantur vana, perpetrantur mala, & cum timentur*,

tur, quæ ad exiguum tempus nocent, si tamen nocent, committuntur ea, quæ verò in æternum nocent.

Ergo moderandus est *sensibilis* TIMOR, de quo agimus priùs, quàm de AUDACIA propter pag. 903. dicta; ubi & rationem reddidimus *ordinis*, quem servamus in tractando de *passionibus*. Videas ibi.

TIMOR *sensibilis passio*, sive, ut dici solet, *sensitivus* deffinitur à S.P.Augustino (lib.14. de Civitate Dei, cap.6.) sic: *TIMOR est dissensus ab eo, quod accidere volumus.* Item (libro 83.qq.q.33.) definit: TIMOR *est futuri, & imminentis mali.* Etiam (lib.14. de Civitate, cap.8.) addit: TIMOR *est quædam dissensio, seu fuga, aut aversio à malo futuro imminente.* Consonat alia: TIMOR *est motus appetitus sensitivi ex affectione, quam imprimit malum imminens, difficultèr evitabile.* Sicùt enìm ab eodem affectionis genere procedunt SPES, & DESPERATIO *ex BONO absente arduo*; ità TIMOR, & AUDACIA ab eodem paritèr affectionis genere oriuntur ex MALO *imminente arduo*. Sunt enìm passiones appetitus sensitivi *irascibilis*, ex quibus aliæ respiciunt bonum *arduum*, aliæ malum futurum *arduum*; SPES, & DESPERATIO sunt circà bonum futurum arduum, & si tendimus in illud, dicitur SPES, si deficimus ab ipso, DESPERATIO; reliquę passiones *irascibilis* sumuntur (ut pag.889.& 902.dictum) *respectu mali*, circà quod ut *futurum*, si refugimus, est TIMOR, si ipsum aggredimur, est AVDACIA. Videas relatas paginas. Ergo aptè relatæ definitiones *timoris* explicant, quòd *timor* sit propter *malum futurum imminens*, at *grave*; ideò & benè intelligitur *difficulter evitabile*, quia si facilè vitari possit, aùt sit leve malum, cur *timorem incutiat*? esset levitas puerilis. Malum igitur *futurum* imminens *grave*, & quod *difficulter* possit vitari, & cui vix resisti possit, at *spes* resistendi non omninò extincta sit, sed adsit, licèt exigua, evadendi malum imminens, est *causa timoris*; si enim inevitabile prorsùs sit, & sine aliqua spe evadendi, jàm non est *timor*, sed *tristitia* excitatur; & quia *timor* sequitur ad *spem*, ità ut omni sublatà *spe*, nec *timor* possit subsistere, dicitur ex Aristotele, quòd qui ducuntur ad mortem, non timent, quia jam eos *spes* omnis reliquit, quæ sustentet metuentis animum, & ideò jacet; quarè Terentianus ait: *Ut animus in SPE, atque TIMORE*; quare has duas passiones cum associat, SPEM priùs profert, tanquam sustentet TIMOREM. Qui *timent*, quærunt, si qua ratione id, quod imminet malum, vitare possint, quare adhùc sustentantur in SPE, & ab ipsà pendet animus eorum; è contrà in rebus desperatis nemo consulit, & vel *tristatur*, vel *desperatus* prorumpit in audaciam.

Aptè dictum, quòd *timor* sequitur ad spem; nam qui *sperat* bona sensibilia assequi, ille *timet* non assequi, & timet *privationem illorum* ut *malum*, & timet impedimenta ardua, & terribilia, quæ difficultèr potest superare. Qui obtinet bona sensibilia, & videt impedimenta gravia conservationis, dum *sperat* vincere difficultates, *timet*. Item qui *sperat* non premi corporis malis, si videat imminentia, & difficultèr vitabilia, *timet*; ideò Adagium, *Desines timere, si desinas sperare*, desumptum ex Senecà, & Seneca desumpsit ex Hecatone;

SYMBOLA TIMORIS sunt LEPUS, & CERVUS animalia timida; *Lepus* Græcè (ait Julius Pollux in Onomast.) dicitur à verbo Græco latinè *timere*. Et Galenus (*ad princ.libr.de usu part.*) ait: *Cervo, & Lepori* (*timida* enìm sunt *animalia*) *veloxquidem est corpus, sed nudum omninò, & inerme; timidis enìm, opinor, velocitas quidem, arma verò audacibus conveniebant.*

POLYPVS adeò *meticulosus* est, ut minimo strepitu audito, vel pi-

ſcatore viſo, colorem mutet, ut refert Athenæus libro 7.

Ex humoribus MELANCHOLICUS eſt *timoris* ſymbolum; *melancholici* enìm ſunt *timidi*; Galenus (lib. 3. de locis affect. cap. 8.) cauſam, cur melancholici ſint *timidi*, attribuit colori *atro* melancholiæ; Averroes (lib. 3. Colliget. cap. 4.) attribuit *temperamento*. Melancholia enìm cum *frigida* ſit, cauſat effectus *calori* contrarios; *calor* facit audaces, agiles, & promptos, *frigidus* è contrà timidos, & lentos; melancholia enim, quia *frigida*, non ſolùm cerebrum, ſed cor *refrigerat*, ideò timidos, & puſillanimes reddit; ex quo fœminæ, ſenes, eunuchi, quia *frigidi*, ſunt *timidi*; etiam inania levi de causà formidant. Ipſe color niger ater melancholiæ ſpiritus animales (qui puri, ſubtiles, & clari eſſe debent) incraſſat, infuſcat, opacat, & quodam veluti fumo obtenebrat, & hìnc omnia repræſentantur objectivè ſenſibus interioribus ſub ſpecie opacà, & horrendà, unde TIMOR. Vide pag. 893. & 907.

CLYPEUS etiam fuit hieroglyphicum *timoris*, nempe caput coopertum clypeo; alludit ad Artemonam hominem ità timidum, ut ferè ſemper eſſet domi, & duo ſervi tenebant clypeum æneum ſuprà caput, ne offenderet eum aliquid ſupernè decidens; cum neceſſitas exeundi è domo urgeret, exibat in lectulo penſili humi penè.

Hæc tamen potiùs ſunt SYMBOLA immodici TIMORIS.

Symbolum timoris ſenex pallidus, veſtitus pelle cervi, ita ut caput cervi cooperiat hominis caput, in oculis autem cervi multæ pennæ coloris punicei, indicat paſſionem timoris; figuratur ſenex, quia defectu ſanguinis ſenes ſunt timidi; color pallidus eſt ſymbolum timoris, & effectus. Cervus timidus eſt, ideò timoris ſymbolum; puniceo colore pennæ in oculis cervi ideò, quia cervus effugiens, ſi videat pennas puniceas, ità pavidus detinetur in curſu, ut non ſemèl capiatur.

CAUSÆ TIMORIS.

AMor boni contrarii malo illi, quod timetur. 2. Difficultas ad ſuperandum imminens malum 3. Remorſus conſcientiæ, ex quo *timet* pœnæ imminens malum, quia perpetraſti ſcelus. 4 Temperamentum corporis frigidum, humidum; quare non ſolùm melancholici, qui ſunt frigidi, & ſicci, ſed etiam pituitoſi, qui ſunt frigidi, & humidi, ſunt timidi, etiam quià debiles, ut patet in fœminis timidis facilè, quæ ut plurimùm complexione pituitoſa, ſivè phlegmaticà ſunt. Vide pag. 893. & 895. & 902.

EFFECTUS modici, & immodici *TIMORIS*.

T*Imor moderatus* convenit; recta enìm ratio dictat timere timenda, ſicut non timere non timenda; aliàs ſi non timeas timenda, irrues ſtultus in præceps; datur enìm timor ſenſitivus rationaliter, & prudenter, quando mala imminentia ſunt gravia, & difficulter evitabilia, ſemper cum ſubjectione, & conformitate voluntati Divinæ. Datur *timor*, qui cadit in conſtantem virum, & eſt filius prudentiæ, & ſtulti eſt non timere, quando eſt juxtà rectam rationem timendum. Adhuc Reges decet *timor prudens*, ne aliquid inſurgat in regno, quod publicam felicitatem perturbet. *Timor modicus* ut, & quando, & quo fine *recta ratio* dictat, facit conſiliativos, acuit mentem, ut inveniatur conſilium, & medium ad impedienda gravia imminentia mala. Paſſiones *modicæ* ad conſervationem naturæ; vide p. 842. & 862.

TIMOR *immodicus* eſt vitioſus, & nocivus animo, & corpori; nam reddit hominem immobilem, & contractum, inconſiliativum, tremulum,

non

non operantem. Immodicè timens ſtatim hebeſcit, nec recordatur conſilii; attonitus ignorat, quid facere debeat, nec ei occurrit evaſio, nec conſulere, quomodo evadere poſſit, pavet, terretur, formidat, trepidat, conturbatur, torpeſcit, pigreſcit; ideò ajunt, quòd ſexcenta ſunt vitia, quæ ab illis affectibus, ſive paſſionibus generalibus GAUDIO, TRISTITIA, SPE, TIMORE, ſi ſint *immodicæ*, generantur. Et à TIMORE cauſantur *puſſillanimitas, pigrities, terror, pavor, exinanitio, contxrbatio, ſocordia, formido, tumultus, trepidatio*.

Puſſillanimitas eſt affectio oppoſita *Magnanimitati* per defectum, quia deficit puſſillanimis à proportione ſuæ potentiæ, dum recuſat in illud tendere, quod eſt commenſuratum potentiæ ſuæ.

Pigrities eſt *metus* conſequentis laboris, ut deffinit Cicero 4. *Tuſc.* at differt à *Negligentiâ*, quia *pigritia* (ut alii explicant) eſt *tarditas* in exequendis præceptis prudentiæ; *torpor* autem, ſive *negligentia* eſt *remiſſio* in executione, poſtquam cœperit, ideò D. Thomas 2. 2. q. 54. art. 1. definit: *Negligentia eſt defectus debitæ ſollicitudinis ſecundùm interiorem actum*. Negligens dicitur, quaſi *nec eligens*. Pigritia dicitur à *piger*; piger verò dicitur quaſi *pede æger*, quià non pergit ad laborem.

Acedia juxtà Damaſcenum lib. 2. eſt *triſtitia aggravans animam, ut nihil boni ei agere libeat*. Otioſitas eſt filia acediæ, & eſt *vacatio* à labore.

Terror eſt timoris incuſſio; Hiſpanicè *eſpanto*.

Pavor eſt *timor loco movens mentem*;

Hùc Ennius; *Pavor ſapientiam omnem ex animo* expullerat.

Exinanitio (Hiſpanicè *deſmayo*) ſubſequitur metum, & eſt comes *pavoris*.

Conturbatio eſt *confundere res*, aut miſcere.

Socordia eſt *pigritia*, ſeu negligentia *tarda*; *& ſocors*, id eſt ignavus, tardus, quaſi ſine corde.

Formido eſt metus permanens.

Tumultus eſt idem, ac *timor* multus.

Trepidatio eſt præ *timore* non poſſe loco ſubſiſtere; trepidat cor, palpitat; & quoniam à *timentibus* omnia præproperè aguntur, factum eſt, ut *trepidare* accipiatur pro *feſtinare*; & hùc Virg. lib. 4 Æn. *Dùm trepidant alæ*; & Livius lib. 2. *Curia trepida ancipiti metu*. *Trepida* res, id eſt *dubia*, & ob hoc *timorem* incutiens.

Relati ſunt effectus TIMORIS *immodici*. Id autem evenit, quia paſſio *timoris* ſanguinem retrahit ad interiora, & sìc membra exteriora ob defectum ſanguinis immobilia redduntur; nervi frigeſcunt, nequeunt ſuſtentare membra; accidit tremor præcipuè in manus, & labrum inferius, & arterias vocales, ideò vox tremit; obſtupefactus redditur timens; ſanguis *timore* quodammodo refrigeratur, & torpeſcit, cor ipſum in ſuo motu plurimum hebetatur, unde ſensìm deinde totum corpus horrore corripitur, & pallore manifeſto fœdatur; cutis univerſa riget, ac pallet; pulſus fit parvus, ac frequens; quandoque etiam ſudor exoritur frigidus, cum ſcilicèt (explicant Medici) ob ingentem timoris vim ſerum è ſanguine exprimitur, & effertur in cutim, compreſſæque glandulæ ſubcutaneæ foràs in ſudorem illum extrudunt. *Timor* enìm, condenſando ſanguinem, ad circuitum ineptum reddit; atque ob craſſitiem difficultèr admodum capillares arteriolas, ac venulas pervadit, unde totius torpor, & ad tactum manifeſta refrigeratio. Si verò TIMOR repentinus ſit, ac violentus, ne dùm agoniam, animi defectionem, & ſyncopen, verùm etiam mortem inferre poteſt, ut deducitur ex Galeno de *locis affectis*, cap. 1. Quæ omnia colliguntur etiàm

ex definitione, qua Medicina deffinit TIMOREM, dicendo, quòd *TIMOR est sanguinis refrigeratio, & vitalium spirituum conventus circà cor ob imminens aliquod periculum.* Ex qua radice derivantur *immodicè* relati effectus, si *timor* sit *immodicus*; vel *modicè*, si timor sit modicus.

MEDICINÆ MORALES contrà ægritudinem TIMORIS immodici *ex medico spirituali* AUGUSTINO.

CUM *timor mali* derivetur ex amore boni, omnes Medicinæ morales traditæ ad moderandum Amorem, & Desiderium sensibilium bonorum, & GAUDIUM de ipsis, & ad moderandam SPEM, imò & Desperationem, item Odium, & Abominationem malorum sensibilium, & Tristitiam de ipsis, sunt idoneæ ad moderandum *timorem* sensibilium malorum. Item *Patientia, & conformitas* cum voluntate Divina, de quo videas pag. 1072. & pag. 1087. Item accipere tale malum in satisfactionem peccatorum, & quòd melius est purgari in hac vità caducà, quàm pati post hanc vitam in æternum. Item considerare relatos noxios effectus immodici timoris sensitivi, impedientes etiam exercitia virtutum, nocentesque animo, & corpori, ne possint servire spiritui, & publico bono. Sunt item *medicina moralis* TIMOR DEI, & CHARITAS, ut in primo articulo hujus capitis diximus ex *Augustino*; recolantur ibi dicta, & dicenda in pag. 1094.

Timeas *malum intelligibile*, sive spirituale, nempe *malum culpæ*, quod si maximè timeas, levis, vel nullus erit *timor* malorum sensibilium; at *timor Dei, & Charitas* malo culpæ resistunt; dicente Augustino serm. 213. de Temp. *Qui timet Dominum recedit ab itinere pravo, & ad virtutum semitas vias suas dirigit.*

Times amittere possessiones? Augustinus serm. 233. de Temp. increpat: *Times, ne possessionem tuam perdas, & non times, ne tu ipse* (nempè spiritualitèr) *pereas.*

Times mortem? audi Augustinum serm. 56. de temp. *Times mortem ad momentum, veniet, etsi nolis; time pœnas in æternum, non venient, si nolueris.* Et Psalmo 125. ait: *Omnes mori gemimus; consolatus est ille, qui mortuus est, ne mori timeremus.* Et Psalm. 118. *Tunc* verè *vivam, quando nihil potero timere, ne moriar*, & in Psalmo 63. MORTEM æternam TIME, & *præsentem non curabis.*

In quibus te docuit, mala spiritualia esse timenda.

Times adversarios sæculi? Augustinus serm. 44. de temp. prædicat: *Nullum adversarium timebis, si Regem Deum in te habere mereueris.*
Ex fide vivas. Quis ille, qui ex fide non vivit? Augustinus (in expositione epist. ad Galatas, cap. 3. Tomo 4.) dicit: *Non ex fide vivit, quisquis præsentia, quæ videntur*, CUPIT, vel TIMET.

Vis benè vivere? Augustinus (sermone 20. de diverf. cap. 14. Tomo 10.) dirigit: *Si volumus benè vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quàm quod promittit hic mundus; & plus* TIMEAS, *quod minatur Deus, quàm quod minatur hic mundus*, & in Psalmo 63. *Ama*, & TIME; *ama, quod promittit* Deus, TIME, *quod minatur Deus.*

In *acquisitione* bonorum sæcularium inquit Augustinus in Psalmo 85. *Accessit pecunia, quæ non erat, fortè accessit & timor, qui non erat*; at in acquisitione bonorum spiritualium ait (serm. 20. de diverf. cap. 14.) sic: *Cum quisque ad Dei promissa pervenerit, non timet, ne amittat, quià nemo est po-*

ten-

tentior illo, qui dedit. Et in Psalmo 74. *Noli timere, ne promissiones Dei corrumpat aliquis potentum*.

Times potentes sæculi? Augustinus in Psalmo 63. prædicat: *Eum timere debet homo, à quo factus est homo. Quod est suprà homines* TIME, *& homines te* NON TERREBUNT.

Times infelicitatem sæculi? Augustinus (in Psalmo 68.) sic eructat: *Ipsa quæ in rebus humanis vocatur* FELICITAS, plùs est TIMENDA, quàm MISERIA.

Deum si TIMEAS, nullam creaturam *timeas*; dicente Augustino in Psalmo 32. *Fera sævit?* Deum TIME. *Homo te odit?* Deum TIME. *Serpens insidiatur?* Deum TIME. *Diabolus te impugnat?* Deum TIME; *tota enim creatura sub illo est, quem juberis* TIMERE. Ergo *Time*, ne *timeas*; DEUM *timeas*, ne *timeas* alia à Deo.

Times perdere divitias? Augustinus in Psalmo 52. timorem tuum castigat: *Nunquid timor est, si quis perdat divitias? Non est ibi timor, & ibi timetur. Si quis autem perdat sapientiam, ibi verè timor est, & ibi non timetur! Nequitia* (ait de Agone Christ. cap. 13.) *timere, ne temporalia pereant*; nempè timore vitioso.

Times alia mala physica, & sensibilia? Augustinus (de Agone Christ. cap. 11. tomo 3.) hortatur: *Nolite timere contumelias, cruces, & mortem; quia si nocerent homini, non ea pateretur, quem suscepit filius* Dei.

In omnibus, quæ infirmitas humana horret, aut timet, sola iniquitas jure damnatur.

Igitur Augustinus (de verb. Domini serm. 42. cap. 2. Tomo 10.) inquit: DUO *sunt tortores animæ, non simùl torquentes, sed cruciatu alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt* timor, & dolor. *Quando tibi benè est, times; quando male est, doles*. Eccè duas passiones sensitivas *timoris*, & *tristitiæ*; nam si malum, quod timemus vitare non possumus, tristamur; sed suprà relatas Augustinus apposuit Medicinas.

Prov. 5. contrà timorem immodicum sensibilium. *Ne paveas repentinos terrores, & irruens tibi potentia impiorum*.

Job. 6. *Qui timent pruinas, irruet super eos nix*.

Prov. 29. *Qui timet hominem, citò corruet*.

MEDICINA physica *contrà TIMOREM* sensitivum immodicum *est SYMBOLUM Medicinæ MORALIS contrà ipsum*.

ADhibetur Medicina *physica* contrà ægritudinem animi, quæ dicitur *passio* TIMORIS immodici, *victus ratio* eorum, quæ calefaciendi, & sanguinem floridiorem reddendi apta sunt; quam ob rem *vinum*, & ejus *spiritus*, & quæcumque ex illo confici solent, juvamento esse possunt. Item omnia aromata ex *cinnamomo*, *pipere*, caryophillis; similiter ambra grisea, moscus, bezoinum, camphora, atque ex his paratæ confectiones, alchermes, hyacinthina, diambra, omne genus elixiris, & alia quæcumque COR, & vitale robur *fortificantia*, prosunt, & opitulantur. Hæc Medicina *physicà*.

At hæc est symbolum Medicinæ moralis contrà timorem *sensitivum immodicum*; discurramus per singula.

VI-

VINUM, SPIRITUS VINI sunt SYMBOLUM CHARITATIS, quæ est medicina *sanans*, & supponit TIMOREM DEI ut MEDICINAM moralem præparantem, ut ait AVGVSTINVS.

APud *Joannem* cap. 2. B. VINUM signat symbolicè CHARITATEM, *aut fervorem*, *& spiritum* CHARITATIS, & AQUA mutatur in vinum, quando inducitur charitas, pellens foràs timorem. Certè si in te sit *vinum spirituale Charitatis* morbus timoris immodici sensibilium malorum, foràs pelletur, & eris ab hoc morbo timoris sanus; dicente *Augustino* serm. 224. de Temp. cap. 1. *Si habere non vis timorem, priùs vide, utrùm perfectam* jàm habeas Charitatem, *quæ foràs mittit timorem.*

At timor DEI est via ad Charitatem, quare Augustinus in Psalm. 130. *Deum timete, ne deficiatis; amate, ut proficiatis.* Et Tract 9. in Joannem in epist. Joann. tomo 9. *Timor quasi locum præparat Charitati; sicut videmus per fetam introduci linum quando aliquid suitur, seta priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit linum, sic timor, & Charitas.* Et in Psalmo 149. *Nisi incipiat homo timore Deum colere, non perveniet ad amorem.* Timor spiritualis Dei pellit timorem carnalem *malorum sensibilium*; imò (serm. 213. de Temp. Tomo 10) addit S. Pater: *Timor Dei expellit timorem gehennæ, quià facit hominem peccatum cavere, & justitiæ opera augere.* Vide quantum medicamentum sit contrà *timorem carnalem* immodicum *sensus* (ne propter mala sensibilia caduca vitanda, incurrantur mala intelligibilia æterna) *timor spiritualis Dei*, qui non solùm expellit ab homine *timorem immodicum*, *& vitiosum*, *& contrà rectam rationem*, sensibilium malorum sæculi, sed etiam expellit *timorem servilem* gehennæ.

At timor Dei sit *castus*, *& purus*, nempe propter ipsum non amittendum, non *primò* propter timorem gehennæ, dicente Augustino in Psalmo 18. enarrat. 2. *Timor Dei non servilis, sed castus; gratis amans, non puniri timens, sed timens separari ab eo, quem diligit* Et in Psalmo 67. *ut bonum opus fiat, non timore, sed amore, non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ, ipsa est vera, & sana libertas.* Et (serm. 213. de Temp.) addit: *Si filii Dei sumus*, timeamus Deum ex Charitatis *dulcedine*, *non de timoris* (nempè pœnæ) *amaritudine.* Et (Tract 9. in Epist. Joan. tomo 9.) sic: *Si adhùc propter pœnas times Deum, non dùm amas, quem sic times:* Et (in Enchirid. cap. 121. tomo 3.) inculcat: *Quod fit timore pœnæ, non dùm fit, quem admodum fieri oportet*; quià ut explicat (de Fide, & operibus cap. 21. Tomo 4.) idem Augustus Doctor: *Lex non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur.* Quare (Epist. 144. Tomo 2.) non tacuit: *Inaniter putat, se esse victorem peccati, qui pœnæ timore non peccat.* Et epist. 54. *Non bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ.* Vnde Epist. 144. Charitate *Christo*, non pœnæ timore *cohæremus.* Ideò de Verb. Apost. serm. 13. monet: *Qui adhùc benè agit, quià pœnam timet, Deum non amat.*

At si adhùc non amas justitiam propter justitiam, *timeas* saltèm *pœnam*, dicente Augustino (Tract. 14. in Joann.) sic: *Noli timere pœnam, sed ama justitiam. Nondùm potes amare justitiam? time, vel pœnam, ut perducit peccatum.* Et Hom. 42. cap. 8. *Si peccatum non times, time, quòd* Cur? Augustinus (in Epist. 120. cap. 18. Tomo 2.) docet: *Præmissas timor in cor nostrum pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat Charitati locum.*

Ergo Charitas est vinum spirituale prorsùs roborans animum, & cor, ut expellat foràs omnem carnalem, & sensus, torquentem, & immodicum timorem; at timor Dei (ut dulcis, vel saltem ut recti Judicis) disponit,

nit, præparat ; ut ideò dicat Auguſtinus (in Indice Venetiis, anno 1542. apud Damianum Zenarum) ſic: *Timor* (nempè Dei) *medicamentum*, Charitas (ſymbolicè ſignificata in *vino*, & ejus fervor in ſpiritu, ſive vigore fervente vini) *eſt Sanitas*. Vide p.1088.& 1092. ex AVGVSTINO.

Ergo Medicina *phyſica* præſcribens contrà ægritudinem timoris immodici ſenſitivi ſenſibilium malorum vinum, *& ſpiritum vini*, quià roborantia cor, eſt *ſymbolum* Medicinæ *moralis* (contra eundem timorem ſenſitivum immodicum)nempe *timoris Dei*,*& Charitatis*.Vide pag.971.& 972.

AROMATICA, CINNAMOMVM.

AROMATICA item relata numerantur inter medicamenta *phyſica* contrà timorem immodicum ſenſus ; at aromata apud Geneſim cap. 37. C. & Cantica cap.5.D. poſſunt ſignificare odorem *fidei*, *& virtutes*, *& opera bona*, unde fluit odor bonæ opinionis. Addit Medicina *phyſica* Cinnamomum, qui eſt fructex odoriferus, & naſcitur in Æthiopià, duorum cubitorum ; cum viret non odoratus, ſiccitate gaudens ; ejus cortex eſt in uſu, eſtque ferè coloris *cinericei* ; apud Exodum cap.30.C. *Cinnamomum*, ut eſt coloris *cinerei*, ſignificare poteſt *cognitionem humanæ infirmitatis*, *& fragilitatis*, unde poſſit excitari ad *timorem*, *& amorem* erga Deum, ubi habet homo præſidium ſine creaturarum timore, & ſine timore malorum ſenſibilium. Item *Cinis* in ſacris chartis non ſemel ſignificat *pœnitentiam*, ideo hanc Cinnamomum, ut eſt coloris *cinerei*, ſignificare poteſt.

Ergo (in ſummà) ſi *aromata* ſignificant *fidem*, *virtutes*, *& bona opera*, & Cinnamomum ſignificat *cognitionem humanæ infirmitatis*, ut recurramus ad Deum, timeamus, & amemus ipſum, & item ſignificat *pœnitentiam*, certè *fides*, *virtutes*, *opera bona*, *cognitio humanæ infirmitatis*, ut timendo Deum, & amando recurramus ad ipſum, item *pœnitentia* ſunt *optima* Medicina Moralis, ut pellatur ſoràs morbus *timoris immodici ſenſibilium malorum*, illa enìm animum,*cor*,& ſpiritum roborant, & fortificant; & cum addis *vinum ſpirituale Charitatis*, quod animam, & potentias calefacit, & vivificat, *ſoràs* expellitur *vitioſus timor*, ut dictum ſuprà, & in primo articulo hujus capitis, ex *Auguſtino*. Ex quibus Medicina *phyſica* Aromatica contrà timorem immodicum *ſenſus* manet explicata ſymbolum Medicinæ Moralis contrà illum.

AVDACIA, & ejus SYMBOLVM.

AVdacia eſt paſſio, quæ ſequitur ad ſpem, & ab illa oritur, nàm cum quis ea mala imminentia ſenſibilia, quæ timet, *ſperat* vincere, excitatur audacia ad reſiſtendum ; imò ferè ſemper cum *ſpe* conjungitur *audacia*,vel ad aſſequēda ſenſibilia bona,vel ad vitanda ſenſibilia mala,& *timor* à ſperante cum audacià ſublevatur.Ideò *Audacia* paſſio ſenſitiva definitur: *Eſt motus appetitus ſenſitivi malum arduum imminens proſequentis cum ſpe victoriæ*. Alii definiunt : Audacia paſſio naturalis ſenſitiva eſt *motus appetitus ſenſitivi in bonum arduum futurum poſſibile*, *neglecto malo*, *quod illud difficultat*. Dictum in ſuperioribus, & explicatur in hac *primà* definitione, quòd audacia tendit in *malum*;at cur dicatur *tendētia*,cum à malo potiùs ſit fuga,& averſio ? Reſpondetur,quòd audacia tendit in malū,ut avertat,non ut proſequatur ; ideò aptiùs dicetur, tendere contrà malum imminens arduum vitandum, & ut illud avertat ; & cur ſic tendit? quià appetitus intendit bonum, quod impeditur ab imminente malo, & ideò ex amore boni

ten-

tendit contrà malum. Hinc patet, cur in secundà definitione dicatur, quòd *Audacia* est motus appetitus *in bonum*, &c. nam quia *appetitus* intendit prosequi *bonum*, ideò *audet* contrà difficultates, impedientes illud, quæ quià minantur *privationem boni*, & id impediunt, vel retardant, apprehenduntur *delineà mali*. Omnes ergo passiones appetitus sensitivi intendunt *bonum*, & solùm differunt, quia aliæ *expressè immediatè* tendunt in *bonum*, aliæ *expressè*, *& immediatè* sunt *contrà malum*, vel odio habendo, vel abominando, vel cum timore de ipso, vel cum audacià contrà ipsum, sed ex amore *boni*, ne impediatur *à malo*, vel quià impeditur à malo.

Audacia communiter intelligi, & accipi solet pro *audacià vitiosà*, quæ dicitur *temeritas*, & est vitium (per excessum) oppositum virtuti morali *fortitudinis*; ipsa autem virtus *Fortitudo*, quæ excellit inter terribilia, & confidendo exuperat formidabilia, & aggreditur cum prudentià pericula ardua, solet dici *audentia*. Audacia dicitur *ab avidè*, id est, *cupidè* agere, quod, cum avidè, & hinc inconsideratè, sit, non sine vitio temeritatis *contingit*.

Symbolum audaciæ quadriremis præsidiarià, quæ vi remorum ventis adversis resistit, ideò ipsi lemma, *etiam reflantibus*, nempe ventis contrariis; & fit etiam Emblema, quo indicatur audacia, quæ resistit obstantibus.

CAUSÆ, & EFFECTUS AUDACIÆ.

CVm Audacia oriatur ad spe, & sequatur ad illam, eas habet causas, quas spes, pag. 1082. relatas.

EFFECTUS audaciæ sunt contrarii effectibus timoris sensitivi, cui est opposita. Timor hebetat cor, refrigerat, contrahit, & figit sanguinem, causat corporis torporem, pallorem in vultu, languorem in oculis, &c. at Audacia ex oppositio explicat, & dissolvit sanguinem, accendit cor, causat in corpore calorem, agilitatem, diligentiam, & impetum, colorem purpureum in vultu, oculos vivaces, igneos. Causat *timor* pulsum parvum, & languidum, causat audacia magnum, vehementem, & elatum. Causat ille animi demissionem, causat ista animi ardorem. Causat ille planctum, & ejulatum, causat ista firmam, & altam vocem. Ille caput demittit, ista attollit. Ille torporem causat ad non operandum, ista citam expedit operationem. Audacia facit hominem promptiorem in principio, remissum in fine, quià cor refrigeratur, & sic *audacia* remittitur; at in audacia prudente potiùs cor in progressu est vividius.

MEDICINÆ MORALES ad moderandam AUDACIAM: Et SYMBOLA. Temera audacia est ruina; id indicatum à POESI per PYGMEOS, bellum inferentes HERCULI. Datur SYMBOLUM audaciæ temeræ.

COrrigenda, & moderanda est ista sensibilis, sivè sensitiva passio per rectam rationem; quomodo? aggrediendo aggredienda, & non aggrediendo non aggredienda; aggredienda est assecutio bonorum sensibilium, quæ dictet recta prudentia aggredi, & honesto fine, & licitè, & quæ *prudentia recta* assequi dictet possibile, & præcipuè conveniant ad publicum bonum, & ea assequi, & pro eis aggredi non sit contrà legem justam, & voluntatem Divinam. Non sunt aggredienda impossibilia viribus, nec illicita, nec quæ non multum, aut nihil conducant ad bonum publicum,

vel

vel ad bonum privatum animi. Nec pro bonis sensibilibus assequendis, vel non amittendis, sunt aggredienda *mala imminentia ardua*, quæ vincere, & avertere, à rectà prudentia judicetur viribus impossibile, sed tunc *patienter feras* conformis voluntati Divinæ.

Nihil penitùs (etiam possibile, & licitum, & quo fine sancto oportet, & quando, & quomodo oportet) aggredi est animi pusillanimis, demissi, abjecti, & vilis.

Hùc Virgilius:

Fortiaque adversis opponite pectora rebus,
Tu ne cede malis, sed contrà audentior *ito.*

Propertius.

Audaces fortuna juvat, timidosque repellit.

Seneca in Medea:

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

At aggredi impossibilia, & suprà vires, est animi arrogantis, temeri, & præsumptuosi, & imprudentis; si sit impossibile, & illicitum, est etiam animi impii. Quòd Pygmæi homines cubitales, qui (ut narrat S.P.Augustinus lib.16.de Civitate, cap.8.) *per cavillum vocantur homines trispithami*, ausi sint bellum inferre Herculi, at iste alios ex eis occidit ut pulices, alios inclusit in pelle leonis, quam gestabat pro thorace & portavit ad Euristhæum, fuit figmentum Poeticum ad indicandum, quòd suprà vires non audendum; & hùc Proverbium, *Cum sis nanus, cede*. Proverbium, *Aut cucurbitæ florem, aut cucurbitam*, ad innuendum aut mortem, aut vitam, aut lucrum, aut damnum, absolutè non approbo, sed quod prudentèr possibile sit, & possis superare. Alitèr audacia temera erit audenti ruina; & hùc attinet SYMBOLVM audaciæ temeræ, *Mulier rubeo colore vestita, percutiens fundamenta turris*; vestis *rubea* innuit ardorem audaciæ; quòd intendat, dejicere turrim, sub qua est, & à qua cadente opprimetur, innuit, quòd temerus audax sibi prætendit ruinam.

Audacia laudabilis, quæ foràs mittit *vitiosum timorem*, fuit illa, qua (apud Mathæum cap.27.) Joseph ab Arimathia, crucifixo Domino, *audaciter* introivit Pilatum, & petiit corpus Salvatoris; at Charitas, & timor Dei fuerunt, *medicinæ spirituales*, quæ foràs misserunt carnis, sive sensus timorem. Ajebat Augustinus (Epist. 29. Tomo 2.) sic: *Qui verà virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.*

Sunt item Medicinæ *morales* contrà *audaciam temeram* vel ad assequenda bona sensibilia, vel ad non amittenda, vel ad evitanda mala sensibilia inevitabilia, quæ latè sunt dicta pro moderatione passionum.

CAPUT XXIX.

De IRA, & MANSUETUDINE,

Primò de IRA; quæ *propriè* non est in DEO.

IRA definitur à S.P.Augustino (libro quæst. super Leviticum q.70. Tomo 4.) sic: IRA est *ulciscendi libido*. Et lib.14.de Civitate Dei, cap.15. repetit: *IRA nihil aliud est, quàm ulciscendi libido*. Sed (in libro 50. Homil. Homil.5.) describit latiùs *iram*.

Non recedit à Patre Augustinianus noster Doctor B Cardinalis Ægidius (lib.1. de Regim. Principum, parte 3. cap.7.) definiens: *Ira est appeti-*

tus pœnæ ad vindictam. Consonat communi ex Philosophis Moralibus: *Ira* est *desiderium, sive appetitus vindictæ.*

IRA est passio sensitiva, quarè *propriè* non est in Deo, ideò dicente Augustino in Psalmo 2. *Iram, & furorem Dei, NON PERTURBATIONEM mentis oportet intelligi; sed vim, qua justissimè vindicat subjectam sibi ad ministerium universam creaturam.* Et in Psalmo 6. *Non cadit in Deum judicem perturbatio, sed quod in ejus ministris fit, quià per leges ejus fit, IRA dicitur.*

DUPLEX est IRA, una regulata per RATIONEM, alia sine ductu rectæ *RATIONIS.* Prima *est* virtuosa, *& laudabilis*, secunda *est vitiosa.* Ubi de *MODO iræ* in *vitiorum* reprehensione.

IRa est una, quæ præcedit regimen rectæ rationis, & per hanc non dirigitur, nec regulatur, & hæc est immodica, vitiosa, præceps, cavenda; alia est, quæ regulatur per rectam rationem, & imperatur ut ancilla virtutis, v.g. irasci contrà scelera, & hæc est bona moraliter, & laudabilis; quare *ira* non statim ac *ira* est vitiosa, ideò David: *Irascimini, & nolite peccare;* & Augustinus (lib.9 de Civit.Dei cap.3.) addit: *Irasci peccanti, ut corrigatur, nescio utrùm quisquam sanà consideratione reprehendat.* Talis enim ira est imperata à ratione rectà, & à zelo Dei, & à prudentiâ rectâ, & fine recto, & modo prudente, & quando, & quomodo oportet. Et hanc laudabilem *iram* Peripatetici appellarunt *fortitudinis cotem*, quia in eâ acuitur fortitudo virtus. Et de *ira* regulatâ per *rectam rationem* scribit Basilius: quod *ira bonarum actionum sæpè minister est; cumque ratione ducitur, fortitudinem, justitiam, constantiamque parit.* Hùc Chrysostomus Homil. 11. super Mathæum, Tomo 2. *Justa ira mater est disciplinæ; itaque non solùm NON PECCANT, qui cum causâ irascuntur; sed è contrà, nisi irati fuerint, PECCANT.* Cur? quiâ est debitè, sancto fine, prudentèr, opportunè, ex zelo Dei, & amore ergà proximum; ideò dicente S. P. Augustino (Homil.40. ex 50. Homil.Tomo 10) sic: *Sæpè pater irascitur filio, sed non odit filium; irascitur, ut corrigat; si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur.* Et in hoc sensu Chrysostomus (De irâ Dei) ajebat: *Irasci rationis est; auferuntur enim delicta, & refrænatur* (nempè peccandi) *licentia, quod utique justè, sapientèrque fit.*

Pulsat Bernardus (Epist.63. ad Caidon. Abbatem de trib. font.) nuncians: *Irascere, & noli peccare; peccabis autem non minus nimis irascendo; nàm non irasci, ubi irascendum est, nolle emendare peccatum est; plus verò irasci, quàm irascendum sit, peccatum peccato addere est.*

Hugo Cardinalis (super Ecclesiast cap.7.Tomo 3.) sic: *Non est pater, qui peccatis, aut vitiis filiorum non irascitur; hæc enim ira bona est, quæ etsi turbet oculum rationis* ad tempus, *posteà limpidum reddit.*

S.Gregorius magnus (lib 5. Moral. cap.ult. Tomo 1.) favet: *Alia est ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus justitiæ format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.*

Lactantius Firm. de Irâ Dei, cap.17. *Illa ira justa est, quæ movetur adversùs delinquentes, ubi non est cupiditas ultionis propter injuriam. Ira justa necessaria est ad pravitatis correctionem. Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, utilis est rebus humanis, & necessaria.* At Gregorius ubi suprà addit: *cum per zelum animus movetur, curandum summoperè est, ut ira, quæ instrumento virtutis menti dominatur, non quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata rationis, à tergo nunquam recedat.*

Ita-

Itaque IRA aliquando præcedit RATIONEM, & tunc est *inordinata, & cavenda*, quià *rationem non audit, & eam obnubilat*, & causat ex se noxios effectus; aliquando ira subsequitur rationem, & tùnc *potest* esse *ordinata, & imitanda*, si sequatur imperium *rectæ rationis*, & sic est organum virtutis, & rationis, ancilla, & serva juvans dominam *rationem rectam*, ut viriliùs, & cum vigore exequamur opera virtuosa, quæ domina *recta ratio* agenda judicaverit, & hæc est *ira sine peccato, & laudabilis*, & quæ est necessaria ad virilem defensionem justitiæ, & reprehensionem vitiorum.

Si ira sequatur RATIONEM *non rectam*, sed habitualiter jàm anteà *perversam* à sensu irascibili, vel quæ pervertitur tùnc, quando post primò primum motum *iræ vindicativæ* præcedentem deliberationem rationis, hęc posteà non coercet, sed cõsentit sensui, appetuique sensitivo inordinato vindictæ, & sìc sequitur ira, tunc est ira vitiosa dominans, transit item non semel, ut sit inveterata, & odium, & exequitur immodicos impetus *iræ*.

Est moderanda tàm IRA *antecedens* rationem, quàm *subsequens* rationem *perversam*, illa habetur coercita per *rationem* habitualiter *rectam*, & per *habitus virtuosos* Humilitatis, Patientiæ, Timoris Dei, Mortificationis corporis, & passionum hujus, quòd animi jàm *perfecti* est; secunda nempe subsequens rationem *perversam*, imò in hac *ratio perversa* sequitur ut ancilla *iram* sensus ut dominam, coercetur per *rationem rectam*.

Si homo contra personam *irascatur irà, præcedente* rationem, *hominis* est *irasci*, sed si posteà ratio non consentiat *iræ*, sed coerceat, & effectum *vindicativæ indignationis* impediat, est peccatum *veniale*, dicente Cassiodoro super Psalmum 4. v.5. *Venialis est ira, quæ ad effectum suæ indignationis non pervenit*.

Item si homo contrà se audiat vituperia, videat injurias, *hominis* est *sentire*, quia non est lapis, & primo motu *velle vindicativè irasci*, at posteà *ratione rectà* coercere *iram*, & charitate amare personas, quia proximum, creaturas, & imagines Dei, & orare pro eis, est animi sapientis, virtuosi, & Christiani.

Quando autem ex irà contrà vitia reprehenduntur peccantes, *modus* rectæ rationis est servandus. Ira etiam contrà vitia, qua reprehenditur peccans, si sit modo *imprudente*, sivè zelus *imprudens*, etiàm noxia est, dicente Ambrosio (de sancto Joseph, & habetur 11. q.3. *ira sæpè*) *ira etiam innocentes ad crimen adducit, quia dum justo amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, graviora committimus.* Addit Ambrosius (lib.1. de offic.) sic: *Irascimini, ubi est culpa, cui & irasci debeatis, non potest enim fieri ut non rerum indignitate moveamur; alioquin non virtus, sed lenitudo, & remissio judicatur*; at si in his monet *irasci* contrà culpas, in superiùs dictis commendat in reprehensione *prudentiam*. Hùc *Lactantius Firm.* de irà Dei, cap.18. *Ego laudarem eum, qui dedisset iræ suæ spatium, ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio.* Imò & de IRA propter malum *sensibile* dicit Ambrosius (ad illa verba Davidica, *irascimini, & nolite peccare*) sic: *Non iram imperat, sed indulget naturæ, quam homo prævenire non potest, mitigare potest; igitur etsi irascimur, affectus noster modum recipiat, sed secundùm naturam, non peccatum præter naturam.* Vide pag. 1098. ex Bernardo, & Gregorio.

Infertur ex dictis, quòd ira non statìm ac ira, ideòque non ex *conceptu essentiali* iræ est *moraliter mala*; cum detur etiam laudabilis, & *sancta ira*; nec sacræ literæ dicerent *iratus est Deus*, si ira statìm ac ira, & ex terminis iræ, esset *moraliter mala*, nam malum *morale*, nec *methaphoricè* potest dici de Sanctissimo Deo. Item Christus Dominus *impeccabilis ab intrinseco* ap-

petitum *irascibilem* ut verus etiam homo habuit, & sanctâ *irâ* iratus est contra ementes, & vendentes in templo, & funiculo eos ejecit, quiâ domum Dei faciebant speluncam latronum.

DISCRIMINA inter IRAM vitiosam, *& ODIUM* vitiosum; *hoc est* pejus *VITIUM*.

IRa, in quo distinguatur ab *Odio*, explicat S. Pater (in libro 50. Homil. Homil.42. cap.7.) dicens: *Ira est libido vindictæ. Odium est inveterata ira*. Ideò in Epist. 149. addit: *Inveterascens ira fit odium*.

Doctor noster B. Ægidius explicat alia discrimina inter iram, & odium.

1. Odium est mali *absolutè*, at *ira* est appetitus mali in ordine ad vindictam.

2. Odium potest esse mali pertinentis ad eum, qui odit, & non pertinentis; at *ira* solùm est appetitus mali contrà alium, nempe contrà quem quià læsorem appetitur vindicta, & propter pertinentes ad irascentem, sive sit ipse, sive filii, sive amici.

3. Odium potest esse in communi, v. g. contrà fures in genere, & insidiatores; at *irasci* est contrà aliquem, vel aliquos in speciali, qui offenderint.

4. Odium est insatiabile, quia est appetitus mali absolutè, & usque ad exterminium, nec satiatur, nisi extinctâ personâ, quæ odio habetur; at *ira* est satiabilis, nam cum non sit appetitus mali absolutè, sed in ordine ad vindictam, ideò optatâ vindictâ assecutâ, placatur iratus, & quiescit ira.

5. Odium appetit nocere inimico, *ira* appetit contristare.

6. Odium vult malum alteri, quin alter sciat, unde malum ipsi advenerit; at *ira*, vult sentiri, & quòd inimicus sciat, ab irato, propter injuriam illatam, fuisse factam vindictam.

7. Odium non semper est cum tristitiâ; non enim tristatur, qui latrones, & detractores in communi odit; at *ira* est semper simùl cum tristitiâ; nam iratus cruciatur, & tristatur, quousque vindictam compleverit.

8. Odium est omninò sine misericordiâ, quiâ nunquam satiatur; at *ira* est annexa misericordiæ, quiâ assecutâ vindictâ, ut sibi satisfaciat iratus, si plura mala vexent inimicum, miseretur.

9. Odium vult, inimicum exterminari; at *ira* solùm vult, inimicum pati.

CAUSÆ IRÆ. Triplex ira, fellea, mania, furor; sive *acuta, amara, gravis*.

CAusæ *iræ* possunt esse omnes aliæ passiones; nam si amas, desideras, gaudes, speras, odio habes, abominaris, &c. qui impediat, tibi excitat iram. Aristoteles 2. Reth. cap.2. numerat alias causas. At causa una iræ, & causa generalis, in qua continentur omnes aliæ causæ, est, cum quis contemni existimat, quarè quo excellentior est persona, faciliùs, & crebriùs prosilit in iram, quiâ propriæ existimationis, & excellentiæ parvipensionem concipit; quare *superbia* mater est vitiosæ *iræ*.

Parvipensio est *triplex*; *Primò despectus*, quem maximè significat *oblivio*, quæ est evidens signum *parvipensionis*; nam quæ *magni* pendimus, *memoriæ* commendamus.

2. *Denunciatio tristium eventuum* excitat *iram*, quia est signum, quòd denuncians contristare non veretur.

3. *Hi-*

3. *Hilaritas in infortuniis alicujus* eſt huic cauſa iræ, quià eſt ſignum, quòd *parvi* facit bonum, vel malum patientis.

4. Excitat iram *Epirreaſmus*, nempè, ut dictum ſuprà, quando quis impedit alterius voluntatem, & opponitur eijs, quæ vult, amat, & optat.

5. *Contumeliatio* eſt etiàm *parvipenſio*, quæ excitat iram; & eò acrior excitatur ira, quò eſt excellentior perſona injuriata.

Sed & temperamentum *bilioſum* inchoat, & expedit *iram*.

At *iræ tres* ſunt partes, nempè *fellea*, *mania*, *& furor*. *Fellea*, ſive *bilis*, citò tranſit, & hæc à Cicerone, dicitur *exſcandeſcentia*. *Mania* eſt *ira*, quæ diù manet in memorià. *Cotus*, ſivè *furor* eſt, qui non aquieſcit, donec puniat; & hæc vinculis eget, non verbis. Hęc triplex *ira* ſolet dici *acuta*, *amara*, *& gravis*. Ira *acuta* eſt, quæ nimis citò, & levi ex causà inſurgit, & hæc citò tranſit. *Amara* eſt, quæ (injuria illatà diù manente in memorià) tranſit in odium, & triſtitiam cauſat. *Gravis* eſt, quæ non remittit *iram*, quouſque puniat, & hæc cauſat vindictam.

In relatis continentur aliæ cauſæ *iræ*, nempè *Obtrectatio*, *ingratitudo*, *fraus*, *dolus*, *oppoſitio*, *damna*, *maledicta*, *injuriæ*, præſertim ab amicis, & propinquis, habentur enìm ut rigidiora, & acriùs ſubtiliora, & cor magis penetrantia, & ferientia tela.

EFFECTUS IRÆ.

EFfectus *iræ* colliguntur ex definitione (apud Medicos) *iræ*: Definiunt ex Ariſtotele 1. de *Animà* ſic: Ira eſt *ebullitio*, *ſivè efferveſcentia ſanguinis circà cor*. Damaſcenus lib. 2. cap. 16. *Ira eſt fervor ejus*, *qui circà cor eſt*, *ſanguinis*, *vaporatione fellis*, *vel perturbatione fiens*. At Dionyſium, opinor, loqui *cauſativè*, id eſt, quòd *ira cauſat* fervorem ſanguinis, & evaporationem fellis. Dicunt alii, fervorem ſanguinis potiùs eſſe *cauſam iræ*, procedentem ex malo odio habito. Quarè ſanguinem ebullientem propter malum illatum dicunt excitare iram, & eſſe hujus cauſam. Sed opinor verius, quòd malum illatum, & odio habitum apprehenſum movet, excitat, & irritat appetitum iraſcibilem, & hìnc veniat, tanquam *effectus*, quòd ebulliat ſanguis, & efferveſcat cor, unde & alii motus, & aliæ corporis, & animi agitationes. Et quidem *ira* ſanguinem vehementèr commovet, ergo commotio, & *ebullitio* ſanguinis eſt *effectus* iræ. Motus igitur iraſcibilis, tanquam ventus vehemens, & validus repentè excitatus, & agitatus ſuſcitat ſanguinis ebullientem, ſpumantem, & efferveſcentem procellam in corporis mari, & in corde veluti in Euripo inquieto æſtuat tempeſtas, flagrat, tanquàm ignis iræ elatus lambat cœleſtia tecta, vel iræ procelloſæ verberet ſidera unda.

Effectus *iræ* magis explicati ſunt illa ebullitio ſanguinis, & efferveſcentia igne iræ, unde tanquam igne accenſo, & æſtuante, æſtuant flammæ, ab *oculis* emicant ſcintillæ; exaſperati, & terrifici, & ignei apparent; vultus accenſus, pectus anhelum jacit ſpiritum, & ex verbis ardentibus ſiccitas labrorum albeſcit. Iratus tonat ore, quatit pedibus, arietat manibus, ſpumat ſi ſit ira vehemens; fracta ſonat vox, lingua præpedita, accenſu violentia gliſcit, tumet vultus, præcipitatur mens, rapiens ſenſus in præceps omnia vertit, attolluntur ſupercilia, corrugatur frons, erigitur cervix, caput comminatoriè irruit; verba detractoria, & comminatoria rugiunt; vacillant crura, palpitat cor, tremunt manus, & corpus, adeò ut iracundum dicas inſanum, eſt enim brevis furor, dementia brevis; ideò *ira* dicta ab

ex-

extrà se ire, & homo *reddit ad se*, cum deponitur *ira*. Si iratus tacet, intùs ardet.

Lucas Tozzi medicus addit inter incommoda,& *effectus iræ*, quòd non rarò excitat febrim, ut multis quoque ostendit Galenus 1. de *Differ.* febr. cap.3. nam *ira* sanguinem vehementèr commovet, atque ad indebitè fermentescendum disponit; promotà nimirum parte volatili, ac tenniori, atque in partem sanguinis glutinosiorem adactà; unde etiam cerebrum sæpè numero afficitur, & in delirium, ac pervigilium lacessitur. Quare *iracundi* proclives quoque sunt ad *Maniam*, *& Furorem*. Et Galenus (de *San. tuend.* cap.9.) inquit, in ejusce sanguinis ebullitione *furorem* consistere,cujus accessorium est appetitus ultionis; at eò probabilius mihi opinor, quod ex appetitu vehemẽte ultionis,& rapido veluti ex igne admoto vehemente derivetur sanguinis illa fervens ebullitio. Observatum paritèr est,non nullos ex vehementiori irà *Apoplexiam*, vel *Epilepsiam* incurrisse; quosdam etiàm, ferè exanimatos repentinà *Syncope* confectos, in terram concidisse, exoluto spiritu, vel compresso *corde* à sanguine irrumpente.

Quare in Eccles. cap.30. *Zelus*, & *Iracundia minuunt dies*, *& ante tempus senectutem adducunt cogitatus*. Et Job. cap.5 *stultum interficit ira*. Et Job. cap.18. v.14. *Perdis animam tuam in furore tuo*; non solum perditur anima spiritualitèr, quià peccat, sed etiam furiosus perdit *animam*,quæ etiam solet accipi pro vità corporis; furor enìm etiam corpus occidit.

Causat itèm *ira vitiosa* inimicitias, & odia, rixas; quare in Proverbiali sacrà Philosophià Morali cap.15. *Vir iracundus rixas provocat*; *qui patiens*, *mitigat suscitatas*.

Tandem effectus *vitiosæ iræ* in corpore exponit nostri Regni Neapolitani Cygnus, & Parnasium civile decus Ovidius 3. de Ponto:

Candida PAX homines, *trux decet ira feras*;
Ora tument irà, *nigrescunt sanguine venæ*,
Lumina Gorgoneo sæviùs angue micant.

Sed in *animo* causat *ira immodica* non solùm perturbationem immodicam,sed pervertit rationem,& intellectum fumo igneæ iræ obscurat,causat dolos, suspiciones, infidelitates, malignitates, audacias, insidias, vindictas, & similia.

Si sit *ira* graviter *vindicativa* infert peccatum *mortale*; peccat mortaliter *iratus vindicativus*,*Primò* cum appetit puniri injuriantem, ultrà quàm meruit. *Secundò*, cum appetit puniri non secundùm legitimum ordinem, nempe ab irato, vel alio, distincto à legitimo judice. *Tertiò* cum appetit puniri, sed non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, vel correctio culpæ. *Quartò*, cum iratus ex iræ vehementià excidit à dilectione Dei, & proximi. *Quintò*, cum *iratus* appetit gravitèr puniri eum, qui non meruit.

Ira est peccatum veniale, *Primò* cum appetitur vindicta in re parvà, quæ etiàm si actu inferretur, ex hoc solùm non esset peccatum mortale. *Secundò*, cum motus *iræ* prævenit usum rationis, & consensus non subsequitur. *Tertiò*, cum nimìs ardentèr irascimur interiùs. *Quartò*, cum nimìs manifestat signa *iræ* exteriùs; nam licèt hi motus *iræ* sint sine animo vindictæ, tamen sunt coercendi à rectà ratione, & per virtutem *Patientiæ* supprimi. Hæc est illa *ira*, quæ dicitur *acuta*, *biliosa*, *fellea*. At tales effectus, imò defectus licèt sint peccata *venialia*, sunt vitandi, & consequenter vitanda *ira*, eorum causa.

SYMBOLA iræ *IGNIS ex elementis*; *CRATICULA suppositio igne*, & corde *super impositio*. *Item BILIS FLAVA ex humoribus*. *SYMBOLUM* immanis iræ *URSUS*, & *CYNOCEPHALUS*; lacessitæ iræ *ELEPHAS*. *FEL*, *LEO symbola* iræ. *Ex POETICA per unam ex* tribus *FURIIS*. *Additur SYMBOLUM* iræ *artificiosum*. *Explicatur PYTHAGORICUM symbolum*, *IGNEM* gladio *NE FODITO*.

IGnem scies symbolum IRÆ, quià sicùt ille accendit, calefacit, facit bullire, fervere, spumare ollam effervescentià, & extrà ollam aquam ire; ita Ira hos effectus causat in corpore; ideò scribebat Donatus: *Ira ignis est*; & Virgilius lib. 9. Æneid.

Ignescunt IRÆ, *& duris dolor ossibus ardet*.

Et Seneca *in Med. Act.* 3.

Flammata facies spiritum ex alto citat.

Turnique *iram* Virgilius lib. 12. Æn. describens ait:

Totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, micat acribus ignis.

Hùc Pythagoræ symbolum, *ignem gladio ne fodito*, fuit innuere, *iram alicujus non lacessendam*, nec provocandam iracundi iram. CRATICVLA suppositio *igne*, & superpositio corde, fuit hieroglyphicum *iræ*, ad innuendum, quòd igne iræ accenditur COR.

At & in nostris sacris chartis (apud Psalmum 79. v. 5.) & in non paucis aliis locis, ignis signat symbolicè iram, & in aliis ignis significat vindictam Dei, & punitionem, quæ devorabit malos, sed in *Ecclesiastico*, cap. 28. legimus: *Certamen festinatum incendit ignem*; *si insufflaveris*, *quasi ignis ardebit*; *& si expueris super illum*, *extinguetur*; in quo textu ignis supponit pro irà, quam incendit, & excitat festinatum certamen, & facilitas in contendendo; si enìm sufflaveris, id est, provocaveris alterius iram, quasi *ignis* ardebit; ideò oportet expuere super ignem iræ, non provocando, nec durè respondendo, ut *ignis iræ* extinguatur; & Pythagoras, qui (ut dictum pag. 415.) didicit ab Hebræis, ab his potuit accipere, *ignem* esse symbolum *iræ*, quam certamina rixæ, & contentiones accendunt, etsi suffles, id est, provoces, & moveas, *ardet*; si taceas, & non irrites, extinguitur, ut ideò ex his Pythagoras didicerit symbolicè (licèt aliis terminis) admonere, *Ignem gladio ne fodito*; id est, nec gladio, nec linguà significatà in gladio acuto, nec acutà mordaci pennà iracundum lacessas.

Bilis flava ex humoribus est *symbolum iræ* propter pag. 892. memorata. Adde ursum symbolum *iræ* etiam in nostris literis sacris; in quibus *ursa* aliquando significat Deum, & ut *ursa* est iracundissima, & vindicativa, raptis catulis, ità iratus Deus acritèr castigabit peccatores, aut facientes, alios peccare; & hoc significat *ursa* apud Oseam cap. 13. B. Itèm apud Thren. cap. 3. B. Deus dicitur factus *quasi ursus homini*, quando in paradiso post peccatum Adamo occurrit Judex, ut pœnam vindicem de peccato intimaret. Apud Amos prophetam cap 5. F. ursus significat Christum in secundo adventu cum *irà vindice* contrà iniquos, & quando judicabit sæculum per ignem. In Deo cuncta intellige sine imperfectione, & justissimè.

Nunc apud literas sæculares, quià ursus immodicis solet excitari animi, & in omnem truculentiam efferri est index *iræ*; est adeò inquietus, ut ad sti-

pi-

pitem ligatus, nunquàm pœnè ceſſet in circulum pergere, vel pedibus fixis caput hùc, illùcque agitare; eſt animal iracundiſſimum, adeò ut (aſſèrente Theocrito) dicatur *Urſus* ab *ur*, quod Hebraicè ſignificat ignẽ, & irritationem; & *ur* Chaldæorum, unde Deus eduxit Abrahamum, dicta eſt *ur*, id eſt, ignis ab *igne*, qui (ut dictum alibi,) ibi colebatur. Ideò Poeſis effinxit, Radamanthum judicem inferni *iracundos*, poſt obitum, convertere in *Urſos*, in quo ſignificarunt Poetæ *iram* talis feræ, & ut homines ſimplices coercerent *ab immodicâ irâ*, effingebant, ut eos terrerent, quòd ſi iracundi immodicè eſſent in vitâ, poſt mortem animæ eorum ituræ eſſent in VRSOS. Mathematicique eum futurum *iracundum* dicentes, qui ſub primo, & vigeſimo *Tauri* gradu naſcitur, ibi ſtatuunt VRSVM, retrò ſpectantem, cum indignatione. Nec diſcordat Martialis lib. 6.

Rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi *tentaveris VRSI*,
Sed placidus licèt & lambat digitoſque, manuſque.

Sed & CYNOCEPHALVM invenimus *iræ* hieroglyphicum; eſt enìm animal maximè iracundum, & indignabundum, pronum ad *iram*; de quo, ajunt, dici poſſe, quod de *Pane* Theocritus:

Semper acerba illi pro naribus aſſidet ira.

Nùnc jam *iræ laceſſitæ* ſymbolum ELEPHANTVM cur reſiſtas? eſt animal ità pium, & manſuetum, ut ſit manſuetudinis, & pietatis hieroglyphicum; arietes, agnellos, & oves ne lædat, ne ſuâ mole conterat, proprià manu divertit; & tamen laceſſitus, immanitèr efferaſcit. Hanc indolem *elephanti* non ignoravit Annibal; præaltum fluvium ut pervaderent, non poterat elephantos dirigere; repugnabant; quid ipſe? ferociſſimum eorum ſub aure vulnerari juſſit, vulneratorem autem procurrere fugiendo, & natando tranſire flumen; quid tùnc elephas percuſſus? iracundus, ut vindicet, ſequitur authorem vulneris; natat iſte, natat ille; tranſit iſte, tranſit ille, & ad illius elephanti tranſitum, natant, & tranſeunt elephanti reliqui; felixque conſilium, ut probavit eventus, fuit Annibali.

SYMBOLUM *iræ* artificioſum eſt mulier veſtimento colore purpureo, ſivè accenſo, accensà item cute corporis, accenſo, & inflato vultu, oculis igneis, humeris latis, fronte rotumdà, acuminato naſo, foraminibus naſi tumidis, armata, in capite caput Vrſi, è cujus naribus flamma, in dextrà enſis nuda, in ſiniſtrà fax ardens, ſive accenſa. Conſonat effectibus iræ.

FEL, quia eſt *iræ* ſuſcitabulum, & ſedes, eſt ſymbolum *iræ*, ſicut lumbi ſunt libidinis ſymbolum, quia in eis eſt libidinis ſedes. De fele *Palingenius* in Libra ait:

Iræ *etiam ſedes FEL creditur, ipſaque bilis*
Materiam præbet ſtimulis, cœcoque furori.
Hìnc quæ felle carent animalia, neutique poſſunt
Iraſci, pacemque colunt, ac bella recuſant.

LEO animal eſt iracundius equo, hieroglyphicum bilioſi, & iracundi; iracundia crebrior eſt Leoni, quàm equo; vide pag. 7. & 18. & 19. & 692.

Ira ut plurimum fervet, ardet calore, fremit furore, ſic & leo, de quo Lucretius.

Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in irâ,
Cum ferveſcit, & ex oculis micat acriùs ardor.

Et in ſacris literis *Leonis facies* (apud Ezechielem cap. 1. C.) *vim iraſcibilem* ſignificare poteſt, & apud Jeremiam cap. 5. B. Et apud Hoſeam cap. 3. B. *Leones* poſſunt ſignificare homines concitatos ad iram.

Sed *Poeſis* per unam ex tribus inferni *Furiis* iram intellexit, ſenſum enìm

enim dixit *infernum*, quia est portio inferior hominis; ideò dicente Lactantio (*De vero cultu*) sic: *Tres* sunt *affectus*, qui homines ad omnia facinora præcipites agunt, IRA, CUPIDITAS, & LIBIDO; ideò, ait, Poetæ dixerunt tres esse Furias, quæ mentes hominum exagitant; *ira ultionem* desiderat, CUPIDITAS *opes*, LIBIDO *voluptates*. Vide p. 850. & 871. & eodem modo explicat noster Calepinus, qui addit etiam Furiarum nomine intelligi stimulos, quibus acritèr assiduè exagitatur animus scelerum sibi conscius; id est *vermem*, qui dicitur conscientiam rodens.

MEDICINÆ MORALES contrà ægritudinem VITIOSÆ, sivè immodicæ IRÆ.

Ecclesiastici cap. 7. exhortatio est. *Ne sis velox ad irascendum; quia ira in sinu stulti requiescit.*

An non sit *stultitia*, te liberè reddi *insanum*? at ira brevis insania est. Pejor est iracundus, quàm insanus, & amens, quià iste si irascitur, sine culpà est. An non sit *stultitia*, te fieri crudelem feram? at *ira* magistra crudelitatis est. Cur sensus imperet rationi? cur domina ratio subdita servo sensui? ira pervertit ordinem, ergo *stultitia* est.

Iratum dicas omnium ferarum compendium, mugit ut *taurus*, rugit ut *leo*, sibilat ut *draco*, mordet ut *canis*, sonat ut *ursus*, insalit ut *vipera*, invadit ut *tigris*, dilaniat ut *lupus*, terram quatit, minatur cœlum; priusquam inimicum, proprium tundit, & pugnis percutit pectus; an non sit *stultitia*, te, cum rationalis, & humanus sis, fieri omnium *ferarum* compendium?

Iratum si dicas *Indicum gallum*, non erras; iste iratus tumescit rabie deformis; sic & tumescit iratus deformis, ut ideò huic, quod prædicto gallo lemma, *Rabie succensà tumescit*; an non sit *stultitia*, te reddi rabido tumore deformem?

Quem dicas iracundum? *aprum*; attigisti scopum; nam *aper* iracundià præceps, ut venatores invadat, se in cuspides lancearum immittit, venabulo se sponte suà infigit; an non sic immodicè iratus? ipse se per ensem hostis in necem mittit; at hoc non sit *stultitia*?

Iratos dicas aquas *Mummonias*; lapillum levem si injicias, fervet in aquis tempestas; an non sit stultitia levi ex motivo ferveścentes suscitare procellas? Iram dicas *fumum*, qui obtenebrat oculos; dicas *nebulam densam*, impedit solem; an non sit *stultitia* fumositate, & caligine iræ obstare soli rationis? cur sis in caligine, qui potes vivere in splendore? Iracundum dicas *serpentem*; venenum capitis impellit vibrare linguam; quid lingua immodici iracundi vibrat? blasphemias, maledicta; unde hoc? ex veneno iræ, quo inficitur caput; at non sit *stultitia*, te *serpentem* moribus fieri?

Cur sis vento prospero inflata *navis*, quæ naves sine venti prosperitate contemnit? an non reflectis, quòd ventus sit levis, & inconstans, & repentè mutatus contemptam à te navim, huic favens, reddet tibi superiorem?

Leonem educatione mitigas, & tu implacabilis te reddis sæviorem Leone? *stultitia*.

Cum *immodicè* irasceris, & ira fervet, ignem atrum emittis; cur sis foramen inferni? *stultitia*. Facies inflatur, incompositæ manus moventur, nihil sentis, nihil intelligis, morsibus, & calceis, more *asinorum* insultas; cur sis moribus asinus? *stultitia*.

Stomachum vexatum ab immodicis humoribus, ut plurimùm, omnia evomit; ità cor vexatum ab irà immodicà eructare cogitur, quæ tacere, &

silere proficeret, & loqui graviter nocet ; cur tua evomas cordis secreta? cur eructes tibi nocentia? *stultitia*.

Scis, quæ sint egregiæ naves? non quæ cœlo sereno navigant, sed quæ tempestati resistunt. Quiescis, dùm cuncta tibi prospera? quid mirum sit procùl ira? Iste provocat, tu pace adversitati resistis? hoc est egregii animi; imò cur more *exulcerati* ad tactus leviſſimos clames? *stulti* est clamor iste, signum animi gladio, & igne iræ exulcerati, & prorsùs ægroti. Imò audias verbum durum, *pusillanimi* est non posse sustinere, sicùt debilis est stomachi cibum duriusculum non posse concoquere.

Cum *irà* mutas habitum oris, tibi te dissimilem efficis, ergò mortale signum; ægrotum enìm mutare oris habitum, & sibi dissimilem reddi, mortale signum dicit Hippocrates; ergo cur tibi imprimas mortalia signa? *stultitia*.

Vultus est effigies animi; vis videre animum tuum? ecce *speculum*, vide faciem tuam. Quid vides? torvum vultum phrenetico similem, ora fœdata, visum turpem, oculos rabidos, infrænem linguam, dentes acutos velut sues grassantes, asperam vocem, sermonem inconstantem, cadentem temerè, nec concinnè significantem; quid vides? infernalia monstra (nempè *Furias*) quas effinxerunt Poetæ rabido vultu, capillis serpentinis, & vipereis, tædis accensis igne atro, & piceo, talis est ignis iræ tartareus; tales sunt capilli, symbola cogitationum, *viperei*; cogitationes enìm irati sunt viperæ more, iracundæ, vindictæ avidæ; sic vides vultum? talis est animus. Repete *speculum*; nam iratos, ut desisterent ab irà, se intuerl in *speculo*, monebat ut remedium Plato. Vis vultum infernalis Furiæ ostendere, hìnc & animum Furiam infernalem innuere? ergo *stultus maximè*.

Tu es *liber*, iratus servis *iræ*, ut ideò Democritus cuidam flagris sævienti in servum, dixerit, *Desine, te servo tuo ostendere similem*; innuit, iratum fieri iræ servum; *liber es*, & *servus* fieri vis? ergo *stultitia magna*.

Consilium petis ab *immodicà irà*? ergo *stultus*; nam vitiosa *ira*, & *cupiditas* consultores sunt pessimi detestandi. Ideò *Charilaus* servo audaciùs agenti, dixit, *Te occiderem, si non essem iratus*; & Plato comminatus est famulo, *Te loris cæderem, nisi essem iratus*; & Socrates servo delinquenti, *cæderem te, nisi irascerer*; innuerunt, *iram* pessimum esse consiliarium; ergo *stultitia* est, de *iræ* consilio agere.

Iram immodicam dixeris *ensem utràque parte acutum*, nocet irascenti, & alteri; mortis Nervæ ira fuit causa. Pyrrhus magister gymnasticæ artis hortabatur moderationem iræ; iratus enìm majori conatu, ut offendat, quàm cautione, ut se defendat, in necem propriam se mittit; more apis iracundæ dum stimulum figit, se occidit; an hoc non sit *stultitia*?

Ergo divinè *Ecclesiasticus* monuit: *Ne sis velox ad irascendum, quià ira in sinu stulti requiescit*. Hæc recogitare, *fine honesto*, sit Medicina moralis.

Ambrosius pulsat (2.Offic.) dicens: *Resiste iræ, si potes; cede, si non potes*; id est, expecta, quòd frigescat *ira*.

Et Isidorus (lib.5.soliloq.) addit: *Si non potes iram vincere, tempera; si non potes furorem cavere, cohibe*. Lactantius Firm. de IRA DEI, cap. 21. ait: *Non in totum prohibet Deus irasci, quia is affectus necessariò datus est; sed prohibet in irà permanere, ira enìm mortalium debet esse mortalis*.

Hieronymus (ad *Demetrium*) sic: *Irasci hominis est, sed iracundiæ finem imponere, Christiani*. Modicè nonnunquam *irasci* humanum est, sed *iram* servare Satanicum est. Non est morbus *irasci*, sed *iracundum* esse, nam hic vincitur ab ira, & huic servit ut dominæ. Ira aliquando est ostenden-

denda, & non exhibenda ; aliquando exhibenda, ſed non ſequenda.

Ambroſius (lib.1. Offic. cap.3. Tomo 1.) docet : *Si iraſcimur, quià affectus naturæ eſt, non poteſtatis, malum ſermonem non proferamus, ne in culpam ruamus.* Et cap.22. addit : *Si prævenerit, & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & aſcenderit in te, non relinquas locum tuum ; locus enìm tuus patientia eſt, locus tuus ratio eſt, locus tuus ſedatio indignationis eſt.*

Addebat Chryſoſtomus (Homil.10. ſuper Math. Tomo 2.) *Multum laborioſum, & difficile poſſe non iraſci, quià naturalitèr in homine iracundia eſt plantata ; & quià difficile eſt, atque laborioſum abſtinere ab eà, ideò remuneratione magnà eſt.*

Hieronymus (Epiſt.45. ad Antonium Tomo 1.) dictat : *Iraſci hominis eſt, injuriam non facere, Chriſtiani.*

Ideò AUGUSTINUS (ſerm.9. ad fratres in *eremo*, Tomo 10.) explicat : *Humanum eſt turbari, & iraſci, & iram incurrere eſt bonorum, & malorum communis conditio, ſed in irà perſeverare diabolicum eſt.*

Conſiderare effectus *immodicæ iræ* noxios animo, & corpori paginà 1100. explicatos, etiam eſt medicina *Moralis*, ut fine *honeſto* abſtineas ab *immodicà irà*.

Ne *vindictam* appettas, medicinas morales in pag.1017. & 1055. & pag. 1058. habes ſubſcriptas. Cogita injuriam fuiſſe à caſu, præter intentionem, nec tantam, quantam putas.

Itaque *moderatio iræ* eſt *iraſci*, quando oportet, quomodo oportet, quo fine oportet, & propter quæ oportet, uno verbo ſicùt *recta ratio* dictet ; & non iraſci quando non oportet, nec modo, & fine, & propter quæ non oportet ; ideò dicente Ariſtotele lib.3. Ethicorum, *iraſci in quibus non oportet, inſipientis eſt ; non iraſci in quibus oportet, inſipientis eſt.*

MEDICINA phyſica *contrà inordinatam, ſivè vitioſam IRAM eſt SYMBOLUM MEDICINÆ MORALIS contrà ipſam.*

IRa immodica (docent Medici phyſici, inter quos LUCAS TOZZI) curatur contrariis paſſionibus, præſertìm TIMORE. Item *victus ratione*, ſanguinis acritatem temperante. Quòd ſi prætereà talis, ac tanta ſit, ut in FUROREM vergat, tùnc omni induſtrià non ſolùm *corrigendus* SANGUIS erit, ſed etiam ab ejuſmodi labe paritèr repurgandus, quemadmodum in *Manià*. Fertur ſimilitèr, plurimùm in his prodeſſe MVSICAM, cum qua plerique *irà* perciti FVROREM *cantu*, & *harmoniâ* temperarunt ; quippe animi impetus *ſuavi cantu demulcetur* ; cujus quidam artis ope, *peculiari quadam modulatione*, in FVROREM adducti coerciti plurimi *referuntur*. Hæc Medicina *phyſica* ; at hæc eſt SYMBOLVM Medicinæ MORALIS. Diſcurramus per ſingula.

PASSIONES contrariæ IRÆ, maximè TIMOR, ſunt Medicina phyſica, *SYMBOLUM Medicinæ* Moralis, *contrà* inordinatam *IRAM*.

IN arte Medicinæ phyſicæ *contraria contrariis* curantur ; ità in arte Medicinæ *moralis* contraria contrariis ſunt *moralis medicina* ; contra morbum *vitii* eſt medicina *virtus* ; contrà lubricitatem *caſtitas*, contrà ſuperbiam humilitas. Ita ſi *phyſica* medicina *immodicæ iræ* eſt *timor* de ſenſibi-

libus malis, nam quando iracundo vindicativo imprimitur *timor* de sensibilibus malis contrà vitam, decus, & rem familiarem, quæ ipsi potest accumulare *vindicativa ira*, reprimitur; ità in lineà *morali* imprimatur *timor culpæ, gehennæ*, & uno verbo *Dei timor*; qui (ex paginâ 1094. constat) medicina est, reprimens á vitiis. Et licèt MANSVETVDO VIRTVS contraria *iræ vindicativæ* de personis, sit etiam Medicina *moralis*, tamen TIMOR DEI, & gehennæ præsertìm reprimunt, & moderantur, cum & *ipsam* MANSVETVDINEM imperent, & secum adducant. Vndè si Medicina *physica* commendat *passiones contrarias iræ*, at præsertìm *timorem*, etiam in hoc est symbolum Medicinæ *moralis*, quæ contrà morbum moralem *iræ vindicativæ* commendat *virtutes* contrarias illi, inter quas est immediatè contraria MANSVETVDO VIRTVS; at TIMOR DEI est principalis Medicina moralis, quia trahit secum omnes alias *Medicinas morales*, nempè OMNES VIRTVTES. Vide dicta pag. 1092. & pag. 1093. & pag. 1094.

VICTUS RATIO, acritatem *SANGUINIS temperans*.

ALia Medicina *physica* contrà *immodicam iram* subscribitur à *Medicis physici* VICTUS RATIO, *acritatem* SANGUINIS *temperans*.

SANGUIS (ut pag. 1064. dictum ex Augustino) ex SYMBOLUM *animæ*. VICTUS, sivè CIBUS corporis est SYMBOLUM *virtutis*, *justitiæ*, *& sapientiæ*, quæ sunt animi CIBUS, ideò dicente Augustino (serm. 64. de Verb. Domini, cap. 3. Tomo 10) sic: CIBUS *vegetat comedendo, sed minuitur* CIBUS, *qui comeditur*. *Quando autem cœperimus* COMEDERE JUSTITIAM, *comedere* SAPIENTIAM, *& nos vegetamur*, *&* CIBUS ILLE *non minuitur*. Et lib. 1. Confess. cap. 6. Tomo 1. ait: *Sapientia, & stultitia sunt sicùt* CIBI UTILES, & INUTILES. Et Tract. 1. in Joan. Tomo 9. addit: DEUS CIBUS *est; accipe* (nempè doctrinæ) *lac, ut nutriaris*, & sis validus ad capiendum CIBUM.

Ergò in summà SANGUIS est symbolum animæ; VICTUS, sivè CIBVS corporis est symbolum *Cibi animæ*, nempè VIRTVTIS, JVSTITIÆ, SAPIENTIÆ, uno verbo, est symbolum DEI, qui est animæ Cibus spiritualis. Quid præscribit Medicina *physica* contrà *immodicam iram*? VICTVM, sivè CIBVM, temperantem acrimoniam *Sanguinis*, ergo est symbolum Medicinæ *moralis* contrà eandem passionem acrem, & immodicam *iræ*; sit tibi victus ratio temperans acrimoniam sanguinis moralis, nempè temperans acrimoniam animæ iracundæ; & quo *victu* temperatur? quo *cibo*? VIRTVTE, JVSTITIA, SAPIENTIA, TIMORE DEI, HVMILITATE, PATIENTIA, & aliis virtutibus, cum quibus assequeris dulcissimum animi, & spiritus CIBVM, ipsum DEVM. Sanè si hæc sit tibi VICTVS RATIO, temperabitur *acrimonia* sanguinis *moralis*, nempè *iracundæ animæ*, sivè animi acritèr irati.

REPURGATIO.

ADdit Medicina *physica* pro curatione *immodicæ iræ* sic: *Quòd* si prætereà talis, ac tanta sit *ira*, ut in *Furorem* vergat, tùnc omni industriâ non solùm corrigendus *sanguis* erit, sed & ab hujusmodi labe paritèr REPVRGANDVS, quemadmodum in *Manià*.

At hæc Medicina *physica* est symbolum Medicinæ moralis. Vide dicta de *purgatione* pag. 965. & 966. & pag. 1064 Nùnc addo, quòd *Furor iræ* deriva-

rivatur ex morbo *morali ſuperbiæ*, quæ eſt *immodicus amor ſui*, ſive excellentiæ propriæ; *qualis* ergo oportet REPVRGATIO? *talis*, ut expellatur humor *vitioſus ſuperbiæ*. Adeſt Auguſtinus S.P. medicus ſpiritualis medicis verbis ad rem ſubſcribens (Tractatu 25. in Joan. poſt med. Tomo 9.) ſic: *CAPUT omnium morborum ſuperbia*, quià *CAPUT omnium peccatorum Superbia*. Addit: MEDICVS cum ægritudinem diſcutit, ſi CVRET, quod per aliquam cauſam factum eſt, & ipſam cauſam, per quam factum eſt, NON CVRET, ad tempus videtur MEDERI; cauſa manente morbi, REPETITVR. Verbi gratià apertiùs (ait) hoc dicam. HVMOR *in corpore* SCABIEM, vel VLCERA gignit in corpus, *ſit magna febris, & non parvus* DOLOR; *exhibentur quædam medicamenta, quę ſcabiem compeſcant*, & fervorem illum ulceris ſedant, *& exhibentur, & proficiunt*; vides hominem, qui fuit VLCEROSVS, & SCABIOSVS, SANVM. *Sed quià HVMOR ille non ejectus eſt, rursùs AD VLCVS reddit. Cognoſcens hoc Medicus, purgat humorem*, detrahit *CAVSAM*, & *NVLLA* erunt *VLCERA*. *Unde ergo abundat iniquitas? per ſuperbiam. Cura ſuperbiam, & NVLLA erit iniquitas. Vt ergo CAVSA* omnium MORBORVM CVRARETVR SVPERBIA, *deſcendit, & humilis factus eſt Filius Dei*. Hæc Auguſtus Parens, & Doctor medicus ſpiritualis.

At in relatis verbis *Auguſtinus* medico more per SYMBOLOGIAM Medicinæ *phyſicæ* tibi ſubſcripſit Medicinam *moralem* contrà *morbum* immodicæ iræ; cauſa radicalis hujus *moralis* morbi eſt humor *moralis* vitioſus *ſuperbiæ*, ex qua ſentis *parvipenſionem*, & iraſceris; ex *ſuperbià eſt febris irę* uſque ad *furorem, & delirium*; inde *ſcabies, & ulcera moralia* talis paſſionis immodicæ. Curas hunc morbum *irę immodicę* pharmaco *Patientię*? curas potione virtutis *Manſuetudinis*? ad tempus mederis, ad tempus purgas; ceſſabit febris, ceſſabit ſcabies, ſanabuntur ulcera, pro aliquo tempore videberis *ſanus*; at *cauſam radicalem* ſi non *purgaſti*, iterùm laceſſitus, vel cùm contrà tuam voluntatem aliquid agatur, reddibit *morbus irę*; *ulcera, & ſcabies* iterùm fœdabunt; cur? quià manſit cauſa *radicalis* morbi *irę ſuperbia*. Ergo quid? purgaſti humorem vitioſum *irę* potione *Patientię*? adhùc *repurga*. Repurgaſti potione *Manſuetudinis*? adhùc remanet cauſa *radicalis*; quæ? *Superbia*; qua potione *morali* PVRGANDVS talis humor *moralis* vitioſus ſuperbiæ? potione humilitatis; ſi illis *purgationibus* addas *iſtam repurgationem*, à morbo *morali* immodicæ iræ eris *radicaliter* SANVS. Nec una virtus eſt perfecta medica potio ſine aliâ virtute, & eò minùs ſine *humilitate*.

MVSICA.

TAndem Medicina *phyſica* contrà ægritudinem *phyſicam* immodicæ iræ ſubſcribit MVSICAM, CANTVM, & HARMONIAM; & quidèm aptè, ut latè diximus, & oſtendimus à pag. 221. in articulo, cui titulus *Medicus muſicus*.

At hæc Medicina *phyſica* eſt etiam SYMBOLVM Medicinæ *moralis* contra *moraliter* vitioſam iram. Quæ MVSICA? Qui CANTVS? quæ HARMONIA? ſonat à pag. 1067. & 1068. ibi videas, & ſpiritualitèr audias.

PE-

PECVLIARIS MODVLATIO, per VT in cantu; ubi duplex CITHARA HVMILITATIS, una TRIVM, alia SEPTEM chordarum contrà *morbum immodicæ iræ.*

AT advertit Medicina *physica*, quòd non *quælibet musica modulatio*, sed *peculiaris quædam* est ea, quæ contrà morbum physicum *iræ immodicæ* est Medicina *physica*; sic advertit Noster Academicus comprofessor medicus primarius LVCAS TOZZI, & quidem dexterè advertit; quod & nos monuimus in pag. 224. & 225. & ideò diximus, oporterere Medicũ esse Musicum, qui sciat talem modulationem specialem, ut attinet ad *Medicinam*, & ipse sonet, ut scientia Medica dirigat.

Sic in lineà *morali* non quælibet Musica, sed *specialis modulatio* est Medicina moralis; non Musica profana, non lubrica, & venerea, nec alia quævis *moraliter vitiosa*, quæ auribus pii spiritus est dissonantia, & tartareus horror, est *Moralis Medicina* contrà moralem ægritudinem *iræ immodicæ*; sed *specialis modulatio* est unica *moralis Medicina*; quæ est talis *specialis modulatio*? illa *sancta*, *& virtuosa* à pag. 1067. explicata, non quam formant vocales corporei cantus, sed virtutum spirituales voces.

At licèt *omnes virtutes* sint *cithara medica*, & earum melodia sit peculiaris modulatio, & medela contrà morbum *immodicæ iræ*, quæ *virtus* contrà talem ægritudinem erit maximè, & harmonicà medica *cithara*? HUMILITAS; nam *ira immodica* propter *sensibilia* mala est superba, & matris SUPERBIÆ filia; quià enim doles de *parvipensione*, & *cõtemptu* tuæ (quam concipis) excellentiæ, hìnc tibi contrà inferẽtem tale sensibile malum superba, & *immodica ira*, ut p. 1099. & 1100. (referendo *iræ causas*) diximus. Provideamus ergo de Musicà, provideamus de citharà, quæ sint *peculiarissima* contrà relatum iræ immodicæ morbum, & maximè efficax Medicina.

In Musica observes UT, RE, MI, FA, SOL; ex his Musicæ gradibus UT est infimum, at unde est gradus ad alios, & ascensus; hìnc VT est *humilitatis* symbolum, quæ omnium virtutum *fundamentum* est, & ideò in Musicà virtutũ est ordine executionis prima, & in infimo, licèt inter *morales* dignitate præstantior, dicente *Bernardo de Consider. lib. 5.* sic: Virtutum stabile FVNDAMENTVM est *humilitas*; & Gregorio addente lib. 1. *Moral. Humilitas est mater virtutum*; ergo vis sanari à morbo *immodicæ iræ* propter sensibile malum? MVSICA *virtutum* est Medicina; at in hac Musicà quæ vox harmonica contrà talem morbum efficacior? illa, quæ sonat in VT; pone te in VT *humilitatis*, & eris cum hac Musicà, & *cantu* sanus à morbo superbæ ægritudinis.

Hinc *cithara humilitatis* infertur esse illa, cujus melodia sit contrà talem superbum morbum *maximè peculiaris* medela. Quot *chordas* habet *humilitatis citharæ*? tot, quot sunt *humilitatis gradus*, contrarii causis iræ.

Quæ sint *Humilitatis citharæ*? alia est cum *tribus chordis*, alia est *septem chordarum*.

CITHARA una *humilitatis* constat *tribus chordis*, qui sunt *tres gradus humilitatis*, quos assignat Glossa in Math. 3. *Primus* est subdere se majori, & non præferre se æquali. *Secundus* est, subdere se æquali, nec præferre se minori. *Tertius* est, subjicere se minori. *Primus* est sufficiens, *secundus* est abundans, *in tertio* est omnis justitia.

Quæ est CITHARA *humilitatis*, quæ constat *septem chordis*? illa, quam assignat D. Anselmus (lib. de similitud. à cap. 99. usque ad 108.) per *septem* humilitatis *gradus*. *Primus* est cognitio sui quantum ad peccata, &

dus

defectus culpabiles, quæ cognitio est fundamentum humilitatis. *Secundus* est dolor de suis peccatis, & imperfectionibus. *Tertius* est confessio illorum. *Quartus*, ut non solùm confiteamur, nos peccasse, sed ut etiàm velimus, id ab aliis credi. *Quintus*, ut *patientèr* feramus, hoc de nobis dici. *Sextus*, *patientèr* (ecce immediatè contra iram immodicam, quià contemneris) *ferre*, *se pro suà culpà* contemptìm tractari, vel puniri. *Septimus* est desiderare, culpam in nobis vindicari, & de eo gaudere. Hæc Anselmus.

Idem *Anselmus* ibi hos *septem* gradus aliis verbis numerat, & illi continentur in istis, & isti in illis. *Primus* gradus *humilitatis* (ait) est, contemptibilem se esse cognoscere; & quidem si hoc cognoscas, non irascèris, quià contemneris. *Secundus* est, de hoc docere, nempe te contemptibilem esse. *Tertius*, hoc confiteri. *Quartus* est, persuadere hoc aliis, ità ut velis credi. *Quintus* est, te *patientèr* sustinere, quòd te contemptibilem esse dicatur. *Sextus* est, te *patientèr* ferre, *contemptibilitèr tractari*. *Septimus* est, amare, te *contemni*. Hæc est *cithara septem chordarum*, nempè *septem graduum* humilitatis.

Ergo hæc est *cithara peculiaris* contrà iram immodicam, & superbam. Quare irasceris? quià es *parvipensus*, quià *contemptus*; ergo age; sonet *Humilitatis cithara*, sonet *humilis cithara trium chordarum*; sonet *humilis cithara chordarum septem*; exulabit morbus *immodicæ iræ*; expelletur & hujus morbi radicalis causa, mater, & nutrix *superbia*. Harum *cithararum* sonus est *modulatio peculiaris*, quà tales morbi radicitùs pelluntur, & undequaque exulent. *Ergo vis sanus fieri?* relatæ citharæ, cantus, musica resonent.

Humilitas Christi fuit cithara nos sanans; Christus in Cruce fuit cithara sonans, & nos sanans; cithara, qua David placabat iram Saulis, fuit typus Christi, extentis chordis, pendentis in Cruce, cujus citharæ sonus nos sanavit, ideò exclamante *Augustino* (de Verbis Domini) pro *Humilitate medicinà*: O medicinam *omnibus consulentem*, *omnia tumentia comprimentem*, *omnia tabescentia reficientem*, *omnia superflua resecantem*, *omnia depravata corrigentem*. *Quæ superbia sanari potest*, *si humilitate filii Dei non sanatur?* *Quæ avaritia sanari potest*, *si paupertate filii Dei non sanatur?* *Quæ IRA sanari potest*, *si patientia filii Dei non sanatur?* Ergo ad exemplum Christi sonet nostræ cithara animæ, & *humilis cithara nostra* suavi melodià per virtutem citharæ Christi ab omni morbo, & ab irà sanabit.

Maneat ergo Medicina *physica* contra physicum morbum *immodicæ iræ*, edocta à nostro primario Academico Medico LVCA TOZZI, symbolum Medicinæ *moralis* contrà ægritudinem iræ, ut etiàm est morbus moralis.

FVGIAS CONVICTVM cum IRACVNDO. Vbi de ARTE morali placandi *IRATVM*, *cujus artis est* symbolum praxis physica *MEDICA in CANICVLA*, *docens*, tùnc *non adhibendam MEDICINAM*.

IN sacrà Proverbiali Morali Philosophià cap. 8. v. 14. legimus: *Impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Ideò Chrysostomus *Homil.* 4. super *Math.* Tomo 2. ajebat: *Ira quædam bestia est*; *nullus enìm LEO*, *nulla sèc vipera viscera queunt laniare*, ut *hominis iracundia*. Et Homil. 47. super Joann. Tomo 3. addit: *Ira* est *FERA vehemens*, *& furibunda*, *& vir*

ira-

iratus immodestus est. Dilaniat iratus se ipsum ut *fera*, ergo quid cum aliis, contrà quos iratscitur ? Ideò idem Chrysostomus (Homil. 6. super Acta Apostol. Tomo 3.) adjungit: *Melius est cohabitare bestiæ, quàm homini iracundo; nàm illa, si semèl cicuretur, servat suam legem; ille autem quoties placaveris, iterùm exasperatur.* Basilius magnus (Homil. 10. de *ira*, Tomo 1.) dolet: *Quando semèl iræ perturbatio, mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit, hominem penitùs in feram convertit.* Et S. Bernardus (serm. 13. super *qui habitat*) confirmat: *Ira immanis est bestia, flatu igneo; quicquid attigerit, necat.* Et quidem *iram* dixeris *canem*, cœcos parientem catulos; dicas *fumum* mordicantem oculos, non sinentem videre; dicas *torrentem*, quæque obvia rapientem; dicas *pestilentiam*, etiam corpus validum dejicientem; dicas *vespam* irritatam, non tantùm homines, sed saxa impingentem; ergo divinè Salomon, *impetum concitati ferre quis poterit?* Et in Proverb. cap. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.*

Sed conversatio cùm *fœminà iracundà* eò maximè est cavenda, dicente Ecclesiastico, cap. 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Ira mulieris est venenum canis Cerberi tri faucis; testor Circem, Medeam, Clitemnestram, & alias.

At si contingat tractare cum *irato*, quæ ars placandi? habes in Proverbiis cap 5. *Responsio mollis frangit iram.* Ira enim, & contentio magis solvitur blandis verbis, & benignitate, quàm repugnantiâ. *Iram* si dicas *adamantem*, adamantis durities non durâ incude rumpitur, sed molli sanguine hircino solvitur. Lucernæ copioso oleo magis inflammantur; ita si irato addas oleum responsionis duræ, magis accenditur. Ros mitigat tempus calidum; & responsio dulcis est ros, mitigans calorem irati. Non extinguitur ignis igne, sed aquâ, nec extinguitur ignis iræ igne iræ, sed patientiæ aquâ. Ignis iræ ardentiùs flagrat, si ventiletur aquilone responsionis acerbæ. Ideò ajebat Pythagoras, *ignem gladio ne fodito*; id est ignis iræ non est excitandus; & quid si iracundum irritas? *octipedem excitas*, nempè scorpium, quem non nisi tuo periculo suscitas; *irritas sues aggrestes, irritas crabrones*; fuerunt *adagia* contrà eos, qui cum sui periculo, vel provocando, vel acritèr respondendo, irritant iracundos. Ergo non sunt provocandi; & si eos contingat irasci, lenitate mansuetæ responsionis, & blandæ satisfactionis, est placandum incendium iræ. Hùc Ovidius lib. 1 de *Remed.*

Dum furor *in cursu est, currenti cede* furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Mollificat diram responsum mollius iram,
Insipiens totum festinat fundere flatum.

Vel *tace*, nam prudens Medicus medicinam non adhibet in furore *caniculæ*; finit, furentem ardorem abire, & posteà medicinam adhibet; sic tu furenti nihil respondeas, si non interroget; sinas transire furoris iræ canicularn, & posteà lenitèr redde rationem; *iræ* enim symbolum est stella Canicula, quia sicut hujus effectus est ferventissimus, ita effectus iræ, & accendit sanguinem circà cor. Item (ut ait Albumasar) Canicula oritur in gradu XIX. Cancri, in cujus ortu fit magna turbatio in aere; sic oriente irà, fit magna turbatio in homine. Ab ortu *caniculæ* dicuntur dies *caniculares*, in quibus sanguinem minuere, vel *medicinam* accipere est valdè periculosum, Hippocrate etiam in *Aphor* dicente, quòd ante *Canem*, & post *Canem*, & sub *Cane* molestæ sunt *purgationes*, & *pharmaciæ*; & ibi dicitur *in commento*, quòd *antè ortum*, & in *ortu*, & post *ortum* illius stellæ *caniculæ*, statim dare *potionem* sanativam *periculosum* est, *quià* tùnc *aer* est *calidus*, & *siccus*,

sci-

scilicèt à *calido signo*, & à *calidâ stellâ*, nempè *Sole*, & *Leone* cum *Caniculâ* existente; unde *ex modicâ medicinâ sumptâ* corpus fieret nimìs *calidum*, & *siccum*, & *febris* forsitàn sequeretur. *Medicina* etiam eo tempore sumpta *evaporaret*, & nimìs operaretur, *quià* pori corporis tùnc ex calore aeris sunt *aperti*. Dicit etiàm Galenus ibi in *Aphor.* quòd calor *exstraneus* vires extrahit *medicinæ*, unde aqua calida repugnat solutioni, sed *calor aeris* tùnc est *fortis*, & propterèà virtus *interior* tùnc est *debilior*, & per potionem, vel minutionem plùs *debilitatur*. Sicùt ergo sub fervore *Caniculæ* exhibenda non est potio *medicinæ*, sìc etiam in fervore iræ exhibenda *non* est *correptio disciplinæ*, quià nec à *furioso correptore* modestè, & ordinatè *corrigitur*, nec *ab irato peccatore* patientèr, vel utilitèr sumitur, ideòque Jacobus Epist. 1. *Ira viri justitiam Dei non operatur*.

Agricola, ut arborem secet, expectat deficientem Lunam, & tu ut iratum corrigas, expecta defectum furoris; non enìm in fervore passionis iræ recipit medicinam animus. Quando fluvius tumet, & furit rapidus, repagula intendere, est vanum. Aquam turbidam sedari finis, ut sit clara. Remedia ad placandam alterius *iram* sunt etiàm illa, à pag. 1014. subscripta ad placandum odium.

De *MANSUETUDINE*, *cujus symbola AGNUS*, *& OVIS*.

AVgustinus Tractatu 33. in Joannem, Tomo 9. scribit: *Christus attulit VERITATEM* ut *doctor*, *MANSUETUDINEM ut liberator*, *JUSTITIAM ut cognitor*. *Cum loquebatur*, *VERITAS manifestabatur*; *cum adversùs inimicos non moveretur*, *MANSUETUDO laudabatur*. Et (in Expositione Epistolæ ad Galatas cap. 5. Tomo 4.) addit: *Primum*, *& magnum munus est spiritus humilitas*, *& mansuetudo*. Loquitur in his de *mansuetudine* ut est *virtus*, & passio moraliter bona.

At pag. 885. dictum, quòd *mansuetudo* est *passio* appetitus sensitivi, quæ ex se est indifferens, & potest esse moralitèr *bona*, vel moralitèr *mala*. Non enìm *mansuetudo* statìm, & ex terminis ac *mansuetudo* est *moraliter bona*, nisi sit *juxtà rectam rationem*, & mansuetudo ex terminis *mansuetudinis* etiàm reperitur in brutis, agnellis, & ovibus sine bonitate *morali*, sed nec in illis est moralitèr *mala*.

Mansuetudo passio opposita *iræ* definitur: *Est motus animi*, *quo retrahimur à vindictâ ob malum nobis illatum*. At hæc potest esse modica, & immodica; est modica, & virtuosa, quando *recta ratio* dictat, abstinendum ab *irâ*; est immodica, & vitiosa, quando abstinet ab irâ, cum *ratio recta* irascendum (nempe contrà vitia) dictat; ut enìm dictum ex SS. Patribus pag. 1098. oportet, irasci contrà crimina, & irâ sanctâ; itaque mansuetudo virtus consistit in medio inter passionem iræ, & inter mansuetudinem nimiam. *Nihil* mansuetudinis feritas, & sævitia est, *nimìs* mansuetudinis est vitium, quia cum non puniuntur scelera, nec reprehenduntur, licencia peccandi expeditur. *Nimia* mansuetudo ad fatuitatem declinat; *nihil* mansuetudinis ad feritatam præcipitat. Mansuetudo cum oportet, & quo fine honesto oportet, tunc est virtus; sicut *ira* est virtus, quando est *ira* cum oportet, & quomodo, & quo fine sancto, & juxtà *rectam rationem* (nempè cum est contrà vitia) oportet; quare ex Chrysostomo lego: *Qui cum causà non irascitur*, *peccat*. *Aliquem percutere*, *absolutè non est atrocitatis*, *nec alicui parcere*, *est* (absolutè) *mansuetudinis*; *sed interdùm vitii utrumque erit*, *si intempestivè*; *interdùm virtutis*, *si opportunè adhibeatur*.

CAUSÆ mansuetudinis virtutis sunt considerare, dicta pro moderatione iræ, & plùs sibi mali inferre, qui injuriat, quàm ille, contra quem fit injuria: humiliter sentire de se, reflectere turpitudinem iræ, & imitandam mansuetudinem Christi, dicentis, *Discite à me, quià mitis sum, & humilis corde*, & quòd EFFECTVS est vita tranquilla.

Causa *mansuetudinis vitii*, vel est fatuitas, vel mala conscientia, ex qua non irascitur contrà vitia, & quando recta ratio irascendum dictat. Si enìm quis sit inobediens superiori, violator justitiæ, pestis Reipublicæ, publicus inhonorator, & contemptor Dei, veræ religionis hostis, cur ex zelo virtutis, & Religionis, non sit moderanda *mansuetudo*, ut irà sanctà à superiore puniatur iniquus? cur *mansuetudo* Religionem lædat? cur impediat justitiam? si talis sit, non erit *mansuetudo virtus*.

CAPUT XXX.

Et ULTIMUM hujus tertiæ *PORTICUS*,

De *sex PASSIONIBUS* minùs principalibus.

PRæter *duodecim PASSIONES* principales *SEX* (ut communitèr explicatur) *appetitus sensitivi concupiscibilis* AMOREM, ODIVM, DESIDERIVM, ABOMINATIONEM, GAVDIVM, TRISTITIAM, & SEX *appetitus sensitivi irascibilis* SPEM, DESPERATIONEM, TIMOREM, AVDACIAM, IRAM, MANSVETVDINEM, ex quibus, *Spes*, *Gaudium*, *Timor*, & *Tristitia* sunt omnium (ut pag. 889. et pag. 897 dictum) *principalissimæ maximè*, & reliquæ *octo* annexæ; præter, inquam, relatas 12. *principales PASSIONES*, numerantur aliæ SEX *minùs principales*, nempè *ZELVS*, *GRATIA*, *MISERICORDIA*, *VERECVNDIA*, *INVIDIA*, *NEMESIS*, & ità numerantur ab Aristotele 2. *Rth. à cap.* 6. ad 11. & maximè *cap.* 10.

Ostendimus à pag. 885. has sex etiàm verè recensèri, & esse appetitus sensitivi *passiones*; ex quibus ZELVS, & GRATIA, sivè BENEFICENTIA, aut LIBERALITAS (ut sunt *passiones sensitivæ*, sivè ut sunt *sensitiva passio*, una enìm, & *eadem passio sensitiva* sunt hæ tres, diversis vocibus explicata) reducuntur ad passionem *sensitivam* AMORIS, ut minus principales ad principalem; & quidè ità, nam *zelus* sensitivus ex amore sensitivo est, sicut & gratia, sive liberalitas, & beneficentia ergà hos potiùs, quàm illos ex propensione sensus, ab amore sensitivo manat. VERECVNDIA sensitiva passio reducitur ad *timoris sensitivi* passionem, quia & ipsa *verecundia* (ut infrà videbis) timor est, quo quis verecundatur, quià timet amittere honorem, & similia. *Misericordia*, *invidia*, & *nemesis* passiones *sensitivæ* reducuntur ad tristitiam; nam *misericordia* sensitiva passio est *contristatio* de malo alterius; *Invidia* est *contristatio* de bono alterius; *Nemesis* est *contristatio*, qua quis contristatur de bonis alterius, quia judicat, illum indignè prosperari bonis. Ergo postquam actum est de passionibus 12. sensitivis principalibus, istæ *sex* passiones *sensitivæ* minùs principales nos accersunt. De quibus, & singulis brevitèr, quià pro moderatione earum satìs ex dictis eruas.

Zelus definitur: *Est amor intensus rerum corporalium, non patiens consortium in re amatâ*. Nascitur ex *amore*, dicente Augustino (contrà Academicos cap. 3. Tomo 6.) *Qui non zelat, non amat*. Est passio ista sensitiva talis, ut in brutis reperiatur, ut in pag. 886. ostendimus de *cane*, & *leone*. Et lib. 1. Confess. cap. 7. Tomo 1. etiàm in infantibus, qui adhùc usu rationis carent, hanc passionem *zeli sensitivi*, sivè Zelotypiæ cognitam narrat, dicens: *Vidi Zelantem parvulum; non dùm loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum*.

ZELUS ex se est indifferens, ut sit moralitèr *bonus*, & moralitèr *malus*, dicente Augustino (lib. 20. de Civitate Dei cap. 12 Tomo 5.) *Zelus in bono, & in malo dicitur*. *Sicut enìm zelus in bono positus est, ubi legimus*, zelus domus tuæ comedit me; *ità è contrario in malo, ubi dicitur*, Zelus occupavit plebem ineruditam, &c.

At *zelus* ille in *bono*, de quo loquitur S.P. Augustinus ubi suprà, est *zelus spiritualis*, & de *bono intelligibili*, sivè spirituali, nempè de virtute, & de honore, & glorià Dei. De quo idem S.Pater Tractatu 10. in Joan. Tomo 9. agit, & post alia dicit: *Vides*, fratrem tuum currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si ZELVS DOMVS DEI comedit te. Vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquàm decet, prohibe, quos potes; tene, quos potes; terre, quos potes; blandire, quibus potes; noli quiescere. Tamen si amicus est, admoneatur *leniter*. VXOR est? *severissimè* refrænetur. ANCILLA est? etiàm *verberibus* compescatur; fac, quicquid potest pro personà, quam portas; & perficit, ZELVS DOMVS TVÆ COMEDIT ME. Hæc Augustus Doctor. Reliqua vide in eodem S.P. Augustino ibi. Hujus zeli symbolum est homo veste Sacerdotali indutus, in dextrà tenens *virgam correctionis*, in sinistrà *lucernam accensam*; hæc innuit doctrinam, ut illuminet, & doceat; virga innuit correctionem, quando oporteat.

At præter zelum *spiritualem*, & de bono intelligibili, datur *zelus* passio sensitiva, & de bono sensibili, & de quo in hoc Tractatu de *passionibus animi sensitivis* agere est. De utroque *zelo* loquens Cardinalis Doctor noster B. Ægidius Romanus Columna (3. p. lib. 1. de Regim. Princ.) docet, quòd *Zelus* reducitur ad *amorem*, quià *zelus* nihil aliud est, quàm quidam *amor intensus*. Ea autem, quæ *intensè* diligimus, vel sunt *corporalia*, vel *spiritualia*. Si sunt *corporalia*, quià talia cum habentur ab uno, non habentur ab alio, ideò *zelus* (& hic est passio sensitiva) respectu horum bonorum corporalium, sivè sensibilium, consuevit definiri: *Est amor intensus, non patiens consortium in re amatâ*; & de *zelo* in hoc sensu dictum, *amare, & regnare non admittunt consortium*. Indè ergo inolevit, quòd aliqui dicantur *Zelotypi* de persona aliquà, si noluerint in eà habere aliquod consortium, id est, quòd alia persona participet. Sunt bona corporalia, quæ possunt à pluribus possideri, v.g. videre *lucem*, & de his non est *zelus*. Sunt itèm bona *corporalia*, quæ cum habentur ab uno, nequeunt ab altero possideri, & in his *amor zelat*, & non patitur consortium alterius. At *spiritualia* bona, ut *virtutes*, & *Deus*, quia possunt à pluribus possideri, *amor* horum patitur consortium plurium, & in his non solùm amor spiritualis non zelat tristis, & amarus, nec contristatur, si alii habeant consortium, sed potiùs zelat, ut habeant; & ex zelo amoris contristatur, si consortium non habeant; & si alter habeat bona ista spiritualia, & honorabilia, & ipse non habeat, contristatur, non quià hebet alter, sed quià non habet etiam ipse;

at iſte *zelus* eſt laudabilis; ideò Paulus, *Æmulamini charisma meliora.*

Ille *Zelus ſenſitivus* circà bonum ſenſibile, quòd ab uno poſſidetur, eſt corrigendus per *rectam rationem*, ſicut & *amor* ſenſibilium; nam ità nimìs amare bona ſenſibilia, quæ poſſidemus, & ita *zelare*, ne alter habeat honeſtum conſortium, quod non ſit contrà rectam rationem, eſt *zelus* (ſicut & amor) *privatus*, in quo zelans ſibi ſoli conſulit, & non proximo, quare eſt *zelus* vituperabilis, & reprehenſibilis. Itaque nihil amare, & zelare, ſive curare bona ſenſibilia propria eſſet vitium per defectum; zelare *nimìs*, & nulli communicare, nec mutuare, nec pati etiam honeſtum, & rationale, quòd pro convictu humano recta ratio dictet, conſortium, eſt vitium per exceſſum; medium in quo conſiſtit virtus, eſt zelare zelanda, & debito modo. Verbi gratià, cur ità ames, & zeles bona vineæ tuæ, ne fructum aliquem cõmunices alteri? cur ità ames, & zeles equm, ne, quando oporteat, mutues alteri? cur ità ames, & zeles ſuppellectilia domeſtica, ne mutues vicino, & conſortem in uſu prorsùs rejicias? homo ſit homini, & bona ſenſibilia noſtra ſint (ut recta ratio dictet, & quando dictet) communia.

Sicùt autem eſt moderandus *Amor paſſio ſenſitiva*, ne declinet in turpitudinem carnalem, ità & eſt moderandus *Zelus* paſſio ſenſitiva, ne ſit de re carnali, turpi, & illicitè venereà; quare extrà conjugium ſicùt eſt vituperabilis, & vitioſus *amor impurus*, ità *Zelus* ſenſitivus, ſivè zelotypia Græcè, latinè *æmulatio*, vituperabilis & reprehenſibilis eſt.

Intrà conjugium *zelus ſenſitivus* eſt moderandus, ne declinet *in exceſſum*; contingit enim multotiès uxores benè, & virtuosè vivere, & tamen viri *nimìs* zelotypi eas increpant, quod eſt vitioſum, & reprehenſibile; & ex tali *nimià* zelotypià derivantur *tria* mala. *Primò*, ipſi viri turbantur, & cruciantur, quià dura ſicùt *infernus æmulatio*, & ſunt in continuà ſuſpicione, & hìnc in continuà cordis anxietate, & torturà, & cum una cura impediat aliam, hìnc ex curà nimià, quam zelotypia nimia cauſat, ut ſemper invigilent, & obſervent uxoris motus, geſtus, veſtigia, retrahuntur à curis rei familiaris, & civilibus operibus, neceſſariis domui, & hìnc ruina domus.

Secundò, quià *uxores*, videntes maritos zelotypos *nimìs*, incitantur *ad malum*, quià privatio eſt cauſa appetitus; & illa nimia cautio, qua viri uxores zelant, & privant, parit, quòd ipſis ſpecies adulterii occurrant, & quò magis nimìs privatæ, & reſtrictæ, etiam exaſperatæ, & quaſi deſperatæ, adulterium reſolvant, vel in illud inclinent. *Tertiò* ubi inter virum, & uxorem eſt *nimia Zelotypia*, ibi jurgia, & litigia, rixæ, contentiones, pax nulla, unde ſolet declinare amor in *odii* extrema.

Zeli ſenſitivi, ſive (ut communiter dicitur) *Zelotypiæ* inter conjuges eſt ſymbolum. *Cepe marinum*; & quidèm *Primò*, quià ſicut tale *cepe*, ſi inveniatur ſolum, eſt mortiferum, & venenoſum, ità *Zelus ſenſitivus*, ſive *Zelotypia* ſine *timore Dei*, & *charitate*, & ſine *prudentià* moderantibus, generat perturbationes animi mortiferas, & venenoſas. *Secundò*, reprimitur malitia, quæ eſt in cepe marino, ſi in *vino*, & *oleo* aliquantulum dimittatur; *vinum* eſt ſymbolum charitatis, *oleum* pacis, & manſuetudinis, prudentiæ, & clementiæ eſt ſymbolum; quare ſi *zelus*, ſive zelotypia *charitate*, *manſuetudine*, *clementià*, *prudentià* temperetur, *ſalutaris* eſt. *Tertiò*: *Cepe marinum* proficit, ſi *interiora* quià nimìs *calida*, & *exteriora* quià nimìs *ficca* abjiciantur; sìc *zelus ſenſitivus conjugalis* proficit, ſi abjiciatur, quòd eſt vitioſum *interiùs*, nempe *amor carnalis inordinatus*, ſive *nimius*, & etiam abjiciatur, quod eſt vitioſum *exteriùs*, nempè indiſcreta cuſtodia uxoris, obſervatio, & reſtrictio *nimia*.

Ita-

Itaque prorsùs nihil *zelare* uxorem est vitium per *defectum*, & expedire illi libertatem adulterii, & nihil curare de custodiâ castitatis conjugalis, cum tamen vir ut caput mulieris debeat attendere, & curare de uxoris spirituali, & corporeâ incolumitate; at *nimìs zelare* est vitium per *excessum*, & multorum malorum parens; medium, in quo consistit virtus, à rectâ prudentiâ est imperandum, & à conjugatis servandum.

GRATIA.

Gratia passio sensitiva est *motus animi, per quem inclinatur aliquis ad beneficia conferendum*, & nascitur ex *amore*, quo quis eum, cui benefacit, diligit; & experimur, ex amore sensitivo potiùs conferri beneficia his, quàm illis; quomodo hæc passio sit corrigenda, dicetur, quando in *quintà Porticu* agamus de liberalitate.

VERECVNDIA, cujus symbolum color ROSEVS, *ROSA, & AVRORA.*

Verecundia passio *sensitiva* definitur, Est *timor inhonorationis*, vel *inglorificationis*. Sunt enìm duo genera malorum, una *corruptiva*, quæ nocent incolumitati corporis, & vitæ, alia *inhonorativa*, *& turpia*, *& infamantia*, & lædentia *honorem*; qui expavescit illa, dicitur *timidus*, & tùnc effectus est color *pallidus*; qui expavescit turpia, & inhonorativa mala, dicitur *verecundus*, & tùnc effectus est color *roseus*, quià in illo timore sanguis retrocedit ad interiora, & sìc exteriora redduntur *pallida*, in isto sanguis redundat in exteriora, & sìc vultus redditur *roseus*, ideò iste color est symbolum *verecundiæ*, & Diogenes cuidam adolescenti ante ipsum rubescenti dixit: *Confide*, fili; *iste est color modestiæ*; unde ROSA, & AVRORA rubescens sunt verecundiæ symbola. Qui credit, se amittere vitam, vel corporis incolumitatem, quæ sunt bona sibi intrinseca, *timet*; qui concipit, se amittere honorem, & bonam famam, quæ sunt bona exteriora, *verecundatur*.

Ideò Aristoteles lib. 4. *Ethic.* definit *verecundiam* sic: *Est timor negligentionis, vel dedecoris*. Est lib. 2. Reth. definit: *Verecundia est dolor quidam, aut perturbatio animi ex malis, aut præsentibus, aut futuris, quæ* infamiam *inferunt, proveniens*. Dicta est *verecundia à vereor*, id est, *timeo*. S. P. Augustinus (Epist. 52. Tomo 2.) definit: *Nihil est verecundia, nisi quidam displicendi metus*.

D. Thomas definit (2. 2. q. 116. art. 2.) sic: Verecundia est *timor turpitudinis exprobrabilis*, & principalitèr respicit vituperium, sed respicit culpam consequentèr; & hoc *duplicitèr*, scilicèt *cessando*, *& celando*, sivè *abscondendo*, ideò dicente Augustino (de peccato originali cap. 36. Tomo 7.) sic: *Nisi præisset facinus in homine, quod inobedientia est ausa committere*, non sequeretur dedecus, quud verecundia vellet abscondere.

Sìc verecundia *passio*; at verecundià *virtus* primò, & *principalitèr* verecundatur de *culpà*, & indè de *vituperio*, quatenùs infamatus nulla proximo ædificatio est. Si enìm verecundia *solùm* sit, quia imminet proprium, & personale vituperium, tùnc derivatur ex amore inordinato proprio, & nimio, quo qui verecundatur, amat se ut ultimum finem, & sine subordinatione rectà ad Deum; quare verecundatur ultimò *propter se*, & non propter fœditatem culpæ, nec *propter gloriam Dei*, *& utilitatem proximi*, & ejusmodi verecundia vitiosa est, & corrigenda *à rectâ ratione*.

Ve-

Verecundia tamen etiam propter *timorem vituperii* ancillatur, ne committatur culpa, quæ est causa vituperii, & retrahit ab habitu vitioso, & proximior est verecundiæ *virtuti*, qui verecundatur de *vituperio* effectu *culpæ*, quàm insolens, & petulans, qui non verecundatur nec de *vituperio*. Hùc Amb. lib. 1. de Offic. *In adolescentibus præsertìm commendatur pudor*, qui dùm à crimine per RVBOREM *prohibentur*, ad VIRTUTEM *incitantur*.

Est & corrigenda *verecundia passio*, ut sit de verecundandis, & non de non verecundãdis; nempè ut sit verecundia de *malo morali*, id est, de culpà; non autem sit verecundia de *bono morali*; nam si erubescas repugnans reprehensionem justam, si erubescas lavare pauperum pedes, exercere officia humilitatis, servire infirmis, vel in xenodochio, vel domi; si erubescas, consolari plebeum afflictum; si erubescas obedire superiori, & similia, hæc *verecundia* est *vitiosa*; ergo medium, in quo consistit *virtus*, & in quo est collocanda, & moderanda *passio verecundiæ*, est ut verecundus verecundetur de verecundandis, & non verecundetur de non verecundandis; item verecundetur de verecundandis, quomodo, quando, & quo fine sancto oportet; nec verecundia sit de re *levi*, & nullius momenti, signum animi demissi, & abjecti. Verecundari de omnibus *stupiditas*, de nullo *inverecundia*.

De verecundià *virtute* Ambrosius lib. 2. Offic. ait: „ Est verecundia „ pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est Nonne hæc „ prætulit publicanum, & commendavit eum, qui nec audebat oculos suos „ ad Cœlum elevare? Pulchra est Verecundia, & suavis gratia, quæ non „ solùm in factis, sed etiam in ipsis expectatur sermonibus, ne modum pro„ grediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus; speculum „ enìm mentis plerumque in verbis fulget, ipsum vocis librat modestia, ne „ cujusquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere „ prima disciplina VERECVNDIA.

Et idem Ambrosius (*de morte Abel*) ait: „ Erubescere debemus, & „ condemnare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa minui„ tur, defensione cumulatur.

S. P. Augustinus (in Psalmo 68.) coronat: „ Verecundia est, quæ fa„ cit ingenuam frontem, etiàm de falsi criminis objectione erubescere.

De VERECVNDIA primorum parentum post peccatum vide Augustum Doctorem lib. 14. de Civitate Dei, cap. 17. per totum, Tomo 5. item de Genesi ad literam libro 11. cap. 1. Tomo 3.

MISERICORDIA symbolicè per VULTVREM, PELLICANUM, per AROMATA, ARBOREM Abrahami. Ex Poeticà per MERCURIUM, & HERCULEM, succurrentes afflictis.

MISERICORDIA *hominis* (inquit Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, q. 2. Tomo 4.) *habet nonnullam cordis* MISERIAM, *unde etiàm in Latinà linguà nomen accepit.* Et contrà Adamantius cap. 11. Tomo 6. addit: *Ex eo appellatam* MISERICORDIAM *dicunt, quòd* MISERUM *cor faciat dolentis alienà* MISERIA. Et de Moribus Ecclesiæ, cap. 27. Tomo 1. sic: MISERICORDIA *ex eo appellata est, quòd* MISERUM *cor faciat dolentis alieno malo.*

Vnde patet definitio *Misericordiæ*; definitur sic: *Est ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem.* Consonat Damascenus lib. 2. cap 24. Misericordia est *ægritudo ex tristitia in alienis malis*; maximèque misere-

tur

tur quis, si videat, alium *injustè* pati, & hùc respectans Cicero (lib. Tusc. quæst.) definit : Misericordia est *ægritudo ex tristitiâ alterius, injuriâ laborantis*. Quare S.P.Augustinus (& D.Thomas 1.p.q.21. art 3.) definit in formâ sic : *Misericordia est alienæ miseriæ in corde nostro compassio; qua utique si possumus subvenire, compellimur.*

Miserabilis differt à *misero* ; quòd *miser* est in *miseriâ* constitutus, *miserabilis* verò *miseratione* dignus . A verbo antiquo *misero* fit *misereſco*, id est, *moveor misericordiâ*, & à *misereor* etiàm venit *commiseratio*, quæ est cum *vel* aspectu alterius, *vel* oratione, *vel* etiam cogitatione adducimur, ut ejus misereamur.

Misericordiæ symbolum VULTUR, femora propria suo rostro proscindens ; detinetur enìm diebus 120. in educatione filiorum ; uni illi curæ intenta non provolat longiùs, ne pullos deserat, & solùm convenatur, quæ sint obvia de propinquo ; si autem alimento pro filiis careat, rostro femora pungit, & ferit, ut sanguinem exugant patientes, & miseri filii, ne fame pereant. Id etiam dicitur de PELLICANO. At GENV fuit symbolum petentis *misericordiam*, quiâ eam petentes genua flectunt.

Misericordia *passio sensitiva* est corrigẽda, ne declinet *in excessum*; nam de nullà miseriâ aliorum *tristari* est vitium per *defectum*, crudelitas; at tristari, & misereré *nimìs*, adeò ut hìnc vel iniquus non puniatur, vel vitioso luccurras ad exercicia iniquitatum, est vitium per *excessum*, mollities muliebris, ideò dicente Augustino in Psalmo 32. conc. 1. Tomo 8. sìc : *Favere pauperi injusto propter misericordiam, est injustum judicium.*

Certè in hac vità miseriæ opus est *misericordiâ*, dicente Augustino in Psalmo 56. *Non opus est misericordiâ sursùm, ubi nullus est miser* ; nam ut addit (contrà Julianum lib. 1. operis imperf. num. 38. Tomo 7.) *Non opus est misericordiâ, ubi nulla est miseria*. Cum ergò in paradiso nulla sit *miseria*, ibi non est opus misericordiâ, sed in hac lachrymarum valle, ubi abundant *miseriæ*, oportet, quòd sint *misericordiæ* ; at juxtà *rectam rationem*, ne misericordia faveat impio, & promoveat iniquitatem, ne foveat vitium, ne impediat justitiam ; ideò dicente Augustino (Serm. 203. de Tempore, Tomo 10.) sìc : *In Judice* MISERICORDIA, & DISCIPLINA debet esse, *quia una sine altera esse non potest*. Et in Psalmo 143. Tomo 8. dixerat. *Non tollit misericordia justitiam, nec justitia misericordiam*. Judex judicet cum *misericordiâ*, sed adeò, nè misericordia obstet *justitiæ*, ideò dicente Augustino (Epist. 29. Tomo 2.) *Ineſt Deo, & misericordia judicanti, & judicium miseranti*. Ergo Misericors sis, quando oportet, & quomodo, & quo fine, & cum quibus oportet ; dà locum *justitiæ*, quando oportet, & quomodo oportet, & cum quibus, & quo fine oportet.

Mansuetudo, Mitis, & Clementia, & Misericordia ità se habent, quòd *mansuetudo* est *motus animi*, *quo retrahimur à vindictâ*, & inter *mitem, & mansuetum* est discrimen, quòd *mitis* dicitur à *mitigo* ; is autem dicitur *mitis*, qui *semper fuit* sine *irâ*, antevertente *rationem*, pius, & humilis, unde Jesus : *Discite à me, quià* mitis *sum*, & humilis *corde*. At *mansuetus* dicitur, qui de *feritate* reducitur ad mansuetudinem, ut ait D. Thomas super Psalmum 24. co. 6.

Clementia est *lenitas superioris versùs inferiorem in constituendis pœnis* ; vel est *Temperantia in constituendis pœnis* ; vel ut ait D.Thomas 2. 2. q. 157. est Clementia *virtus moderativa pœnarum secundùm legem.*

Misericordia potest esse cujuslibet ad alium, qui videatur dolens, & patiens ; maximè si concipiatur, quòd patitur injustè.

Et præter *vulturem, & pellicanum* symbola *Misericordiæ*, adsunt *sym-*

bo-

bola in noſtris ſacris chartis (apud Geneſim cap. 18. A.) *arbor*, ſub qua Abraham fecit, hoſpites requieſcere, quæ ſignificat *miſericordiæ* opera; & (apud librum 3. Regum cap. 10. B. & Eſter cap. 2. C.) *aromata* deſignant opera *bona*, præcipuè *miſericordiæ*.

Ex Philoſophiâ Morali Poeticâ, Mercurius ſolvens Prometheum ligatum catenis ad Caucaſi rupem, ad opera *miſericordiæ* conſpirat; quòdque Hercules *Alceſtim* Admeti regis conjugem ab inferis ad vitam reduxerit, & *aquilam*, quæ Promethei in Caucaſo religati perpetuò renaſcens cor exedebat, ſagittis trajecerit, & quòd Hercules adjuvaſſet Theſeum in rapiendâ Proſerpinâ ab inferis, cum nomine Herculis à Poetis intellecta ſit *virtus*, & relata geſta innuant liberationem *patientium*, figmenta fuerunt, quæ ad opera virtutis *Miſericordiæ* reſpectant.

INVIDIA vitioſa per varia SYMBOLA. Ex Poeticâ *per EURISTHEUM, FURIAS, HYDRAM, & HARPIAS. CAUSA, MATER* invidiæ, *EFFECTUS, ACTUS, FILII, FILIÆ* invidiæ. *REMEDIA* moralia *contrà* talem *MORBUM.*

INvidia ex conſuetudine jam ſtatìm ac auditur intelligitur de *invidiâ vitiosâ*, cum tamen ſit *paſſio* ſenſitiva, ideò ex ſe indifferens in bonum, & malum, attento etiàm rigore Ethimologiæ, de quo latè dictum à pag. 1887. uſque ad pag. 888. vide ibi.

Invidia, ut eſt paſſio *vitioſa*, definitur à S. P. Auguſtino in Pſalmo 104. ſic: Invidia eſt *odium felicitatis alienæ*, & lib. 15. de Civit. Dei, cap. 7. *Invidia* eſt *triſtitia de alterius bonitate*; quare & in hoc innuit *CAUSAM* invidiæ, nempè *felicitatem alienam*; ſed CAVSA radicalis eſt *ſuperbia*, dicente Auguſtino (de Catechiſ. rud. cap. 11. Tomo 4.) MATER *invidentiæ ſuperbia eſt*; & illius *EFFECTUS* declarat in ſermone 83. de Tempore, Tomo 10. dicens: *Sicut ærugo ferrum, ità* INVIDIA *illam ipſam animam, in qua eſt, interimit, & conſumit*. Et contrà Secundinum cap. 10. Tomo 6. ait: *Invidus, ut alium lædat, ſibi prior tormentum eſt*. Et contrà Julianum lib. 6. cap. 7. addit: Eſt PECCATUM DIABOLICVM *invidia*, & POENA *peccati*, quià protinùs ipſum, *de quo oritur, vexat auctorem*. Sunt & invidiæ ACTVS, ut FILII, *Primò*, triſtari, & indignari de bono alterius. *Secundò*, lætari de malo alterius. *Tertiò*, bona laudabilia aliorum ſilentio tegere. *Quartò*, manifeſtam aliorum virtutem calumniare. *Quintò*, aliorum bona opera impedire. FILIÆ invidiæ *quinque*, nempe *odioſitas*, ſive odium, *ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis, afflictio in proſperis*. Vitium capitale eſt.

Hìnc invidiæ ſymbolum *aſpis*, cujus venenoſo ictui arduum eſt remedium, unam aurem infigit terræ, aliam caudæ immiſſione obturat, animal peſtilens, ſymbolum *invidi*, qui nec audire poteſt felicitatem alienam. Apud Leviticum (cap. 11. C.) *ibides* aves, quæ paſcuntur ſerpentibus, *invidos* deſignare poſſunt, qui paſcuntur livore, & calumniis; illæ reputatæ ſunt ibi inter aves immundas, & deſignat, quòd *invidos odit Deus*. Apud *Cantica* cap. 8. B. *lampades ignis* deſignant *invidiam, & perverſam æmulationem*; quià ſicùt lampades ardendo ſe conſumunt, & extinguntur, ità invidus igne invidiæ ardens ſe conſumit, & extinguit; & ſicut lampas nutritur detrimendo alieno, nempe conſumendo oleum, ita invidus deſideriis detrimenti alieni, & malis alienis paſcitur.

Invidos dicas *canes*, quià rabidè latrant contrà felices, quos ut extra-

neos

neos odio habent; dicas *ſerpentes*, quia ſicùt hi exurgunt vigoroſi contrà ſphæram Solis, ità invidi contrà ſoles doctrinà, virtute, & proſperitate micantes. Dicas eos *viperas*, quia ſi harum viſcera rumpunt proprii fœtus; ità invidum rodit, torquet, & occidit invidia filia. Dicas eos *terram*, quæ interpoſita inter Solem, & Lunam, cauſat Lunæ ecclipſim, & impedit claritatem Lunæ; ſic invidi ſplendores felicis, ſe interponendo, machinantur extinguere.

Invidum dicas *plumbum*, quià more hujus pravis, & noxiis qualitatibus eſt, & animo eſt niger, & obtuſus, ut ideò invido lemma, quod plumbo, *hebeti livore nigreſcit*. Invidiam dicas *tempeſtatem*, ſorbentem inopinatò felicem, ſtudioſum, & dignum; dicas *flammam*, quæ tendit *ſursùm*, ſic invidus contrà ſuperiorem bonitate, fortunà, & merito; ideò Ovid. lib. 5. de Remed.

Summa petit livor, perflant altiſſima venti.

Invidia eſt, *nebulæ* more, interpoſita (obſcurans) virtutis, & felicitatis Soli; eſt *avis* nocturna, quæ odit lucem; eſt *Origo* animal, quod, apparente Lunà, caput abſcondit; ſic invidus non ferens dignioris ſplendorem, caput abſcondit, quia odit. Invidum dicas *porcum*, qui lætatus adverſitate alterius, in luto voluptuatur, porci more. Dicas invidum *cepe*, quod decreſcit creſcente Lunà, ſic invidus incrementis aliorum decreſcit.

Invidum dicas *Perillum*, qui auctor tauri ænei, in quo, admoto igne, cruciarentur alii, ipſe primus (coactus à tyranno Dionyſio) ſuo invento periit; ſic invidus ſuo invento perit, nam invidia propria ipſum interimit. Dicas invidum *polypum*, qui ſe ipſum devorat; dicas aliqnando *hederam*, foris *viridem* laudando, intùs *pallidam* invidendo; imò intùs *Ethnam* propriò igne vorantem viſcera, foris candorem nivis ſimulat; dicas *phœnicem*, accendentem flammas, ut ſe comburat, ſic invidus, quas excitat livoris flammas, ſuſtinet, ita ut poſſit dicere:

Heu patior telis vulnera facta meis.

Invidum dicas *coturnicem* ingementem, contriſtatèque, apparente Lunà, prorrumpentem in anxios gemitus; ſic invidus, cum alios lucidos apparere videt, contriſtatur, & gemit.

Oculos invidi dicas *baſiliſci*, proſternunt intuitu, invidorumque oculos, ajunt, viſu aliis officere. Dicas invidos *Salamandras*, quia iſtæ cœlo lucido, & ſereno micante langueſcunt; sìc *invidi*, cum alii meritis, & fortunà reſplendent; ideò Horatius lib. 1. Epiſt. 2.

Invidus alterius tabeſcit rebus opimis.

Verè Invidia eſt omnium malorum radix, fons cladium, ſeminarium delictorum, rubigo animi, morbus amicitiæ, mater homicidii, abyſſus errorum, eſt fons cœcitatis, humanæ mentis infernus, corruptionis aculeus, ſtimulus contētionis, omnia mala generat, omnia bona diſſipat, virtutes omnes concremat; eſt vermis mortifer, igneus ſerpens; eſt tinea, purpuramenta virtutum demoliens; ærugo, theſaurum ſapientiæ deprædans; eſt bruchus, qui virentia bonis moribus viridaria animi comburit; hæc eſt, quæ Angelum de cœlo projecit, & diaboli invidia hominem de paradiſo repulit; ea eſt, quæ fratres armavit adversùs Joſeph; minus eſt malum, habere ſerpentem in viſceribns ſe voluptantem, quàm livorem intùs depaſcentem. Invidi ſunt diaboli ſedes. *Sine dæmone* (ajebat Cæſarius) *eſſe non poteſt, qui invidus eſt.*

Invidia Euryſtheum incitabat, ut *Herculem* mitteret in monſtra, ut compoſuere Poetæ; invidus virtuoſo, & excellenti machinatur omnia ruinæ fomenta. *Invidiam* alii computarunt unam inter tres *Furias inferni*;

sed & per *Hydram* serpentem pestiferam septem capitum Poetæ intellexerunt *invidiam*, quæ visu, & flatu, Hydræ more, enecat. Item per unam ex tribus *Harpyis*, quas effinxerunt alatas volucres, manibus uncis, virgineo pallido vultu, fœdissimà proluvie ventris, caudà draconis in *anguem* desinente, intellexerunt *invidiam*, & per alias duas *avaritiam*, & *superbiam*; dictæ sunt tres Harpyæ AELLO, id est, *tollens alienum*; OCYPETE, id est *volo velox*, & CÆLENO, id est, *niger*; quia *invidia*, *avaritia*, *superbia* volant avidè ad rapienda aliena; vultu *virgineo*, occultis unguibus, & caudà, quià simulant innocẽtiam, sed *pallor* vultus explicat malitiam, quià *color lividus innuit malignum cor*; at *finis* horum vitiorum est CÆLENO, id est, *niger*, *infelix*, *peccatum*, *infernus*, hæc est cauda draconis desinens in anguem, diabolus occupans talibus vitiis deditos.

Hinc facilè intelliges symbolum artificiosum *invidiæ*; est mulier figurata senex, deformis, vultu livido, in mammà sinistrà figuratur circumvolutus serpens, feriens cor; ad latus figuratur Hydra, suprà quam mulier manum firmat.

MEDICINA contrà hunc morbum est. *Primò*, terrena bona contemnere. *Secundò*, ad cœlestia bona anhelare. *Tertiò*, omnes proximos, ut fratres, & membra ejusdem corporis mystici considerare. *Quartò*, occidere *superbiam* radicem, & invidiæ matrem. Vide ex Augustino (de Verbis Domini super Mathæum) *Invidia est filia superbiæ*; *sed ista mater superbia nescit esse sterilis*; *ubi fuerit*, *continuò parit*; *suffoca MATREM*, *& non erit FILIA*. *Quintò*, credere, se omnibus Dei donis indignum esse. *Sextò*, se voluntati Dei conformare, sic enim non tristaberis de alienà felicitate, nec de bono sensibili, aut intelligibili, dolendo, quòd alter habeat.

Considera ex Proverb. cap. 14. quòd *Putredo ossium invidia.*

Nolis agere cum invido, monente Spiritu sancto in Proverbiis cap. 23. *Ne comedas cum homine* INVIDO, & ne *desideres cibos ejus*, *quoniam in similitudinem arioli*, *& conjectoris æstimat*, *quod ignorat*; *comede*, *& bibe*, *dicet tibi*, *& mens ejus non est tecum*.

NEMESIS justitiæ punitivæ *scelerum HIEROGLYPHICUM.*
Vbi cur NEMESIS figurata alata; *cur illi data* frænum, cubitus, rota, currus, Cervi, *corona*, *gubernaculum*, fraxinus, phiala, & sigilla *VICTORIÆ*.

NEMESIM, *& INVIDIAM* plerique confundunt, & eandem putant, ut ideò in pag. 887. dixerimus, quòd invidia, & NEMESIS, *ut explicantur* (nempè à multis) parùm differunt; at falluntur, qui eandem esse NEMESIM, & *invidiam* opinantur, sunt enim realitèr distinctæ passiones; nam *invidia* nullum inter bonos, & malos discrimen ponit, sed bonis alienis cruciatur, sivè illa dignè, sivè indignè possideant; torquetur invidus, non quia non habet illa bona, sed quià alter, cui invidet, illis bonis pollet, & potissimè *invidia* est circà similes; figuli invident figulis, fabri fabris, milites militibus, literati literatis. At NEMESIS solùm est tristitia de bono alterius, non quocumque modo, sed quia habens istam passionem, tùnc eam patitur, cum concipit, bona ab alio *indignè* possideri, & alium videt indignè prosperari; & tantùm fert ægrè, indignos, & improbos honoribus, & opibus florere; & ut sic est *laudabilis* commotio animi; cum enim æquitas postulet, ut malis pœna, bonis præmium respondeant, certè vir probus,

bus, & justus, maximè gaudet, cum justitia servatur, contristaturque, & ægrè fert, quòd lædatur, & pervertatur; quare sicut gaudet, cum servatur justitia puniens sicarios, latrones, seditiosos, & Reipublicæ pestes, non ex odio contrà personas, sed cum dilectione personarum, & odio vitiorum, ut virtus floreat in Republica, & pax, securitas, & felicitas publica polleant; ità gaudet, quando viris benè meritis succedit benè, & felicitèr, & ipsis ut meritorum corona præmia dantur. Ideò NEMESIS, quæ interpretatur, *indignatio*, sivè *indignari*, *succensere*, *justè accusare*, est, cum quis indignatur, cum benemeritos videt abjectos, & improbos cernit exaltatos.

Quare NEMESIS est passio naturalis justitiæ, imò nomine NEMESIS intelligitur *justitia*; ideòque veteres, ut homines deterrerent à vitiis, & moderationem passionum suaderent, & ne homines in prosperitate essent superbi, suasserunt populis, esse NEMESIM ultricem facinorum, præmiatricem bonorum, & virtutum, & NEMESIM dixerunt *justitiæ* filiam, reginam causarum, arbitram rerum, dispensatricem præmiorum, & pœnarum, jàm malos à summo deprimentem ad imum, jàm bonos ab imò attollentem ad summum. Quam figurarunt *alatam*, ut innuerent, quòd justitia numinis volat ad præmia, & pœnas, & ubicumque sint merita, vel scelera, illicò stare, ita ut scelestus pœnam nullibi effugere queat. *Cervos*, symbola *timoris*, addiderunt simulacro, ad innuendum, quòd *justitiæ* æquitas timidos reddit, ut si homines non sint boni amore virtutis, sint saltìm ex formidine pœnæ. Figurata est cum *phialà* cum inclusis Æthiopibus, ut indicaretur, quòd non proficit improbo confugere ad ultimas Æthiopiæ partes, & Occeanum, quia ibi etiam est NEMESIS, id est, numen puniens, & imperium habens, ideoque in signum imperii, & regiminis, data sunt NEMESI *corona*, *& guberaculum*; addiderunt *rotam*, ad significandum, quòd accidentium, ut oportet, vices alternat, jàm exaltando, jàm deprimendo, jàm iterùm, ut oporteat, exaltando. Addiderunt & *currum* quatuor rotarum, indicantem quatuor elementa, ad indicandum, quòd NEMESIS, sivè justitia, per cuncta elementa labens non homines solùm, sed elementa conjuncta teneat, ac servet; imò in nostris sacris literis *rota* (apud Danielem cap. 7. C.) signat *vim divinæ punitionis*, & apud Isaiam (cap. 22. C.) *rota plaustri in triturà* signat graviorem Dei castigationem, & apud Psalmum 67. *currus Dei* dici potest *mundus*, quem movent angeli, velut aurigæ; & apud Ezechielem cap. 1. D. *rotæ quatuor* designant *quatuor elementa*; unde etiàm in nostris sacris chartis *rota*, *& currus*, *& quatuor rotæ currus* signant *justitiam Dei punitivam*, & quæ cuncta moderatur, & coercet in mundo.

Figurata item est cum *fræno* in dextrà, cum *cubitu* in sinistrà; *cubitus* autem erat quodam *mensuræ* genus, dictum *cubitus*, ut videas apud *Vitrubium*. Cubiti spatium id esse dicunt, quod ab extremis unguibus in medium brachii angulum protenditur. Vitrubius cubitum senis palmis dimetitur. Pictores quartam nostri corporis partem *cubitum* esse volunt. Apud Herodotum *cubitus* est 20. *cubitorum* tantùm. *Cubitus geometricus* dimensione una sex cubitos è nostris æquat, ut asserit Augustinus S.P. lib. 12. contrà Faustum, cap. 16. quo cubito, ajunt, arcam Noe fuisse mensuratam.

Cum autem *frænum* serviat ad coercendum, & *cubitus* ad metiendum, innuunt in manibus NEMESIS, justitiam jubere, in cunctis rebus, dictis, & factis adesse *modum*, mensuram, & moderationẽ, quam dictet *ratio* recta. Et quidèm *frænum* in nostris sacris literis (apud Ecclesiasticum cap. 28. D.) quod quis ori suo *rectum* facit, significat *ponderanda* verba, ne os reticen-

da effundat ; & apud Pſalmum 31. *frænum*, ſeu *habenæ* ſignificant *verba divinæ legis*, quibus Deus reprimit malos ; & apud Zachariam (cap. 14. D. & Iſaiam cap. 14. D.) *frænum equi ſanctum* ſignificat *ſacram doctrinam*, quæ equos inſanientes libidine, & mulos ſteriles, atque laſcivos à vitiis reprimit ; quare *frænum* reprimens, & *cubitus* menſurans, in manibus NEMESIS, ſive juſtitiæ, innuunt, hoc eſſe munus JUSTITIÆ, coercere à vitiis, & intendere moderationem, & rationalem rectam menſuram verborum, & actuum, & punire excedentes vitioſè, ideò dicente Ariſtotele in libro, qui de *Mundo* ſcribitur; NEMESIN *quidèm appellant, quià ſingulis diſtribuat ; ut Adraſteam, quod nemo hanc cauſam* (nempè punitivam ſcelerum) *aufugere valeat.*

Datum eſt itèm NEMESI *fraxinum* ut inſigne, ut indicetur, quòd bella, ob temeritatem puniendam, excitat ; item *fraxinus* eſt genus arboris, cujus umbra ex Plinio (lib. 16. cap. 13.) uſque adeò inviſa eſt *ſerpentibus*, ut citiùs in ignem confugiant, quàm ad fraxini umbram, & cum *ſerpentes* ſint impiorum, & vitioſorum *ſymbola*, fraxinus dicata Nemeſi innuit, impios, & ſceleſtos fugere ex timore ab umbrà juſtitiæ, & quòd juſtitia fugat, & perſequitur impios, & potiùs mittent ſe in præceps, ne in manus perſequentis juſtitiæ incidant.

Victoriæ *ſigilla* ſunt NEMESI, ut indicetur, quòd *juſtitia* vincit, domat, ſubjicit impios ; ideòque monſtra ſymbola vitioſorum effinguntur ab Hercule domita, & victa, ut indicetur, quòd ſi nomine Herculis intelligitur *virtus*, & nomine Herculis, illa vincentis, ſubjicientis, domantis, occidentis, intelligitur *virtus juſtitiæ*, ſane juſtitia punitiva vitioſos evertit; & hùc reſpectat illud hieroglyphicum, in quo figuratur juſtitia ſub ſpecie Virginis, cum enſe in dextrà elevatà, inſidens leoni, & ſiniſtra tenens, & ſubjiciens leonis cervicem, ut indicetur, quòd ſi leo eſt ſymbolum *animi feri*, ſuperbi, *inſidiantis, raptoris, ſævitiæ, temeræ iracundiæ*, ſanè *juſtitia* ſuperbos, & vitioſos, arrogantes, elatos ſubjugat, & edomat.

Ex dictis infertur, Nemeſim præcipuè eſſe illam ſpeciem *juſtitiæ*, quæ dicitur vindicativa ſcelerum, & coercitiva à vitiis *timore pœnæ ; & Neſim*, ſive Nemeſis nomine, intelligi *divinam poteſtatem*, ac *juſtitiam ipſam Dei*, quæ condigna ſceleratis ſupplicia præbet ; fuit ſententia Ariſtotelis, ut ajunt, & colligitur ex *Ariſtotelis* verbis ſuprà relatis. At quia juſtitia Dei, & etiam *juſtitia recta* humana, quæ *punit* ſcelera, etiam juxtà merita diſtribuit præmia, ideò hoc hieroglyphicum conſequenter index juſtitiæ *diſtributivæ* eſt.

Sed non prætereat, quòd hoc hieroglyphicũ *juſtitiæ* punitivæ Dei, tot laudabilibus ſenſibus, & ingeniosà virtuosà dexteritate, & idæà gravidum, non fuit gentilium inventio ; ſed *purè* conſideratum fuit unum ex illis hieroglyphicis, quæ Abrahamus dedit Ægyptiis, & mutuaverat à Noe, & Noe à Mathuſalem, & Adamo ; qui primus doctor Philoſophiam hieroglyphicam inſtituit, & docuit, ut in prima Porticu à pag. 132. dictum. Ex Ægyptiis acceperunt alii ; & diabolus invidus tantæ ſcholæ nobis ſalutaris, per homines iniquos vitiavit illa hieroglyphica, ſuggerens adorarent ut idola, & ſic oblivioni eſſent, & ignorati illi laudabiles ſenſus, ad noſtram inſtitutionem ab *Adamo*, *Noe*, *Abrahamo* intenti ; quare *Nemeſim* gentiles ignari putarunt aliquod *fabuloſum numen*. Ergo erubeſce, vade retrò, *Satanas* ; ad tui confuſionem tua eſt aperta fràus ; depuratur hieroglyphicum hoc ab idolatrià, & lavatum, & purum ſuos authores noſtros *ſecundùm fidem* ſanctos relatos Patriarchas agnoſcat ; ab ipſis & agnoſcamus nos putificata; redeat *purum* ad nos, quod *mundum*, & *pulchrum* à noſtris

ſtris ſanctis Patribus, ut homini ſchola bona, manavit; & hinc magis colligitur, quòd manarunt illa hieroglyphica á noſtris ſanctis Patribus, quià conſonant ſenſus, & inſignia ſymbolica cum noſtris ſacris ſcripturis Alphabeticis; nam illi Prophetæ Hebræi acceperunt à Moiſe ſymbola, iſte didicerat ab Ægyptiis (at relegatà eorum ſuperſtitione) hieroglyphica, & ſymbola, quæ dederat Habrahamus; quarè nil mirum, quòd illa hieroglyphica (at *lavata*, & *purificata* à labe gentilitià inductà per idolatras, ſuggerente diabolo) conſonent noſtris ſacris ſcripturæ ſacræ Alphabeticæ ſymbolis.

Apud Smyrnæos plures colebantur NEMESES; per plures autem Nemeſes intelligebatur plures eſſe Deo vias, & rationes puniendi impios pro varietate peccatorum; jam punit *fame*, jam *bello*, jam *peſte*, quæ intellexerunt etiam per *tres Furias*, quas finxerunt ad juſſum Jovis, & eas mittere, quando oporteret, in ultionem ſcelerum. Item jam punit Deus inferendo morbos, jàm paupertatem, jàm ſervitutem, & ſubjectionem, jàm carceres, & perſecutiones, & vilipendia, &c. quia ergo multæ ſunt viæ, & modi puniendi apud *juſtitiam Divinam*, ideò veteres ſapientes (at hi ominò procùl à ſuperſtitione gentilium idolatrarum) plures dixerunt Nemeſes.

Hinc, quia *juſtitia divina punitiva* dicta eſt *Nemeſis*, eſt derivatum, quòd etiam *juſtitia recta humana vindicativa ſcelerum*, & quæ eſt participatio divinæ juſtitiæ, dicatur etiàm *Nemeſis*. Item derivatum hinc, quòd cum ſint aliqui homines naturaliter pii, clementes, miſericordes, & ſint alii naturaliter ſeveri, & vindices ſcelerum, in his hominibus *illa paſſio ſenſitiva*, qua moventur, & naturalitèr concitantur ad ultionem *iniquitatis*, vel ad deſideria juſtæ ultionis, Nemeſis dicatur. Quare *Miſericordia*, & *Nemeſis* ſunt duæ paſſiones oppoſitæ, nam Miſericordia paſſio triſtatur de *malo alterius*, maximè ſi videat, *iniuſtè* pati, & eſt dolor non de quolibet malo, ſed de eo, quòd *dolorem*, vel *interitum* afferat, *dolorem*, ut ſi quis vir minimè malus exulet, aut ab amicis deſtituatur, aut adverſæ fortunæ caſu aliquo concutiatur; *interitum*, ut ſi innocentem aliquem torqueri, vexari, aut è medio tolli videamus; & *Miſericordia*, vellet malum avertere. At *Nemeſis paſſio* propendit ad inferendum malum ut pœnam ſceleris; & paſſione affectus, quia indignatur, & triſtatur de eo, quòd aliquis indignus in bonis ſenſibilibus proſperatur felix, vellet *privationem* talis proſperitatis exiſtere, & triſtatur de hoc bono impii.

At MISERICORDIA, & NEMESIS, *ut ſunt virtutes*, non opponuntur, nec ſunt contrariæ, quia una virtus non deſtruit aliam, imò mutuò ſe adjuvant, & fovent, è contrario inter vitia unum ſolet deſtruere aliud, ut avaritia prodigalitatem. *Miſericordia* ergo, & *Nemeſis*, ut *virtutes* non opponuntur, quia cum regulentur per Prudentiam *rectam*, *Miſericordia* ut *virtus* dat locum *juſtitiæ*, ſive *Nemeſi* virtuoſæ, & *juſtitia*, ſive *Nemeſis virtus* dat locum licitæ *Miſericordiæ*, nam & ſceleſtos ad mortem damnatos videmus *piè* tractari in carcere per tres dies, & in viâ ad ſupplicium, & confortari animo, & corpore, quantum recta juſtitia permittit; quare exercetur juſtitia cum miſericordià ſine læſſione juſtitiæ.

Paſſio *Nemeſis* eſt corrigenda, & moderanda, *ne excedat*, *ne* ſit præceps, *ne* excludat rationalē miſericordiam, *ne* declinet in ſævitiam, *ne* ſit punitio ſuprà condignum, *ne* excedat modum prudentiæ rectæ, *ut* ſit debito honeſto integro juſtitiæ, gloriæ Dei, & boni publici fine, *at* ſit cum dilectione hominum, & odio vitiorum, ideò *timore Dei*, *& Charitate* ſociis; *ut* ſit à judice, & competente, & à ſuperiore legitimo, cui ſit publica à Deo

data

data potestas; & quilibet superior in suâ domo (ut liceat) puniat scelera.

Inclinare, ut nihil impium puniatur, est vitium per *defectum*; inclinare, ut plus æquo puniatur, vel plusquàm oportet, & modo injusto, vel imprudente, est vitium per *excessum*; *in medio consistit virtus*, nempè punire *quando*,& *quomodo*,& *quo fine* oportet,& *à quo* puniri *oportet*. Sit RECTA PRUDENTIA DUX.

Ergo NEMESIS passio tunc est *in medio*, in quo consistit VIRTUS, quando est *media* inter *invidiam*, *& placiditatem*; nam *invidus* de omnibus prosperitatibus *absolutè* dolet; *placidus* autem,ut opponitur *invido*, de omnibus prosperitatibus gaudet;& hæc *absolutè*,& sine attentione ad *meritum*, & *demeritum* personarum, sunt extrema *vitiosa*; ergo Nemesis virtus tenet *medium*, quando *nemesitus* gaudet de prosperitatibus *bonorum*, & *dolet* de prosperitatibus *malorum*; illos appetit præmiatos, hos (*rectà* ratione, & lege justà ducibus) punitos.

AD LECTOREM REFLEXIO
pro dictis pag. 897. Cap. XIX.

IBi dictum ex S.P. Augustino, *quatuor* esse perturbationes animi, CUPIDITATEM, LÆTITIAM, METUM, TRISTITIAM; in alio item loco idem S. Pater dicit *quatuor* perturbationes animi TIMOREM, TRISTITIAM, AMOREM, & LÆTITIAM; item alibi, dicit *quatuor* perturbationes animi METUM, CUPIDITATEM, DOLOREM, & GAUDIUM; & ibidem adducitur S Pater numerans GAUDIUM, & SPEM, DOLOREM, & METUM. Ex his *metus*, sive *timor* eadem passio sunt; sic & *lætitia*, & *gaudium* pro eadem passione intelliguntur; nec non *tristitia*, sivè *dolor* pro eadem passione acceptantur. At aliam passionem jam dicit in primo textu, & tertio CUPIDITATEM, in secundo AMOREM, in quarto SPEM; at cum videatur numerare *quatuor* passiones *principales maximè*, & inter has sit SPES, & inter eas in quarto textu SPEM numeret, videtur, quòd non debuerit assignare inter *maximè principales AMOREM*, nec *CUPIDITATEM*, tùm quia non sunt inter maximè principales, tùm quia inter has refert SPEM, & non illas.

At responsum est ibi, quòd quando S.P Augustinus *quatuor* passiones numerat, inter quas jàm amorem, jàm cupiditatem, sensus est, quòd istæ sunt *quatuor* passiones inter alias multas, & inter *principales*. Quando autem numerat *GAVDIVM*, *SPEM*, *DOLOREM*, *& METVM*, sive *timorem* numerat passiones *quatuor* maximè principales, *& principalissimas*, & ideò eas dicit *vitiorum*, *& virtutum quasi quædam principia*, *& communem materiam*.

Itèm posset dici, quòd quamvis S Pater *quatuor* perturbationes numerans, intendat numerare *maximè principales*, *& principalissimas*, non est varius jam unam ex illis dicendo AMOREM, jàm cupiditatem, jàm SPEM; quia quando agitur de passionibus *maximè* principalibus, & *principalissimis*, idem sunt AMOR, CUPIDITAS, & SPES, & *amor* supponit *implicitè* pro *spe*,& *cupiditas implicitè* pro *spe*;SPES enìm boni futuri ardui & est AMOR boni futuri ardui,& est cupiditas boni futuri ardui,& est *spes* boni futuri ardui; nam ideò quis sperat bonum futurum arduum,quia illud desiderat,sive CUPIT,& ideo desiderat,quia AMAT.Quare loquendo de *quatuor* passionibus *maximè* principalibus, & principalissimis, *in sensu in-*

ten-

tento, coincidunt AMOR, CUPIDITAS, SPES; ergo Augustinus non est in numerando passiones varius.

Loquendo autem de *quatuor* inter principales solùm, aptè etiàm numerat inter eas jàm amorem, jàm cupiditatem, quia istæ consideratæ ut sonant, etiam inter 12. passiones principales numerantur; & quidem in hoc alii putant per tres FURIAS *iram*, *cupiditatem*, & *libidinem*, alii per tres HARPYAS *superbiam*, *iram*, *& avaritiam*, sive cupiditatem; ex sacris interpretibus (apud Cantica cap.6. D.) *currus Aminadab* dici potest corpus nostrum animæ conjunctum, cujus *quatuor* equi sunt *ira*, *cupiditas*, *voluptas*, *timor*, quare hi pro opinione sua relatas passiones significarunt ut maximè principales, at quantum *ad perturbationis effectus* in animo, & maximè ira; nam *Chan* fuit pater *Chanaan*; Chan interpretatur *calor*, & quià *calor* est symbolum *iræ*, Chan significat *iram*. Chanaan interpretatur *turbatio*; quare Chan, pater Chanaan, significat, *iram* esse parentem *turbationis*; ergo quantum ad effectus *majoris turbationis animi* aliquæ passiones erunt maximè principales, quia maximè perturbantes. At attendendo ad appetitum, si sit boni futuri, sistit in SPE; circà bonum præsens sistit in GAUDIO. Si passio sit respectu *mali futuri* sistit in *timore*, si respectu mali præsentis sistit in *tristitia*, sive dolore; *& in hac consideratione* in pag 900. *timorem, spem, gaudium*, & *tristitiam* diximus passiones maximè principales, sivè principalissimas, quià in ipsis aliæ terminantur.

Imò et inter Medicos physicos est opinionum discordia, cum quærunt, quæ *passiones* animi sint pernicioſiores, *& maximè* noceant; cum autem pro variâ corporum habitudine gravia, et læthalia symptomata valeant afferre, *tamen* si considerentur pathemata animi secundùm propriam unius cujusque affectionem, quam corpori humano solent afferre, si loquamur de *subito*, ac *repentino malo*, efficaciores ad nocendum *physicè* sunt (inquit Lucas Tozzi medicus physicus) *lætitia summa, & inopinata*, *& timor vehemens*, ac *repentinus*; si verò loquamur de *malo fixo*, et ideò *difficiliùs superabili*, efficaciores sunt ad nocendum *mœstitia*, sive *tristitia*, sive ut etiàm appellari solet *animi dolor*, *& amor*. Hæc ille vir doctus, et quidem ingenuè, quià à relatis passionibus *interitùs* sæpissimè accidit; ut enìm advertit Galenus 5. *de locis affect. cap.* 1. *& cit.* 2. de *Sympthom. causis cap.* 5. aliquando repentè mortui sunt multi ex repentino ingenti *gaudio*, et ex repentino vehemente *timore*; et loquendo de malo *fixo*, mortui sunt multi ex *mœrore*, sive *tristitia* post diuturnum tempus consumpti extremà macie; et ex *amore* lentà febre sunt multi extincti, dummodo in furorem addacti mortem non intulerint sibi.

At ex irà, si credendum Galeno 2. de *Sympthom. causis* cap.5. *nemo mortuus est*, quia (inquit) calor vitalis *in iratis* non infringitur, nec robur virium dissolvitur, imò acuitur; et licèt per iram portio aliqua sanguinis extenuetur, rarescat, et exsolvatur, illa tamen *modica* est; at crassa, et glutinosa quæ abundantior est, longè magis perficitur, et per iram vivisicit, et elatior fit. Quod si Historiæ referunt, Nervã, et aliquos ex irà periisse, id non *ex irà propriè* est derivatum, sed *ex alio accidenti*, v.g. extremà inedià, aut vigiliâ, aut febre, aut voluntaria ipsorummet occisione, aut respirationis cohibitione, aut ex alio morbo, quo corpus esset infectum, & tùnc agitatum.

Ecce etiam inter Medicos *physicos* varietatem in assignandis pernicioſioribus passionibus; et tamen sapientiores assignant eas *quatuor* nocentiores, quas assignat S.P. Augustinus, nempè *amorem*, *timorem*, *gaudium*, *tristitiam*. Unde cum S.P. Augustinus semper ac dicit, *quatuor sunt perturbationes animi*, in hoc modo loquendi innuat (qui non ignoravit plures

alias

alias esse passiones) se assignare, et numerare *maximè principales*, magis genuinum est, et conforme modo loquendi Sancti Patris dicere, quòd *amorem*, *timorem*, *gaudium*, *tristitiam* dicit quatuor passiones *maximè principales*, et nocentes *maximè*; et quando jam unam ex illis dicit *amorem*, jàm *cupiditatem*, jàm *spem*, sub his diversis vocibus eandem passionem *spem* intelligit, vel *tres* per modum *unius*; cum enìm Sancti Patris intentio esset prædicare *contrà appetitum inordinatum bonorum sensibilium*, pro hoc fine idē est dicere amorem, ac cupiditatem, ac Spem eorum; nec Sancti Patres in his scribebant rigoroso scholastico more, & cum præcisionibus rigorosis, quòd Amor respicit *bonū absolutè*, *Cupiditas*, sive *Desiderium* respicit *bonum absens*, *Spes* tendit in *bonum futurum arduum*; non, inquam de hac præcisione scholastica curabāt, cum præcipuè contrà *inordinatum appetitum sensibilium bonorum* pro omnibus etiàm ignaris prædicabant; at pro hoc fine idem erat monere nos, *Abstinete ab amore* immodico sensibiliū bonorum, ac dicere *Abstinete à cupiditate* immodicà, sive *desiderio immodico* sensibilium bonorū, ac dicere *Abstinete à Spe sensitivà immodicà sensibilium bonorum*; imò (ut dictum) *Spes* sensibilium bonorum est *Amor*, *Cupiditas*, *& Desiderium* ipsorum; quare cum *ad intentum* Sancti Patris *amor*, *cupiditas*, *spes* sensibilium bonorum idem significent, non est varius *Augustinus*, cum unam ex *quatuor* passionibus (quas inter plures præcipuè nominando *quatuor* innuit *maximè* principales, & perturbantes *maximè*) jàm dicit *amorem*, jàm *spem*, jàm *cupiditatem*; est sibi constans Augustinus, & consequens; & hæc cogitatio videtur menti Augusti Doctoris magis germana, cum & ipse Augustinus (lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. Tomo 7.) dicat: *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* quare cum *charitas* sit *amor spiritualis*, idem est dicere, *quid est boni cupiditas*, nisi *charitas*, ac dicere, *quid est boni cupiditas*, nisi *amor*? eccè in linea *spirituali* pro eodem accipit cupiditatem, & amorem; sic & ergo in lineà *sensitivà* pro eodem accipit cupiditatem, & amorem, cum has dicit passiones *sensitivas*; quare & lib. 83. quæst. quæst. 33. Tomo 4 inquit loquens de *cupiditate*, *& amore sensitivis*, sive rerum sensibilium sic: *Nihil aliud* est *cupiditas*, *nisi amor rerum transeuntium*. Sancti enìm Patres exhortando contrà vitia attendebant *ad substantiam rei*, ut omnes intelligerent, non ad rigores *scholasticos*, nisi cum oporteret; quare de Sermone Domini in monte lib. 1. cap. 15. Tomo 4. quià conveniebant reduplicationes scholastichæ *ut*, *in quantum*, utitur hac dicens: *Homo diligit inimicum* non inquantùm *inimicus est*, *sed* inquantùm *homo est*; & ad Simplicianum lib. 1. q. 2. Tomo 4. *Omnis homo* inquantum *homo est*, *creatura est*; *non* inquantum *peccator est*. Et de Nuptiis, & concupisc. lib. 2. cap. 4. Tomo 7. *Non ideò sunt homines sub diabolo*, quià *homines sunt*, *sed* quià *peccatores sunt*. Item cum contràdictoria simùl nequeant esse vera, at in diverso sensu non sint contràdictoria, & *amari benè*, *& malè* contràdictoria appareant, hæc in diverso sensu conciliat S. Pater lib. 15. de Civirate, cap. 22. Tomo 5. dicens: *Omnis creatura cum bona sit*, & benè *potest* amari, *&* malè; *scilicèt* benè, *ordine custodito*; malè *autem*, *ordine perturbato*. Eccè S. Pater utitur terminis, & reduplicationibus scholasticis, quando oportet, & maximè contrà *Julianum*, quià (ut dicitur) *Dialecticus* erat. At prædicando pro virtutibus, & contrà vitia, etiam pro ignaris, attendebat ad substantiam rei; ideo *appetitum* sensibilium bonorum, jàm dicit *amorem*, jàm *cupiditatem*, jàm *spem*, quià ad intentum idem erat significatum.

Imò etiàm cùm *eandem passionem*, jàm dicit *amorem*, jàm *cupiditatem*, jàm *spem*, servat *scholasticum* etiàm morem; nàm apud scholasticos *ubi sunt plura propter unum*, *ibi est unum tantum*, quià se habent *subordinatè*,

tè, & per modum *unius*; at *amor* boni *desiderium*, sive *cupiditas* boni, *spes* boni sunt *plura propter unum*, nempè propter *bonum*, & se habent *subordinatè*, quià *amor* generat *desiderium*, sive cupiditatem, *desiderium* generat *spem*, & sìc se habent successivè, & *subordinatè*, ideoque per modum *unius*; ergo quid mirum, quòd sanctus Pater, jàm appellet nomine uno, jàm alio, & *tres* passiones, ut *unam* passionem, in hoc sensu referat?

At quando pervenit (quià tùnc oportet) ad *strictiorem* rigorem *scholasticum* pro determinatione *maximè* principalium, sivè principalissimarum *passionum*, & eas *specialissimè* quadripartitur, jàm tùnc solùm nominat SPEM, *non* AMOREM, *nec* CUPIDITATEM, dat nomen *maximè* proprium *unius* ex *maximè* principalibus passionibus; quarè cum explicat duos appetitus, unum sensitivum *concupiscibilem*, & alium sensitivum *irascibilem*, & passiones *maximè* principales eorum, tùnc inter eas expressè nominat rigoroso nomine SPEM. Vide relatam paginam 898. Ideò cunctis relatis modis discurrendo est sibi consequens (& nobis Doctor *mysticus*, *& scholasticus*) AUGUSTINUS.

Diximus relatas passiones quatuor *maximè* principales, sivè *principalissimas* respectivè ad alias principales, & ad aliàs *minùs* principales; at in rigore passiones *principales* sunt 12 ex quibus relatæ *quatuor* dicuntur *principaliores*; GAUDIUM, & TRISTITIA propter dicta in pag. 1026. sunt *maximè* principales, sivè *principalissimæ*; nempè quià omnes aliæ *in aliqua ex his duabus* tandem, & *ultimatè* sistunt, & terminantur.

In pag. 848. figmentum *Pandoræ* est, quòd habebat inclusa in pyxide *omnia mala*; non est figmentum, quod haberet inclussa *omnia bona*, ut transfert ad nos aliquis; at figmento sìc, vel sìc, dedimus ibi sensus congruos.

CONCLUDITUR SYMBOLOGIA MEDICINÆ physicæ cum MEDICINA MORALI.

UNum non omittendum, quòd sicùt pro *Medicinà physicà* maximè exquiritur in ægroto *confidentia ergà Medicum physicum*, ità in lineà *Morali* maximè optatur sancta *confidentia*, & propensio ex bonà opinione ergà *Medicum moralem*, nempè Confessorem, & Patrem *spiritualem*, tùm ut expeditiùs confitearis peccata, tùm ut consiliis ejus libentiùs acquiescas, tum ut de doctrinà ejus tutus, spem spiritualis salutis adipiscendæ, vel tuendæ concilies; ergo si pro corporis salute prudentiorem, & sapientiorem *Medicum physicum* debes accersere, eò magis pro salute spirituali sapientiorem, prudentiorem, & magis timoratum debes inquirere; proderit autem magis (*si non invenias illum*) alter *sapiens*, *& prudens* recto fine, quanvis non sit vir moribus *sanctus*, quàm *sanctus* vir *simplex* solo zelo, sine *prudentia*, *& sapientia*, ut dirigat.

QUARTA PORTICUS MORALIS

AD PROBATICAM MORALEM PISCINAM MYSTICÆ SANITATIS.

Ubi, De VIRTUTIBUS, & VITIIS in genere.

PROOEMIUM.

Nunc succedit tractatus de VIRTUTIBUS, & VITIIS in genere, *ut* illas *amplectaris*, ista *detesteris. Ex* Erasmo *in Apoph. lib. 3. potamus, quòd* Socrates Xenophontem *in Angiportu quodam obvium habuit; cumque videret adolescentem rarà indole, porrecto baculo, vetuit, ne præteriret. Constitit adolescens; rogat Socrates*, ubi fiunt, & venduntur variæ merces, quibus pro commoditate corporis utuntur homines? *respondit* promptè *Xenophon. Repetit Socrates*, ubi homines fiunt boni? *respondit adolescens, NESCIO; tùnc Socrates; SEQUERE ME*, absurdum enim est scire, unde tibi parare queas honestam vestem, & poculum, & ignorare, unde tibi comparare possis animi cultum; *ex tùnc Xenophon cœpit esse auditor Socratis. Videas, hos thura curarum dare Plutoni pro acquirendis divitiis, alii Mercurio pro negotiatione, alii Cereri pro alimentis corporis; id est, videas studiosos divitiarum, & negotiationis, ut sint divites; studiosos alimoniæ, ut pascatur corpus; optimè sciunt, ubi emant, & vendantur necessaria*

ria corpori, ut sint commodi; at ignorant, ubi homines possint fieri boni; *hoc, studiosè, ignoras? SEQUERE ME; in* Porticibus Philosophiæ Moralis *est, ubi homines discunt* boni fieri; *in eis dispensantur præcepta* benè vivendi; *in eis* VIRTUTES (*quæ sunt* habitus, *& animi* cibus) *parantur; unde animi cibum, & cultum obtinere possis, invenies; ergo* (*DEO NOBIS DUCE*) sequere *me*.

CAPUT I.

De DEFINITIONE VIRTUTIS.

NOn in præsenti agimus de *virtute naturali*, sive facultate congenitâ, quæ est vis activa ad operandum, qualis est in igne ad calefaciendum, in terrâ ad germinandum; non itèm agimus de *virtute*, sive fortitudine *bellica*; non item de virtutibus Theologicis, non de infusis; non item de *virtute intellectuali*, qualis est scientia, cujus sedes, & subjectum est intellectus, & cujus objectum, sicut & intellectus, est *verum*; agimus de *virtute morali*, & *acquisitâ*, quæ ad bonos mores pertinet.

Virtus (ait Augustinus Epist. 45. Tomo 2.) à VIRO *denominata videtur*. Virtutis naturam definit Augustinus lib. 4. de Civitate Dei, cap. 21. *virtus est ars benè, rectèque viuendi*; & lib. 19. cap. 3. de Civitate: *Virtus est ars agendæ vitæ*; Virtus enim apud Græcos dicta est ab *areti*, quod latinè vertitur *ars*; ideò ibi dicente S.P. Augustino: *Ars quippè ipsa benè, rectèque vivendi* VIRTUS à *veteribus definita est; unde ab eo*, quòd Græcè ARETI, *dicitur* VIRTVS, *nomem* ARTIS Latinos *traduxisse putarunt*. Dicta est *virtus* non solùm *ars*, sed *scientia* ab antiquis, quia *virtus* docet modum *benè vivendi*; at docere talem modum potiùs est ipsius Philosophiæ Moralis, quæ definitur *Ars, & scientia benè vivendi*, quià docet virtutes, quibus benè vivamus, & moderemur passiones; quæ tamen Philosophia ideò etiam jure *Virtus Moralis directivè* dicitur, maximè Philosophia Moralis *speculativa*, nàm Philosophia Moralis *practica* est ipsa *virtus*.

Definienda est ipsa *virtus*, per quam *formaliter* reddimur *boni*; eam definit S.P. Augustinus (De quantitate animæ, cap. 16. Tomo 1.) sic: *Virtus est æqualitas quædam vitæ, rationi undique consentiens*. Et lib. 15. de Civitate Dei, cap. 22. *virtus est, qua viuitur benè*. Et ibidem ait: *Definitio brevis, & vera virtutis est ORDO AMORIS*; & quidem ordinatè amare, nempe Deum ut ultimum finem, & reliqua amabilia amare ut media, & cum subordinatione ad Deum, est *virtus*; ideò addente Augustino (Epist. 52. Tomo 2) sic: *In hac vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est*.

Aristoteles definit 2. Ethic. cap. 6 Virtus est, *quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit*. Itèm alibi definit: virtus est *habitus electivus in eâ mediocritate, quæ est ad nos, consistens, à ratione definitâ, prout vir prudens definierit*; quæ definitio est virtutis *habitualis*; at tàm ista, quàm *actualis* consistit in mediocritate, sive in medio, quod recta ratio dictet, & definiat, & quid electivum, & liberum utraque virtus est, ut in suis locis patefiet.

Plato definit lib. 4. de Rep. Virtus est *animi sanitas, pulchritudo, & robur; at vitium morbus est animi, turpitudo, & imbecillitas*.

Magister sententiarum in 2. dist. 7. reflectit ad verba Sancti P. N. Augustini lib. 2. de libero arbitrio, ubi definit: Virtus est *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & qua nullus malè utitur*, quare dicit: Virtus est (*sicut ait Augustinus*) *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & quâ nullus ma-*

malè utitur; licèt enim S.Pater ibi addat de virtute, *& quam Deus in nobis sine nobis operatur*, quod convenit virtutibus *infusis*, tamen illa priora verba Augustini, & relata à Magistro Sentiarum (si detrahas hæc ultima, ut observat D Thomas) virtutibus etiam acquisitis conveniunt.

Ideò N. Doctor Cardinalis B. Ægidius Romanus Columna (in 3. Dist. 19. p.4.q.4.art.2. *ex his*) definit: Virtus est *qualitas mentis, vel à Deo infusa quantùm ad virtutes infusas, vel ex operibus generata quantùm ad virtutes, ex actibus acquisitas*; & de his virtutibus moralibus, & acquisitis procedit Philosophia Moralis.

Tandem solet definiri virtus: *Est dispositio perfecti ad optimum*; id est, dispositio subjecti perfecti per ipsam ad optimum, nempe ad Deum possidendum, qui est finis, in quo omnes virtutes quiescunt, & ad quem ultimò omnia ordinantur; ut enim docet S. P. Augustinus lib.5. de Civitate Dei, cap.12. *Non est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est*. Et lib.19. de Civitate cap.10. addit: *Tùnc est vera virtus, quando omnia bona, quibus benè utitur, & se ipsam ad eum finem refert, ubi tanta pax erit, qua melior, & major esse non possit*. Ideò benè dicitur, quòd virtus est dispositio subiecti perfecti per ipsam ad *optimum*, nempè ad *Deum*, ut ultimum *finem*, & etiàm ut *præmium virtutis*, ideò dicente S.P.Augustino (lib.22. de Civitate, cap.30.) sic: *Præmium virtutis erit Deus, qui virtutem dedit*.

CAPUT II.

SYMBOLA, HIEROGLYPHICA, EMBLEMATA VIRTUTIS.

(a) Aug.lib.1. contrà Academicos Tom. 1.

O VIRTUS, verè quid DIVINUM resplendes; dexterè ajebat (*a*) Augustinus: *VIRTUS etiàm in homine, sine dubitatione*, DIVINA *est*. Et quid est boni veri, quod mater virtus non pariat? *In animi bonis* (ajebat Augustinus (*b*) *non invenis quicquam, quod magis sibi ex omni parte consentiat, quàm VIRTUTEM. Virtus*, addit, *omnes affectiones animi superat*.

(b) Aug.de quant. animæ cap.15.Tom.1

(c) Aug.lib.1. de Civit. cap 10. Tom.5.

Desideras opes? *Christianorum opes* (inquit Augustinus) (*c*) *sunt virtutes*.

(d) Aug.lib.4. de Civit. cap. 21. & lib. 5. cap 1.

Optas felicitatem? *Felicitas* (instruit Augustinus) (*d*) *virtutis est præmium*.

(e) Aug.Epist. 222.Tomo 2.

Appetis pulchritudinem? *Virtus* (prædicat Augustinus) (*e*) *est interioris hominis pulchritudo*.

(f) Aug. de Morib. Eccles. cap.6. Tom.1.

Quid animam facit *optimam*? virtus; ideò scribente Augustino (*f*) sic: *Nemo dubitaverit, quin VIRTUS animam faciat optimam*.

(g) Aug. ibid cap.16.

Virtutem DUCEM ad vitam BEATAM non nescis, ideò dicente Augustino (*g*): *Si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei*.

Illud Emblema, in quo figuratur *via lactea*, cum epigraphe ex Manilio, *Hàc itur ad superos*, vel *semita laudum*, hùc respectat, ut innuat, virtutem esse viam ad Deum, ad veram gloriam, & laudes; alludit ad Mythologos, qui effinxerunt, heroes per viam lacteam se contulisse ad superos; at sine fictione virtus est via, & semita ad Deum.

Virtutem dicas *laurum* symbolum *triumphi*, quam fulmen symbolum adversitatis non lædit, nec gelu comburit, aut exsiccat, viridis permanet; sanè aptum virtutis symbolum, quæ victrix adversitati non cedit, falcem

mor-

mortis non timet, viret in vità, & poſt fatà, ideò ipſi lemma, quòd lauro, *Nec fulmen metuit, nec hyemem*, vel *fervidos excludit ictus* ex Horatio lib. 2. carm. Od. 15.

Spiſſa ramis laurea fervidos
Excludet ictus.

Hùc Auguſtinus (*a*) ſic: *Omnis virtus quànto melior, atque ſublimior, tantò firmior, invictiorque eſt*. Ideò virtuti aliud epigraphe, quod lauro, figuratæ ſub Cœlo nubiloſo, & non fulminatæ, *Nullis obnoxia fatis*; deque virtute morali dicas aptiùs, quod de virtute bellicà Ovidius Epiſt. ad Liviam:

(*a*) Aug. de libero arbitrio lib. 1. cap. 10. Tomo 1.

Facta ducis vivent, operoſaque gloria rerum,
Hæc manet, hæc avidos effugit una rogos.

Adverſitatem dicas *fulgur*, virtuoſum illuminat, non lædit; cujus ideò ſit Emblematicum ſymbolum *laurus* figurata cum fulgure vicino, cui lemma, *illæſſa refulget*; & inducitur laurus dicens:

Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri,
Fortunæ inſultus deſpicit integritas.

Virtutem ſi dicas more *Urſæ* ſtellæ minoris clariorem inter *anguſtias*, attigiſti ſcopum; Urſa minor (obſervante Berchorio) lucidiùs ſplendet, cum hyemis rigor (ſymbolum adverſitatis) fureſcit, cui ideò lemma, *Inter rigores pulchrior*. Eſt virtus Sol ſine occaſu felix; cujus ſymbolum ideò eadem ſtella *Urſa minor* vicina *Polo Arctico*, circà hunc gyrans, nunquam diſparens, cui epigraphe, *Sine occaſu felix*; ideò virtutem dixeris immortalem, hùc conſpirante Auguſtino (*b*): *Hìc ſunt virtutes in actu, in cœlo in effectu; hìc in opere, ibi in mercede; hìc in officio, ibi in fine.* Seneca aliquid ſuo modo attigit de *immortalitate virtutis*, dùm protulit.

(*b*) Aug. Epiſt. 52. Tom. 2.

Nunquam ſtygias fertur ad undas
Inclyta VIRTUS, *ſed cum ſummas*
Exiget horas conſumpta dies,
Iter ad ſuperos gloria pandet.

Quid gratioſius virtute, quæ ad ſe omnium oculos rapit? ideo ejus ſymbolum dicas horologium Solis, ſignans horam, ideò omnium oculos atrahens, cui ideò lemma, *quià rectus aſpicior*. Vide Joannem Baptiſtam in deſerto; at ejus virtus trahebat Hieroſolymam, omnem Judæam, & omnem regionem circà Jordanem, ut Solem virtutis aſpicerent. Virtutis in animo dicas ſymbolum adamantem in annulo aureo. Virtus vera ſponte patet, cujus ideò index *via lactea*, cui lemma ex Manilio lib. 1. *Viſus incurrit in ipſos*.

Virtutem dicas armaturam animi, cujus ideò hieroglyphicum *folium platani*, quòd ciconia geſtat in nidum, ut à noctuis præſervet; noctuæ enìm contactum *platani* ferre nequeunt; labuntur in torporem, ſi tangant; quare Ciconia cum foliis *platani* præſervat nidum, & pullos, quibus aſſiduè *noctuæ* inimicabilitèr inſidiantur. Si enìm *noctua* ova *ciconiæ* tetigerit, ea faſcinari, ex Æliano ajunt, & irrita fieri, ac ſi eſſent ſubventanea; ideò *ciconia* folia platani, ut amuletum contrà *noctuas*, requirit. Sed & folia *platani* ſuſpenſa in feneſtris, vel januà, veſpertiliones fugant, & ne intrent in ædes, arcent, Africano (De *Agriculturà*) ſcribente.

Item *virtutis* hieroglyphicum *ramuſculus rutæ*, ad alam gallinæ ſummiſſus, certè ut præſervetur à ſerpentibus, & felibus; ſerpentes enìm exhorreſcunt rutam; ſunt ſerpentes *frigidi*, *& ſicci*, ideoque terræ (quæ eſt ſicca, & frigida) ſymbolum, ſicut & ſunt ſymbolum Planetæ Saturni, qui eſt frigidum, & ſiccum ſidus, ex quo cum *angue* in manu figuratur *Saturnus*;

hìnc

hìnc cum *ruta* licèt admodum calida, ſit maximè *ſicca*, & ideo apta ad corrumpendum ſibi ſimile, & conſequentèr ſerpentes, quià *ſiccos*, venit quòd *ſerpentes* naturaliter horreſcant *rutam*, ut ſibi contrariam,& exitium, & *rutæ* odorem fugiant, odorque fuget illos. Non ſolùm *ruta ſerpentes* fugat, ſed *Feles Æluros*, ut ſcribit Florentinus in Conſtantini Cæſaris collectaneis, & ideò ne *Feles Æluri* adrepant, *rutæ* ramuli in columbariis, & feneſtris ſunt appenſi. *Muſtela* cum ſerpentibus dimicatura, vel colubrum ſi comedat, paſcit rutam, & hujus virtute ſe à veneno præmunit, ex quo (aſſerente Apuleio) *ruta* dicta eſt *Viperalis*, quia contra viperas ſit munimen, & remedium. Sed & *vulpes* in *ſcilla* invenit præſidium contrà *lupos*; lupus enìm convellitur ſcillæ contactu; hìnc vulpes eam in ſuis latebris opponit, ut ſit tuta à luporum inſidiis. Ex quibus cum *ſerpentes*, *Æluri*, ſive *Foinæ* (ab aliis reputati idem animal ac Feles,ab aliis aliud) item cum *lupi*, *veſpertiliones*, *noctuæ*, *venenum* ſint ſymbola vitii, *Platanus* autem,*ruta*,& *ſcilla* (ut ſuprà relatum) præſervent à præfatis noxiis,derivatur, quòd Platanus,ruta,ſcilla ſint VIRTVTIS ſymbola,quià à vitiis preſervat,& contrà eadem eſt amuletum, munimen, armatura, præſidium.

Suffitum hederæ ità veſpertiliones exhorreſcunt, ut eo etiam enecentur; occiduntur enìm hederà ſuffumigatà; hìnc cum *veſpertilio* ſit ſymbolum *vitii*, quià eſt avis nocturna, & odit lucem, item ſit ſymbolum adulteri, & impuri, & furis, qui amant nocturnas tenebras, ut ſcelera exerceant, *hedera ſuffumigata*,*veſpertiliones* occidens,eſt ſymbolum *virtutis*, quæ *vitia* enecat.

Sed *Origanum*, quo *Ciconia* ſtomachi faſtidium levat,eſt ſymbolum *virtutis*, quæ animum à ſuperfluitate vitiosà purgat,ideòque Medicina animi eſt virtus.

Formicas ſi velis fugare, ex Agriculturæ præceptis *Origanum ſylueſtre* (quòd latinè *cunila bubula* appellatur, multæ enìm referuntur ſpecies *Origani*) acervis frumenti circumſparge; vel captas aliquot combure, & cinerem in cavum injicias; in agro verò candefactum ferrum in ceſpitem, ubi nidificant, impingas; itèm Origanum appone in loco, ubi *formicæ* meant, aſpergens modicum pulviſculum vel ſalis, vel ſulphuris, ſic enìm iter deſerent, ſuiſque relictis cavernis, aliò migrabunt; hìnc cum *formicæ* ſint vitii *avaritiæ* ſymbola, & *depopulationis* agrorum, *Origanum* eas fugans eſt *virtutis* ſymbolum, fugantis vitia, ſicut & *ferrum candens*, quia formicas fugat, ſi impingas in ceſpitem, ubi nidificant, eſt typus *virtutis*, quàm ſi immittas in animum, ubi habent vitia nidum, prorsùs ea fugat, & abigit. Sed & relatum *Origanum* à putredine præſervans, ut ideò utantur eò inſalſamentis, ne carnes putreſcant, eò magis eſt ſymbolum *virtutis*, quæ à putredine morali vitiorum præſervat.

Nec omittam *Gillam*, quàm ajunt memoratam ab Ambroſio, cujus folia *turtur*, excluſo fœtu, nido apponit, ut pullos ab incurſu luporum tutetur; unde & *Gillam* ſymbolum *virtutis* patet, qua vitia, quæ dicas lupos rapaces animi, fugantur, & quæ eſt contra lupos rapaces immodicarum paſſionum remedium. Sed ſi *canes* cum fellis vitio laborant, *gramen* illud ſuum decerpunt, ut ſanentur; ſi *ſues* cephalalgiâ cruciati *cancros* fluviales inveſtigant, ad medelam; & ſi naturæ ductu animalia bruta contrà morbos corporis remedium inveſtigant, cur tu homo contrà animi morbos VIRTUTEM medicinam non quæras?

Virtutem ergò dicas armaturam animi; & hùc *hieroglyphicum virtutis* MINERVA armatà galeà, thorace, ſcuto, lanceà; quorſum iſta? ut indicent, quòd virtus eſt animi armatura. Quorsùm *oliua* dicata Minervæ, niſi ut

si ut indicetur, quòd si *oliua* semper viret, & est symbolum *pacis*, virtus semper est in virore, nunquam seneſcit, animumque virtuosi cum pace interiori servat, potentiasque cunctas cum rectà ratione tenet concordes? *Oliva* item symbolum *incorruptibilitatis* innuit, virtutem *ex se* non esse corruptioni subditam; si abit ab animo, tu eicis cum vitio.

Hùc symbolum *virtutis* artificiosum sub specie virginis armatæ, in dextrà tenentis lanceam, in siniſtrà scutum, intra quod figurata arbor dicta *illex*, ad latus animal spinosum dictum *Hiſtrix*.

Cur *armata*? ut indicetur, quòd *virtus* est armatura animi contrà vitia. Ideò *Hiſtrix* apud virtutis symbolum, ut indicetur, quòd si hoc animal laceſſitum se colligit intrà se, suis spinis ut lanceis munitum, & est armatura sibi, ità virtuosus secum habet arma contrà fortunæ insultus; colligit se intrà se, & in se arma tenet; ope humanà non eget externà, qui in se habet Deum. Sapiens alio homine non eget; ex hominibus sufficit ipse sibi, mundi auxilia non quærit.

Cur *virgo*? ut indicetur, virtutem corruptionem non pati; dens edax temporis omnia caduca consumit, sola virtus mordacitatem temporis non timet. Cur cum *lanceà*? quia virtus non solùm defendit, sed à longè noxia repellit. Cur cum *scuto*? quià est protectio animi. Cur pro galeà *lauras*? quia virtutem nulla adversæ fortunæ fulmina lædunt. Cur arbor *illex* figurata intrà *scutum*? quia si ista arbor profundas habet radices, & ideò creſcit, & adversis aquilonibus resistit; ità perfecta virtus in profundis radicibus humilitatis consistit; itèm radices habet in Deo; hinc est constans, & firma; si *illex* arbor habet ampla in virore folia, & speciosa, ità virtus perfecta speciosas operationes edit, & servat in immortali virore. Quò acriùs secaveris ramos *illicis*, & cœdas, tantò speciosiùs germinat, viret, creſcit, & ramos augustiores explicat; sic quò magis cœdas perfectè virtuosum, tantò assurgit vegetior. Virtus vera minas tyrannorum illudit, sententias capitales non horret; non frangitur sapiens doloribus corporis, nec animus cadit incommodis, tunditur à tyranno corpus, non animus; etiàm in ærumnis perseverat infractus; ideò virtutis symbolum *oleum*, id effundis in aquà symbolo *tribulationis*, sed tandem non manet dejectum in fundo, elevatur, & superius natat in summo. Virtutis symbolum *palma*, quæ est typus triumphi, & victoriæ, quià oneri non cedit, sed incurvatur contrà pondus, resistens, non cedens, non flectitur onere; sic virtuosus adversitati resistit, triumphat, infortuniis non cedit, consistit animo forti.

Virtutem dicas *facem* in nocte, *ducem* in viâ, *anchoram* in procella; multi à favoniis deserti, in tabulâ virtutis tutum invenere portum. Debilis est nebula contrà Solem, quam tandem superat, & clarior, & gratior apparet Sol ex oppositione; contrarietas vaporum non extinxit, sed placidiorem expedivit splendorem; ità nec calamitatum colluvies, nec injuriarum vapores Solem virtutis veræ extingunt, imò oppositione victà, micat gloriosior. Jacula contrà virtuosum dicas jacula contrà astra, animum non attingunt, nec feriunt. Sapiens in adversis premitur, non opprimitur, nec de constantiæ proposito dimovetur. Virtuosus fluctuare potest, non mergi.

Virtus præmia caduca contemnit, quià est superior ipsis; pretium est ipsa sibi, & pulcherrima merces; solus Deus est virtutis præmium; sensibilia cuncta bona reliqua sunt inferiora virtuti. *Herculem* videas figuratum nudum, cum solà pelle *leonis*, & clavà; cur tanto viro alia ornamenta desint? quià pellis *leonis*, *& clava* sunt insignia (apud Poesim) *virtutis*, at virtus sufficit ipsa sibi, fortunæ ornamentis non eget.

Virtus est animi pulcher habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum

pie-

pietas, honor hominis, cultus divinitatis, est thesaurus indeficiens, nec consumi timens, nec latronum insidias pati. Est virtus chara sponsa, animum sponsum ubique comitatur; si in domo, si in foro, si in viâ, si in mari, si in portu, si in procellis, si in Civitate, si in deserto, si in oriente, si in occasu, si in horto, si inter sylvas sit virtuosus, ibi cum eo virtus sponsa fida, nunquam deserit sponsum; si vigilet iste, sive dormiat, semper est ipsi socia; est socia in felicitate, in adversitate, in vitâ, & in morte, item etiàm post mortem comitatur spiritum sponsum.

CAPUT III.

Adducuntur SYMBOLA VIRTUTIS ex sacris chartis.

IN nostris sacris chartis *virtus* symbolicè indicatur per *lucem*, quià est lux animi, & claritas, fugans vitiorum tenebras; apud Genesim enim cap. 1. B. *lux* significat virtutes, & luminaria in firmamento significant virtutes in animo.

Apud Exodum (cap. 23. C. & Num. cap. 18. C.) *adeps* signat pinguedinem bonorum operum, & *virtutum* fœcunditatem; adeps est pinguedo addita carni, & sicut sine pinguedine caro est arida, ità *sine virtute* est arida anima.

Virtutes, & bona opera per *lampades* in sacris literis signantur, quià animum illuminant, & in aulà animi lucent.

Abinoem (apud Judic. cap. 4. A., & cap 5. B) interpretatur *pater pulchritudinis*, & *coruscatio*; signat *virtutes*, quæ animos possidentium reddunt pulchros, & coruscantes.

Isaac, ut dicitur *risus*, designat *virtutes*, quæ gignuntur à voluntate, ut *Isaac* à Sarà; & dicuntur *risus*, quia adferunt gaudium, nunquam auferendum.

Per *bonas arbores* intelligere potes in chartis sacris virtuosos, salutares germinantes virtutis actus, ut fructus.

Ager floridus, & cultus (sicut & *hortus* apud Isaiam cap. 5. v. 1.) animum signat virtutibus cultum, & floridum, sicut & *paradisus voluptatis*. Quare illa verba Isaac ad Jacob (Genesis cap 27) *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni* in sensu *morali* significant animum ut agrum spiritualem, virtutum floribus spiritualitèr odorum, & gratum.

Item *lignum vitæ*, & *ligna imputribilia Cethim* in codicibus sacris (inter alia) *virtutes* symbolicè signant, quæ sunt animi *vita*, & præservant à morte vitii, & corruptionem rerum caducarum non timent.

Item apud sacras chartas *ostium*, & *portam* potes intelligere symbola *virtutum*, quæ sunt aditus ad Deum, & porta, per quam virtuosus, perseverans usque in finem, intrat in gloriam.

Puteus (apud Psalmum 7.) habens salutarem aquam, symbolum est animæ, continentis aquam salutarem *virtutum*; & apud Genesim (cap. 26. D.) *fodere puteum* signat purgare sensus, & animum à terrenis affectibus, ut aqua virtutis sit in puteo animi pura.

Virtutes si dicas *aromata*, & *unguenta*, non erras; sunt enim (apud Cantica cap 4. D.) aromata *virtutes*, unde fluit bonæ opinionis odor; & sicut aromatum odor spargitur, cum igne incenduntur, sic virtutes odorem emittunt, cum igne charitatis inflammantur; & apud Cantica (cap. 4. D.) *unguenta* signant *virtutes*; & apud Exodum (cap. 30. C.) *unctionis oleum*, seu unguentum *virtutes* designare potest; sunt unguenta, in quorum odo-

rem

rem currere proficit, & quæ animæ tumores humiliant, & vulnera vitii sanant, ideò *virtutem* dixeris *medicinam animi*, quia liberat animam à perturbationibus; & apud Ezechielem (cap.47.C.) *ad medicinam valebant folia arborum templi*; in quo indicabatur, quòd *doctrina moralis*, quæ est Philosophia *Moralis*, curat animam; sed in tantum curat, in quantum tu (ope Dei) unguenta, quæ ipsa dictat, nempe *virtutes* tibi applicas.

Sed virtutes esse animi *arma* etiam in literis sacris habes, in quibus *accincti gladio* signant eos, qui *virtute* sunt præditi contra vitia; & apud librum 1. Regum (cap.31. C.) *arma bona*, *quibus pugnandum est adversùs hostes* signant sacra eloquia, præcepta Christi, *virtutes*, & bona opera, quæ dicuntur *arma lucis*, & ea sunt arma Dei, qui est *Dominus virtutum*; & apud Exodum (cap.12. D.) *armati ascendentes filii Israel ex Ægypto* signant instructos *virtutibus*. Item *murus* protegens velut scutum civitatem, aut castrum, signat *virtutes*, quibus adversùs hostes, id est, affectus immodicos anima munitur, & hoc in sacris chartis *muri Hierusalem* (inter alia) designant; apudque Cantica (cap.4 B) *clypei mille* (sive *scuta mille*) signant symbolicè perfectam multitudinem *virtutum*; quot virtutes, tot contrà hostes animæ clypei.

David dejciens Goliam gigantem (typum superbiæ, carnis, Mundi, & diaboli) quid signat nisi *virtutem perfectam*, de relatis hostibus triumphantem? ideò data virtutis symbolo laurea. Gladius *Phinees* (apud Num. cap.25 B.) quo confodit *adulteros*, signat *rectam rationem*, & virtutes, quibus jugulantur vitia, & confunduntur errores

POETÆ sub nomine HERCULIS intellexerunt VIRTUTEM, sive ANIMUM, qui sit VIRTUTE præditus.

DE Hercule narrat Amb. Calepino, quòd fuit Jovis, ac Alcmenæ filius, qui ob fortitudinem, & gloriam, inter Deos fuit creditus esse relatus. Cicero de Naturâ Deorum, sex hoc nomine fuisse appellatos commemorat; primus fuit, qui certamen habuit cum Apolline de Tripode. Alter Nilo natus Ægyptius, quem ajunt, Phrygias literas conscripsisse.

Tertius, cui inferias asserunt. Quartus Jovis filius ex Asteria, Latonæ sorore, qui Tyri colitur, filiamque habuit Chartaginem. Quintus in Indiâ, qui & Bellus dicitur. Sextus Thebanus ex Alcema, & Jove tertiò genitus, cui aliorum gesta assignant. Herodotus scribit Herculem unum ex duocecim Diis Ægyptiorum, Græcosque ab Ægyptiis, hoc nomen mutuatos, indidisse filio Amphytrionis. Varro nominat 44. Hercules. Verum tamen omnes, qui robore præstiterunt, hoc nomine ab Hercule, Alcmenæ filio, appellatos fuisse affirmant. Macrobius lib.1. Saturn. cap. 20. asserit, Herculem esse Solem; nam componitur ex duabus dictionibus Græcis, latinè *aeris gloria*, quæ est Sol, aerem illuminans. Hinc 12. labores Herculis signant 12. signa Zodiaci, quæ Sol singulis annis conficit; hinc & Hercules pro tempore, quia Sol suo cursu singulis annis, annos componit. Herculem autem Alcmenæ filium maximè nobilitavit implacabile odium Junonis; quæ, quod ex pellice natus esset, perdere illum cupiens, novis semper monstris objecit, quæ res expectationem ejus maximè fefellit; ille enim semper victoriam referens, immortale sibi decus peperit; adeò ut illa priùs jubendo, quàm ille laborando, defatigaretur.

Quæ physicè possunt intelligi, quòd si nomine Herculis intelligitur Sol, & nomine Junonis aer, sanè aer multos obices ponit Soli; & nubibus, & vaporibus, & tempestatibus, quasi invidus Solis, eum satagit obscurare,

& varia monstra efformat in nubibus, Soli opposita; sed tandem Sol vincit, & triumphat.

Multi fuerunt Hercules, qui diversis temporibus floruerunt, & (*apud Poetas*) heroicà virtute, rerumque gestarum magnitudine fuere insignes; tamen huic Herculi, nempe filio *Jovis*, ac *Alcmenæ*, & inter Deos ab Ethnicis relato, reliquorum labores, sicut in unum, attribuerunt.

Apulejus *Floridorum* 4. ait, quòd Hercules ille, quem Poetæ memorant, olim monstra illa immania hominum, ac ferarum subegisse virtute, orbemque terræ purgasse, similiter adversùs iracundiam, & invidiam, atque avaritiam, ac libidinem, cæteraque animi monstra luctatum fuisse, Philosophus Hercules iste fuit; qui eas pestes omnes à mentibus repulit, familias purgavit, malitiam perdomuit; seminudus & ipse, & clavà insignis, etiam *Thebis oriundus*, unde Herculem fuisse memoria extat.

Dio Chrysostomus multus in celebrandis ærumnis, & laboribus *Herculis*, dicit, fuisse Principem fortissimum, & justissimum, ex adverso athletis oppositum. Pervigil, ait, & tenuis erat ille; nec enim carnibus onustus, ut athleta posset leones domare, Asiam, Europamque peragrare. Acutè videbat, acutè audiebat; nec hyemis, aut æstus vim curabat, ut à præclaris actionibus revocaretur. Sordidà pelle indutus, interdum fame correptus, bonis opem ferebat, improbos verò aut de medio tollebat, aut in ordine cogebat. Hæc Dio orat. 8. *de virtute.*

Miri labores narrantur de Hercule, ut occidisse leones, aprum terribilem, Hydram multorum capitum, cornupetam taurum, naribus ignem efflantem; Centauros, pubetenùs specie *humanà*, inde *equinà*; Cerberum canem trifaucem eduxisse ab inferis, quem canem (ait Natalis comes lib. 7. pag. mihi 365.) fabulantur *quinquaginta* habuisse capita, *tria* canina, *reliqua*, & caudam *draconis*; Cervam æripedem, & habentem cornua aurea captasse; Diomedem, equos suos pascentem carnibus humanis, occidisse, & alia, quæ discursu operis loquendo de vitiis, & virtutibus magis memorantur.

At ista patet, fuisse Poetica figmenta, nec enim fuere similia monstra Hydra septem capitum, apud alios capitum 50. nec cerva æripes, nec Cerberus triceps, nec taurus ignem è naribus efflans, nec Centauri specie humanà, & *equinà*; sanè fabulosa sunt ista; sicut & quod *aurea poma* rapuerit ab Hesperidum hortis, sopito, aut occiso vigili Dracone custode; quòd domuerit *Geryonem* tricipitem; quòd totum Cœli orbem sustinuerit humeris.

Quorsum ergo talia figmenta? sanè ad instruendos bonos mores; sub illis involucris fabularum Poetæ Philosophiam *Moralem* innuerunt, vulgaribus, & rudibus occultam, ne nimià familiaritate vilesceret, & sic recurrerent ad sapientes pro doctrinà, & explicatione. Quare Dio, Orat. 8. *de virtute*, labores Herculis *retulit ad purgationem animi, & vitiorum expulsionem*, quæ sanè *hieroglyphicè* significantur per *illa monstra*, quæ effinguntur, ab ipso victa, occisa, & edomita. Imò cum etiam per Herculem intellexerint Solem, omnia illa de Hercule figmenta ad Solem, & ipsius effectus, cursum, & vim innuendam spectant; dicente Natali Comite lib. 7. pag. mihi 375. *Quod si quis ea, quæ dicta sunt de Hercule, diligentiùs consideraverit, patebit profectò, tùm ad mores, & vitam hominis, rectè instituendo, tùm etiam ad Solem illa, quæ narrantur de Hercule, spectare.* Hæc Natalis.

Voluerunt Poetæ homines instruere ad vitam honestam, & scientiam benè vivendi *enigmaticè* innuere; ideò cuncta sub nomine *Herculis*, & per

illa

illa *monstra* vitiorum dederunt; qui intelligebant per Herculem *virtutem*, per illa monstra vitia; vel *Herculem* intellexerunt animùm *virtuosum*; per ipsius *clauam*, & *sagittas*, quibus effingitur occidisse illa monstra, intellexerunt *virtutes morales*, quibus vitia enecantur, & pereunt; & per diversa figmenta, labores, & monstra innuerunt symbolicè diversas virtutes, & vitia; imò cum idem monstrum multa possit figurare vitia, per idem monstrum occissum ab Hercule, ostemderunt multa vitia edomita, & repulsa ab eàdem virtute.

Ideò ait Natalis comes lib. 7. pag. mihi 372. nomen Herculis alii à virtute dictum *crediderunt*, cùm Hercules sit *fortitudo*, & *prudentia*, & *ratio*, quæ *est in nobis*, & *constantia*, quæ quoniam sine divina *bonitate*, *optimoque animi affectu*, *nemini contingunt*, id circò *Jovis filius Hercules dictùs est*, & *Alcmenæ*, sivè *constantiæ*; *omnis enim probitas*, & *patientia* indiget (in rebus adversis, aut *in voluptatibus superandis*) *Divinà bonitate*, *tanquam duce*, *qua gubernetur*, cum nulla vis humanà satis *sit per se potens*. Hæc Natalis comes ibi; & in numero superiori dixerat sic: *Hercules*, quem GLORIOSVM, ob Junonis odium, possumus interpretari, & *Jovis*, *ac Alcmenæ dicitur fuisse filius*, sanè nihil aliud est, quàm *probitas*, & *fortitudo*, & *virium præstantium animi*, *tùm etiam* (addit) *corporis*, *quæ uniuersa vitia ex animo depellit*, & *profligat*. Patet autem hoc ex ipsorum nominum interpretatione; dictus fuit Hercules primùm ALCIDES, quòd VIM significat; idemque filius ALCMENÆ, quæ vox *strenuitatem* significat. Hæc Natalis Comes ibi. Consonat Pier. Val. tom. 1. lib. 14. pag. mihi 47. cap. 32. dicens: HERCULEM, *quem vetustas illa* pro virtutum omnium *tàm animi*, *quàm corporis idæa proposuit*, angues *etiamnum in cunabulis elisisse canunt*, quippè eum innuentes, qui ad magna, & præclara *sit natus*, vel à teneris *unguiculis extinguere voluptates*. Et idem Pierius tom. 1. lib. 51. pag. mihi 544. cap. 3. ait: *Herculeam* verò *clavam* illam, *valido plurimùm* de robore fieri *solitam*, virtutis *simulacrum esse*, *optimiquique authores tradunt*. Item Pierius Val. tom. 1. lib. 1. pag. 11. cap. 25. ait: *Leoninum spolium virtutis hieroglyphicum est*; *eaque de causa Herculi dicatur*, *quem pro virtute veteres posuere*.

Item commentator Alciati pag. 757. col. 1. citat Servium explicantem illud Virg. 6. Æn. de cane Cerbero extracto ab Hercule: *Tartareum ille manu custodem in vincla petivit*. Quo loco, ait Servius: Herculem à prudentioribus mente magis, quam corpore fuisse habitum, adeò ut 12. ejus labores ad aliquid excellens VIRTUTUM opus referendi esse videantur. Hæc commentator Alciati ex Servio ibi.

Hinc nomine *Herculis* intelligitur jàm ipsa *virtus*, jàm animus virtuosus, sivè fulcitus *virtute*, quæ significatur in clavà, jàm animus virtutis cupidus, & amasius, quæ omnia in idem tandèm coincidunt, licèt aliquibus figmentis explicandis planiùs hæc annotatio congruat; si autẽ nomine Herculis intellexerunt Solem, sane cum Sol sit symbolum virtutis illuminantis, & fœcundantis animum, congruè per Herculem figurarunt *virtutes*, & virtuosi actiones præclaras.

Hinc consequenter ad dicta commentator Alciati pag. 599. col. 2. ait: Quæ *tradita sunt de Hercule* non solùm ad Solis naturam, qui propter imagines Zodiaci duodecim *præcipuos* labores, qui dicuntur de Hercule, absolvisse dicitur; sed etiam *ad humanæ vitæ institutiones tradita sunt*; quippè cum alioquin frustrà laudes Herculis commemorarentur; cum illa monstra, quæ dicuntur ab illo fuisse domita, neque ita esse potuerint, nec si fuissent, nobis obessent, ut libro 5. canit *Lucretius*. Si autem aliquis labor fuit

in aliquo viro *forti*, qui ideò dicebatur *Hercules*, quod nomen significat *vim*, qui egisset aliquid memorabile, & insigne, & tunc Poetæ ex illa re historicà, ut ex stabulo Augiæ purgato, quod ajunt commemorator Alciati pag.596. & Natalis Comes (lib.7. Mytholog. pag.mihi 373.col.2.) ad historiam retorquent aliqui, & illinc Poetæ ansam habuere effingendi aliquid ad bonos mores,intelligendo per *stabuliũ Augiæ* passiones sordidas sensus, sivè animi in corpore, & per Herculem virtutem,sordes vitiorum, & passionum inordinatarum voluptatumpurgantem,non litigo.Sicût ad historiam referunt, quod Gerionem tricorporem vicerit; nempè tres fratres unanimes, & consentientes in omnibus; & hinc *trino corpore* dictus; vel ut alii putant, quià tribus insulis *Hispaniæ* adiacentibus, nempè *Ebusæ*, & *majori,minorique Balearicæ* imperaret. Item victoriam de *Antæo Gigante Lybico* historicam putant, sicut & per Hydram septem capitum, vel plurium, cujus uno capite reciso, pullulabant plura, intelligunt multos fratres concordes,ex quibus uno extincto,multi videbantur insurgere propter apparatus bellicos, semper recentes, & validiores; sicùt quod *aurea mala* tulerit ex *Hesperidum hortis*, etiam hystoriam credunt; dicunt Atlantem, magistratum gerentem, in re difficili, Herculis consilio, rem gessisse præclarè,propter quod dedit Herculi in præmium *tres oues*, quòd munus temporibus illis erat honorificum; & quia apud Græcos *oues*, & *mala* fructus sunt, datus est locus fabulæ; item quia oves erant aurei coloris, sicut solent esse fructus, qui dicuntur *mala*, sivè *poma*. Hæc Natalis Comes ibi. Sed quicquid sit, quod in aliquo homine, dicto Hercule, quia polleret vi, & in quocumique,qui aliquid mirum egisset,vel monstrum occidisset, Hercule dicto, aliquid historicum sit, unde figmenta pro institutione morum Poetæ confinxerint, propter ea, quæ symbolicè, pro moribus, poterant significari in illis, tamen nos per *Herculem* solùm intelligi volumus *virtutem*,vel *animum* virtute *præclarum*,sicut & *virtutem* per Herculis *clauam*, quare solùm allegorias per Herculis historias,quæ sint,attendimus. Et quidem,qui dixerunt,fortitudinem Herculis non fuisse *corporis*,sed *animi*,sanè per illa *monstra occisa* intelligunt *vitia*,per Herculem occidentẽ intelligunt *virtutem*,vel *animum*,*virtutis clauà* munitum;quare Cartari p.184.*de imaginibus Deorum antiquitatis*,ait,apud aliquos fortitudinem laudatam fuisse *animi*, non *corporis*, & ideò fortitudinem *virtutis*, qua superantur inordinati appetitus, *rebelles rationi*, significati in illis *monstris*, ab Hercule edomitis, & quæ ut monstra fera rationem perturbant, & hominem continuò vexant,& Herculem ideò dictum domitorem monstrorum;at quia non sunt magis fera, & monstra, & tyrannica, & terribilia, quàm vitia, ideò fortitudo Herculis dicta, ait Cartari ibi, ab aliquibus fortitudo *animi*, non *corporis*. Et consentire videtur Suidas, dum Hercules effingit amatorem eximium virtutis,& prudentiæ,& ideò ornatum *pelle leonis* symbolo *magnanimitatis*, & animi generosi; cum *clava*, symbolo *prudentiæ*, & sapientiæ, in dextrà; in sinistra tria *aurea poma*, quæ fero Dracone occiso, rapuit; per Draconem intelligitur vitium, quod tyrannicè tria aurea poma *trium potentiarum* animæ subjecta habet; vel intelligitur appetitus sensitivus inordinatus, qui sibi subjicit tres animæ potentias, cum debeat servire illis; at virtus, occisso dracone vitii, sopito sensu, & edomito,rapit ab hujus tyrannide tria aurea poma id est,tres potentias animæ, ut sic honestè, & laudabiliter exerceant actus. Et qui (ut ait Cartari pag.180.)Galli Herculem adorarunt ut Numem eloquentiæ, & prudentiæ, sub specie senis in ultimâ senectute, calvi, paucis capillis in capite, colore fusco, *crispo*, rugoso, pelle leonis vestiti, sed majori ex parte nudi, in dextra *clauam*, in sinistra *arcum*,

cum, pharetra ſagittarum pendebat ab humeris, & ab extremitate linguæ catenulæ explicabantur aureæ, & argenteæ (ex electro, & auro dicit Alciatus) quæ auribus multitudinis gentis adſtrictæ, eam ſponte, & vi dulci trahebant, *ſanè* hoc ſimulacrum conſpirabat ad innuendum per Herculem eloquentiæ, virtutis, & prudentiæ dotes, & vires. Commentator Alciati pag.598. col.1. n.4. ait: Per *Herculem*, qui vir magnanimus, prudens, & eloquens fuiſſe perhibetur, intelligenda eſt *conjuncta cum ſapientia*, & virtute *facundia*. Item in diſputatione Heraclidis Pontici ad allegorias Homeri extant hæc verba: *Minimè putandum eſt, Herculem corporibus viribus olìm tantùm præſtare potuiſſe; at cum prudens eſſet, & cœleſti ſapientiâ plenus, ceu à profundâ ſanè caligine* univerſam *Philoſophiam illuſtravit*; quæ ſententia, ait, etiam Principum *Stoicorum eſt*; & hìnc præfatus autor tranſit, explicando in laboribus Herculis vitia occiſſa per virtutes; per *aprum occiſum*, qui ab Hercule occiſus effingitur, intelligit intemperantiam edomitam; per *leonem* occiſum ab Hercule intelligit edomitum impetum, temerè moventem, quò non decet. Eadem ratione per *Cornupetam taurum* edomitũ ab Hercule intelligit iracũdiam repreſſam. Per *Ceraunìam cervam* ab Hercule expulſam, intelligit propulſum è vitâ metum, quia cervus ſymbolum eſt timoris. Per *ſtabulum Augiæ* purgatum ab Hercule, intelligit vitium purgatũ, quod nefas eſt nominare, propter fœditatem. Per *volucres Stymphalidas fugatas* intelligit fugatam ſpem inanem, & ventoſam, cum qua hominis vita ut plurimum luctatur. Per *Cerberum tricipitem* ab inferis ab Hercule eductum intelligit ipſe Heraclides triplicem Philoſophiæ partem nempè *rationalem*, *naturalem*, *Moralem* ab Hercule inventam, & ex ignorantiâ eductam ad publicum bonum. Vnde nobiſcum Heraclides per Herculem intelligit animum virtute munitum, per illa monſtra vitia.

De Hercule, qui & Alcides, dicit Pierius, quod ſignificat *malorum depulſorem*, & dicit Herculem depulſorem *malorum animi*, & etiam *morborum corporis*; dicit enìm, etiàm Herculem fuiſſe *medicum*, & in Theſſaliâ, herbarum omnium feraciſſimâ, Chironem habuiſſe doctorem, qui & fuit Doctor Æſculapii, Dei medicinæ. Et quod apud Euripidem legitur de Alceſtide, quam Hercules vivam ab inferis ad Admetum reduxit, Plutarchus, ait Pierius ibi, intelligendum cenſet, quòd cum Alceſtis ità gravitèr ægrotaret, ut depoſita jam, & deſperata eſſet, venit Hercules, & medendi ſcientiâ, qua excellebat, ei valetudinem priſtinam reddidit.

CAPVT IV.

HERCULES ille HEROS, per quem POETÆ ſapientes (*non vani alii, ignari*) jàm *intellexerunt ANIMUM* perfectà, *imò* heroicà *VIRTUTE* prædìtum, *jàm VIRTVTEM IPSAM* in animo, *fuit* S. Patriarcha *HABRAHAMVS*.

QUandò jàm ex tenebris, & confuſione ſuperſtitioſæ gentilitatis ultimò edemus apertam, & puram, & incolumem *veritatis* GEMMAM, *& margaritam*? Sacram illam veterem *ſcholam hieroglyphicam* (derivatam ab *Adamo* ad *Noe*, ex hoc poſt diluvium ad alios præcipuè *Habrahamum*, ex hoc ad alios, præcipuè ad Ægyptios, & ex iſtis ad alios ante ſacras Scripturas alphabeticas) aperuimus in primâ Porticu; & in *ſecundâ*, *& tertiâ* PORTICU occaſionaliter non ſemèl confirmavimus, ut videas à pag.132. & pag.178. & pag.1000. & frequentèr. Itèm illa hieroglyphica

pu-

pura à noſtris, *ſecundùm* FIDEM, derivata vindicavimus, & lavavimus à gentilitiis ſordibus, & idolatricis fœcibus, quibus ſuperſtitioſa gentilitas (diabolo ſuadente) ea deturpaverat.

Sed cur noſter Sanctus Patriarcha ABRAHAM (nomine HERCVLIS, at *purè*, intellecti) à nobis permittatur cum injuriâ, & non vindicatus? Mixtis ſuperſtitionibus, & mendaciis, deliravit fraus diabolica confundere noſtrum *Herculem*, miſcendo alios, quos gentilitas dixit *Hercules*, & erant homines vitioſi, & idolatræ, & ſolùm aliqua virtute fucatâ. Ergo pro ABRAHAMO agamus.

Ex relatis habemus, quòd nomine Herculis intelligitur à Poeſi VIRTUS; & quidem cum Hercules ſignificet *vim*, & virtutem dictam *à vi* putent, germanum eſt, quòd jàm nomine Herculis intellecta à Poeſi ſit VIRTVS; jàm (ut dictum ſuprà) *animus virtute inſtructus* ſit intellectus à Poeſi etiàm nomine HERCVLIS.

Quià tamen Poetæ relata fundarunt in *virtute inſigni*, quæ fuerat in aliquo inſigni viro, vel fundarunt in aliquo inſigni viro virtute inſigni prædito, qui ideò dictus ſit HERCVLES, in aliqua enim hiſtoriâ, vel facto illa figmenta fundabant, ut plurimùm, videamus quis ille heros fuerit.

Vidiſti (apud veteres) plures dictos fuiſſe *Hercules*, & Herculem dictum, quicumque patraret aliquid egregium; unde & geſta ab uno confuderunt cum alio, & denique confuderunt Ethnici cuncta, & in caliginem immiſſerunt; omnia tamen egregia geſta ab aliis reduxerunt ad illum *primum* Herculem, dictum *Jouis*, & *Alcmenæ* filium, quatenùs ab illo geſta fuerant præclariſſima, & excellentiori glorià, & excellentèr heroica, unde unus primus fuit *excellentiſſimus*, & *heros virtute*, ut ideò per illum & *virtutes* ſignificarint, & *animum* heroicà præditum *virtute*; & ſi aliquid poſteà factum ſit (hiſtoricè verum) ab aliquo viro apud Ethnicos ideò inſigni, ideò & jàm dicto ab ipſis Hercule, in illà hiſtoriâ, vel facto phyſico excitabant moralitatem aliquam, cujus illud opus phyſicum poſſet eſſe proportionatum ſymbolum; ſed omnes bonos ſenſus morales referebant ad illum heroicum, & præſtantiſſimum *Herculem primum*.

Non omnia, quæ dicuntur de *Hercule*, geſta per diverſos viros dictos ab Ethnicis *Hercules*, quadrant, nec debent convenire ABRAHAMO, ſed *excellentiſſima*, & puriori laude *digna*; & quæ *Abrahamo* verè ſint congrua, & ipſius, *Abrahamo* ſunt applicanda, & ex his, quæ Ethnici ipſi de *Hercule*, vel putarunt, vel dixerunt *heroica*, ABRAHAMVM fuiſſe illum primum heroicum Herculem, eſt opinandum.

Itaque Apulleius (Floridorum 4.) ſuprà citatus dicit, *Herculem* ſuperaſſe *vitia*, ſymbolicè, vel ænigmaticè ſignificata in illis *monſtris*, quæ finguntur; at quis ex Ethnicis fuerit *heroicus* debellator vitiorum, & virtute *heroicà* ſubjugator immodicarum paſſionum? nullus; in nullo enim Philoſopho gentili reſplenduit *virtus moralis heroica*, imò nec *perfecta*, ſed ſola aliqua virtus fucata, aut umbra virtutis; ſola aliqua virtus civilis, non perfectè moralis; nec virtus heroica, fuit in illis Ethnicis gentilibus Hectore, Æneâ, nec in aliquo Alcide, ſive Hercule gentili Ethnico, quos paſſim Poetæ dicunt *heroes*; ergò virtus illa *heroica*, quam Apulleius in Hercule prædicat, cum non fuerit in aliquo Ethnico gentili, Hercule dicto, ſolùm tenet locum, ſi intelligatur de aliquo *viro heroico*, & noſtro *ſecundùm fidem*; at quòd iſte fuerit ABRAHAMVS, conjicitur non ſolùm quià fuit præditus *heroicis* virtutibus, quas Apullejus narrat, ſed quià dicit de ipſo, quòd *peſtes omnes à mentibus repulit*, *familias purgauit*, *malitiam perdomuit*; at S. Patriarcha *Abraham* qui (ut dictum in p. 133. & 134.) prædicavit

in

in Chaldæa, & inde in Chanaan, & ut dictum à pag. 131. docuit in Ægypto, est qui relata bona egit.

Item de Hercule dicit Apullejus, quòd *Hercules* fuit *Philosophus*; item ex Heraclide Pontico dictum, quòd Hercules fuit *Cœlesti sapientiâ plenus, & uniuersam Philosophiam à caligine illustrauit*; item dictum suprà ex commentatore Alciati, quod Heraclides Ponticus per *Cerberum trifaucem*, quem Hercules ab inferis eduxit ad auras, intellexit ipse Heraclides, quòd Hercules primus docuit *Philosophiam*, cujus est triplex caput, cum dividatur in *Rationalem*, *Naturalem*, & *Moralem*; at ABRAHAM fuit primus, qui *cœlesti sapientiâ* docuit Philosophiam illam sacram hieroglyphicam in Ægypto, & ex Ægyptiis hauserunt Græci, quorum sunt figmenta Poetica fabulosa de Hercule occidente monstra, & educente Cerberum ab orco, ad aliquid innuendum; item in Ægypto (ut alibi dictum) ABRAHAMVS per hieroglyphicum Mercurii *tricipitis* innuit divisionem Philosophiæ in tres partes, *Rationalem*, *Naturalem*, & *Moralem*, & in Rationali intelligitur contemplativa, Theologica, sive Mystica, vel in contemplativâ intelligitur etiam Rationalis, quæ per omnes alias vagatur. Ideò in pag. 725. per Herculem educentem Cerberum ab inferis explicuimus ABRAHAMUM; vide ibi.

Addit Apullejus, quòd *ille Hercules insignis* memoratur *oriundus Thebis* in Ægypto; at licèt *Abrahamus* non sit natus *Thebis*, qui erat nativitate Chaldæus, tamen (ut infero ex pag. 176.) fuit Mercurius, qui etiam docuerit *Thebis*; quare Ægyptii, qui viros insignes arrogabant sibi, & maximè *Abrahamum* propter beneficia ab ipso accepta, & quem ideò (ut dictum pag. 285.) coluerunt *Deum*, illum voluerint dicere *Ægyptium natione*, sicut etiam quià (ut dictum pag. 139.) juxtà aliquos fuit *Abraham* per *viginti* annos commorans cum Ægyptiis, & docens illos; unde quia *Thebis* Metropoli Ægypti docuerit, & per 20 annos cõmoratus est cum Ægyptiis, isti eum, tanquam suæ *Thebanæ* nationis, reputaverint; ut ideò non dicat Apulejus *assertivè*, quòd Hercules *fuit Thebanus natione*, sed dicit, quod *Thebis oriundus memoratur*; vel *extat memoria*, id est, fama, fuisse *Thebis oriundum*, sive *natione Thebanum*. Applica hùc dicta in pag. 177. de *Æsculapio primo*, per quem ibi intelleximus ABRAHAMUM. Imò licèt Abraham non docuerit *Thebis*, sed in aliâ parte Ægypti, tamen quia aliquando *Thebæ* fuerunt Metropolis totius Ægypti, ideò fortè voluerint dicere Thebanum, vel fuerit alter Hercules apud Ægyptios Thebanus.

Item Herodotus scribit *Herculem illum maximum* unum ex præcipuis *duodecim Diis* Ægyptiorum; at ABRAHAMVS (ut dictum pag. 286.) cultus est ut *Deus*. Item alibi dictum ex aliis, quòd *Duodecim Dii* Ægyptiorum fuerunt *duodecim* Patriarchæ *Hebræi*, quos coluerunt *ut Deos*, fortè quià viderint eorum semen valdè propagatum in Ægypto, & maximè quæ mira fuerũt à Moyse pro libertate illius populi ex 12. Patriarchis propagato; vel fortè ex amore, ergà Jacob, & Joseph, & Abrahamum; at ABRAHAMUS sicut fuit maximus, & primus *Patriarcha hebræus*, ità fuerit ille maximus, & primus *Hercules*, ab Ægyptiis cultus *ut DEUS*.

De *Hercule* illo eximio dictum suprà ex Pierio in Emblematibus medicis cujusdam eruditi, quòd fuit insignis *Philosophus*, & *Medicus*; at insignis, & primus *Philosophus*, in Ægypto docens, fuit ABRAHAMVS, ut dictum, & probatum à pag. 132. & 286. item fuit *Medicus* insignis, & *primus*, qui in Ægypto docuit *Medicinam*, ut à pag. 168. ostensum

Et si de illo *Hercule* dicitur, quòd fuerit *Ægyptius*, ABRAHAMVS fuit *Ægyptius aduena*, sive peregrinus in Ægypto, ut ideò etiam in pag.

177. eum dixerimus *primum Æsculapium* in Ægypto,& licèt *Æsculapius* dictus sit *Ægyptius*, ibi ABRAHAMVM diximum *Ægyptium aduenam*, nempe peregrinum in Ægypto, & per tempus in Ægypto commorantem, ut doceret.

Sed quis ex illa confusione Ægyptià, & antiquà, & contradictione Scriptorum de rebus Ægyptiacis, *evidenter* possit inferre? divinamus, conjicimus, ut possumus.

Quod effingitur *Herculem*, sopito *dracone*, tulisse *aurea poma*, potest alludere ad hoc,quòd *Abrahamus* (terrefacto Pharaone plagis à Deo,quià rapuerat Saram,& domo Pharaonis totà morbis percussà) tulit ex Ægypto armenta, aurum, & argentum, data à Pharaone, & aliis, tùm ex timore, tùm propter beneficia doctrinæ, & artium, ibi accepta ex *Abrahamo*, dicente Genesi cap. 13.à v.1.& 2. Ascendit ergo *Abram de Ægypto, &c. erat autem diues valdè in possessionibus auri, & argenti.* Ultrà divitias *auri, & argenti*, addunt *Hebræa Veritas*, & *Septuaginta* divitias *pecorum*; & legunt, *erat autem* (nempè ABRAM) *grauis valdè PECORE, ARGENTO, & AURO*; constat enim præcipuas antiquorum opes *pecora*, atque *oues* in primis fuisse; unde etiamnùnc custos *ouium* non *ouilio*, sed *opilio*, tanquàm *opum conseruator*, dicitur. In cap. 12. Geneseos, v. 16. habetur de Ægyptiis: *Abram verò benè usi sunt propter illam* (nempe propter Saram) *fueruntque ei OVES, & BOVES, & asini, & serui, & famulæ, & asinæ, & cameli*. Hebraicè stat *Heteb*; id est, *benefecit* Rex Pharao *Abramo*; adque Regis exemplum Principes cœteri, & famuli Regiæ aulæ etiàm *Abramum* honoraverunt, dicente (Homil. 32. in Genesim, literà A, pag. mihi 177.) Chrysostomo de illis donis datis à Pharaone, & aliis, Abramo sic: *Hæc autem ipsa honoris, & ministerii gratià data sunt ei*, nempè Abramo. Ergo figmentum, quòd *Hercules*, dracone sopito, tulit *aurea poma*, potest alludere ad id, quòd Abrahamus, terrefacto Pharaone, tulit dona, ipsi data; & fortè in figmento effingitur, tulisse *TRIA aurea poma*, alludendo ad illa *TRIA*, nempè PECORA, ARGENTUM, & AURUM, quæ (ipsi data) tulit Abraham de Ægypto. Vel si (ut dictum suprà) per *tria aurea poma* intelliguntur ab aliquibus *tres oues aurei* coloris, cum numerus *trinus* sit numerus *multitudinis*, & OVES tulerit Abram de Ægypto, per quas apud veteres intelliguntur *præcipuæ OPES*, fortè figmentum, in quo componitur, quod *Hercules* tulit *tria aurea poma*, id est, *tres OVES aureas*, alludat ad *multitudinem OVIUM*, quas *Abram* tulit de Ægypto; in quibus includantur, & cœteræ divitiæ, quas tulit, & specialis commemoratio sit *forte* facta de OVIBUS, quià erant apud veteres *præcipuæ opes*;& dictæ sint *oues aureæ* (sicut *aurea* poma) propter *pretiositatem*; nam omne *pretiosum* à Poetis dictum est *aureum*, ut *aurea* cæsaries, *aurei* rami, *aureus* sol; *prætiosæ* autem erant illis temporibus OVES, & erant *præcipuæ* OPES, ut ideò OVES à Poesi dici potuerint aureæ. Vide pag. 139.

Nec impropriè per *draconem* sopitum ab *Hercule* auguramur,& conjicimus *Pharaonem*, quem Deus, propter raptam Saram, plagis affecit, audiens *orationes*, & *preces* Abrahami ad Deum, ut ideò dixerint, quòd Abraham sopiverit draconem, id est Pharaonem, quià Deus,preces Abrami exaudiens, castigavit, & sopivit ipsius Pharaonis impuritatem, qui ut *draco vigil* custodiebat Saram in aulà suà Regià, & affectu *impuro*, ut ideò à Poesi sit indicatus *Pharao* sub nomine *draconis*, symboli *impuræ voluptatis*, & quià erat eminens, potens, & Rex, sic ut draco serpentibus eminet aliis; dicente Chrysostomo ubi suprà de *Pharaone* plagis flagellato à Deo, quòd *Deus, acerbissimà pœna concutiens Pharaonis mentem, discedere fecit à*

ne-

nephario flagitio, coercuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligavit concupiscentiam indomitam, refrænavit furoris insaniam; ergo ecce *draconem voluptuosum*, & vigilem impurè, *sopitum*. Alibi consequenter dictum, quòd per *Mercurium* occidentem *Argum centum oculis*, qui custodiebat *vaccam*, & eam tulit, intelligere potuerunt in hoc figmento Poetæ *Abrahamum*, qui (ut dictum pag.134.) dictus est *Mercurius*; *vacca* signabat *Saram*, quam custodiebat in suâ aulâ Pharao, ut Argus centum oculis vigil impurus; sed *Mercurius* effingitur occidisse *Argum vigilem*, & sìc tulisse *vaccam*, cum Abrahamus sanctè precans, à Deo est assecutus, quòd Pharaonis impulsus impurus langueſceret, & extingueretur, & fuit extinctus præ timore, cum plagis à Deo fuit flagellatus, & sìc *vacca*, nempè *Sara*, fuit *Abramo* restituta.

Quod de Hercule addit suprà Dio Chrysostomus, nempè quòd Hercules aliquando passus sit *famem*, potest alludere ad illud, quid Genesis cap.12.v.10. *Facta est autem FAMES in terrà, descenditque ABRAM in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi; prævaluerat enim FAMES in terrà*; quare *fames* Abrahamum coegit peregrinari. Hìnc cum Poetæ illi Græci acceperint à nostris sacris scripturis, & ab Hebræis multa, quæ posteà sub figmentis suis Poeticis involuebant, ut patet ex pag.427. & item, ut patet à pag.428. plura figmenta quantùm ad sensus latentes in figmentis alludant ad id, quod *in nostris sacris scripturis* continetur, ex his eijsdem potuerunt scire, quæ sacra scriptura dicit de ABRAHAMO, & de isto sub nomine *Herculis* componere illa figmenta, quæ alludere videntur ad ea, quæ de *Abrahamo* nostræ sacræ Scripturæ referunt, & ad ea, quæ de ABRAHAMO audivissent illi iidem Græci Poetæ ab *Hebræis*. Sed cum multos Hercules Poetæ dixerint, quia *Hercules* est idem ac *virtus*, & ideò quos videbant insignes *virtute* aliqua, ab ipsis putatâ tali, dixerint Hercules, etiam non unum solum virum ex nostris ABRAHAMUM dixerunt *Herculem*, sed alios, etiam SAMPSONEM dixerunt *Herculem*; & quod dicitur, Herculem occidisse *leonem* Nemæum aliqui (ut in pag.432. dictum) putant alludere ad SAMPSONEM, qui occidit *leonem*, & Hercules *triduo* intra piscem (ex pag.432) alludit ad *Jonam*; at ABRAHAM fuit primus eximius *Hercules*.

Quòd *Hercules* sit figuratus *catenulis aureis* ex *ore*, trahentibus multitudinem *hominum*, innuit Herculis *eloquentiam*, qua homines dulcitèr alliciebat; at hoc potest alludere ad ABRAMUM, virum insigni eloquentiâ præditum, & qui aureâ suavitate dicendi allicuit Ægyptios, & primus in Ægypto artem eloquentiæ, nempè *Rethoricam* docuit, ut à pag.158. à nobis ostensum.

Quòd *Hercules* sit figuratus, *humeris* sustinens *Cœlum*, potuit alludere ad hoc, quòd ABRAHAMUS fuit insignis *Astronomus*, *& Astronomiam*, ut à pag.146. dictum, primus *perfectè* Ægyptios docuit; & sicut in pag.285. dictum ex Miranda, quòd sub nomine *Atlantis* fuit à veteribus intellectus *Enoch*, & quòd fuit figuratus, *humeris* sustinens *Cœlum*, quià *primus* ante diluvium *Astronomiam* invenit, aptiùs dicerent, primus ex munere commisso ab Adamo, publicè docuit, nam *primus*, qui talem scientiam filios, & nepotes docuit, fuerit Adamus, cui Deus ut capiti, & Doctori primo generis humani omnes naturales scientias contulit, ità ABRAHAMUS fuerit ille sub nomine *Herculis* apud Ægyptios (unde ad Græcos) figuratus, *humeris* sustinens *Cœlum*, quià post diluvium (post Noe) fuit *Astronomus* præstantissimus, & *Astronomiam* primus perfectè Ægyptios docuit. Vide pag.150.& 286. & 287.

Figmentum illud, quòd *Hercules* in *cunâ* suffocaverit *serpentes*, sivè

angues, cur non alludat ad ABRAHAMUM, qui à tenera ætate fuit *moribus* bonus, & suffocavit appetitus terrenos, inordinatos, & rebelles sensus, serpentes in corpore, quorum sunt symbola angues? ideò in pag.375. dictum, quòd Philosophia *Moralis* significatur per ABRAHAMUM; semperque à tenerà ætate ABRAHAMUS in Chaldæà (etiam inter idolatras) *unum Deum verum* coluit, & amavit, ut in pag.133. diximus. Et aptè effinxerunt Poetæ, quòd JUNO immisit *angues* in cunam Herculis, ut eum occiderent, quos tamen *Hercules* (si sub hoc nomine intelligas ABRAHAMUM) extinxit; quia nomine JVNONIS, ut latè dictum in *secundà Porticu*, intelliguntur *bona fortunæ*, at *Abrahamus* suffocavit appetitum, & cupiditatem *bonorum fortunæ*, de quo dicit Maimonides citatus à nobis in pag.133. *Abrahamum, quòd Solem adorare recusaret, incarceratum fuisse; deindè BONIS* (FORTVNÆ) *spoliatum à Rege*. Vide paginam citatam 133.

Item si de *Hercule* referunt Poetæ multos *labores*, *& tribulationes*, vide in pag.132. & 133. quot *labores*, & tribulationes passus sit *Abraham* in Chaldæa, quià noluit adorare IGNEM, SOLEM, & STELLAS; deindè in Ægypto pro *Sarà*, raptà à *Pharaone*; & Geraræ pro *Sarà*, raptà ab *Abimelech* Rege, ut habes in cap.20. Geneseis, & cap.12. ejusdem Geneseis.

Luctæ Herculis contrà *monstra*, symbola vitiosorum, & *idolatrarum* hominum, etiàm possunt alludere ad *disputationes*, quas *pro uno vero Deo Creatore* contrà *Theracum*, *& Nemrodum* (ut dictum in pag.134.) *Abramus* proposuit; & sic *idolatriam* vicit, quæ apud Apoc.cap.17.v.3. indicatur per bestiam septem capitum, qualis fingitur *Hydra* victa ab *Hercule*.

Sed cum NEMROD (contrà quem disputavit *Abrahamus* pro cultu *unius veri Dei creatoris*, & contrà cultum *ignis*, Solis, *& Stellarum*) fuerit ille *gigas* princeps, caput, & Rex superborum artificum turris Babyloniæ, ut pag.429. dictum ex Augustino, & contrà talem *gigantem* NEMROD certaverit, & disputatione luctatus sit *Abrahamus*, & eum vicerit, nolens obedire ei, præcipienti cultum *ignis*, *Solis*, *& Stellarum*, & à NEMROD *Abrahamus* in ignem conjectus, illæsus evaserit, & sic illum NEMROD *gigantem Abrahamus* vicerit, cur ad hoc non alludat figmentum illud Poeticum, in quo dicitur, quòd *Hercules* vicerit *Giganteum Antæum*, & nomine *Antæi gigantis* non intellexerint Poetæ *Gigantem* NEMROD, quem S.P.Augustinus *Gigantem* fuisse refert, ex quo magis conjicies, quòd à Poesi Græcà sit intellectus *Abrahamus* sub nomine *Herculis*.

Nec præteribo ex pag.286. ex Miranda, quòd Ethnici illusi adorarunt *filios*, *& nepotes NOEMI ut Deos* sub nominibus *Martis*, *Jovis*, *Mercurii*, HERCVLIS; quarè cum *Abrahamus* sit cultus ab Ethnicis ut *Deus*, & item fuerit ex nepotibus *Noemi*, id est, ex descendentibus à Noe, per hujus filium *Sem*, non extrà conjecturam est, quòd *Abrahamus* fuerit ille cultus *ut Deus* ab Ethnicis sub nomine *Herculis*.

Nec obest, quòd in pag.138. dixerimus *Abrahamum* intellectum sub nomine *Mercurii*, & in pag.177. dixerimus etiàm ipsum intellectum sub nomine primi *Æsculapii*; nam ut constat ex pag.285. & 286. NOE fuit ab Ethnicis cultus *ut Deus*, & intellectus sub diversis nominibus *Jani*, *Cœli*, *Saturni*, *Jovis*, *Bacchi*, & in pag.626. & 627. dictum, quòd NOE etiam dictus est *Sabus*, *& Oenotrius*, *& Italus*; & de diversis nominibus *Mercurii*, per quem alii intelligunt *Moysem*, vide pag.283. & Hercules ipse diversa nomina habuit; sic etiam *Abrahamus* potuit diversis nominibus significari propter diversas dotes; potuit dici *Mercurius* propter scientias, & artes, & literas quas in Ægypto (ut dictum à pag.132.) docuit, & propter in-

ingenium, quo pollebat, & propter dexteritatem eloquentem ad docendum, quiâ omnia iſta intelliguntur per *Mercurium*; unde *Mercurius* dicitur author literarum, ſcientiarum, & artium, & talis fuit *Abraham* in Ægypto; qui & potuit (ut dictum pag. 177.) dici *Æſculapius*, quia ibi primus docuit Medicinum, & Æſculapius (ut dictum in pag. 177) non eſt nomen *perſonæ*, ſed medici *officii*, ut infertur, apud Ægyptios, à quibus primis fuit iſtud nomen Æſculapius, unde tranſiit ad Græcos. Item *Abraham* potuit dici HERCVLES, quia (ut dictum ſuprà) *Hercules* ſignificat *vim*, virtutem dictam putant *à vi*, quare per hoc nomen ſignificarint *Abrahami* VIRTVTES victrices de vitiis ſignificatis in illis *monſtris*, quæ dicit Poeſis ab *Hercule* occiſa. Imò & per illa *monſtra*, & etiam *tyrannos*, *& latrones*, quos *Hercules* dicitur ſuperaſſe, poſſunt intelligi *Nemrod*, & alii *Chaldæi*, contrà quos pro cultu veri Dei rationibus *Abraham* pugnabat; item poſſunt intelligi per *tyrannos*, *& latrones*, quos *Hercules* dicitur ſubjugaſſe, illi *quatuor Reges*, contrà quos pugnavit *Abraham*, & quos vicit, qui tyrannicè, & latrones rapuerant bona, quæ habebat *Lot* frater Abrahami, & eumdem LOT cum ſuis bonis tenebant captivum; at *Abraham* eos vicit, & *Lot* fratrem cum ſuis, & cum ſuâ ſubſtantiâ redemit à tyrannide. Sed & *Pharao* poteſt intelligi per *aliquod* ex illis *monſtris*, quæ Hercules viciſſe dicitur, nam precibus ad Deum ſubjecit petulantiam impuram Pharaonis.

Item de *Hercule* dicitur, *quinquaginta* habuiſſe filios; numerus *quinquagenarius* apud Poetas eſt numerus *multitudinis*, quarè apud Maronem (lib. 1. Æn.) *Quinquaginta intùs famulæ* pro *plurimæ*; hæc autem *multitudo* filiorum poteſt alludere ad *Abrahamum*, à quo ut Patriarchà populi Hebræi derivabatur multitudo illius populi, populus ille multus, ut ajebat Salomon precans Deum, daret illi ſcientiam *ad regendum*, ait, *populum hunc multum*; & Abrahamo promiſſerat Deus (ut habetur in Geneſi cap. 15. v. 5.) ſic: *Ait illi*, nempè Deus *Abramo*: *Suſcipe cœlum*, *& numera ſtellas*, *ſi potes*; *ſic erit ſemen tuum.*

Quare Poetæ illi ſapientes primi Græci hæc potuerunt ſcire ex Hebræis, & ex noſtris ſacris literis promiſſa *Abrahamo*, ut ideò *Hercule* dixerint *Quinquaginta habuiſſe filios*, id eſt, *multitudinem plurimam filiorum*, & ſic ſub *nomine Herculis* conjicitur, vel eſt congruentia, ut conjiciatur, quòd intellexerint *Abrahamum*; nam per generationes aliorum Hebræorum ſucceſſivas, quot fuerunt Hebræi, tot poſſunt *ſecundùm carnem* dici filii *Abrahami*, quatenùs omnes per Iſaac, Jacob, & Joſeph, &c. deſcendunt ab *Abrahamo*, ut fonte, & capite; nàm *ſecundùm fidem* omnes ſumus etiam filii *Abrahæ*, qui dictus eſt *Pater credentium*, nempè in Chriſtum Dominum. Viſa eſt multiplicatio popul. Hebæi valdè in Ægypto, & maximè poſt exitum de Ægypto.

Fingitur de *Hercule*, quòd fuit eruditus à Chirone *ſemiviro*, *& ſemiequo*, ad innuendum, quòd ſi *equs*, quia animal pugnax, eſt ſymbolum *belli*, & vir quia capax rationis, eſt ſymbolum *legis*, *& virtutis*, quæ dicitur à *viro*, oportet, Principem eſſe *virtutis*, *legum*, *& armorum* peritum; ideò in hoc innuerunt, *Herculem* fuiſſe peritum *armorum*, *legum*, *& virtutum*; at hæc conſonant *Abrahamo*, ut hinc etiàm conjiciatur, quòd fuerit ille à priſcis *heros*, intellectus nomine *Herculis*; nam *Abraham* floruit *virtutibus*; Ægyptios (ut dictum à pag 257.) *leges*, *& Politicam* docuit; item fuit vir *armis* ſtrenuus, *militiæ* Princeps, ut patet ex cap. 14. Geneſis, ubi conſtat, quòd *Abraham* pugnavit, & vicit *quatuor Reges*; ſunt ſacri verba textus à v. 14. in cap. 14. Geneſis: *Quod cum audiſſet Abram*, *captum vide-*

licèt LOT fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo; & persecutus est usque Dan; & divisis sociis, irruit super eos nocte, percussitque eos usque Hoba, & Phœnicem, quæ est ad lævam Damasci, redemitque omnem substantiam, & LOT fratrem suum cum substantiâ illius, mulieresquoque, & populum.

Hæc sufficiant motiva, ut inferatur ex relatis allusionibus, & parallelis congruentia ad *conjecturam*, quòd fuerit S. Patriarcha *Abraham* ille præcipuus *heros*, prædicatus à priscis sub nomine *Herculis*, & qui inter alios, quibus vetustas dedit tale nomen, fuit *primus, & maximus, & Abrahamo* conveniunt illa heroica gesta prædicata à priscis, & laudibus digna, purificata, & expurgata ab omni vitio, & superstitione, sivè superstitiosis figmentis, cum quibus superstitiosa vetustas confuderit, vel maculaverit præclara ab *Abrahamo* gesta; quæ enim alia legeris in libris eruditionis sæcularis de *Hercule*, quæ ad Sanctitatem Abrahami non alludant, vel S.Patriarchæ virtuti veræ heroicæ opponantur, vel vitia misceant, aut ad vitia alludant, aut connotent aliquid non gestum ab *Abrahamo*, nolis intelligere de *illo primo heroe*, & eximio *Hercule*, quem dicunt Ethnici maximum, & primum, & nos in sensu *puro* opinati sumus *Abrahamum*; sed intellige de aliis hominibus gentilibus Ethnicis, qui ab Ethnicis ipsis etiam sunt vocati, & insigniti nomine *Herculis*, sed immeritò, & superstitiosè, & leviter, & injustè, quia *virtus vera, & animi*, præcipuè significata nomine *Herculis*, non fuit *heroicè*, imò nec *perfectè* in illis hominibus Ethnicis, quos dixerunt *heroes*, & eosdem appellarunt HERCVLES.

Et cum *vetustas* illum *Herculem* primum, & *heroem* habuerit *ut exemplar* VIRTVTVM, nos libentèr accipimus, cum per illum intelligimus *Abrahamum*; & amantèr suscipit Catholicus lector, quæ de VIRTVTIBVS dicemus à Poesi indicata sub nomine HERCVLIS, cum per hoc nomen (*purificatum à superstitiosà gentilitià labe*) intelligit *Abrahamum*, qui *verè* est nobis VIRTVTVM *speculum*, & sanctitatis EXEMPLAR.

Ergo, lector ergà eruditionem Poeticam sæcularem propense, nolis sistere in solis figmentis, nec in narratione simplici actorum ab Hercule; sensum virtuosum inquiras, ut proficiat lectio; quæ sint *heroica* indicata verè, ad nostrum *Abrahamum* respectare, intelligas; nec sistas in illa confusione gentilitia Ethnicorum; unde quæ tibi scientia? putabis te ideò eruditum? imò vanitatis Aeolum, & utrem Vlyssis, vento plenum.

CAPUT V.

SIMULACRUM Herculis *erat hieroglyphicum VIRTUTIS; unum ex illis hieroglyphicis, ab* ABRAHAMO *datum* Ægyptiis; *ideò erit* idæa, *quam imitabimur, de VIRTUTE dicturi.*

SI sub nomine HERCVLIS *illius*, quem vetustas dixit HEROEM, & *primum, & eximium* inter omnes alios, quos posteà Ethnici dixerunt nomine eodem, intelligendus est S. Patriarcha *Abraham* in *sensu puro*, & quantum ad *heroica* quæ referuntur, & si ad *Sanctum Patriarcham* alludunt illa Poetica figmenta, quæ veritatem gestis ab *Abrahamo* consonam connotent, & heroicam virtutem illius involuant; tamen etiam sub nomine HERCVLIS intelligitur VIRTVS; imò simulacrum *Herculis* est hieroglyphicum VIRTVTIS, & opinor unum inter hieroglyphica illa, quæ S. Abraham dedit Ægyptiis, de quo latè in *primâ Porticu* diximus.

Cum enim S.Patriarcha Abraham docuerit Ægyptios illam Philosophiam *hieroglyphicam*, & in ea dederit hieroglyphica thesaurizantia non so-

ſolum phyſicos, & naturales ſenſus pro Philoſophia *phyſicà*, ſed etiam Theologicos, item & Morales, & fuerit finis Sancti Patriarchæ dirigere ad VIRTVTEM, & per viam VIRTVTIS ad DEVM, & ibi incluſſerit Philoſophiam MORALEM, ut in pag. 47. dictum, cur putandum, quòd *hieroglyphica* VIRTVTIS non dederit? dedit, & inter alia *ſimulacra* MINERVÆ, & HERCVLIS fuerunt hieroglyphica VIRTVTIS, cum & apud ſapientes veteres ſub nominibus *Minervæ*, *& Herculis* intelligatur ipſa VIRTVS. Nùnc autem HERCVLIS hieroglyphicum pro dicendis de VIRTUTE erit idæa. Nec tot ſalutares, & laudabiles ſenſus, & ſacræ & prætioſæ doctrinæ, quot indicantur per relata ſimulacra, ſivè hieroglyphica VIRTUTIS, agnoſcunt authores *Ægyptios* idolatras, Ethnicos, ſivè barbaros; nec patieris, hos tanti theſauri dicere fontes. Vidiſti à pag. 259. latè, & in pag. 432. pretioſa ſignificata per *Minervam*, & per ſimulacrum *Minervæ*, id eſt, VIRTUTIS; Vidiſti in pagina 1134. & 1135. *Minervam* fuiſſe figuratam cum *galeà*, *thorace*, *lanceà*, *& ſcuto*, & in hoc indicari, VIRTUTEM eſſe armaturam animi; item per relata ſignificantur *quatuor virtutes* CARDINALES, ut dicetur in *Quintà Porticu*; nempè PRUDENTIA *in galeà*, FORTITUDO in *thorace ad pectus*, *JUSTITIA in rectà lanceà*, *temperantia in ſcuto*; vide in *Minerva*, & in oliva dicata ipſi, talia virtuoſa, pulchra, & politica documenta à pag. 299. uſque ad paginam 264. ut minimè credas, tale hieroglyphicum (quod, ut dictum in pag. 259 & 260. fuit apud Ægyptios) fuiſſe ab Ægyptiis barbaris, & idolatris inventum; vide ibi, & reflectas Videbis, quot pulchra ſignificata, & documenta VIRTUOSA lateant in ſimulacro HERCULIS, per quem intelligitur VIRTUS, ut ideò clarè pateat, fuerit inſtitutum, ut *hieroglyphicum* VIRTVTIS; ergo cur tantum donum, olìm poſſeſſum ab Ægyptiis, & inde derivatum ad Græcos, & alios, non attribuamus *Abrahamo*, qui reliqua hieroglyphica Ægyptiis dedit, & ipſos etiam per *hieroglyphica* docuit? Vide à pag. 123. & à pag. 132. & deinceps in totà primà Porticu, hieroglyphicum Mercurii à pag. 158. & hieroglyphicum Æſculapii, id eſt, Medici, à pag. 178. uſque ad pag. 253. & hieroglyphicum *Bacchi*, id eſt, vini, à pag. 993. uſque ad pag. 1009. & hieroglyphicum *Nemeſis*, id eſt, *juſtitiæ* à pag. 1122 uſque ad pag. 1126. item vide hieroglyphicum *Jani* à pag. 74. uſque ad pag. 78. & hieroglyphicum Jovis à pag. 266. uſque ad pag. 268. item alia hieroglyphica Solis, Lunæ, Elementorum, Vulcani, Junonis, Cereris à pag. 11 uſque ad pag. 46. adeò ut ex miris, honeſtis, & laudabilibus, & ſcientificis ſignificatis ibi expreſſis clames pro *Abrahamo*, in Ægypto authore, & Magiſtro eorum ad hominum ſalutarem ſcholam, & doctrinam; fuerunt enìm *Noe*, & *Abrahamus* in lege naturæ poſt diluvium duo Soles, duo Magiſtri publici orbis, duo *Apoſtoli*, docentes virtutes, & vias ad Deum, & prædicantes CHRISTVM tùnc VENTVRVM, ſicut PETRVS, & PAVLVS in lege *gratiæ* fuerunt à Deo aſſumpti duo præcipui præcones veritatis, virtutis, & CHRISTI DOMINI, qui *jàm venerat*. Quare *Abrahamus* in Ægypto (ut didicerat à NOE, modo explicato à pag. 123.) inter alia hieroglyphica, continentia (ut in pag. 47. dictum ex Clemente) Philoſophiam *Naturalem*, *Moralem*, *& Divinam*, dedit etiam hieroglyphicum, ſivè ſimulacrum, & effigiem arcanicam, & ænigmaticam VIRTVTIS, & fuit illud ſimulacrum, quòd dictum fuit HERCVLIS, per quod nomen intelligitur in Ægyptiâ linguâ vetere, & apud veteres VIRTVS. Vide pag. 352. pro hieroglyphicis ab *Abrahamo*.

At Diabolus invidus noſtræ humanæ ſalutis, & felicitatis, aſſutiâ vafrâ,

frà, & fraudulentà, per homines iniquos retorsit illam scholam hieroglyphicam (ex abusu gentium, suggerente diabolo) in metropolim, & cloacham *idolatriæ*; inducendo, Ægyptios, & inde alios, ut adorarent illa *simulacra* ut *Numina*, & in eis responsa præbebat, & illusi homines ea consulebant ut *oracula*; & in ipsis simulacris hieroglyphicis adorabant *Dæmones*, *& homines* ut *Deos*, & in illo simulacro, sivè hieroglyphico perfectæ VIRTVTIS dictæ sub nomine HERCVLIS ab ipsis, adorarunt authorem hieroglyphici *Abrahamum* sub nomine HERCVLIS; cum enim esset illud simulacrum hieroglyphicum VIRTVTIS *perfectæ*, *& heroicæ*, animique *heroicà virtute* præditi, & ipsi fuerint admirati *Abrahamum heroem*, & excellentissimis virtutibus mirabilem, & quid *divinum* eum putaverint, hinc in eodem hieroglyphico VIRTVTIS, significatæ sub nomine *Herculis*, *Abrahamum* sub nomine HERCVLIS adorarunt; item quià erant proni, ut adorarent ut DEOS illos, à quibus optima beneficia, & inventa pro commoditate humanà ut artes, & scientias accepissent; cumque hæc beneficia accepissent ab *Abrahamo* in Ægypto, item & vidissent miraculosas plagas, quibus Pharao (cum hujus domo tota) fuerat flagellatus propter *raptam Saram*, hinc magis putarunt, quid *divinum*, *& Numen*, & adorarunt *eum* ut DEVM in illo hieroglyphico, & ænigmaticà effigie VIRTVTIS, indicatæ ab ipsis sub nomine HERCVLIS; cujus hieroglyphici (at *purè*, *& catholicè* intellecti, & procùl omninò ab omni odore idolatriæ) ad salutem spiritualem humani generis *Abrahamus* in Ægypto fuerat *author*.

Contigisse opinor cum *Abrahamo*, quod cum NOE; iste expertus vim *vini*, instituit *sancto fine*, illud hieroglyphicum *Bacchi*, id est *vini*, innuens in eo vini effectus *utiles*, si esset *modicè*, & opportunè potum; *noxios*, si esset *immodicè*, & intempestivè potatum, ut latè explicatum à pag. 1004. at Ethnici propter beneficium inventionis *vini*, & quià NOEMVM virum *heroem* sunt admirati, eumdem NOEMVM sub nomine *Bacchi* in illo hieroglyphico *vini* adorarunt ut DEVM, & authorem hieroglyphici in ipso hieroglyphico coluerunt. Item NOE erexit in loco, ubi posteà erat ædificanda ROMA illud (posteà dictum JANI) templum, & CRVCI futuræ dicavit, ut dictum in pag. 623. & p. 624. & 626. at vafer diabolus decepit homines, ut in illo templo adorarent NOEMVM ut Deum, & artifex templi adoraretur in templo, & sic retorsit diabolus ad idolatriam, quod S. Patriarcha NOE erexerat ad salutarem scholam; de quo vide relatas paginas, & in *Quintà Porticu*, quando dicamus de RELIGIONE.

Illud igitur simulacrum hieroglyphicum *Herculis* purè intellecti, id est VIRTVTIS (quod *purè*, *& sancto fine*, & procùl omninò ab idolatriæ odore, imò ut averteret ab idolatrià, per veram virtutem dirigendo homines ad unum Deum verum Creatorem, fuerat institutum à S.P. Abrahamo) postea diabolus suggerens retorsit, ut esset idolum, & in eo colerent *Abrahamum ut Deum*, ut sic esset hominibus *ruinæ*, quod institutum erat ut salutaris schola. Nos penitùs reijcimus idolatriam, & consideramus illud hieroglyphicũ, ut *purè* datum est ab *Abrahamo*, nempè ut *hieroglyphicum purum* VIRTVTIS, & schola sancta *Abrahamitica*, ut doceret gentes, quæ ad VIRTVTEM attinent; & prout opinamur ex *Abrahamo*, erit nobis idæa pro dicendis de VIRTVTIBVS, & contrà VITIA, quià reflectimus in illo hieroglyphico significata, quæ pro *virtutibus*, & contrà *vitia* docent nostri etiàm Catholici auctores. Item alia *figmenta de Hercule*, à Poetis Græcis *posteà* comficta, quæ ad VIRTVTES, *& bonos mores* respectent, explicata *purè*, non omittemus.

CA-

CAPUT VI.

VIRTUS est à DEO; ideò à DEO petenda. Primò *ex sacris literis. Ex Philosophiâ POETICA per HERCULEM filium* Jovis. *Item per MINERVAM, quam dixere natam ex CAPITE JOVIS.*

PRædicat Jacobus (in Epistolâ, cap. 1.) sic: *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluentèr, & non improperat, & dabitur ei; postulet autem in fide nihil hæsitans*; at virtus vera sapientia est; est igitur à Deo, est bona, & omne bonum deursùm est.

Nec aliqua actio bona, & virtuosa fit à nobis, nisi auxilio, & concursu Dei; & quidem, maximè post primum peccatum, natura humana vitiata, infima, & debilis, quid boni nisi à Deo adjuta possit efficere? Hìnc non semèl in sacris chartis *aranea* signat symbolicè nostram naturam, quæ post lapsum primi hominis, ad tentationes vincendas, & ad virtuosè operandum, in se debilis aranea est. Ex quo apud Deuteronomium cap. 24. D. *Mola superior* dici potest *Christus*; mola verò *inferior* ipsa *anima nostra*; ambo enìm concurrunt ad bonam operationem; *principaliter* autem ipse *Christus*; quare nihil boni possumus sine Deo, à quo omne bonum.

Mola non rarò etiàm in sacris literis signat cor hominis, quià instar *molæ*, quæ ab aquà agitatur, instabile est; & in gyrum cor hominis vertitur *molæ more*, dum multis aquis cogitationum, & curarum sæculi agitatur; imò moles terrenæ cupiditatis est mola asinaria, cui animus vitiosi est alligatus. Solùm *mola* inferior nostri cordis molit bonam farinam moralem, virtuosus affectus prodit, quando *molæ superiori* Christo est socia.

Hìnc aggressurus virtuosùm opus, implora divinum auxilium; ecce in cap. 6. Judicum. G habes, quòd *Gedeon* congressurus cum hostibus convocavit *Abiezer*, vel domum *Abiezer*; quid *Abiezer*? interpretatur *auxilium patris*, vel *pater auxilii*, sive *pater atrii*, aut *atrium patris*; ergo quid significat *Abiezer*? signat *divinum auxilium*; quod est invocandum, & convocandum, cum opus virtuosum intendas, ut hostes animi, & corporis vincas. Invoca *auxilium patris cœlestis*, invoca Deum *patrem auxilii*, ipse est *pater atrii* domus virtutis, ipsum auxilium divinum est *atrium domus patris cœlestis*; per atrium est introitus in domum, & per divinum auxilium est introitus in domum virtutis. Ergo ut intres, ergo ut vincas affectus vitiosos, & quosvis animæ, & corporis hostes, quæ vincere non sine virtute erit, Divinum auxilium invoces, quia sine Deo nihil boni.

Hùc conspirarunt Poetæ, dum *Herculem* dixerunt filium Jovis; nec Poetæ *sapientes* dixerunt Herculem filium *Jovis fabulosi numinis*; sed *purè*, & *Catholicè* nomine *Jovis*, quatenùs jupiter dicitur *à Juvando pater*, potuerunt Poetæ sapientes intellexisse *verum unum Deum nostrum*, qui est *Pater Juvans*, & homines *adjuvat ut Pater*. Licèt enìm jàm non liceat nobis, *Deum nostrum*, & *verum* dicere Jovem, ne in modo loquendi conveniamus cum Gentilibus, & ne pusillis audientibus, & non intelligentibus detur occasio scandali, dum putarent, nos colere, aut approbare Jovem fabulosum, & nefandum Numen, tamen apud *sapientes* in rigore Ætymologico Deus verus noster potest (*purè*, & procùl ab omni idolatricâ superstitione) intelligi JUPITER, id est, *à nos Juvando Pater*. Vide pag. 105. & pag. 107.

Hìnc *Herculem* dixerunt filium JOVIS, ad innuendum, quòd si nomi-

mine *Herculis* intelligitur VIRTUS, & nomine JOVIS apud Poetas *sapientes* intellectus fuit *Deus unus verus, & noster*, sanè VIRTUS dicitur FILIA DEI, quià à Domino Deo est.

Concordat his, quòd MINERVA dicta sit ex cerebro JOVIS nata; innuere voluerunt sapientes, quòd si nomine *Minervæ* intelligitur *virtus*, & nomine *Jovis* (at *purè* intellecti, & *Catholicè*, procùl omninò à gentilitiâ superstitione, & procùl penitùs à Jove illo execrando, & fabuloso numine) intelligitur *in sensu puro*, & æthymologico DEVS noster unus, & verus, à Deo vero est VIRTUS, ipsius est soboles, donum, gratia, ideo VIRTUS à DEO petenda.

Sed & Poesis viros (quos putavit insignes virtute) dixit filios *Jovis*; innuentes, à Deo omne bonum; at nos nomine *Jovis*, dicti à *Juvando Patris*, intelligamus solùm verum Deum nostrum, sicut & *Poetæ sapientes* intellexerunt; nec tamen apud vulgus imperitum (imò nec inter sapientes, nisi purè, & catholicè explicando, & urgente motivo) utaris unquam nomine *Jovis*, propter memorata suprà; aliud est, nos posse tale vocabulum purè, & Catholicè *intelligere*, aliud est, quod liceat *dicere*, quià hoc auditur ab aliis; habemus nomina in usu Ecclesiæ, & Catholico, quibus nostrum nominemus Deum, sine periculo scandali pusillorum, & sine consensu in modo loquendi cum gentilibus Ethnicis, à quorum erroribus est recedendum non solùm intelligentià, sed linguâ.

CAPUT VII.

VIRTUS est ARDUA, & DIFFICILIS. Primò ex Sacris literis. *Deindè ex Philosophiâ* Hieroglyphicà *per simulacrum HERCULIS, id est, VIRTUTIS figuratum* nudum, *& vultu colore* fusco, rugoso, crispo; *item per CLAVAM* Herculis *NODOSAM, & per* pellem Leoninam *insigne HERCULIS. Ex* Poeticà *per MUSAS habitantes in RUPIBUS ALTIS.*

PEccavit *Eva*, peccavit Adam; Deus justus judex adest, agit causam, audiuntur delinquentes, profert sententiam. Quid mulieri? *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Sensus literalis patet, *moralem inquirimus* in illis verbis *in dolore paries filios*. Explicat Augustinus (in lib. 2. de Genesi contrà Manichæos, cap. 19. impresso Basil. pag. mihi 311.) dicens: *Magnum Sacramentum est hujus sententiæ; quòd nulla abstinentia fiat à voluntate carnali, quæ non habeat in exordio DOLOREM*, donèc in *meliorem partem CONSUETUDO flectatur. Quod cum pervenerit, quasi natus est FILIUS, id est, ad BONUM OPUS paratus est AFFECTUS per CONSUETUDINEM BONAM; quæ CONSUETUDO ut nasceretur, cum DOLORE reluctatum est CONSUETUDINI MALÆ.*

Et addit S. Pater explicans relata, & item illa verba *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, sic dicens: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui; id est, illa pars animi, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit DIFFICULTATEM, ac DOLOREM, atque ità perpererit consuetudinem bonam,*

cau-

cautiùs jàm, & diligentiùs RATIONI obtemperat tanquàm VIRO, & ipsis tanquàm erudita DOLORIBUS convertitur ad RATIONEM; & libentèr servit jubenti, ne iterùm in aliquam perniciosam consuetudinem defluat.

Ecce per filios intelliguntur nostri actus, & affectus; at filii virtuosi non habentur sine *difficultate*, scriptum est, *in dolore paries filios*. Natura vitiata per peccatum originale prona est, ut sponte germinet vitiorum spinas, ut pariat filios sordidos, nempè vitiosos affectus; non sine dolore, & non nisi vincendo difficultates, & reluctando propriæ pravæ inclinationi, paries filios pulchros, nempè actus consonos, & virtuosos. Verè filii signant *opera*, & filium parere est operari; & filios parere in dolore est *difficultèr* operari benè; at auxilio Dei vincitur difficultas, cum quo anima tua pariet filios legitimos, id est, opera legi conformia, & filios filiorum videbit, cum percipiat præmia operibus respondentia, & à Sapientia & virtutibus genita.

Sed & Adamo dixit Deus, *In sudore vultus tui vescèris pane tuo*; panis animi nostri *virtus* est, sed non vescemur nisi *difficultèr*, & cum *sudore*, quousque acquiratur habitus virtuosus.

At & eadem indicantur moralitèr in illis aliis verbis Geneseos cap. 1. v. 7. *Masculum, & fœminam fecit eos*, in sensu *literali* Adamum, & Evam; in sensu *Morali* spiritum, & *carnem*; ille intelligitur nomine *viri*, ista nomine *fœminæ*. Sed inter spiritum, & carnem est continua rixa, dicente Paulo ad Galatas, cap. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; hæc enìm sibi invicèm adversantur*; in hac luctà vincere carnem est virtus, & ideò in Geneseos cap. 3. v. 16. dicitur *fœminæ*, significanti carnem, *sub viri* (id est in sensu *morali*, sub rationis, sive spiritus) *potestate eris, ipse dominabitur tui*, quia caro in luctà contrà spiritum debet remanere subjecta spiritui ut domino, & viro, & hæc est *virtus*, ergo si hæc non habetur sine luctà, non habetur sine difficultate.

Addit textus, Deum dixisse Adamo, & Evæ, *Replete terram, & subjicite eam*; in sensu *morali* intelligitur *caro* sub nomine *terræ*; quid præcipitur? *Replete*, id est virtutibus; quomodo hoc? *& subiicite eam*; quomodo subjicitur? culturà virtutum; subjicitur terra materialis aratro, ligone, labore, sudore, ut fructus bonos germinet; ergo subjicienda est terra carnis aratro, & ligone pœnitentiæ, ut prodat fructus virtutum. Et quid *moraliter* innuit illud Geneseos cap. 1. v. 18. Adamo, & Evæ, *Dominamini piscibus* maris, nisi quòd ratio dominetur affectibus sensus? est mare propter salsedinem, perturbationem, inconstantiam, fluctus superbè spumantes, symbolum concupiscentiarum sensus; at *spiritus* dominetur piscibus hujus maris, subjiciat affectus; at quomodo hoc sine difficultate? est *difficile*, at est opus, quòd liberè subijcias, ut sis salvus.

Hùc consonat Philosophia *hieroglyphica*, quam diximus ex Abrahamo. Cur simulacrum Herculis, quod diximus hieroglyphicum virtutis, cum vultu colore *fusco, rugoso, crispo*? sunt accidentia symbola *pœnitentiæ, & mortificationis*. Cur Hercules *nudus*? ut indicetur, quòd virtus contemnit terrena; à terrenis virtuosus se spoliat, ut possit contrà animæ hostes luctari nudus. Athletæ luctabantur nudi, ne vestimenta inveniret oppositor, unde tenens subjiceret; & cum animus luctatur nudus à terrenis, tunc vincit, quià tunc est virtus. Et cur hieroglyphico alteri virtutis Minervæ dicata *oliva*? dat *oleum*, quo ungebantur athletæ ad luctam, ne possent teneri à contrario, cum oleum redderet manus lubricas; sanè non nisi luctando, contemnendo terrena, animo nudo ab amore caducarum rerum, oleo charitatis, possidetur virtus; at relata in exordio *difficilia* sunt; & cur

clavam Herculis symbolum virtutis figurarunt *nodosam* ? ad indicandum quòd si nodus est symbolum *difficultatis*, virtus est acquiri *difficilis* ; im ajunt, clavam Herculis *nodos habuisse septem*, multarum difficultatum symbolum . Pellis leonis insigne Herculis, sive virtutis innuit, luctam præcessisse victoriam ; & cum leo sit symbolum appetitus sensitivi *concupiscibilis & irascibilis*, spolium illud, nempè pellis leonis in hieroglyphico virtutis innuit, oportere nos luctari contrà passiones immodicas sensûs, subijcendas ; at si victoria est gloria, & spolium inimici est decus, hæc non habentur sine luctâ difficili superatâ.

Poesis dum effinxit, Herculem in exordio *mœstum* suscepisse certamina periculosa contrà monstra, & addunt multas difficultates, quas tandem Hercules vicit, innuere voluerunt difficultatem virtutis maximè *in incipientibus*, & quod non nisi superatis difficultatibus gravibus acquiruntur insignes virtutes ; unde & *Musas*, per quas intellexerunt Poetæ virtutes, & scientias effinxerunt habitantes in rupibus altis, & montibus arduis Helycone, Parnaso, &c ut innuerent, quòd difficilis, & arduus est ascensus, & non nisi asperitate victâ permittitur accessûs.

CAPUT VIII.

Licèt VIRTUS *appareat* difficilis, *non tamen est ità difficilis, ut apparet; ope Dei, & considerato præmio, animosè arripiatur via ; id indicatum per* CLAVAM HERCULIS *gravem, & ab ipso moveri facilem. Item per alia* figmenta POETICA *de* HERCULE; *& per hieroglyphicum aliud* VIRTUTIS, *fixo obtutu intuentis* HONOREM. *Ex Philosophiâ Morali* symbolicâ *per* AMIGDALUM, PALMAM, & MALUM GRANATUM; *ex* Poeticâ *per* GANYMEDEM, & PEGASUM ALATUM.

QUi legisti caput præcedens, virtutem *arduam*, & *difficilem* ità concipis, ut assequendi evanescat spes? erras; *nolenti* est difficilis; *volenti* est Dei ope facilis ; nec enim Deus jubet impossibilia. Via virtutis licèt aspera, non est adeò ardua, ut timet carnis infirmitas . Hùc pulsat commentator Alciati (pag. mihi 518. col. 2.) dicens : *Nec enim tam arduus*, & asper est clivus, qui ad virtutis arcem ducit, ut ab ascensu terreat difficultatis opinione. Fingitur angustus, & præceps, perplexis ambagibus, & spinis obsitus, ubi nusquàm tutum possis figere pedem, & moliri sursùm. Herculeus labor effictus ad innuendum, quòd maximo labore aperitur hæc via ; ego vero (inquit relictus commentator) *ignaviæ* potiùs adscribo, quæ nihil aggreditur nisi cum fastidio; & inter ipsa principia languido spiritu, & desperato successu lassa deficit, non intendit robur, nec manus adhibet operi ; succumbit ; priusquam exploret pondus, & subeat dorso ; aspicit, & metatur molem oculis, non viribus ; graviora præsumit cogitatione, quàm in re sunt ; differt tentata onera, nec vult tangere, aut experiri, quæ suprà conatus, & nervos judicat pondera, an hæc non sit ignavia ?

Age, homo; *Amor* præeat dux, occupabis virtutis arcem . Arx virtutis

tis est in cacumine montis ; cur ad radicem sistis frustrà suspiciens suprà ? optas potiri fastigio ? oportet assurgere. Non descendunt nobis in occursum illa, quæ natura vetuit transferri, & mutare locum ; si apprehendere volumus, admoveamur, necessè est, & traijcere spatium, quod disjungit. Spe solà non arripimus, aut jactu voti; nec conatu duntaxàt est opus, sed impetu, qui ex ardore gliscat, & conantem velut propellat, ne hunc tædium detineat. Non metienda sunt curiosis oculis, quæ à tergo relicta, aut objecta adhùc à fronte intervalla; nec anxiè supputandum, quod restet laboris, & quantum exhaustum. Anguśti, & effœminati pectoris est ruminare toties molestias, jàm semèl devoratas,& regredi in memoriam eorum cum morsu doloris, quæ jàm concocta penè. Cogitemus in ipsà crepidine montis VIRTUTIS jàm stare nos, & assultu occupare posse caput sacri hujus, & augusti jugi, ubi VIRTVTI sua *regia, & thronus.*

Et quidem ità ; nostra enìm ignavia montes difficultatum apprehendit, ne montem virtutis ascendat, ne viam virtutis arripiat ; ergo, age, foràs excutiatur torpor; accingere, & accinctus arripe virtutis viam ; incipe, viator ; nunquam procedes, si non incipias. Opem Dei invoca, ope Dei ibis,& accedes ad virtutis aulam. Vide in Canticis Canticorum cap. 3 sponsam dicentem : *In lectulo meo per noctem quæsivi, quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo Civitatem ; per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt Civitatem, Num quem diligit anima mea, vidistis ? paululum cum pertransirem eos, inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Hæc sponsa ibi. Ecce sponsa anima quæsivit sponsum in *lectulo suo*, nempè in *corpore*, & non invenit, quià non invenitur *in affectibus* carnis, nec in *nocte* vitii. Laboravit sponsa, circuivit Civitatem per *vicos, & plateas* ; nec invenit, quià non invenitur *in sæculo*, nec in negotiis *fori*. At non defecit animo sponsa ; sed *constanter* quæsivit, & *animosè*, & tandem invenit. Sic invenitur VIRTVS; quæris eam inter affectus immodicos carnis ? non invenies. Quæris eam in nocte vitii ? non invenies. Quæris eam in sæculo, & negotiis fori ? non invenies. Ergo quomodo invenitur ? festinando, ut exeas ab affectibus immodicis carnis, à nocte vitii, à negotiis sæculi; tunc invenies; sed oportet more sponsæ assurgere, incedere, festinare, aggredi, animosè arripere virtutis viam, & recedere à vitii semitis.

Deus auxiliator adest ; ergo quid optatur ? *velis* ; si velis, omnia vincit amor, ardua contemnit, scopulosa reddit plana ; pennatus effingitur Amor; advolat, quò (Dei ope) velit. Non indiges ferreis armis, non Martis tormentis, non ponderibus bellicis; voluntas tua, Dei ope, sufficit; nolis dicere *Non possum*, quià sufficit, Dei ope, *velle*. Augustinus (de *præceptis Domini*) hortatur, nolis præcepta Domini apprehendere vincula ferrea; *ama*, inquit, & *aurea erunt*. Horridiora sunt impedimenta in provincia haprehensionis, quàm in regione veritatis ; nebulæ corpora parva proponunt à longè magna; ipsa apparet à longè non pertransibilis; sed accedenti est illa moles vanitas; vincitur, & sinè difficultate.

Vide in hieroglyphico virtutis, sivè Herculis CLAVAM magnam ex *Quercu* ligno gravi ; apparet immobilis aspicienti, sed tentanti, & moventi facilis ; ideò de Hercule jàm in viâ virtutis provecto effingitur, quòd quocumque volebat, CLAVAM facilis, & expeditus librabat. Vide simulacrum virtutis, sivè Herculis nudum, fuscum, crispum, rugosum, cum clavà ex materià gravi in manu ; vide cum pharetrà, sagittis, & arcu, & tamen significata in his, sectatoribus veris virtutis, & in viâ proficientibus, non fuere jàm gravia.

Cùm Herculi effinguntur jussa certamina contrà monstra, effingitur *mœstus*, at effingunt dictum ei, quòd esset *Dei voluntas*, & post illos labores peractos futurus esset immortalis, & inter superos collocandus; tùnc Hercules *bonâ spe* suscepit animosè certamina; quid in his indicare voluit Poesis, nisi oportere, voluntati Dei obedire, cujus jussu, quia simùl cum auxilio, excitatus animus, quid timeat? triumphabit, & coronam sibi parabit immortalem.

Considera præmia virtutis, & erit tibi *virtus* (Dei ope) *facilis*. Sapientes Poetæ rem attigerunt, cum ut legitur in Xenophonte ex Prodico Philosopho effingitur, quod cum Hercules erat Juvenis, pervenit in locum desertum, in quo *duæ* erant *viæ*, ex quibus una *ampla*, & amœna, alia *angusta*, & aspera, quæ ad oppositos terminos ducebant. Dubius Hercules, quam ex duabus arriperet viis, suspensus stetit; at ecce repentè objiciuntur ei *fœminæ duæ*, ex quibus una dicta VOLUPIA, pulchra, vaga, & amœna aspectu; quæ suadebat, arriperet viam floridam, planam, & amœnam, cujus viæ termini erant scopuli prærupti, præcipitia, vepres, discrimina, & ibi horrida monstra. Alia erat fœmina, habitu simplex, & honesta, cui nomen VIRTUS, quæ suadebat Herculi, arriperet viam angustam, asperam, spinosam, arduam in exordio, sed brevem, & in cujus fine inveniret amœnissimos campos, viridaria speciosa, cornucopias fructuum, & florum. Quid Hercules? allicitus arripuit viam animosus, quam ei suasit fœmina VIRTUS, & sic (concludit Prodicus) Herculi gloria, fama, nomen, decus, & immortalis laurea. Quid Poesis intendit in hoc figmento, nisi incitare ad VIRTVTIS amorem, & quòd *ex arduis perpetuum nomen*? Quid intendit, nisi ostendere, quòd considerare VIRTUTIS *præmia* accendit vires, agitat animum ad heroica? Ad templum HONORIS fuit aditus (apud Romanos) templum VIRTVTIS; quid indicare voluerunt, nisi quòd per viam *virtutis* pervenitur ad Regiam HONORIS? Sed hoc hieroglyphicum pro *virtute verâ*, & pro *honore verò cœlesti* existimo cum reliquis ab ABRAHAMO datum; sicut & sequens; nam Romani acceperunt ab Ægyptiis, qui ab *Abrahamo*.

Ideò aliam effigiem VIRTVTIS legimus cum duabus alis, quia cum alis *virtutis* advolat virtuosus ad immortalis *honoris* apicem. Videas in numo *Vitelii* VIRTVTEM figuratam sub specie puellæ; veste succinctâ, cum galeâ, & cristâ pennatâ; sinistra tenet hastam, dextra sceptrum; genu dextro quasi elevato insistit, sub pede est figurata testudo; aspectu fixo intuetur statuam HONORIS, cujus dextra tenet lanceam, terræ nitentem; pectore nudo usque ad mammas, sinistra tenet cornu divitiarum, & sub pede galeam; crines speciosè compositæ. Cur VIRTVTIS effigies veste *succincta*? indicat paratam ad pugnam, & viam; sic animus sit paratus ut pugnet contrà vitia, & viam virtutis arripiat. Quid innuunt *galea*, *& crista pennata*? quòd virtus est animi armatura, item volat ad præclara certamina. Quid innuit *hasta*? ad certamen conspirat. Quid *sceptrum*? quòd virtus regit passiones. Quid innuit *genu elevatum*, pede conculcante *testudinem*? quòd virtus rumpit moras, & tarditatem, cujus testudo est index, quia torpens, & incessu tarda. Cur in prospectu VIRTVTIS sit effigies HONORIS, & eam oculis fixis intuetur VIRTVS? ad innuendum, quòd amor HONORIS veri cœlestis ad VIRTVTEM acuit; *virtus* animosè paratur, & pugnat, cum HONOREM aspicit; HONOR tenet lanceam terræ nitentem, galeam sub pede, quia post præclara virtuosa gesta jàm non amplius pugna, sed quies tuta, & certa; ideò HONOR figurata crinibus speciosè comptis, cum cornu divitiarum, & symbolo felicitatis, quia

pu-

pugnæ succedit felicitas; pectus nudum usque ad mammas innuit, quòd virtuosus post peractos cursus vitæ hujus labores jàm ultrà vulnera non timet, jàm ultrà certamina nulla, jàm in æternum felix duratura quies.

Vide jàm *pellem leonis* insigne *Herculis*, sivè *virtutis*; pellis leonis, cujus caput apertum erat capiti Herculis galea, erat sola vestis à tergo; volunt, in hoc indicari magnanimitatem, & animum virtuosum; item *leoninam pellem* dicunt hieroglyphicum *virtutis*, quià indicat de sensu victoriam; erat item talis pellis incitamentum *memoriæ mortis*, quare tunicæ pelliceæ, quas Deus dedit nostris primis Patribus Adæ, & Evæ, mortalitatem illis memorabant; hæc virtutem connotant. At ad præsens *pellis* illa si innuit antecedentem victoriam ex luctà, ideò est *heroicum insigne* HONORIS; hinc non solùm leonis, sed alterius animantis pellem gestare, fuit *heroicus honor*, ut ex Appolonio in commentariis discimus; & Virgilius lib. 8. Æn. canit de Evandro.

Demissa ab læva Pantheræ terga retorquet.

Ergo *pellis leonis* insigne HONORIS in hieroglyphico VIRTVTIS indicat, quòd *virtutis* præmium est HONOR; ergo cui sit ardua VIRTVS, si cunctis est amabilis HONOR? at HONOR noster est DEVS; sed *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus!*

Virtutis hieroglyphica dixeris *amygdalum, & malum granatum*, cortices sunt *amari*, fructus est *dulcis*: Item virtutem dixeris *palmam*; arduus, *& asper* est ascensus, sed habet *dulces* dactylos in cacumine; ergo dulcedo vincat amaritudinem; spes suavitatis spernat amarorem; amaritudo est caduca, at dulcedo est perpetua.

Herculem Poetæ dixerunt ex laboribus inter superos relatum, ut innuerent coronam post labores, & ut istos redderent minus difficiles, cum gloriam immortalem pariunt. Sed Ganymedem finxerunt pulcherrimum Juvenem, Jovi charum, & in Cœlum asportatum; cur sìc fictio? *purè* exponatur; Ganymedis nomine intellexerunt Poetæ sapientes, & puri animum *virtute* præditum, quæ est pulchritudo animi; imò & Ganymedes significat virum prudentem, & qui recto consilio polleat, ergo illum effinxerunt Jovi charum, & ab eodem asportatum in cœlum, ut innuerent, quòd virtuosus est charus Deo, & Cœlum ut præmium virtuoso datur; quod si reflectas, spes præmii virtutem suadet amabilem; ut hæc fingerent Poetæ, ab Hebræis didicerint veritatem.

Effingitur *Pegasus equs alatus* natus ex cœde, sivè sanguine Medusæ à Perseo occisæ; ad innuendum, quòd si nominæ Medusæ, feræ bestiæ, monstri horridi, & serpentibus criniti intelligitur *vitium*, & nomine *Persei* VIRTUS, *& nomine Pegasi alati* intelligitur FAMA, virtus occidens vitium parit FAMAM virtuoso glorioſàm; hinc effinxerunt, quòd Pegasus ungulà feriens rupem Helyconis, aperuit fontem in Parnaso, cujus aquis Musæ exercerent cantica, ad indicandum, quòd *fama gloriosa virtutis* aperit, & excitat Poetarum venas, & ingenia, ut virtuosum suis carminibus, & hymnis plaudentes, reddant (at primariò ad Dei gloriam) laudibus immortalem.

Ergo si hæc consideres, via virtutis non est ità *ardua*, ut nostra proponit infirmitas; quam viam alii caro sicut tu, quam virgines, & puellæ delicatæ arripuerunt, & in qua cursum festinum fecerunt, cur tu dicas inpertransibilem?

CAPUT IX.

VIRTUS moratur, & ſervatur in arduis, *expirat inter* delicias: *Ex Philoſophiâ POETICA per HERCULEM, quem effingunt poſt* præclaros labores *ſerviencem OMPHALIÆ, & cum* colo, & fuſo *fœminea munera operantem. VITIUM ubi DELITIÆ*, ex Poeticâ *per HYDRAM ſub PLATANO natam, & educatam.*

VIrtutem dixeris Aquilam, quæ nidificat in *arduis*. Apparuit Deus Moyſi in medio rubi; quia inter ardua invenitur Deus, & virtus Dei donum invenitur, & ſervatur illæſa inter ardua. Dicam virtutem Paradiſum terreſtrem muro præcinctum, ubi Cherub cum igneo gladio defendens januam, ne aliqua fera vitii beſtia ſanctuarium profanet; dicas vineam muro munitam, ne aper ferus vitii de ſylvâ ſenſus eam depaſcatur. Etiam Ethnicos non latuit, ſic conſervari virtutem, dum Minervæ, per quam intellexere virtutem, ædem, ſive templum fecere Dorico opere. Ut enim ait Pier. Val. tom. 1. lib. 49. pag. 529. à cap. 25. uſque ad 30. Tota ædium ſacrarum forma antiquitùs pro conditione Numinis ædificari eſt ſolita; ità ut ex ipſa facie ædis, ſivè templi ſtatim intelligeretur Numinis, quod ibi adorabatur, qualitas. Ædes Jovi, Fulguri, Cœlo, Soli, & Lunæ dicatæ dicebantur *ſubdiales*, ut Vitruvius monet; & ſubdiali opere erant, ut facies templi innueret, ibi adorari Numina, quorum poteſtates, vimque, ac effectus omnes ſub dio ſpectabant. Veneri, Floræ, Proſerpinæ, & Fontanilibus Nymphis, quià erant Numina delicatiora, mollia, florida, dicabantur Ædes opere *Corinthiaco*; quod genus ædificii tùm gracilitate operis, tùm florum, ac foliorum laſcivià, & perplexitate voluptatum, & varietate trygliphorum, ac aliorum ornamentorum, erat viſui admodum, delectabile, ita ut qui videret faciem templi ità floridam, & amœnam, hinc intelligeret, in eo Numina mollia, florida, amœna, delectantia adorari. Junoni verò, Dianæ, ac Libero Patri, cæteriſque ejuſdem ordinis Numinibus *Jonicum* in Ædibus adhibebant opus; quod eſt temperamentum medium inter *Doricum*, quod erat rude, ſivè hiſpidum, & *Corinthium*, quod erat gratum viſui, amœnum, & floridum; ità ut ipſa operis ſimplicitas nec horrorem, & auſteritatem præferret, ſicut opus *Doricum*, nec enervatam mollitiem ex tot tornamentorum luxuriâ, ſicut *Corinthium*, demonſtraret. At *Minervæ*, per quam eſt intellecta virtus, *Herculi*, & *Marti* Ædes erigebantur *Dorico* opere; nullis deliciis, nullis laſcivioribus ornamentis florum, ac foliorum, nec denticulatis coronis, nec guttulatis metopis; ſed *rudi*, ac *hiſpido* potiùs aſpectu; qualis dignitas in viris expetitur, à peregrino omni cultu aliena; ità ut qui faciem templi etiam ex diſtantiâ, & inſcius loci videret, ex ſolâ Ædis facie intelligeret, ibi ſervari Minervam, Herculem, aut Martem; cum enim nomine Minervæ, & Herculis intellexerint virtutem, ſanè innuerunt, virtutem ſervari inter hiſpida, & auſtera, ibi adorari; non habere ædem Corinthiacam, floridam, amœnam, delectabilem, ſed aſperam; ſicut & cum Mars ſit habitus præſes belli, non ſervatur virtus bellica inter Venereas delicias, aut molles voluptatum flores; imò virtus tanquam Mars contra vitiorum monſtra, & Gigantes inter ardua munitur. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*; militat ſpiritus adversùs Diabolum, Mundum, & carnem; militat munitione virtutum; hinc ſpiritus tanquam Mars, & virtutes tanquam munitio inter ardua, & aſpera ſunt in tuto; nam florida, & mollia, &

de-

delectabilia alliciunt vitia, non expugnant.

Ideò ex Clemente *Alex. Stromat. Fama est, virtutis domicilium esse in quibusdam rupibus, ad quas difficilis ad modum sit ascensus, eamque celerem incolere locum castum*. Sanè ibi non recenti crapulà fumans ingluvies, non bulientis choleræ tumor; non spuma libidinis, circum præcordia effervescens; non picatus stertentis ignaviæ lentor; & in primo vestibulo cum dedecore magno retunduntur, si locum, aut aulam virtutis intrare velint. Sola virtus per ardua ascendit, per immensos labores, & angustias, per acutos vepres, & nives, & saxa penetrans, feliciori tandem hospitio ibi recipitur, & inter ardua, & accessu difficilia se conservat. Non ibi permittuntur Adonides, non Cyparissi, non delibuti corporeè solùm Ganymedes, non Veneris pulli, non Bacchi Sacerdotes tumulenti, non Martis ferociētis equi; non Floræ coloni, nec Volupiæ amasii; soli virtute præditi, qui ascenderunt per ardua, & in arduis, more Aquilæ, nidificant, ut procul à sæculi delitiis fortes se conservent, & veluti in propugnaculo, in arduis posito, à vitiorum phalangibus se defendant. Hùc Emblema, in quo figuratur passer Achantes inter vepres nidificans, & harmonicè canens; lemma, *Dulcissimè canit, & vivit in spinis*; inter flores sæculi virtus languet, & penitùs extinguitur. Cur putas *Abietem* arborem hieroglyphicum *virtutis*? arbor est illa admodum excelsa, & procera, superans altitudinem (ait commentator Alciati pag. 857.) pini, at editur in montibus altis, ubi asperitas, ubi solitudo, & ubi abietem agitat ventorum adversitas; sic ibi nascitur, ibi crescit, ibi elevatur, ibi conservatur, & eminet; sic & virtus nascitur, crescit, conservatur in arduis; ideò Abieti datum ab Alciato Embl. 202. & pag. 857. in *Comment.* Distichon, quod possit applicari virtuti.

Apta fretis Abies in montibus editur altis,
Est & in adversis maxima commoditas.

Fabulantur, quod Hercules è rogo Oetæo in cœlum translatus; ad Oetæum montem se recepit post tot actiones virtuosas; ad innuendum, quòd *in arduis* conservatur *virtus*. Hùc Natalis Comes *lib. 7. Mythologiæ lib. 7. pag. mihi 374. col. 2.* Cur post omnes victorias, post tot terræ, marisque labores, post superatos tot latrones, tot maleficos, tot violentos hospites, ipse Lydorum Reginæ Omphaliæ Hercules tam turpitèr servisse dicitur? quia magis, respondet, periculosum est, ne voluptatibus, quàm difficultatibus, plerumque vincamur. Magisque glorioſum est, se ipsum vincere, & animi impetus refrænare, quàm universum terrarum orbem sibi subijcere. In difficilibus, & arduis laboribus, per sylvas, colles, nemora, montes Hercules discurrens vi subjecit cervum, aprum, taurum cornupetam, leones, Hydram multorum capitum, Cerberum tricipitem, Geryonem tricorporem; quod innuit vicisse se ipsum, & pravas proprias passiones significatas in illis monstris subjecisse; at cum in delitiis cum Regina Lydorum, fuit, tùnc non victor, sed victus à passione propria.

Igitur *in arduis* conservatur virtus. Fuit Hercules (ait Natalis Comes *lib. 7. Mythologiæ p. mihi 367. col. 2.*) *Omphales* Lydorum Regis filiæ amore captus; quare multa viro forti indecora agere coactus est; nam qui Busiridem in Ægypto, qui Antæum fortissimum athletam in Mauritaniâ, qui in Hispaniâ Geryonem, in Thraciâ Diomedem superaverat, qui leones viserat, qui serpentes infans suffocaverat, qui latrones, qui homicidas, qui maleficos omnes ubique singulari fortitudine sustulerat, quem nec tenebræ inferorum, nec multiplicia Hydræ capita, neque celerrimum, ac læthiferum Cerberi venenum deterruerant, nec ulla vis periculorum vel tantillum commoverat, idem inermi Omphalæ leonis pelle concessa, inter pe-

dis-

dissequas *Omphales* fœmineo *habitu indutus sedentariam* artem exercuit, ut testatur Ovidius in *Dejanira.*

Non pudet Alcidæ vitricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum,
Crassaque robusto deducit pollice fila.

Hercules Heros, jam inter fœminas habitu fœmineo, & nens; sic inter delitias, & cum fœminis mollescit, & effœminatur virtus.

Illa Hydra septem capitum, alii dicunt novem, alii 50. capitum serpentinorum, quam occidit Hercules, dicit Natalis Comes *lib.7. Mythol. pag. mihi* 359. *col.*2. quòd versabatur plerumque, & educata fuerat sub *platano quadam* ibi amplissimà ad fontem Amymones, apud quem fuit etiam cœsa. Platani folium (ait *Pier.* Val.*tom.*1.*lib.*17.*pag.*171. *cap.*7.) arcet à nido noctuas, propter dicta in pag.1133. *Noctua* ait Pier. Val.tom.1.lib.20.cap.13. & 14. est insigne *Minervæ*, avis dicata ipsi; hinc cum Minerva sit hieroglyphicum prudentiæ, & virtutis, etiàm *Noctua*, quæ nocte vigilat. Effingitur, quòd Hydra symbolum vitii educata, & versata est sub *platano*, quià ibi educatur, & versatur vitium, ubi virtus, vigilantia, & prudentia fugantur. Item Platanus, luxurians foliorum pompà sine fructu, est symbolum delitiarum carnis; & sanè ibi effingitur educata, & versans *Hydra*, quià inter delitias vitium nascitur, educatur, & versatur.

Item (ait Pier.ibi pag.203. cap.19.) est *Noctua* symbolum *mortis*; vel quia est naturalitèr contraria *cornici*, quæ est symbolum *vitæ*, quia diù vivit; deindè est *avis nocturna*, at nox est symbolis mortis; hinc effingitur *Hydra*, symbolum vitii, nata, & educata, & versata sub *platano* symbolo repellentis symbolum *mortis*, ad innuendum, quòd ibi nutritur, crescit, & conservatur *vitium*, undè repellitur memoria ardua *mortis*; unde repellitur mortis memoria, sola mollities luxuriat, & inanis Platani viror. Apud fontem, & sub *platano Hydra* nata, educata, versans fingitur, quià inter fontes, & ad umbras arborum frondosarum voluptatum vitia concipiuntur, nascuntur, educantur, versantur, foventur, & crescunt. Ergo servemur in arduis, quià in arduis concipitur, nascitur, crescit, & servatur VIRTUS.

Figmentum de Hercule, serviente Omphaliæ effœminatè, non alludit ad ABRAHAMUM; sed vel fuit ex arbitrio Poetarum, ut cautionem in virtute servandà innuerent; vel si fundatur in historià, alludit ad historiã de aliquo dicto Hercule Ethnico; vel si alludit ad aliquẽ ex nostris etiàm dictum à Poetis Herculem, alludit ad SAMSONEM, quem constat ex pag. 432. etiam dixerunt HERCULEM, qui post occisum leonem, & post præclara gesta, effœminatè degeneravit in Dalilæ gremio; sed Poetæ, quià gesta ab omnibus, qui dicti sunt HERCULES, coacervaverunt in unum, cuncta in confusionem verterunt.

CAPUT X.

VIRTUS sit VERA, non larvata; *sit procul ab HYPOCRISI.*
Primò ex literis sacris; *deindè ex Philosophiâ* hieroglyphicâ
per simulacrum HERCULIS, sivè VIRTUTIS,
figuratum calvum, & nudum.

CUr apud *Leviticum cap.* 11. C. reputetur Cygnus inter aves immundas, quas Deus repugnat in aris? an non est niveis argenteus alis, & candenti corpore lacteus? an non emittit per colla amœna cantus canoros, & re-

& remige pennà non alternat choros? an non amat flumina, & blandus cantu inter puras lymphas modulamina format? cantator funeris ipse sui musicà proprià sibi non prævenit exequias? ergo cur immundus? cur repellendus ab aris? at est foris colore *candido*, intùs caro est *nigra*, ergo est symbolum *hypocritæ*, foris candorem virtutis ostentat, intùs nigredinem vitii occultat; item ut habet collum oblongum, superbos cervicis altæ, & elatæ figurat; ergo jure repellendus ab aris, ut instruamur, quòd Deus abominatur superbos, & odio habet hypocritas.

Hypocritas dicas *ficus cum foliis sine fructu*; videntur enìm illi habere veram doctrinam, sanamque virtutem; at si eos cominùs inspicias, sine veritatis, & virtutis fructu invenies; ideò apud Isaiam cap. 34. A. *ficus cum foliis sine fructu* hypocritas symbolicè signant; sed & apud Cantica cap. 2. C. *grossi* habentes *similitudinem* ficuum, sed *non saporem*, designant hypocritas, speciem exteriorem virtutis præseferunt, sed prorsùs à virtutis sapore, & veritate distant. Ideò apud Isaiam cap. 34. D. *Lamia* animal, quod dicitur, vel fingitur, faciem habere *muliebrem*, aut *humanam*, infernè verò pedes *equinos*, signat *duplicitatem hypocritarum*, qui rationem prætendunt *humanam*, sed finem habent *brutalem*; quod ostendunt in primà facie, exterior species est sanctitatis, at bestiale est, quod sequitur, quia iniqua sunt, quæ moliuntur sub virtutis, sancti zeli, & integritatis specie. Hi accedunt ad Deum *duplici corde*, malignèque dicuntur accedere ad Deum, sicut accedebant (apud Mathæum cap. 15. A.) Pharisæi ad Christum, & apud Mathæum cap. 4. A. accessit tentator ad Jesum. At, O filii iniquitatis, accedere verè ad Deum est, ejus voluntatem secretà contemplatione cognoscere, ad fidem venire, & per virtutes veras ei similis fieri.

Ecce hi hypocritæ sunt illi, contrà quos Isaias cap. 65. A. dicit, quòd nolunt, ut sibi appropinquent alii, tanquàm immundi; immundi sunt, & immunditiem aliorum vociferando, mundi putari insistunt.

Sed, O hypocritæ, Job cap. 8. C. dicit, *Spes hypocritæ peribit; innitetur super domum suam, & non stabit; fulciet eam, & non consurget.* Quando *fulciet hypocrita domum suam in judicio*? quando laudis suæ allegatione utetur dicens: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & virtutes multas fecimus*? sed non consurget hypocrita, quià protinùs *Judex*, dicet, *Nunquam novi vos; discedite à me operarii iniquitatis.* Quid innuunt illa verba Job cap. 8. C. v. 11. contra hypocritam, *Numquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere caractum sine aqua*? sine humore virtutis, sine aquà virtuosæ veræ operationis, quomodo in viridario Dei virescere possit hypocrita? at si prætendit exteriorem speciem viroris, iste exsiccatur adveniente divini judicii Sole; ideò dicente Job ibi contrà hypocritam: *humectus videtur, antequam veniat Sol, & in ortu suo germen ejus egredietur*, id est, in ortu judicii Dei iniquitas hypocritæ erit aperta. Quid apud Job cap. 40. v. 16. indicat *Behemoth sub umbrà dormit in secreto calami*? verè secretum calami, in quo dormit Behemoth, signat corda inania, & more calami vacua, & levia superborum, *& hypocritarum*, in quibus quiescit diabolus; quid mirum, si in eis non est virtus vera? sub umbra virtutis apparentis, ubi folia vana, non fructus virtuosi, ibi diabolus in hypocritæ corde requiescit.

Quid est tua vita, hypocrita, nisi quædam visio phantasmatis, quæ quod non habet in veritate, ostendit imagine? Cur hypocrita vocatur histrio? quià histrio in theatro personam sustinet alienam; jàm Domini, cum sit servus; jàm Regis, cum sit privatus; an non sìc hypocrita? simulatorem dicas, qui histrionicè aliud haberi vult, quàm est.

Vide actus hypocritæ, *Primò* sub pietatis nomine lucrum quærere: *Secundò*, exteriùs amicitiam simulare, & animo odium, invidiamque fovere. *Tertiò*, ex publico se justum ostendere, in occulto gravia scelera patrare. *Quartò*, consulere aliquid alteri, ad commodum illius tendens, & interìm suum bonum *unicè* quærere. *Quintò*, in parvis rebus servandis hypocrita est anxius, & solicitus, gravium nullam curam habet. *Sextò*; exteriùs humilitatem præfert, & interiùs gloriam, & laudem humanam sectatur. Ergo strepitu labiorum Deum benedicit, at mente contradicit. Foris est Cato, intùs Nero; hypocrita est totus ambiguus; est monstrum more Scyllæ, Sphingis, & sicut Syrtes anguipedes, de quibus pag. 836. dictum, dicente Gregorio (lib. 33. Moral.) quòd *hypocritarum facies est rationalis, sed corpus bestiale*; ideò suprà Lamiam diximus simulacrum hypocritæ.

Hypocritam dicas Chimæram monstrum Poeticum anterioritate leonis, medietate capræ, extremitate draconis.

Si hypocrita iracundus se ostendat mansuetum, nolis credere; nunquàm bonâ fide vitia mansuescunt; tigres, & leones feritatem aliquando submittunt, sed non exuunt. Hypocritas dicas vulpes, simulant se mortuas, ut gallinas capiant; ità hypocritæ simulant se contemptores bonorum sensibilium, ut opes, & dignitates surripiant. Hypocritarum symbolum dicas *labruscas*, colorem habent uvæ, sed non saporem; ita illi colorem virtutis, sed non veritatem; vitia larvâ virtutis personant. Ideò illos dicas *struthiones*, qui habent volandi speciem, sed usu volandi carent; ostendunt speciem pietatis, sed verâ pietate non sunt ornati.

Hypocrita imitatur meretricem, cujus facies est turpis, & deformis; unguentis, & fucis se colorat, & phaleris se ornat, ut quod non est, appareat. Apparent hypocritæ argentum candidum, cum nigras tamen ducant lineas, ut stannum. Vidisti auricalcum? alienum colorem ostentat; apparet auro similis, & nihil habet solidi, & veri auri.

O sepulchra dealbata, foris candida, intùs plena putredine, & iniquitate: Sciatis, veram virtutem figurari hieroglyphicè *calvam, & nudam*. Simulacrum HERCULIS diximus hieroglyphicum VIRTUTIS; cur figuratum *calvum*? quia Virtus vera nullum simulationis vitiosæ permittit tegumentum. Caput est sedes cogitationum, figuratur simulacrum virtutis *calvum*, quià cogitationes virtuosæ, ut sunt, apparent. Apud Leviticum cap. 13. F. calvus, (aut recalvaster) designat hominem sine fraude; ergo *calvum* figuratur simulacrum, VIRTUTIS, ut indicetur, quòd vera virtus est à fraude, & hypocrisi aliena; est sincera, & candida.

Nec reservandum, quòd cum *caput* sit *cogitationum* sedes, & *capilli* sint in capite, sunt symbola cogitationum, & quia capilli sunt ex humore superfluo signant symbolicè cogitationes superfluas, & vitiosas, ergo hieroglyphicum VIRTUTIS figuratum est *calvum*, ut indicaretur, ab animo virtuoso cogitationes vitiosas, & superfluas debere esse exules. Reflectendum discrimen inter caput *rasum*, & caput *calvum*; quià caput *rasum* iterùm germinat capillos, non sìc caput *calvum*; ergo hieroglyphicum *virtutis* figuratur *calvum*, non *rasum*, ut indicetur, quod ab animo virtuoso non solùm debent esse exules cogitationes *vitiosæ* hypocritæ, & superfluæ, sed penitùs istæ debent eradicari, ne iterum possint pullulare.

Coma tàm apud Græcos, quàm Latinos fuit symbolum mollitiei; ergò simulacrum *virtutis* ideò *calvum*, ut significetur, *mollitiem* debere prorsùs abesse ab animo *virtuoso*; & cur Moyses jussit, prorsùs abradi pilos à Levitis, nisi ut innueret, prorsùs debere excuti cogitationes carnales,

& sæ-

& sæculi? Undè & idem hieroglyphicum VIRTUTIS, sivè HERCULIS, per quod nomen intelligitur VIRTUS, etiam figuratum est *nudum*, quià vera virtus est aliena ab omni simulationis tegumento, & pallio. Etiam in nostris sacris chartis (apud Genesim cap. 2. C.) *nuditas* significat *simplicitatem*, ut in primis parentibus ante peccatum, qui *nudi* non erubescebant, sed nudi à simulatione vestiebantur luce divina; solùm erubuerunt post peccatum; hìnc simulacrum virtutis *nudum* virtutem simplicem innuit, & veram, quæ *nuda* effingitur, quia luce divina coruscans non erubescit. Item apud Marcum cap. 14. F. Adolescens fugiens *nudus* designat eum, qui nihil sibi de bonis operibus per inanem gloriam adscribit. Apud *Amos* cap 2. D. *nudus fugiens* signat eum, qui *veterem* hominem exuens *ad Deum* festinat, & qui omnia peccati pericula vitat. Et apud Job. cap. 1. D. memoratur *nuditas Job*, quæ mundiciam ab omni vitio indicat.

Capilli signant *terrena*, & *temporalia*; sicut enìm pili non sunt pars corporis, sed quædam superfluitas à corporis humore procedens; sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena, & superflua. Sic & *vestimenta*, quatenùs sunt *caduca*, & exteriora significant bona terrena.

Ergo *nuditas* in sensu bono signat simplicitatem, & veritatem sine simulatione; designat eum, qui nihil sibi de operibus bonis per inanem gloriam adscribit; signat eum, qui exuit veterem hominem, & ad Deum festinat, & qui omnia peccandi pericula vitat; innuit item *nuditas* in sensu bono munditiam ab omni peccato. *Calvities* est symbolum cogitationis ingenuæ. Item *caluities*, & *nuditas* designant animum nudum, & rasum à cupiditate terrenà. Hìnc congruè simulacrum HERCULIS, id est VIRTUTIS *caluum*, & *nudum*, ad indicandum, quòd virtus debet esse simplex, vera, sine simulatione, aut hypocrisi, & *virtuosus* nihil bonum per gloriam vanam sibi adscribit, sed omne bonum Deo attribuit; item verè virtuosi est, exuere veterem hominem, & festinare ad Deum, omnia peccandi pericula fugere, & esse mundum ab omni vitio, *calvum*, *nudum*, & *rasum*, ab hypocrisi, & ab immodica cupiditate bonorum terrestrium; Hæc hieroglyphicum VIRTUTIS, sivè HERCVLIS (per quam vocem in lingua Ægyptià vetere intelligitur VIRTVS) *caluum*, & *nudum* indicat; hæc virtus est vera non virtutis larva, qua histrionizetur vitium, aut personetur hypocrisis.

Hìnc magis colligitur, quòd tale hieroglyphicum fuit ab *Abrahamo*, quià consonat symbolis, quæ sunt in nostris sacris literis, & Moyses illa symbola didicit, & docuit, quæ Abraham docuerat in Ægypto, ut pag. 288. dictum.

CAPUT XI.

Licèt VIRTUS *vera sit vera, ingenua, & SIMPLEX, ut innuunt* CALVITIES, *& NUDITAS simulacri* HERCULIS, *quod est hieroglyphicum* VIRTUTIS, *non tamen est* SIMPLEX SIMPLICITATE *stolidà, sed discretà, & honestè cauta, regulatà per* PRUDENTIAM; *id indicatum per paucos* CAPILLOS *canos in* CALVITIE HERCULIS; *& quià hic est figuratus* SENEX. *Ubi, quæ* SIMULATIO *sit* VITIOSA, *quæ* VIRTUOSA.

VIrtutem veram prædicavimus SIMPLICEM, at *simplicitate prudente*, & regulatà per PRUDENTIAM, quæ est directrix virtutum Moralium, & imperatrix, & medium, in quo est virtus, præscribit, & eam dicas virtutum cæterarum Moralium animam. *Simplicitatem* sine *Prudentiâ* dixeris *stultitiam*. Cautio, & circumspectio, *intelligentiâ*, & prævidentia sunt partes *prudentiæ*, sine quibus nec est Prudentia perfecta, nec inde *tuta, & perfecta* alia moralis virtus.

In capite simulacri HERCULIS, per quem intelligitur VIRTUS, legisti CALVITIEM, & NUDITATEM symbola *virtutis simplicis*; at simùl in calvitie *Herculis* sunt effigiati *pauci capilli* CANI; sed cum *canities*, quia innuit *senectutem*, sit symbolum *Prudentiæ*, *& consilii*, quæ ut plurimùm in *senibus* sunt, quià uberiorem experientiam matrem Prudentiæ habent, quid indicant illi *pauci capilli cani in calvitie Herculis*, nisi oportere, virtutem esse *simplicem*, at simplicitate non stolidà, sed cautà, providà, circumspectà, solerte, *prudente*? Hinc & ipsum Herculis, id est, virtutis hieroglyphicum est figuratum *senex*, quià vera virtus est cauta, matura, & prudens, & acquisita ex pluribus experientiis. Apud librum 1. Regum cap. 16. A. *seniores* designant *viros eruditos*. Item apud Ezechielem cap. 9. B. *senes* significant *viros* valentes *prudentiâ*, ut & Daniel *senex* erat, licèt esset *puer*; unde ipsi *senes*, vel *senectus* gerunt typum *prudentiæ*. Apud Genesim (cap. 15. C. & cap. 18. B.) senectus *Abrahami* bona, & non longa signat *perfectionem virtutum*, quæ etiàm erat in *Sarâ*; unde boni etiàm *juvenes* dicuntur *senes*, quià maturitate morum, & judicii sunt præditi. Ergo simulacrum VIRTUTIS figuratum SENEX indicat virtutem perfectam, at *prudentiâ, & intelligentiâ* locus.

Adhùc in hieroglyphico *virtutis* illi capilli pauci sunt *candidi*; est color candidus symbolum ingenuitatis simplicis sine duplicitate cordis, sine fraude; at simùl sunt *cani, & canities* est symbolum *Prudentiæ & solertiæ honestè cautæ*, ergo *solers, & cauta ingenuitas* commendatur.

Apud *Leuiticum* (cap. 19. F. & librum sapientæ cap. 2 B & 4 B & apud Ecclesiasticum cap. 6 B) *caput canum* designatur eum, *cui honor debetur*; ideòque apud Proverbia cap. 20 D. *Canities*, quæ est dignitas *senum*, est *sapientia*, cui debetur *honor*. Ergo in hieroglyphico *virtutis*, dictæ *Herculis*, canities, sivè *senectus* signant, quòd *virtus* est *candida*, *& ingenua*; quòd ei debetur *honor*; at simul signant, quòd virtus *perfecta* non est candida, ingenua, simplex simplicitate *stolidà*, sed prudente, *honestè* solerte, circumspectà, & *cautà*.

Illa est perfecta virtus, quæ sine simulatione aliqua est, quando oportet plana ingenuitas; & scit simulare, & fingere honestè, prudentèr, & juxtà

tà rectam rationem, & fine ſancto, quando, quomodo, & cùm quibus recta ratio dictat ad gloriam Dei, & proximi bonum.

An putes, quòd *ſimulatio*, ſtatìm ac *ſimulatio*, & *fictio* ſtatìm ac *fictio* ſint *vitium*? erras.

Diſtinguendæ quatuor ſpecies ſimulationis quas ſi reflectas, rem ſtatìm diſcernes. *Prior*, eaque vitioſa, & improba eſt ſimulatio noxiæ dilectionis, ad fallendum alios, vel rem quampiam *iniquè* conſequendam; ſuntque hujus generis ſimulatores verè hypocritæ, & opifices fraudulenti.

Secunda ſpecies *ſimulationis* eſt ad juvandum ſe, aut alios; item ad monendum, corrigendum, inſtruendumvè adhibita; ità non rarò medici periculosè laborantibus, & ſalubres curationes recuſantibus, utili ſimulatione deceptis, & quæ volunt, præbent medicamenta, & ſanitatem; ſic ægrotis nonnunquam medicina, quam ab horrent, occultatur; aut novacula, quæ vulnus aperiat, obtegitur. Quo etiam modo Magiſtri ſophiſmata proponunt, quibus Diſcipulorum ſolertiam pertentent.

Hujus ſpeciei ſimulatio fuit, quando *Joſeph* poni curavit pecunias in ſaccis fratrum, & ſchyphum in ſacco Beniamin, ut eos ſimulati furti arguens, adduceret in recordationem ſceleris in ſe admiſſi; prout etiam advenit. Talis quoque ſimulatio erat Regis David in ſummo vitæ diſcrimine conſtituti, apud Regem *Achis* inſaniam præſeferentis, & plerequæ aliæ 2. Regum cap. 21. David Rex fugiens à facie Saul, cum veniſſet ad *Achis* Regem, & audiviſſet quædam de ſe proferri, extimuit valdè, & immutavit os ſuum coràm Principibus, & Rege, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſalivæ ejus in barbam: Itaque David, ut evaderet mortem, ſimulavit ſe fatuum, epilepticum, & inſanum; advertebat enim ſe cognitum à famulis Regis, adeòque ſuæ ſaluti timebat, eò quòd multa Palæſtinorum millia trucidaſſet, ut ait Joſephus lib. 6. *Antiquit. lib.* 13. ideò ne à Rege putaretur, Davidem eſſe illum, iſte ſe *fatuum ſimulavit*, ut non putatus ipſe, ſed fatuus aliquis exiſtimatus ſalvaret vitam. Sanctus autem Pater Auguſtinus lib. *contrà mendacium* loquens de iſta Davidis ſimulatione ait: *Nec quod David ſimulavit inſaniam, nec cætera ejuſmodi mendacia judicanda ſunt, ſed actiones, locutioneſque prophetiæ ad ea, quæ vera ſunt, intelligenda referendæ*. Vnde David ſua ſimulatione incolumis ejectus extrà domum Regis fugit in ſpeluncam, & sìc vitam ſervavit incolumem. Quare benè Poeta, *ſtultitiam ſimulare loco ſapientia ſumma eſt*. Itèm *Chriſtus Dominus* poſt reſurectionem Diſcipulis in viâ ſe compoſuit euntibus in *Emaus*, ut eorum ergà ſe *amorem* magis accenderet, eos probando, *ſimulando, & fingendo*, quod longiùs vellet ire; inquit textus de Jeſu Lucæ cap. 24. D. *Finxit, ſe longius ire*. Ob id, ait S. Bernardus, *finxit* ſe longiùs ire, quoniam audire volebat, *Mane nobiſcum, Domine; præteriens Dominus retineri vult, abiens revocari.*

Sìc etiam Diſcipulos in mari laborantes præterire fingebat, ut *ea ſimulatione* probaret, id eſt, exerceret eorum fidem, daret eis occaſionem meriti, & exercitii, & ipſe expediret occaſionem eos illuminandi, docendi, confirmandi in *bono*, & avertendi *à malo*, & elicerent preces, ut loquitur D. Ambroſius. Jeſus cuncta ſciebat, ſed nos inſtruebat.

Sic etiam ipſe Salvator, cum vidiſſet turbam multam ad ſe venientem, dicebat ad *Philippum*, *unde ememus panem, ut manducent hi*? hoc autem dicebat tentans eum; ipſe ſciebat, quid eſſet facturus; fidem Diſcipulorum explorabat in perſona Philippi, & interrogatione illà novitatem, & amplitudinem miraculi magis menti Diſcipulorum imprimere

ſtu-

ſtudebat, & dare occaſionem meriti.

Ad hanc *ſimulationem* attinet, quòd quandò *Chananea* clamavit poſt *Jeſum* petens filiæ ſalutem, interrogavit Chriſtus Dominus, quid vellet; Chriſtus autem ſciebat, quid vellet ipſa, & quid ipſe eſſet facturus; at interrogatus, *diſſimulavit*, & *diſtulit* beneficium, ut *Chananeæ* deſiderium accenderet, & perſeverans efficeretur dignior amplioris gratiæ, & à Chriſto Jeſu fides illius exaltaretur.

Iſta ſpecies *ſimulationis* eſt ea, qua quis ſimulat ſe accomodare alteri, vel ad ipſum juſtè puniendum, & ſic Jehu Rex Iſrael (ut habetur lib. 4. Reg. cap. 10.) ut facilius interficeret Sacerdotes Baal, ſimulavit, ſe illud idolum velle colere; vel ut alterum trahat ad conveniens ipſi, & ad Deum; unde ipſe Gentium Doctor Corinthius inſinuat, quomodo infirmis ſe profiteatur infirmum, Judæis Judæum, imò omnibus omnia factum ſe dicit, ut omnes lucrifaceret; quòd re ipſa præſtitit, dum Timotheum curavit circumcidi, & ipſe in Cenchris palàm totondit caput, ne videretur legem Moyſis, ejuſque ceremoniam abominari, ut eſt in *Act. Apoſt.* cap. 16. & 18. Et hùc S. P. Auguſtinus ad Conſentium contrà Mendacium cap 18. ait: *Quod Paulus ait, omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifaciam, compatiendo ita fecit, non mentiendo; fit enim quiſque tanquam ille, cui vult ſubvenire; non quia fallat ipſum, ſed quia ſe cogitat ſicùt illum.* Sic etiam Chriſtus poſt reſurrectionem habitu *peregrini* viatoribus Diſcipulis apparuit, ut viatoribus etiam habitu ſe accomodaret, & ſic *ſimilitudine* congruentiùs amorem, & converſationem diſponeret, unde eorum corda accenderet.

Item idem Salvator Magdalenæ, in horto exiſtenti, habitu *hortulani* apparuit; & poſt reſurrectionem Chriſtus cum manducantibus Diſcipulis ſe manducare *ſimulavit*, ut ſic ipſos inſtrueret, converſationem induceret, corda inflammaret, confirmaret in fide. Nec vituperium, ſed omnem commendationem meretur illa *fictio, aut ſimulatio, quà ſine fallendi voluntate, nobis ipſis, aut proximo prodeſſe deſideramus.* Unde etiam apud Comicos teſte Horatio in Arte Poetica habetur:

Triſtia mœſtum
Vultum verba decent, iratum plena minarum.

Et etiam ſi ſis corde feſtivo, tamen ſi ores in materiâ tragicâ; aut lugubri, te vultum *ſimulare* triſtem ſine vituperio oportet. *Tertia ſimulationis* ſpecies eſt, quæ à Divinâ monitione proficiſcitur. Hac uſi Hebræi ſpoliaverunt vicinos, & ex Ægypto pignora argentea Ægyptiorum, & alia pretioſa ſecum adſportaverunt.

Item Divinâ inſpiratione (Gen. 27.) Jacob ſimulavit, ſe eſſe primò genitum Eſau mutatione veſtium, & eripuit benedictionem à Patre; cum enim fuerit illud, & hoc ex inſpiratione Dei, cujus ſunt omnia, & qui eſt legitimus Dominus, potuerunt licitè Hebræi ſecum adſportare Ægyptiorum pretioſa, & Jacob benedictionem ſibi accipere, adhibitâ *ſimulatione.* Item Joſue (cap 8.) metum, & fugam *ſimulando*, ex Divinâ inſpiratione hoſtem exercitum oppreſſit, & cum filiis Iſrael occupavit urbem *Hai*, & ut habetur in cap 20. *Judicum* filii Iſrael *ſimulando* fugam, quando erant contrà filios Beniamin, triumpharunt.

Quando Samuel juſſus à Deo, ut iret ad ungendum Davidem in Regem, timuit, & dixit, quòd Saul interficeret eum, dixit ei Dominus: Dic, quòd vadis ad ſacrificandum: hinc rogatus à Saule, an eſſet pacificus adventus ejus, reſpondit, *ad ſacrificandum Domino veni.* Non eſt mentitus, quia ſacrificavit; duplici fine ibat, *& ſacrificandi, & ungendi* Davidem contrà Saulem; dixit primum, tacuit ſecundum.

Item

Item *Habraham* dixit Pharaoni, quòd *soror* ipsius esset *Sarà*, ne interficeretur, cum esset *sponsa*; non est mentitus; quià erat *sponsa*, & simul *soror*, nam erat ex eàdem cognatione, & cognati dicebatur fratres, & fœminæ *sorores*; at dixit unum, & tacuit aliud; ad vitandum periculum, se esse sponsum tacuit; hæc *simulatio* fuit prudens.

Quarta species *simulationis est stratagemma*; quòd nihil aliud est, quàm *sagax simulatio*, *per quam dans operam rei licitæ, opportunè ingens malum avertit*; hæc propriè est in bello *justo* contrà latrones, & hostes. *Vide* stratagemma *Gedeonis* in libro *Judicum* cap. 7.

Ex his *quatuor* speciebus *simulationis*, sola prima est detestanda, vitiosa, & improba, quia cum vel sit simulatio noxiæ dilectionis determinata ad fallendum alios, vel sit ad rem quampiam iniquè consequendam, & non sit ob *finem* honestum, vel in ipsà significatio determinata, & res significata non sint simùl, & ideò mendacium, nunquàm licet.

Mendacium juxtà Augustinum lib. de Mendacio sic deffinitur: *Est falsa vocis significatio cum intentione fallendi*; & mentiri derivatur à mente; estque *contra id, quod est in mente loqui*; hoc autem non licet; & consequenter, nec simulatio coincidens cum mendacio. At aliæ tres species *simulationis* ultimæ licent sine peccato; pro tempore, & loco possunt exerceri; & de eorum laudibili usu disputat Chysostomus sub finem libri 1. de Sacerdotio. Simulatio, quam honestam, & licitam dicimus, non tàm est mendacium, adjunctam habens fallendi voluntatem, quàm *ambigua actio*, *qua quis intentionem suam occultat* ex recto fine, & quando oportet, & recta ratio dictat, & hæc in rebus agendis vitio caret; ut comprobant exempla in tribus ultimis speciebus simulationis adducta.

Sed & in Judice ad comperiendam veritatem, quædam fictio, sivè simulatio prudens in interrogando est laudabilis; & laudabile fuit judicium Salomonis, lib. 3. Regum cap. 3. quando duabus fœminis altercantibus pro infante, quem utraque dicebat filium suum, ipse jussit afferri gladium, & quòd divideretur infans, & cuilibet ex duabus fœminis daretur medietas; quæ non erat mater, consensit; quæ verè erat mater, dolens dicebat, ne divideretur, sed daretur alteri fœminæ (quæ non erat mater) integer, & vivus; tùnc aperuit Salomon, hanc verè esse matrem, quæ patiebatur potiùs filio carere, quàm filium occidi. An non fuit laudabilis ista Salomonis fictio? jussit gladium afferri, & infantem dividi, at non erat animus infantem dividere; unum in fœminarum auribus sonabat ex Salomonis labio, & oppositum sono erat in Salomonis animo; at oportuit illa laudabilis fictio, ut veritatem aperiret, & debitam exerceret justitiam; non erat contrà rationem, sed juxtà rectam rationem, & ab hac imperata illa Judicis dextera fictio, & id, quod dicebat *labio*, erat *juxtà id*, quod erat in *animo*, nempè per illa media innocentem salvare, veritatem inquirere, & justitiam exequi.

Hìnc salvator Discipulis dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*; non præcepit solùm simplicitatem columbæ, sed simplicitatem cautam, solertem, prudentem; serpens symbolum est solertiæ, & cautæ prudentiæ, at cum veneno, & ad malum; columba est simbolum simplicitatis, at fatuæ, & sine solertià; nec ergo Jesus vult Discipulos cum prudentià, & solertià insidiosà solà serpentis, quià hæc est ad malum; nec cum solà simplicitate columbæ, quià hoc esset, nec prudentes, nec cautos esse; sed vult solertiam serpentis, sed sine veneno peccati, cum vult simùl simplicitatem columbæ sine felle symbolo peccati; vult simplicitatem columbæ, sed cum prudentia solerte; id est cautelam, & solertiam simplicem, nempè sine injustitià; simplicitatem cautam, nempè cum solertià.

Hùc

Hùc Hieronymus in Epist. ad Rusticum (Apud Polyantheam v. simplicitas) sic: *Habere simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos; & astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis, quià non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse.* Et ipse S. Doctor Hier. super Oleam sic: *Prudentia absque simplicitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur.* D. Gregorius in Mor. sic explicat: *Utraque benè in admonitione convertit, ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursus serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret.* Hùc Beda de templ. Salom. lib. 1. *De Beato Job.* (ait) *dicitur, quòd erat vir simplex, & rectus. Simplex videlicèt per innocentiam mansuetudinis, sed rectus per cautelam discretionis. Simplex, quia nullum lædere, imò prodesse desiderabat; rectus, quia se à nullo corrumpi permittebat.*

Item *dolus* absolutè malè sonat; at ut accipitur pro *laudabili, & innocenti solertià*, licet, dicente Paulo 2. *ad Corinth.* cap. 12 v. 16. *dolo vos cepi*; id est, exponunt, *artificiosà solertià, & cautà prudentià ego vos à gentilismo ad Christianismum converti*; ideò dicente D. Thoma 2. 2. q. 55. a. 4. *Dolus propriè tantum accipitur in malo, sed abusivè etiam in bono*; dicit *abusivè*, attento more loquendi, & intelligendi nùnc, cum jàm *dolus* statìm intelligitur de malo; at apud veteres *dolus* non solùm accipiebatur *in malam* partem, sed etiàm *in bonam* pro *solertia justà* præsertìm contrà latrones; sic & *fraus* propriè sumptà, quià est *executio injustitiæ in factis* non licet; at *abusivè* dicta, quatenùs est solertia in bello justo contrà hostes, & pro bono proximi, & justitiæ, licet; ideò ad caput 17 Ezechielis D. Hieronymus: *Quandiu non jures, & pactum non ineas sub nomine Dei, prudentiæ est, & fortitudinis, velle decipere, vel fraudare adversarium, ut cumque potueris*; intellige *justè*. Vnde ad illa verba Dei ad Josue cap 8. *Ponite insidias urbi post eam*, ait S. P. Augustinus q 1. *Cum bellum justum suscipitur, aut apertè pugnet quis, aut ex insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.*

Contrà *dolum malum* Augustinus (lib. 2. de libero arbitrio cap. 2. Tomo 1.) tonat: *Cum DOLOSO, & pervicaci, de nullà omninò re est differendum.* Et lib. 5. de Civitate cap. 19. Tomo 5. *Qui gloriam* (nempè sæculi vanam) *concupiscit, aut verà viâ nititur, aut certè DOLIS, atque fallaciis, volens BONUS videri, quod NON est.* Et contrà eundem *malum* dolum (in libro 50. Homil. in Homil. 20. cap. 1. Tomo 10.) addit: *DOLUS duplicat cor, adulatio linguam.* De DOLO BONO dicit S. Doctor Pater (lib. 16. de Civitate, cap. 37. Tomo 5.) sic: *DOLUS simplicis, FICTIO non mentientis profundum MYSTERIUM veritatis est.* Eccè fatetur DOLUM, & FICTIONEM, etiam posse contingere in sensu *bono.*

Illam dexteritatem Jacob (Genesis cap. 30 à v. 25 usque ad 43.) in virgis decorticatis, fuisse sine *fraudè* propriè dictà, nempè sine *fraude iniquà* explicat S. P. Augustinus in lib. 1. Quæstionum super Genesim cap. 92. Vide Genesim, & Augustinum incitatis locis.

Et licèt relata ex sacris scripturis sint MYSTERIA *alta*, tamen probant, quòd *simulatio, & fictio* non statìm & ex terminis ac *simulatio, & fictio*, sint determinatè de lineà *mali*, sed possint esse, in debito sensu, de lineà *boni*, & tùnc vocentur *mysterium* alicujus veritatis, vel alicujus justi finis, & rectæ rationis, prout *mysterium* fuerit, vel sacrum, vel pro agilibus humanis, nempè pro regimine Politico, sunt enìm etiàm misteria Politica in gubernantibus.

At ut exulent scrupuli, fictiones, & simulationes licitæ dicantur *solertia prudens, industria, cauta dexteritas, ars licita*, ars *rectæ prudentiæ*, ne utamur aliis terminis, jàm odiosis, & dissonis in more cõmuni loquendi, & intelligendi;

di;& dicamus,aliquando licere (at quando,& quomodo recta ratio dictet) *tegere* idæas.

Ex his dexterè in capite *calvo* hieroglyphici VIRTVTIS figurantur aliqui *pauci capilli cani*, quià capilli *tegunt*;at licèt ut plurimùm virtuoſi ſit ingenuè aperire ſuas cogitationes,tamen aliquando *tegere* ſua conſilia (ſi ità recta ratio dictet, & ſit fine ſancto, & quando oportet, & quibus tegere oportet) eſt virtuti germanum, eſt dexteritas, eſt prudentia, eſt recta, & virtuoſa Politica, maximè in gubernantibus. In Principe, & gubernante pateat amor ergà ſubditos, ſed maximæ, & viæ, & ideæ, & conſilia regiminis (quando oportet) ſint tecta, abſcondita; nàm & Jeſus, poſt reſurectionem, apparens Thomæ, juſſit,mitteret digitos in pectus, ſivè latus; *cor*,non *caput*, palpandum præbuit; cur? idæam regiminis Principibus, & ſuperioribus dedit; *cor* eſt officina, & fornax *amoris*,at *caput eſt* arx,& aula, & ſedes *conſiliorum*, ergo obtulit Jeſus palpandum *cor*, non *caput*, ut doceret populorum rectores, & prælatos, aperiendum eſſe amorem, ſed tegendum conſilium; pateat ſubditis ſuperioris amor,ut diligant Patrem;at ſint conſilia (& hæc ſemper ſint juſta) ſuperioris,& Principis tecta, & occulta, *quando oportet*, ut venerentur ſuperiorem, & ne hoſtes vias regiminis, ſi ſciant, præoccupent; at ſic *tegere* ſit ſancto fine, ad gloriam Dei,& utilitatem proximi, & hinc ad ſecuritatem honeſtam propriam, & ſine mendacio, quod eſt intrinſecè malum; non ſit fine *pravo*,*nec contrà rectam rationem*, nec ad fallendum injuſtè, & cum mendacio, & contra *jus*, nam illi pauci capilli in calvitie ſimulacri HERCULIS, per quem intelligitur hieroglyphicum VIRTUTIS, figurantur *cani*, (quia *albi*) ſymbolum puræ *prudentiæ*, candoris animi, & intentionis innocentis, & rectæ.

Aliquandò convenit, Principem ſimulare, & fingere, ſe neſcire, quæ ſcit, non explicando, ſe ſcire, & audiendo alios, ut ex multis veritatem inquirat, & ut idæas laudabiles pro felici, & virtuoſo regimine, abſque obſtaculo, aut tumultu poſſit exequi; imò & pro regimine perſonali aliquando oportet, te fingere, & ſimulare, te neſcire, quod ſcis, non explicando, te ſcire, v.g. alter malè locutus eſt de te, tu cum ipſo ſimulas, & fingis, te neſcire, non explicans,te ſcire, ut conſervetur pax; nam ſi alter penetraret, te ſcire, quòd ille *malè* ſit loquutus contrà te, jàm conciperet te inimicum ſibi, & ſuſpectum contrà ipſum,unde facilius exularet *ſancta pax*,ad quam conſervandam tua ſimulatio, ſivè fictio eſt prudens, & laudabilis, & ſi ſit ſimulatio, ſivè fictio *purè* ex fine ſancto ſanctæ pacis, & ſine interiori odio, aut livore,imò ex charitate eſt *animi magnanimi*, *& virtuoſi* talis prudens ſimulatio, & diſcreta fictio; nec hæc cadit niſi in virtuoſum, & ſapientem virum.

Et quidèm ſi *fictio* ſtatìm, & ex terminis ac *fictio*, eſſet *mala*, non dixiſſet (ut dictum) Lucas cap 24 D.de Jeſu Domino, quòd *finxit*, *ſe longiùs ire*, quæ *fictio* fuit ſancta,nempè ut Chriſti prælentia ardentiùs deſideraretur à Diſcipulis illis;nec in Pſalmo 93. diceret David de Deo: qui *Fingit laborem in præcepto*, quià jugum, & onus imperat, ſed jugum ejus eſt ſuave, & onus ejus leve.

In ſacris Scripturis legitur *fictio* in ſenſu *bono*, *& fictio* in ſenſu *malo*; in ſenſu *bono*, ut ſuprà; in ſenſu *malo* apud Iſaiam cap. 54. D. *figulus*, qui dicitur à *fingo*, ſignat diabolum; & (apud Sap.cap.1.A.) *fictor diſciplinæ* ſignat hypocritam, & Phariſæum, qui fingit diſciplinam, quam non habet;& contrà ſimulationem vitioſam Scribarum, Phariſæorum, & hypocritarum fulminat Iſaias cap.32.B *ſtultus fatua loquetur*, *& cor ejus faciet iniquitatem*, *ut perficiat ſimulationem*, *&c.*

Mentiri est *contrà mentem ire*, & cum *mens sit ratio*, hinc *mentiri* est *contrà rationem* (nempè rectam) *ire*; quoties ergo *simulatio*, vel fictio non sit *contrà rectam rationem*, non est mendacium; imò quando *recta ratio* (& ideò fine sancto, & consono voluntati Dei, & per media licita, & non ad fallendum, nec ad nocendum proximo, nec aliquo fine pravo, nec per media illicita) dictat, *innocentem*, & prudentem *simulationem* opportere, tùnc talis simulatio, sivè fictio est *virtus*, quià est dexteritas, & medium ad bonum honestum, & laudabile assequendum.

Licèt hæc ità sint, tamen quià jàm ex more communi, & vulgari loquendi, & intelligendi, *fictio*, & *simulatio* sumuntur in *malo sensu*, dicente ideò S. P. Augustino lib. 13. de *Civitate*, cap 24. *In latinà linguà illud MAGIS obtinuit CONSUETUDO, ut hi dicantur FINGERE, qui aliquid MENDACIO SIMULANTE componunt*, ideò à nobis dicta de *simulatione*, sive *fictione* in sensu *bono*, maneant inter *solos sapientes*, qui discernere sciunt; nec *ignaris*, & *vulgo* prædicetur, aliquando *simulationem*, sivè *fictionem* esse licitam, vel quia scandalum puffillorum patientur, vel quià facilè abutentur; itaque ignaris, & vulgo prædicandum, ne sint *simulatores*, nec *fictores*, quià hæc solùm *in sensu malo* per talia vocabula (*etiam absolutè prolata*) intelliguntur ab illis, nec sunt capaces sapientis explicationis, & in abusum laberentur facilitèr.

Hùc S.P. Augustinus (in Epistola 29. Hieronymo, Tomo 2.) dicit de *astutià* sic: *Nùnc non eam dico* ASTUTIAM, *quæ usitatiùs in malitiosis intelligi, & vocari solet, non sicut nostra loqui* SCRIPTURA *consuevit, quæ sæpè* ASTUTIAM *in BONO ponit. Unde*: *Estote* ASTUTI, *ut serpentes; & illud, ut & innocentibus det* ASTVTIAM, *quanquam & apud illos* (nempè Stoicos) *Romanæ linguæ dissertissimus dixerit*; Neque illi tamen ad cavendum DOLVS, aut ASTVTIA deerant, ASTUTIAM *ponens* in BONO; *sed apud illos rarissimum, apud nostros frequentissimum est.* Ecce apud morem vulgarem intelligendi malè sonat ASTUTIA, & tamen frequentissima est in sensu *bono* apud nostras sacras literas; imò & apud *priscos* etiam *aliquando* ASTUTIA, sicùt & DOLUS intelligebantur in sensu *bono*. Sic vulgariter malè sonant *simulatio*, & *fictio*; at in sensu *bono* in nostris sacris chartis, & apud viros *sapientes*, etiàm (ut oportet) intelligi potest, & (*si debitè*) licet.

CA-

CAPUT XII.

De TRIPLICI GRADU VIRTUTIS. Primò ex litèris sacris *per TRES* ætates hominis, *per TRIA reperta in amygdalo, per AQUAM usque* ad talos, renes, & caput, *& per* vestem *ex* foliis *arborum*, lineam, & laneam; *& per* asinum, equm, & cervum. *Per* nativitatem, ablactationem, & senectutem *ISAAC*; *per* mansiones *filiorum Israel*, *& per* diversas mansiunculas *in ARCA NOE. Deindè ex Philosophiâ Morali* hieroglyphicâ *per TRES CLAVAS HERCULIS.*

IN lineâ VIRTUTIS sunt TRES GRADUS. *Primus* dicitur imperfectus, *secundus* perfectus, *tertius* heroicus. Primus dicitur *incipientium*, secundus *proficientium*, tertius *adultorum*. Vel aliis terminis; primus gradus dicitur *continentiæ*, secundus *virtutis habitualis*, ab aliis dicitur gradus *temperantiæ*, & ab aliis dicitur *virtus communitèr dicta*; tertius, & summus gradus est *virtutis heroicæ*.

Primus gradus, sivè status virtutis, nempè *imperfectus* (sivè *incipientium*, *& continentiæ*) est, cum quis affectuum, sive passionum sensus fluctibus adeò agitatur, ut virtus illius vix firma adversùs tot procellas consistat, sed adhùc est instabilis, & infirma; & sìc virtuosus dicitur *continens*, nam *continens* dicitur ille, qui ità habet rectam rationem, & appetitum rectum, ut tamen patiatur vehementes perturbationum motus, quibus ægrotat appetitus, & mens quodammodo obnubilatur tali tempestate, & fumo passionum adhùc spumantium, & ferveſcentium, quia non sunt sedatæ, sed rebelles, licèt recta ratio laboret, resistendo, & retundendo tumorem, & bullientem efferveſcentiam; quare licèt recta ratio perturbationibus animi (quæ sunt passiones perturbantes animum) resistat, nec se rapi patiatur à vehemente impulsu, & conatu voluptatum immodicarum, & ideò talis status dicatur *continentiæ*, quià recta ratio *continet* effrœnes impulsus, & motus vitiosos, & continet equm sensus frœno rationis, ne præceps se mittat in eas, tamen *difficulter*, & cum amaritudine se continet ab immodicis voluptatibus, & difficultèr, & cum pugnà laboriosà, & acri resistit eis, & continet, sive reprimit impulsus sensus ad eas. Et iste gradus virtutis dicitur primus, at in *executione*, quia ab illo *incipit* status virtutis, & ideò est *incipientium*; *primus* enìm in *intentione* gradus virtutis est gradus *heroicus*, quià est summus, & perfectissimus, sive *virtutis apex*, ad quem (ope Dei) virtuosus potest ascendere. At congruè iste primus in *executione* gradus virtutis dicitur *imperfectus*, quià adhùc est imperfecta virtus, & in infantià; unde & dicitur gradus *incipientium*, quia ab eo incipit virtutis status, sicut ab infantià incipit hominis ætas, ut crescat per gradus ætatum ad virilitatem perfectam; dicitur itèm gradus virtutis *infimus*, quia est infimus gradus, à quo homo incipit, scalam virtutis ascendere; diciturque *continentiæ*, quià licèt passiones incitent ad prohibita, at homo (Dei auxilio) se *continet*; tandem dicitur gradus *infirmitatis*, quià adhùc virtus non est

firma, & sensus adhùc est æger moraliter, nec est perfectè moraliter sanus appetitus sensitivus, nec purgatus perfectè à pravis affectibus; & licèt virtuosus resistat, tamen quia perfectè moraliter non sanus, facilè potest reincidere, & vitii infirmitati, sive morbo subjacere.

Secundus gradus virtutis dicitur *virtus habitualis*, sive *virtus communitèr dicta*, etiam dicitur *temperantia*, itèm talis gradus dicitur *status proficientium*; & tùnc est iste gradus, quandò jàm virtus est *firma*, & *constans* adversùs communes perturbationum animi, sive passionum animi æstus; ideò *tali gradu præditus* dicitur *simplicitèr* bonus moralitèr, & iste est ille, qui diuturnà actionum honestarum consuetudine subegit perturbationes, illasque ad mediocritatem justam reduxit, ut propterea sicubi insurgant contrà rationem, eas levi manu declinet, & *facilè*, ac *jucundè* agat *secundùm honestatem*, quia habitus, acquisitus ex repetitis, & frequentatis actibus virtuosis, jàm habentem reddit expeditum ad facilitèr, & ex consuetudine operandum benè, sivè virtuosè. Congruè ideò iste gradus dicitur *virtus habitualis*, quia est *habitus virtutis* jàm permanens, & difficilè mobilis à subjecto virtuoso, & hoc reddit habitualitèr expeditum ad operationes virtuosas; congruè itèm dicitur gradus iste *virtus communitèr dicta*, quià communitèr loquendo solùm existens in tali gradu virtutis dicitur, & putatur virtuosus; item aptè talis gradus dicitur *temperantia*, quià jam temperat, & reduxit ad congruam temperiem passiones, & subjecit earum fervorem, & reduxit ad medium, & temperamentum morale, in quo consistit moralis sanitas, nempè moralis virtus; tandèm aptè dicitur gradus *proficientium*, quià in illo solùm sunt, qui proficiunt de virtute in virtutem, & crescunt, & adolescunt in virtute; quarè dicitur virtus *perfecta*, quià jàm alias virtutes morales habet sorores, socias, & connexas, & suavitèr efficit agere virtuosè sine amaritudine, aut anxietate.

Tertius virtutis gradus est *heroicus*, iste est summus, & dicitur jàm adultorum in virtute, & in qua jàm sunt viri, & iste gradus est virtutis apex, qui est in sanctis; & est, cum jàm, aut sedatis affectibus, aut ità fractis, ut virtutem commovere non possint, jàm omnia ex virtute fiunt; præditus enìm virtute *heroicà* ille dicitur, qui attigit gradum adeò eximium virtutis, ut videatur omnem modum agendi *humanum* supergredi, & accedere ad *divinum*, ideoque jàm non vivit *juxtà* hominem, sed *suprà* hominem extaticus, id est *extrà se*, quia totus spiritus in Deo, & unitus cum Deo ipso. Congruè iste gradus *heroicus* dicitur gradus virtutis *summus*, quià est *virtutis apex*; congruè item dicitur *heroicus*, quià facit *heroes*, divinos, quasi Deos, nempè per participationem ab uno Deo vero per essentiam, & creatore; congruè itèm dicitur gradus *adultorum*, quià est eorum, qui jàm in virtutis perfectione, & incremento sunt *adulti*, & creverunt *in virum perfectum*.

Relati *tres* gradus *virtutis* sunt oppositi aliis *tribus* gradibus vitii; nàm intrà lineam *vitii* sunt *tres* gradus, nempe *infimus*, *medius*, & *summus*; primus *incipientis vitiosè*, secundus *procedentis*, morantis, & continuantis in vitio, tertius *in vitio sedentis*; vel alitèr *primus* gradus vitii dicitur *incontinentia*, secundus dicitur *vitiositas*, sive *habitus vitiosus*, tertius dicitur *immanitas*, & *bestialitas*.

Primus gradus vitii, & *infimus*, qui dicitur *incipientium* in vità vitiosà, dicitur *incontinentia*; nàm quià homo *non continet* passiones rebelles rectæ rationi, illìnc *incipit*, quòd sit vitiosus, & ideò dicitur *incontinentia*, nàm *incontinens* propriè est, qui retinet adhùc *rationem rectam*, sed tamen impetu passionis, sive perturbationis vehementèr abducitur, & agit illud,

quòd

quòd malum esse cognoscit, quanvis *reclamante conscientiâ malè acti*. Itaque in tali subjecto deest *sola rectitudo appetitus*, qui solus ægrotat motu perturbationis vehementis; hac verò cessante, reddit talis homo incontinens ad meliorem frugem.

Secundus gradus vitii est *vitiositas*, sive *habitus vitiosus*, acquisitus ex frequentatis actibus vitiosis, & consuetudine crebrà peccandi; & in hoc statu non solùm non est jàm *rectitudo* in appetitu, verùm nec est *rectitudo* rationis, sed *ratio perversa*, id est, *defectus rationis rectæ*, quia jàm vitiositas excœcavit mentem, & hæc servit sensui; nec tùnc jàm mens de rebus agendis etiàm in genere judicat rectè, sed sinistrè, & tùnc homo dicitur *simplicitèr malus*, quià jàm spontè excluśit à se duplex principium, necessariò requisitum ad benè operandum, nempè *rationem rectam*, & *appetitum rectum*, quæ sunt duo principia actus virtuosi, & honesti.

Tertius gradus vitii, & summus, est *feritas*, sive immanitas, & *bestialitas*; sic dictus, quia in hoc gradu jàm homo vivit penitùs *infrà* hominem, & ut moribus bestia; ut leo in sævitiâ, ut lupus in rapina, ut aper sylvester in irà, ut canis, & caprà, & porcus in luxuriâ, ut vulpes in fraude, ut hippopotamus in impietate contrà proprios patres, ut serpens in insidiis, ut vipera, scorpio, basiliscus in iniquitatis veneno. Hìnc cum iste gradus vitii sit *summus*, opponitur *summo* gradui virtutis, nempe *heroico*, in quo homo vivit *suprà hominem*, at in gradu summo vitii vivit *infrà hominem*. *Relati tres* gradus vitii significantur à Regio Psalte in Psalmo 1. illis verbis in v. 1. *Beatus vir, qui non ABIIT in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non STETIT, & in Cathedrâ pestilentiæ non SEDIT*. Eccè tres gradus vitii ABIIT, STETIT, SEDIT; *primus* nempè ABIIT in vitium est gradus *incipientium* vitam vitiosam; *secundus* nempè STETIT est jàm morantium, & stantium in vitio, & iste est jàm habitus vitiosus, quià jàm est status in vitio permanẽtis; *tertius* gradus nempè SEDIT est illius, qui jàm in vitio sedet, & figitur, qui est gradus summus vitii, & ideò à David dicitur *Cathreda pestilentiæ*, quià sìc firmus in vitio jàm est pestilens, & penitùs animo corruptus, est spiritualiter tabidus, cacochymus; ideò dicit David *beatum virum*, qui hos *tres gradus vitii* non contrahit, quià qui eos non contrahit, est in statu virtutis, & ideò beatus, & felix.

At sicùt intrà gradum virtutis heroicæ potest dari major, vel minor elevatio, nam nostri sanĉti confessores, & martyres omnes sunt *heroes*, sive heroicà virtute prædìti, & tamen aliqui fuerunt elevatioris gradus, perfectionis, & intensionis, quàm alii, unde major gloria ut præmium correspondet aliquibus, quàm aliis; ità à contrario intrà gradum summum vitii, & sedentium in cathedrà pestilentiæ, aliqui vitiosi sunt magis bestiales, pestilentes, putridi, & animo spiritualitèr corrupti, quàm alii.

Diversi gradus virtutum significantur in variis locis Scripturæ sacræ, in quà in spiritualibus invenis diversos gradus, aut status virtutis in diversis ætatibus significatos; & licèt etiam in linea virtutis dentur suo modo infantia, pueritia, adolescentia, juventus, ut gradatìm crescit virtus, tamen hi gradus adhùc dicuntur *incipientium*. *Virilitas*, quia robusta, & jàm viri virtute perfecti, signat symbolicè virtutem in statu *perfecto*. Ætas *senectutis*, quià ætas symbolum prudentiæ maturæ, signat virtutem in statu *heroico*; est enim ætas *provecta*, & signat eum, qui virtutum omnium habet perfectionem, qualem significat (apud sacros interpretes) *ætas ABRAHÆ* apud Genesim cap. 25. A. v. 7. ubi legitur: *Fuerunt autem dies vitæ ABRAHÆ centum septuaginta quinque anni*. Imò licèt nunc distinguantur *septem* ætates hominis, nempè *Infantia, Pueritia, Adolescentia, Juventus*,

tus, Virilitas, Senectus, Decrepita, tamen alii solùm distinxerunt *tres ætates*, in quibus includuntur relatæ *septem*; nempè *primam* à nativitate usque ad virilitatem, *secundam* à virilitate usque ad senectutem, *tertiam* à senectute usque ad mortem, & in his *tribus* ætatibus adumbrant *tres* gradus virtutis, nempè *imperfectæ, perfectæ, & heroicæ*, sive provectæ.

Item in amygdalo sunt *primus* cortex, *secundus* cortex, & *interior medulla*, signant *tres* virtutis gradus; *primus* amygdali cortex est *amarus*, & iste signat virtutem in statu imperfecto, & quæ incipientibus est *amara*, quia amarum est abnegare se ipsum, & se continere, quando assurgunt vehementes passiones, adhùc non subjugatæ. *Secundus* cortex non ità *amarus* signat virtutem in statu perfecto, quià tùnc jàm non est ità amarum, & arduum, si assurgat aliqua passio rebellis, illam retundere. *Interior medula* amygdali, quia dulcis, signat virtutem jam in statu heroico, & provecto, quando est dulcis spiritui sola conversatio cum cœlestibus; & quia passiones sensus sunt sopitæ, virtutem amaram non reddunt.

Item relatos tres gradus virtutis distinguas per *vestem* ex *foliis* arborum, *lineam, & lanam*; homines primitùs, quando dispersi, & antè institutionem vitæ civilis, & socialis, legimus vestitos *foliis* arborum; at *hoc vestimentum* (quia tenue, infirmum, & imperfectum) est symbolum virtutis *imperfectæ*, quæ est imperfectum animi indumentum; vestis *linea* designat virtutem *mediocrem*, quæ est in statu perfecto medio inter imperfectum, & heroicum; vestis *lanea* signat *perfectiorem* statum virtutis, quià cum eo magis charitate, & virtutum in gradu *perfectiori* fomento calefit spiritualitèr animus, & in amore erga Deum accenditur spiritus, & hoc (apud Leviticum cap. 13. G.) significare potest (ajunt interpretes) *lana*.

Observandum, quòd *Abraham* (Genesis cap. 21. A) convivium fecit in die *ablactationis* Isaac, & non in die *nativitatis* hujus; cur sic? quia nativitas *Isaac* symbolicè signat statum *imperfectum* virtutis, sive *incipientium*; *ablactatio* autem (quia est, quando infantes avelluntur ab uberibus, quia jam sufficiunt solidiores capere cibos) signat virtutem *perfectam*, quando jam virtuosus solidiora alimenta virtuosa potest suscipere, & duras difficultates superare. *Isaac* autem jam provectus, & *senex* signat virtutem *heroicam*.

Item ex Philosophia Morali SYMBOLICA *sacrà* relati *tres* virtutis gradus significantur in *asino*, equo, & *cervo*. *Asinus* inchoat cursum, at citò deficit; ideò est symbolum operis egregiè incœpti, & citò destituti; & sic contingere solet aliquibus *incipientibus* in via virtutis; incipiunt currere, & citò desistunt. Alii incipiunt paulatim, & posteà currunt in virtutis viâ, & hi symbolicè signantur in *asinis Indicis*, qui cum iter arripiunt, lentè incedunt, sed paulatim progrediendo, feruntur citatiùs, & rapidissimè gradiuntur; in viâ virtutis festinandum, at aptius est *lentè* incipere in viâ virtutis, & inde in tali viâ more equi generosi currere, quàm rapidè incipere, & citò asini more deficere. Asinus indiget, ut currat verbere, sic virtuosus in statu imperfecto, ut currat, & procedat in virtutis viâ, adhùc indiget castigatione.

Virtus *perfecta* signatur in *equo*, qui velociter currit, ideò ad illa verba Davidis *viam mandatorum tuorum cucurri*, addunt, *ut generosus equus*; oportet enim in viâ virtutis proficere, non deficere.

Virtus *heroica* significatur in *cervo*, quia cursu velocissimo ad aquas, ideò dicente David, *sicut desiderat cervus ad fontes* aquarum, ità desiderat *anima mea ad te Deus*; item cervus *ruminat, & bifidas ungulas habet*, at in sacris literis (apud Leviticum A. & F. & Deuteronomium cap. 14. A.) talia

ani-

animalia reputantur *munda*, & signant *perfectiorem* statum virtutis; nam quatenus *bifidas* habent *ungulas* signant discernentes *verum à falso*, & *bonum à malo*; item *ruminatio* innuit vividam, & profundam rerum divinarum contemplationem perfectam, quæ *perfectè* conveniunt jam adultis, & in virtute provectis; & in Canticis cap.8. Christus ex *cervi* imagine describitur illis verbis sponsæ: *Similis es tu, fratuelis meus, damulæ, aut hinnulo cervorum*; *& quià cervus* serpentes fugat, quibus maximè est infestus, & flatu eos extrahit è caveis, atque interficit, designat *Christum*, qui capita draconum contrivit, flatuque, & imperio ejecit ab obsessis corporibus dæmonia, & etiam à templorum caveis, in quibus adorabantur, extraxit, & repulit, ut significatur in Psalmo 73. Item *cervi* possunt dici *Sancti Patriarchæ* antiqui, *& hinnulus cervorum* (qui memoratur apud Cantica cap.6.D. & 8.) signat *Christum* ex illis, secundùm carnem, ortum. Imò & Cervus (quia est velox ad cursum, & serpentes interimit) signat *Apostolos*, quibus calcandi serpentes, & scorpiones, data potestas; item *cervus* signat *sanctos*, *& justos*, qui calcant vitia, quorum symbola serpentes; item quia si *cervus* est *velox* ad cursum *sancti*, *& justi* sunt veloces ad virtutum opera; & apud Psalmum 28. cum dicitur, *vox Domini præparantis cervos*, qui sunt illi *cervi*, quos præparat vox Domini, nisi *vitæ contemplativæ* dediti? Ergo hæc satis, ut inferas, quòd apto symbolo in CERVO signetur *virtus* HEROICA.

Apud Ezechielem cap.47. à v. 3. *Aqua* illa primò usque ad *talos*, secundò usque ad *genua*, tertiò usque ad *renes*, & tandem aqua usque ad *caput*, per quam traductus fuit Propheta, quid indicat nisi virtutis gradus? Aqua clara est symbolum virtutis, quia labat animum, & abstergit; aqua usque ad *talos* (quia *tali* sunt infima pars, unde incipit homo) signat virtutem *imperfectam*, sive *incipientium*; designant enim *tali* prima operis nostri vestigia, dono spiritualis sapientiæ infusa, sed non dum cum securitate perseverandi in bono, virtus enim *imperfecta* adhùc securè nos non retinet, ex cupa nostra, quia faciles sumus ad malum, difficiles ad bonum. *Talus* est propè calcaneum, quod exuberat; quarè cum *calcaneus* hærens terræ signet symbolicè *affectiones* terrenas, aqua usque ad talos signat virtutem labantem ab affectibus terrenis, & subjicientem, sed adhùc imperfectè. Aqua usque ad *genua* signat virtutem proficientem, sed adhùc ad *perfectum* gradum non accessit; *genua*, quia in eis flexus, & submissis exprimitur supplicantis habitus signant virtuosum, qui incepit, & supplicat Deo proficere. Aqua usque ad *renes* signat virtutem in statu perfecto, & in medio perfecto, in quo consistit virtus; sunt enim renes *medium* hominis; item renes sunt sedes *libidinis*, quare *aqua* usque ad *renes* signat *majorem profectum* in virtute, & doctrinâ adeò, ut omnis in nobis libido truncetur, & sint mitigati carnis appetitus, nec vehementi conatu sint rebelles rationi, & apud Psalmum 138 dicitur Deus, possidere renes nostras, cum *castè* vivimus. *Renes* uno verbo (apud Psalmum 7 & 25. & 39 & 138.) signant ipsam portionem hominis *concupiscibilem*; quare *aqua* usque ad *renes* in Ezechiele signat virtutem, quæ jam subjecit concupiscentias. At inde *aqua* usque ad *caput* signat virtutem *heroicam*, *& adultam*, quæ subjecit jàm omnes affectus immodicos, & cogitationes, quorum sedes caput, puras ad Deum mittit, & jam sunt sopitæ passiones hominis ita, ut jam in tali statu homo vivat suprà *hominem*.

At congruentiùs dicam, quòd aqua usque ad *talos*, & *genua* signat statum *incipientium*, sivè *imperfectum virtutis*, nam intrà eundem statum sunt inferiores, & superiores, magis intensi, & minùs intensi gradus. Aqua

usque ad *renes* sedem *libidinis*, & usque ad *pectus*, ubi est *jecur*, quod dicunt sedem *concupiscibilis* appetitus, & ubi est *fel*, quod dicunt sedem *irascibilis*, & ubi est *cor* sedes *desideriorum*, signat virtutem *perfectam*, jàm labantem animum ab immodicis affectibus in lineà *libidinosà*, *concupiscibili*, *irascibili*, & desideriorum. Aqua usque ad *caput cogitationum* sedem signat virtutem *heroicam*, quæ inducit oblivionem passionum sensus; quare sapientes Poetæ finxerunt, Herculem, priusquam descenderet ad inferos, accessisse montem *Oetam*, atque ex fonte bibisse, qui ibi labebatur, ob cujus vim omnium præteritorum malorum esset oblitus; fontem illum *lethum* nominavit, in quo (exponunt Mythologi) indicatum est, quòd qui in *monte* status virtutis *heroicæ* bibit virtutis heroicæ aquam, passionum carnis oblitus, est contemplatione totus in Cœlis extaticus; præditus enim tali virtute elevat *se suprà se*, ac si esset spiritus extrà carnem; quòd illi Poetæ acceperint ab Hebræis.

Etiàm *mansiones*, per quas proficiscebantur filii Israel egressi de Ægypto apud Exodum cap. 17. & 40. sicut apud Genesim cap. 6. diversæ *mansiunculæ in arca Noe* diversos profectus, status, & gradus virtutum in animà signant, in quibus à dilubio periculorum sæculi præservamur, & quibus, sicùt per mansiones, ad cœlestem Palœstinam, & æternam promissionis patriam pergimus.

Sed ex Philosophià *hieroglyphicà* TRES relati virtutis gradus significantur per TRES *Herculis* CLAVAS; prima dicitur ex *Oleastro*, secunda ex *quercu*, tertia ex ære, sive *ænea*. Prima ex *oleastro* est symbolum virtutis *imperfectæ*, quia oliva est symbolum virtutis *perfectæ*, est Oleaster similis *olivæ*, sed hujus fructus non habet. Est Oleaster olea *sylvestris*, ut sit fructuosa, inserenda est *in oliva*; indicatur, quòd ut virtus *imperfecta* sit fructuosa, oportet, quòd inseratur in virtute *perfectà*, cujus est (propter in pag. 261. dicta) symbolum *olivæ*; & quomodo *inseritur*? proficiendo, & *procedendo* in virtutis viâ; si enim non procedas, licèt incipias, tua virtus imperfecta erit *Oleaster*, olea sylvestris, infrugifera. Ergo oportet, quòd *Oleaster* inseratur in *olivà*, nempè virtus *imperfecta* inseratur in virtute *perfectà*, quod fit, cum in virtutis viâ *incipis*, *& procedis*; & à Paulo ad Romanos cap. 11. C. populus gentilis dicitur *Oleaster* insitus in oleà, hoc est in fide Abrahæ, illis verbis in versu 17. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem* (loquitur cum populo gentili) *cum OLEASTER esses, INSERTUS es in illis*, nempè in illis, quos ex populo Judaico Deus gratuità suà electione servavit, per fidem Christi salvandos; reliquis ob incredulitatem in sua cœcitate juxtà Prophetarum vaticinia relictis, ac Gentibus in locum eorum ex gratuità Dei bonitate assumptis; quare Gentili populo assumpto ad *fidem* cum illis ex populo Judaico servatis dicit Paulus: *Cum OLEASTER esses, INSERTUS es in illis, & socius radicis, & pinguedinis OLIVÆ factus es*.

Secunda clava ex *quercu* signat virtutem *perfectam*, eò quòd *quercus* est arbor valida, & robusta, & solida, & talis est virtus *perfectæ*. Tertia clava ex ære, sive *ænea*, quia validissima, signat virtutem *heroicam*, quæ reddit heroes, & glorià immortales; *æs* autem fuit immortalitatis, & *perpetuitatis* hieroglyphicum, quare Vegetius admonet, quòd clavi navium sint *ærei*, non *ferrei*, quià *isti* rubigine vitiantur, *illi* humore non lædunturImò apud nostros *æs*, quià rubigine difficilè consumitur, signat virtutes Angelicas, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, ut nullà jàm rubigine surripientis culpæ mordeantur.

Clava Herculis est symbolum virtutis; monstra, quæ cum *clavà* effingi-

gitur occidisse, sunt symbola vitiorum; optas omnia animi occidere monstra? nolis sistere in clavâ ex *Oleastro*, sed hinc succedat clava ex *quercu*, hinc ex *ære*; qui legis, intelligis; sic eris *heros*.

CAPUT XIII.

VIRTUS HEROICA, jàm hieroglyphicè indicata per clavam ÆNEAM *Herculis, & ex* sacris *literis* in capite elapso *pluriès* Symbolicè *signata, adhùc* ex sacris chartis *indicatur* per *ABIETEM*, per *LIGNA* lævigata *ARCÆ NOEMI*, *per QUERCUM MAMBRE*, *per* Samuelem *concidentem* Agag *in frustra*; *per LAPIDES DOLATOS* templi, *per REMOS DOLATOS*. *Non fuit in illis ETHNICIS, quos dixerunt* heroes, *virtus HEROICA*; *id ex sacris literis per ABIMELECH*; *tandem ex AUGUSTINO, ex quo undè dictus HEROS.*

SI virtutem HEROICAM dicas symbolicè signatam in *abiete arbore*, cur ego non laudem? *Abies* est arbor procera, habens folia (*pectinis* modo) divisa, quæ non amittit; nascitur in *montibus*, & vallibus, locisque *desertis*, flores habet *crocei* coloris; est *enodis*; ramos habet, *ordine* quodam dispositos, *tendentes* in *Cœlum*, non in *latera* pronos; ejus materia est apta *navigiis*, & antennis navigiorum, & ad cætera opera, in quibus *fortitudo* requiritur; *ponderi* resistit, & valdè sustinet ipsum; ejus umbra dicitur omnibus satis, id est, seminatis perniciosa.

Cur ergo abies (quia arbor procera, & ramos, ordine quodam dispositos, ad Cœlum dirigens) non dicas symbolum virtutis *heroicæ*? hæc est procera virtus; hæc dirigit ad Deum cunctos actus, & affectus hominis. Si *abies* folia habet *pectinis* more, cum pecten capillos symbola cogitationum componat, & superfluitates capitis symbola vitiorum excutiat, an *virtus heroica* cogitationes talis virtute præditi non componit, & expurgat penitùs à superfluitate vitiorum? Si *abies* nascitur, & crescit in montibus, & locis desertis, in arduis (dictum) nascitur, & crescit virtus, & in deserto à sæculi curis elevatur.

Si Abies flores *crocei* coloris habet, quid apud *Cantica* cap. 4. D. signat *croceus* (herba, folia habens velut capillos flores purpureos, è quibus colliguntur *fibræ* plurimùm *odoris* habentes) nisi ignem Spiritus Sancti, & virtutem, *plurimum* boni odoris spiritualis habentem, qualis est *heroica*? & apud *Threnos* cap. 4. quid in *sensu bono* signant, *qui nutriuntur in croceis*, nisi *Sanctos Patres*, qui nutriuntur in sacramentis, & donis Spiritus sancti, ideoque in virtute sublimi?

Si *abies* est apta *navigiis*, & operibus, in quibus *fortitudo* requiritur, *homo* est *navis*, navigans in salo sæculi, ideò egens *abiete forti*, nempe sublimi, & *heroicà*, & forti *virtute*, ut resistat sæculi procellis; sique *abies* resistit *ponderi*, talis optatur virtus *sublimis*, quæ resistat ponderi carnis, & mundi, ne spiritus succumbat; corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam; ergo oportet in animo virtus *talis*, quæ gravamini carnis opponatur, & resistat.

...ies est *enodis*, id est, sine *nodi* symbolo *difficultatis*, virtus *heroica* jam ab habente exercetur sine difficultate, quia sunt sopitæ passiones.

Congruè in *abiete* signata est virtus *heroica*, cum apud *Hoseam* cap. 14. D. abies (quia arbor procera, fortis, & elevata directè ad cœlum) signet Christum Dominum; & apud Isaiam cap. 14. B. *abies* signat viros in Domini servitute *perfectos*, *sublimes*, & *fortes*; fundati sunt in montibus, quia eorum conversatio est in *cœlis*; de terrâ exeunt, at contemplando juxtà æthera verticem mentis attollunt; non æquantur *cedro* symbolo (in sensu *malo*) superbiæ, quia *sublimes virtute* non se elevant in *superbiam*. *Abies* (ut ramos directos ad Cœlum elevat, nec divertit ad latera) signat, ut dicetur infrà, *virtutem*, quæ consistit *in medio*. Umbra *abietis* est nociva satis, sive seminatis; hæc quia nascuntur, & ascendunt è terrâ, sunt symbolum affectuum carnis, qui nascuntur è sensus, sive corporis terrâ, quibus est *nociva virtus*, quia non sinit, eos *immodicè* crescere. Item apud Leviticum cap. 25. A. *seminare terram* est *indulgere cibis*, & *potibus*, quia sicut semina, & aqua mittuntur in terram, ità cibus, & potus injiciuntur in corpus; quare *abies* nociva satis, sive seminatis, innuit virtutem *temperantiæ*, quæ excessus in cibo, & potu prohibet. Age, ex cunctis dictis non resistes *abietem* symbolum virtutis *heroicæ*.

Et quid (apud *Genesim*, cap. 13. D.) signat *quercus Mambre excelsa*, ad quam venit ABRAHAM peregrinus, nisi *sublimem*, & *heroicũ habitum virtutum*, ad quem oportet venire, qui in hac vitâ peregrinantur? & quomodo in peregrinatione istâ inter tot animæ hostes, & tot pericula, requiem tutam, & hospitium securum habebunt sine tali sublimi virtute?

Nec non (apud *librum* 1. *Regum*, cap. 15. G.) *concidens Samuel Agag in frustra* quid designat? hoc; nempè cum non solùm motus *turpis* carnis *extinguitur*, sed etiàm *naturalis* quasi *consopitur*; vel quòd licèt jungantur cogitationes cogitationibus, ut carbones carbonibus, non tamen additur *motus* cogitationi, ne *magnus ignis* impuritatis oriatur; ideò apud *Ezechielem* cap. 16. A. *præcisus umbilicus* libidinem reficœnatam significat. *Agag* (juxtà aliquos) interpretatur *meditans*, sive *loquens*; Rex erat Amalecitarum, *à Saule* captus, est *à Samuele* occisus, pinguissimus erat, & designat *sensum carnis*, qui tùnc *meditatur*, cum phantasmata lasciviæ cogitat; idem & *loquitur*, cum *carnem* motibus *excitat*; erat Rex *Amalec*, hoc est *libidinis*, pinguissimus iis, qui *libidini* vacant, & sic intellige *moraliter* apud Numeros cap. 24. B. & lib. 1. Regum cap. 15. G. & Esther cap. 3. A. Ergo *Samuel* concidens *Agag in frustra* significat aptè *motus* carnis *extinctos*, & jam *sopitos*; hoc autem habetur in statu *virtutis heroicæ*, ergo congruè *virtus heroica* indicatur per *Samuelem concidentem Agag in frustra*.

Si per *ligna lævigata*, ex quibus (apud Genesim cap. 6. C.) compacta est arca NOEMI, intelligas sanctos, quia virtute *heroicà* præditos, & ideò perfectissimè *politos* sine ulla vitii asperitate, cur ego resistam? imò apud *Ezechielem* cap. 21. B. idem est significatum; & apud librum 3. Regum cap. 5. D. & 6. A. *lapides dolati templi* in sensu *morali* ad idem conspirant; sicut apud *Ezechielem* cap. 27. A. *dolati remi* indicant moraliter idem; *dolare* enim est idem ac *polire*; ergo *lævigata*, id est, *complanata*, & *polita*, & levia facta ligna, *dolatique*, sive *politi* lapides, & *politi*, *dolati*, sive *lævigati remi* mitigationem *interiorum* motuum signant, qui jàm menti nullum exhibent *asperitatis negotium*; at quando hoc? quando virtus *heroica*.

Heros (apud Ethnicos) fuit nomen à *Junone* tractum; *Juno* enim Græcè appellatur nomine, latinè *hera*, ut narrat S. P. Augustinus *lib.* 10. de *Civitate*, cap. 21. & ideò nescio, quis filius Junonis juxtà Græcorum fabu-

las

las sit dictus *heros*; nomine Junonis intelligebant *aerem*, & putabant, in aere cum dæmonibus habitare *Heroas*, quo nomine appellabant *animas defunctorum* alicujus nominis, ut refert S. P. & Doctor Augustus ibi. Et D. Thomas in 7. *Ethicorum*, cap. 1. dicit, quòd Gentiles vocabant *Heroas* animas virorum *insignium*, quos etiam *deificatos* esse dicebant; unde quia putabant habitare cum dæmonibus in *aere*, dicto Græcè *herà*, hinc dicebantur *heroes*, & viri *heroici*. Nomine *dæmonum* intelligebant *mentes*, sive essentias *spirituales*; dæmon enim (ut dictum pag. 717.) licèt sit vox, apud nos malè, & horridè dissona, tamen apud priscos non sic, sed *dæmon* erat idem ac *sciens*; de quo relatam paginam videas. Et Anaxagoras (ex opinione Thaletis) in legatione pro Christianis ad Marcum Philosophum, & Commodum Augustos Imperatores, dicit hæc verba: *Thales primus divisit* in DEUM, in DÆMONAS, in HEROAS; sed *Deum* putat *mentem* mundi; *dæmonas* putat *mentes*, & essentias spirituales; *heroas* putat *animas* hominum separatas. De his vide *Rhodiginum* lib. 26. cap. 32. *Servium*, *Honoratum*, Joannem *Grammaticum*, *Hesiodum* in libro, cui titulus *Opera*, *& dies*; *Piccolomineum* gradu 6. cap. 1. *Platonem in Epinomede*; item *Jamblichum* in libro de *mysteriis Ægyptiorum*.

Alii putarunt *heroas* dictos ab *era*, hoc est *à terrà*, quia à terra (ajebant) prodierint, sivè factum fuerit genus *heroum*. Alii dictos putant ab *amore*, quià (putabant) impotentèr raperentur amoris æstu. Putarunt alii potestates supernas aliquando misceri corporibus humanis, & hinc natos *heroas*. Alii putarunt, *heroas* fuisse quosdam divinos homines; qui sub *humanà* specie gestarent cœlestes animas, & sacras mentes in communem *universi* utilitatem, ex quibus alios (dicebant) instituisse scientias *theoricas*, alios practicas, & effectrices operum ad commodum humanum, & ex hoc post obitum eos coluerunt ut *Deos*; dicebant eos *Semideos*, quasi fuissent complexum ex divino, & humano genere.

Aristoteles 7. *Ethic. cap.* 1. putat *heroas* illustres homines, atque in paucis eximios, qui in vità, aut etiam post obitum, virtute maximè excesserunt inter cœteros, & ideò se Dijs similes exhibuerint, ideòque potiùs fuerint progenies *divina*, quàm *humana*. Illi Ethnici aliquid audierant à nostris, sed vel malè intellexerunt, vel voluntariis erroribus, & figmentis superstitiosis corruperunt.

At nos (rejectis superstitionibus, & erroribus gentilium, quicumque errores fuerint) nomine virtutis *heroicæ* intelligimus gradum *sublimem* virtutis suprà *communem* virtutem. Primus S. P. Augustinus (licèt cum scrupulo, quià erat vox gentilitia) transtulit (*at in sensu puro*) vocem *heroes* ad nostros *sanctos martyres*; dicente S. Doctore in allegato lib. 10. de Civitate, cap. 21. sic de sanctis Martyribus nostris: *Hos multò elegantiùs, si Ecclesiastica consuetudo loquendi pateretur, nostros HEROES vocaremus.* Et post pauca addit: *Sed à contrario MARTYRES nostri HEROES nuncuparentur; si (ut dixi) usus Ecclesiastici sermonis admitteret; non quòd eis esset cum dæmonibus in aere societas, sed quòd eosdem dæmones*, id est, *aereas vincerent potestates, & in eis ipsam, quicquid putatur significare JUNONEM, quæ non usquequaque inconvenientèr à POETIS inducitur inimica VIRTUTIBUS, & Cœlum petentibus viris fortibus INVIDA.* Hinc præeunte in relato sensu AUGUSTINO jàm longęvus usus inter nostros appellat sanctos Confessores, & Martyres nostros HEROES *in sensu puro*, nempè quià *virtutibus eximiis* maximè superant alios homines non solum *impios*, sed etiam *bonos*, qui lentiori gradu in via virtutis procedunt.

Quod autem nec virtus *Philosophica Moralis*, in gradu *heroico*, immò nec in gradu *perfecto* fuerit in illis Ethnicis, quos Ethnici dixerunt *heroes* (inter quos dicti sunt *heroes* Castor, Pollux, Minoas, Argonautæ, ob fortitudinem Hector, Epharmostus, Æneas; at Cato, Socrates, Diogenes, Epictetus, Seneca ob virtutes *morales*, & alii) colligitur ex dictis à pag. 804. usque ad pag. 810. ut ideò etiam à pag. 1141. dictum sit, quòd S. P. ABRAHAM fuerit solus ille *Hercules* dictus *heros*; nec aliquis alter (nisi fuerit ex nostris secundùm *fidem*) Hercules, aut *heros*, dictus ab Ethnicis fuit verâ virtute *heroicâ*, imò nec *perfectâ* præditus; & non solùm aliquis Ethnicus non fuit præditus virtute *heroicâ* Theologicâ, quià caruerunt illi Ethnici *fide supernaturali*, verùm nec fuerunt fulciti virtute *heroica* Philosophicâ Morali, imò nec *perfectâ*; quare in nostris sacris chartis apud *Genesim* cap. 20. & 21. & 26. Abimelech Rex Geraræ tempore *Abrahæ*, qui tulit ab Abraham Saram, tamen (quià admonitus, & punitus à Domino) non cognovit eam, significat *Philosophos* accipientes *Saram*, id est, multa de *virtute*, *& sapientiâ* tractantes: verùm non attigerunt eam, quià nunquàm *veram virtutem*, *& sapientiam* attigerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; caruerunt enim *verâ pietate*, nempè *verâ* Religione, & cultu *unius veri Dei*, & ut docet S. P. Augustinus lib. 10. de *Civitate*, *cap.* 10. *virtutes in hac vitâ non possunt esse sine verâ pietate*, eò quòd univero Deo sacrificium debeatur. Vide item ex S. P. Augustino in pag. 806. num. *Et Tomo.* Item num. *Nec illi*; & pag. 805. num. *Adde*, & num. *Imò*. Vide item paginas 782. & 783. ex AUGUSTINO, ne nùnc jàm ibi dicta repetamus, ut enim ibi, non fuit in illis Ethnicis vera *humilitas*, nec ad debitum *finem ultimum*, nempè Deum, suos actus retulerunt, *virtutes*, ait, *non relatæ ad Deum sunt vitia potius, quàm virtutes.*

CAPUT XIV.

VIRTUTES MORALES in statu perfecto ex doctrinâ *AUGUSTINI sunt* connexæ; *id item ex sacris literis per LIGNA LÆVIGATA, & connexa ARCÆ NOE, & per OSSA accedentia ad OSSA; per LAPIDES* templi, *& lapides in RATIONALI, & CATENULAS AUREAS. Ex Philosophiâ Morali* hieroglyphicâ *per* socias *SAGGITTAS* in pharetrâ *HERCULIS*, *& APOLLINIS*, *& per* catenulas aureas *ex* Herculis ore; *ex* symbolicâ *per VIAM LACTEAM*; *ex* Emblematicâ *per* LAPIDES in ARCU, *&* socios carbones accensos; *ex* Poeticâ *per* MUSAS *cum* APOLLINE PRÆSIDE.

SOlent distingui ex virtutibus *aliæ* communes *omni* hominum *statui*, ut juxtà rectam rationem vivant, & istas dicunt *quatuor* virtutes *Cardinales* cum aliis, quæ ad perfectionem quorum libet hominum spectent, nec afferant peculiarem repugnantiam cum statu proprio unius cujusque. Virtutes *aliæ* recensentur speciales *alicui statui*, ut obedientia, castitas, & paupertas *religiosis*. *Aliæ* memorantur conjunctæ *alicui dignitati*, quarum exercitium reale, *& externum* in tali dignitate constitutis solum inveniri

pos-

possit; ut exercitium *magnificentiæ* solùm Principibus, & Regibus, & divitibus convenire potest, quia requiruntur multæ pecuniæ pro expensis; item exercitium *justitiæ punitivæ* solùm judicibus, & primariis Reipublicæ convenire potest.

Ex his dicendum, quòd virtutes primi generis, nempè communes omni hominum generi scilicèt *Cardinales*, & omnes aliæ, quæ ad perfectionem quorumlibet hominum spectent, nec afferant repugnantiam cum statu proprio uniuscujusque, sunt *in statu perfecto* mutuò connexæ, & sociæ. Et quidem virtutes *quatuor Cardinales* sunt in statu *perfecto* connexæ; quarè cum aliæ virtutes Morales sint partes subjectivæ, vel potentiales illarum, & nihil sit perfectum sine suis partibus congruis, nec istæ erunt perfectæ sine suis principalibus, nempè *sine Cardinalibus*, nec istæ Cardinales possunt esse perfectæ sine suis partibus; & sicut una virtus Cardinalis non potest esse *perfecta* sine *suis partibus*, *& sine aliis Cardinalibus*, ità nec potest esse *perfecta* sine aliis virtutibus, quæ sunt *partes* aliarum virtutum Cardinalium; unde patet, quòd omnes virtutes Morales tàm *Cardinales*, quàm *non Cardinales* in statu *perfecto* sunt mutuò connexæ, & sociæ.

Ratio, quam allegant docentes, *quatuor* virtutes *Cardinales* (in statu nempè *perfecto*) esse *connexas*, placet, & adducitur à S. P. AUGUSTINO (in Epist. 29. *Hieronymo*, Tomo 2.) his verbis: *Certè hinc persuadent* (nempè STOICI) *qui unam virtutem habuerit*, *habere omnes*, *& omnes* (nempè in statu perfecto) *deesse*, *cui una defuerit*, *quòd* PRUDENTIA *nec ignava*, *nec injusta*, *nec intemperans potest esse*; *nàm si aliquid horum fuerit*, *Prudentia non erit*. *Porrò si Prudentia non erit*, *si fortis*, *& justa*, *& temperans non sit*, *profectò ubi fuerit*, *secum habet cæteras*. *Sic &* FORTITUDO *imprudens esse non potest*, vel intemperans, vel *injusta*. Sic TEMPERANTIA *necesse* est, *ut prudens*, *fortis*, *& justa sit*. Sic JUSTITIA *non est*, *nisi sit prudens*, *fortis*, *& temperans*. *Ità ubi una vera est aliqua earum*, *& aliæ similitèr sunt*; *ubi autem aliæ desunt*, *vera una illa non est*, *etiàm si aliquomodo similis esse videatur*. At si hinc probatur, quod virtutes Cardinales in statu *perfecto* sunt sociæ, hinc etiam convincitur, quod etiam *omnes aliæ virtutes*, ad Cardinales pertinentes ut *partes*, *sociè* cum ipsis in tali *perfecto* statu esse debeant.

Et quidem nullam virtutem Moralem *perfectam* dices, nisi resistere possit omnibus suis contrariis; quomodo autem resistet, nisi habeat socias omnes alias virtutes in *perfecto* gradu? Quomodo Judex servabit justitiam, si sit avarus, aut luxuriosus, aut gulosus? Quomodo aliquis castus, si sit timidus, & sine virtute fortitudinis? ob metum mortis labefactabit puritatem. Nec solùm castitati est contraria turpitudo, sed etiam sunt contraria alia vitia, cum quibus potest vitiari. Etiam castitati opponitur avaritia, nam propter lucrum avarus animus corrumpet castitatem. Inter contraria cujuslibet virtutis non solum reputatur duplex vitium, in medio cujus immediatè versatur, ut ab utroque recedat, & quod *directè* est virtuti contrarium, sed etiam cuilibet virtuti est contrarium quodlibet aliud vitium *directè* oppositum alteri virtuti, & per illud potest corrumpi; per *avaritiam* oppositam immediatè *liberalitati* possunt corrumpi *justitia*, *& castitas*; quare cum una virtus non habeat firmitatem in aliarum virtutum materiâ, indiget aliis virtutibus, ut sit *tutè* firma, ne ex aliquo capite accidat corruptivum. Mutuò ergo se fovent, mutuò se juvant, mutuò se muniunt virtutes, & ut quælibet sit *perfecta*, oportet quod aliæ sint *perfectæ*, & ideò sunt in gradu *perfecto* sociæ.

Item quæ virtus *perfecta* sine Prudentia *perfecta*? nulla; at ubi Pruden-

dentia est *perfecta*, ibi *perfectè* subjectus rationi rectæ est sensus; quando autem sensus est perfectè subjectus rectæ rationi, tùnc omnis virtus Moralis est perfecta; ergo cum est *perfecta* virtus una, propter connexionem cum prudentiâ *perfectâ*, sunt sociè aliæ omnes & in gradu *perfecto*.

Et quidem vel est amor perfectus ergà Deum, vel non; si non est in nobis amor Dei perfectus, ergo nec aliqua virtus *perfecta*; si sit amor Dei perfectus, iste trahit virtutes in gradu perfecto.

Favet Hieronymus (in Epistolà ad Fabiolam de Quadraginta duabus mansionibus circà mansionem 28.) dicens de virtutibus: *Hærent sibi, & inter se ità connexæ sunt, ut qui unà* (nempè in statu perfecto) *caruerit, omnibus careat*. In caput 16. Isaiæ ad illa verba *super hoc venter* idem D. Hieronymus relatam sententiam communem Philosophorum testatur, cum dicit: *Philosophorum sententia est, hærere sibi virtutes*.

Consonat Gregorius lib. 22. Moralium cap. 1. docens: *Una itaque VIRTUS sine aliis, aut omninò nulla est, aut imperfecta; ut enim (sicùt quibusdam visum est) de primis quatuor virtutibus loquor; Prudentia, Temperantia, Fortitudo, atque Justitia tantò perfectæ sunt singulæ, quantò vicissim sibimet conjunctæ; disjunctæ autem perfectæ esse nequaquàm possunt; quià nec Prudentia vera est, quæ justa, temperans, & fortis non est; nec perfecta Temperantia, quæ fortis, justa, & prudens non est; nec Fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & justa non est; nec vera Justitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est*. Hæc Gregorius.

In choro ejusdem sententiæ vox Bernardi melliflua (serm. 49. in Cantica, & lib. 1. de considerat. cap. 8) suavissimo concentu sonat illis verbis: *Advertere est suavissimum quendam concentum, complexumque virtutum, atque alteram pendere ab alterâ.*

Cur reticeam Ambrosium? lib. 5. in Lucam cap. *De Sermone Jesu* sic loquitur: *Connexæ igitur sunt, concatenatæque virtutes, ut qui unam* (nempè in statu perfecto, vel heroico) *habeat, plures habere videatur*; ideò lib. 1. de Officiis cap 27. concludit: *Liquet, cognatas sibi esse virtutes.*

Quid AUGUSTINUS? in libro 6. de Trinitate cap. 4. dictat: *Virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ab invicem*. Hinc lib. 1. contrà Julianum Pelagianum cap 34. refert, & non refellit opinionem Zenonis, *qui tantam virtutum copulam, unitatemque confirmavit, ut ubi fuerit una, omnes docebat esse virtutes, & ubi una non fuerit, omnes deesse; atque illam solum veram esse virtutem, quæ hac quadruâ jugalitate* (nempè quatuor Cardinalium) *perficitur*. Et in Epist. 29. Hieronymo suprà citatâ idem S. P. Augustinus refert sententiam Stoicorum de connexione virtutum, & quantùm ad hoc non impugnat.

Virtutes si consideres in gradu *imperfecto*, una potest existere sine alia, vel sine aliis; videmus, aliquos habere quandam industriam, & quandam subtilitatem mentis, uno verbo Prudentiam *imperfectam*, qui tamen non sunt casti, non liberales, non humiles, non affabiles; alios esse liberales, non castos, &c. at in statu *perfecto* cum nulla virtus sit perfecta sine *perfecta* Prudentiâ, & sine *perfecto* amore Dei, ubi sunt ista in gradu *perfecto*, sunt & cæteræ virtutes morales in *perfecto* gradu, non solùm quantùm ad actus *primarios*, nempè quantùm ad affectus internos, sed etiam quantùm ad actus secundarios, nempè quantum ad executionem externam, vel *actualem*, si sit facultas, vel aptitudinalem *si facultas esset*; adeò ut etiam in paupere sint virtutes *liberalitatis, & magnificentiæ* quantùm ad affectũ & dispositionem animi præparati ad executionem externam, si haberent cum quibus; daret eleemosinam, & faceret magna opera, si haberet pecunias

con-

congruas, quæ sunt medium ad executionem talium duarum virtutum; & habet animum paratum, & dispositum ad executionem justitiæ punitivæ, & distributivæ, si ad ipsum ex munere publico pertineret, quod sufficit ad habitus virtutis existentiam.

Hæc ex sacris literis est indicata doctrina per ligna ARCÆ NOEMI; quatenùs enim ARCA erat ex lignis lævigatis, optimèque *connexis* compacta, *& lata* inferiùs, in *angustum* verò supernè desinens designabat (ajunt sacri interpretes) *fabricam virtutum*, quæ infernè est *lata*, supernè est *angusta*, quià quò magis accedimus ad Deum, eò magis tendimus ad *unitatem*; at ligna erant *lævigata, & connexa*, quia virtutes, quibus præservamur à dilubio passionum, & periculorum sæculi, & sunt *lævigatæ*, id est, *perfectæ*, sivè perfectà culturà, & sunt *connexæ*, nec nisi ex ipsis *perfectis, & cõnexis* fit perfecta virtutis ARCA, in quà præservemur; Et quid apud Ezechielem cap. 37. B designant *ossa accedentia ad ossa*, ut illi mortui rursùs viverent, nisi virtutes *conjunctas, & connexas*? sine ossibus conjunctis, & connexis non viverent rursùs illa ossa, & sine virtutibus conjunctis, & connexis, quià non esset perfectio, non est vita moralis in animo.

At & apud Math. cap. 24. A. & Marcum cap. 13 *lapides templi*, quid signant? *virtutes in animà*, & apud Isaiam cap. 54. C. quid signant lapides sculpti? virtutes *perfectas*; at quomodo fiet templum ex lapidibus, si lapides non sint connexi? utrumque ergò requiritur, & quod *perfecti* sint, *& connexi*, nec sine connexione est eorum perfectio in templo. At & duodecim lapides pretiosi (apud Exodum cap 25. A. & 28. C & 35. A.) in *Rationali* summi Sacerdotis *fixi*, insiti, & socii, quid signabant nisi duodecim præcipuas virtutes Morales in animo fixas, insitas, connexas, & socias?

Nùnc ex Philosophia *hieroglyphicà*, quid in simulacro *Herculis*, hieroglyphico virtutis *perfectæ, & heroicæ*, signant *plures sagittæ sociæ* in pharetrà, nisi *plures virtutes socias in anima*? nulla erit perfecta, si omnes non sint sociæ. Hinc videas & Apollinem figuratum cum pharetrà, sagittis, & arcu; in sensu physico intelligitur Sol, sagittas, id est, radios lucis continens, & in terram quasi sagittas ab arcu emittens; at & cum Sol sit symbolum virtutis perfectè illustrantis animum, quid signant sagittæ sociæ in pharetrà hieroglyphici ipsius, nisi virtutes in statu perfecto sorores, & socias? & cur non significentur symbolicè in sagittis? sunt jacula, quibus occiduntur vitiorum monstra. Una sola sagitta non sufficit, ut resistat monstris, & occidat, vel quià debilis, vel quià non figitur, vel quià durities, & feritas monstri resistit; sunt necessariæ aliæ sociæ.

Sed cum suprà ex Ambrosio *virtutes* dictæ sint *concatenatæ*, cur virtutes omnes non dicas *auream catenam* ex tot anulis connexis, quot sunt virtutes, contextam? & apud Numeros cap. 31. G & Cantica cap. 1 C. cur *catenulæ*, seu *murenulæ aureæ* non possint significare *catenam virtutum*, connexione *contextam*? dicas *virtutes* catenulas duas, *unam* aureis anulis interiorum affectuum, *aliam* externà executione effectuum, opere, & eloquio; imò & apud Exodum (cap. 28 C. & 29. C.) *catenulæ duæ aureæ positæ in Rationali* summi Sacerdotis cur ad exercitia *interiora, & exteriora* (exemplo, & prædicatione) virtutum conspirare nequeant?

Aptè in Canticis cap. 15. dicuntur *catenulæ*, sive *murenulæ aureæ, vermiculatæ argento*, quià *virtutes* sunt *aureæ* quantum ad affectus *interiores*, & effectus in animo; at sunt argento vermiculatæ, dùm *exteriùs* explicantur exemplo. Item *aurum* est symbolum *sapientiæ*, quæ est *perfecta virtus*; sed *argentum* quatenùs *candidum*, *& sonorum* significare potest *verbum Dei*, cujus possessionis dives erat Abraham Gen. cap. 13. A. & apud

Es-

Esdram cap. 1. A. *argentum* dicuntur opera, quæ non corrumpit vitii ignis, sed sunt *firma*, *& purificata*; & apud Esther cap. 3. C. *argentum* designat *opera*, quæ apparent *bona*; & apud Exodum cap. 12 E. *argentum* signare potest *corpora eloquiis cœlestibus refulgentia*; hinc *catenulæ aureæ*, *vermiculatæ argento* signant *interiores virtutes*, socias, & connexas, quæ explicantur *firmæ verbo*, eloquio cœlesti, prædicatione, opere exteriori, sine vanitate ad exemplum; at explicandæ *sociæ*; quid prodest explices liberalitatem, si scandalizes cum injustitiâ, superbiâ, ambitione, & impuritate? virtutes autem in animo *sociæ*, & exteriùs explicatatæ *sociæ*, etiam ut exteriùs sic sociæ explicatæ, reputantur *aureæ* pretiositate, & spirituali valore.

Hùc consonant *catenulæ illæ aureæ* ex ore *Herculis* hieroglyphici ænigmatici *virtutis*, quæ effinguntur, multitud nem populi dulcitèr, & spontè trahentes; quid signant illæ *catenulæ aureæ* in hieroglyphico *perfectæ* virtutis, nisi virtutes plures, velut anulos in aureâ catenâ, connexas? at aptè figurantur ex ore Herculis exteriùs pendentes, & dulcitèr multitudinem gentis trahentes, quia quando *in prædicante* est virtutum aurea catena, quando est perfecta virtus, quando omnes virtutes sunt connexæ, quià perfectæ, & ideò quod prædicat *ore*, confirmat *opere*, *& exemplo*, tùnc ejus verba, ut populum, & audientes alliciat ad virtutem, sunt *aurea catena*; O quantùm allicit veritas virtutis, ideoque vis exempl!

Ex Philosophiâ Morali *symbolicâ* VIAM LACTEAM invenio symbolum virtutum, quæ *sociè* resplendent. Causa Philosophica naturalis *viæ lacteæ* dicitur, quià in illo loco cœlesti confertissimæ, & copiosæ reperiuntur *sociæ stellæ*, quas cum cernere distinctas non possumus propter distantiam, promiscuè, & confusè candicantes intuemur; cur *candicant* apud nos, nisi quià *multæ* sunt *sociæ*? stellas scis symbola virtutum, quæ lucent in animo, in quo resplendent; at in *viâ lacteâ* stellæ non candicant apud nos, nisi quià *sociæ*; sic & virtutes cum sociæ, tùnc contrà noctem, & tenebras vitii splendorem, & candorem explicant.

Sed ex *Emblematicâ* illa *Emblemata*, in quorum uno figurantur lapides in arcu, cum epigraphe, *mutuò se sustentant*, in alio figurantur socii carbones accensi, cum lemmate, *mutuo se fovent*, quò respiciunt, nisi ad innuendum, quòd sicùt lapides uniti, & connexi in arcu mutuò se sustentant, unus lapis si deficiat, alii facilè ruent, & arcus non erit, ità virtutes *sociæ* sunt sibi mutuò munimen? una si deficiat, aliæ facilè ruent, arcus virtuosus non erit. Item carbones *socii* accensi mutuò se fovent, si non sint *socii*, facilè extinguntur; facilè & extinguntur faces virtutum aquilone passionum, si virtutes non sint *sociæ*, virtus enim unita fortior.

Ex *Poeticâ* Morali Philosophiâ vidisti Apollinem figuratum præsidem in choro Musarum? Cum nomine Apollinis intelligatur Sol, & Sol sit symbolum *virtutis perfectæ*, & nomine *Musarum* intelligantur *virtutes* quid innuit Apollo cum Musis sociis, nisi virtutem tùnc perfectam esse, quando omnes virtutes sunt *sociæ*? Imò & per Apollinem præsidem Musarum intelligitur *Prudentia*, quæ præest virtutibus; in phrasi Poeticâ, ubi Apollo, ibi Musæ sociæ, quià ubi *perfecta* Prudentia, ibi *omnes* virtutes *sociæ*; ergo cum nulla possit esse *perfecta* virtus sine *perfectâ* Prudentiâ, nulla potest esse *perfecta* virtus, nisi *omnes* virtutes sint in gradu *perfecto* sociæ.

CAPUT XV.

VIRTUS Moralis consistit IN MEDIO inter duo extrema vitiosa; *ex sacris literis per ABIETEM, per VACCAS in* directum abeuntes, *& per RATIONALE* summi Sacerdotis, *item* per ambulantes filios Israel *in* medio maris, *ex Philosophiâ* hieroglyphicâ *per ARCUM* Herculis; *ex* symbolicâ, *&* Emblematicâ *per SOLEM* in medio; *ex Poeticâ per* medium *inter SCYLLAM, & CHARYBDIM; tandem per MERIDIEM.*

NOmine *dexterę* intelligitur malum, quod est ex parte unius extremi, & nomine *sinistrę* intelligitur malum, quod est ex parte alterius extremi, cum in Deuteronomio cap. 5. præcipitur nobis non declinare, neque ad *dexteram*, neque ad *sinistram*; si enim in aliquo ex his extremis esset virtus, non prohiberemur ad illud accedere. Sunt verba Deuteronomii cap. 5. *custodite, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis; non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Et Proverbiorum cap. 5. iterùm admonemur: *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram, custodi pedem tuum à malo.* Sed Isaias cap 3. clamat: *Hęc est via, ambulate in eà, non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*; in quibus jubemur non declinare neque ad vitium per *excessum*, neque ad *vitium* per defectum oppositum virtuti, & consequenter, quòd incedamus viâ mediâ, quiâ in medio inter duo extrema vitiola consistit virtus, ut explicabitur infrà.

Hinc non semel in sacris literis virtus significatur in *abiete*; est arbor ramos ordine quodam dispositos dirigens ad cœlum, nec extendens ad latera, nempè nec ad latus dextrum, neque ad sinistrum, sed ascendens *viâ mediâ*. Ideò apud librum primum Regum cap 6. C. *Vaccę euntes in directum* signant discretionem medii, in quo consistit virtus, tenendam; quare dicit textus ibi v. 12 *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram*; Bethsames interpretatur *domus Solis*; fuit civitas, in quam vaccæ portarunt arcam Domini à terrâ Palæstinorum; est typus cœlestis patriæ, quare vaccæ pergentes viâ media, itinere uno, non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram, typus eorum sunt, qui viam mediam, in qua consistit virtus, non declinantes ad latera, id est, neque ad vitium *per excessum* oppositum virtuti, nec ad vitium *per defectum* contrarium etiam virtuti, itinere uno, nempe legis Dei, ad celestem patriam pergunt. Addit textus sacer, quòd *vaccę gradiebantur pergentes, & mugientes* pro filiis, at itinere uno; viâ media, & rectâ, non declinantes ad dexteram, nec sinistram; in quo significantur, qui cum dolore terrena chara relinquunt, carnem cum labore domant, à recto tamen itinere, & à viâ mediâ non deflectunt; sic pergunt ad cœlestem patriam, carnem licèt cum labore domando, at viam mediam, & rectam in qua consistit virtus, non deserendo.

Rationale, quod erat genus operimenti, quo pectus tegebatur Pontificis, & ideò erat *in medio*, cur non sit symbolum virtutis, quæ consistit *in medio*? erat *duplex*, unum *apertum*, aliud *absconditum*, & duplex est habitus virtutis, unus interior in animo, alter exterior ad exemplum. *Ratio-*

nale erat *auro contextum, & duodecim habens lapides pretiosos*, & signat habitum integrum, & aureum virtuosum, in quo *duodecim virtutes Morales* præcipuæ, ut pretiosi lapides resplendent; at Rationale symbolum virtutis erat *in medio*, in pectore, ut indicetur, quòd in medio consistit virtus. Nec mirum dixerim *Rationale* typum virtutis, ut enim dicitur in Exodo cap. 28. v. 15. dicebatur *Rationale judicii*, at virtutis veræ est judicare bonum, & malum, ut istud fugias, illud amplectaris. Item *Rationale* erat *quadrangulum*, & ideò symbolum *quatuor* virtutum Cardinalium; vel apud alios interpretes *quadrangulum Rationale* stabilitatem, & firmitatem virtutis indicat, quià *quadrata* figura non facilè de loco moveri potest; ergo Rationale *quadrangulum*, & in *medio* signat *duo*, nempè & quòd virtus consistit in *medio*, & in medio debet esse constans, & firma, ut sit perfecta.

Sed & apud Exodum cap. 14. v. 16. præcipit Deus Moysi: *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israel in MEDIO maris per siccum*, capite 15. v. 19. *Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in MEDIO ejus*, nempè maris; quid autem signant filii Israel ambulantes *in medio* maris per siccum, & sic pergentes ad terram promissionis typum patriæ cœlestis, nisi eos, qui in hoc mari sæculi *per medium*, in quo consistit virtus, quin luto terrestrium affectuum inquinentur, ad cœlestem patriam pergunt?

Et quidem si optes rationem, cur *virtus* consistat *in medio* inter duo extrema vitiosa, videas ab inductione; nam Prudentia consistit in medio inter stoliditatem, & vafram astutiam; illud est vitium per defectum, istud per excessum. Fortitudo est *in medio* inter timiditatem, & audaciam temeram. Liberalitas in medio inter avaritiam, & prodigalitatem. Justitia *distributiva* est *in medio*; si Princeps non conferat præmium, cui debetur, peccat per *defectum*; si excedat, conferendo alicui majus præmium, quàm sit dignus, & quàm debeatur, peccat, & deficit (contrà justitiam) per excessum; ergo medium est conferre nec deficiendo, nec excedendo. Sic Judex peccat contrà justitiam *punitivam*, si aut deficiat nimiùm, puniendo circà condignum, aut excedat puniendo ultrà condignum. Imò & justitia *realis*, consistit in suo medio; nam si habes gladium Petri, & *absolutè* negas, est vitium per defectum contra justitiam, cujus est suum cuique tribuere; si ex nimio, & imprudente zelo justitiæ das gladium Petro petenti, ut se, aut alium, quià tunc iratus, occidat, & hoc noto tibi, ex nimio, & imprudente zelo justitiæ, *tùnc* des gladium Petri Petro, *tùnc* per excessum in zelo. Justitiæ, etiàm peccas; quia justitia (sicut reliquæ virtutes) regulatur per Prudentiam rectam; at Prudentia recta dictat, quòd *tùnc* non restituas gladium Petri Petro, quià Petrus cum gladio prætendit injustitiam; ideò si possis tùnc facilè negare, aut differre redditionem gladii, debes.

Sic & *Temperantia* est *in medio* inter nullius voluptatis sensum, quod dicitur insensibilitas, & inter intemperantiam.

Sic & *Humilitas* etiam est *in medio*, quod præscribit regula rationis quantùm ad locum, tempus, personam, dignitatem, & alias circunstantias, quas prudentia præscribit; in eo, quod te humilies Deo, nunquam potest esse excessus, quia Deus est dignus, ut infinitè nos humiliaremus ipsi, & cum sit inter Deum, & nos infinita distantia, ille summè infinitus, nos finiti, nunquam nostra humiliatio apud Deum, quia semper finita, potest esse tanta, ut excedat (imò nec adæquet) gradum humilitatis, quem à nobis meretur Deus; & quanvis Creatura sedimittat Deo magis, & magis, adhùc Deus est majori, & majori demissione nostrà dignus in infinitum. Itaque humilitas quantum *ad actus internos* nostræ subjectionis Deo, nunquam

quam potest excedere, imò nec adæquare obsequium, quod debetur Deo; at humiliatio requirit prudentiam regulantem; nam si quis sciat certè, *aliquid* esse *malum*, & ex affectu humilitatis credat, & se subijciat *imperito*, dicenti *illud* malum esse *bonum*, dejectè nimis de se putans, omnem hominem (etiàm ignarum) esse superiorem sibi prudentiâ, & sapientiâ, esset vitium per excessum, & Deus prohibet talem stultam humilitatem, dum docet: *Noli esse humilis in sapientiâ tuâ*; id est, *Nolis ex abjectione animi, cum sis à me sapiens, & scias, quid sit malum, credere insipienti, aut maligno, monenti, quod sit bonum id, quod est malum*.

Item quantùm ad actus externos humilitatis circà Deum servanda est regula rationis, dictans opportunum locum, & tempus; nam si tu ires (ut te mitteres, & immergeres) in cloacham, ut ibi te humiliares Deo, ex terminis esset ridicula, & imprudens humiliatio; si tempore, quo prædicas, jaceres humi suprà pectus, ut te humiliares Deo, esset importuna, & extrà temporis illius congruentiam humiliatio, quià quomodo audiret totus populus in Ecclesia?

Jàm circà objectum *secundarium* humilitatis, nempe circà *creaturas propter Deum*, si tu cuilibet in calle tranleunti flecteres genua, vel ad ipsius pedes accurreres osculaturus, esset ridicula humiliatio; si ubique, & passìm per vicos, vias, & calles clamares, te *esse pessimum*, esset humiliatio imprudens *ex terminis*; si tua peccata, ubique in publico, sine discrimine divulgares, ut esses cunctis irrisio, & contemptus, esset *ex terminis* (nisi esset specialis Dei inspiratio) humiliatio imprudens, & impertinens; ergo humilitas versatur *in medio* inter *superbiam*, quæ est vitium *per defectum*, & inter *inordinatam, imprudentem, ridiculam, & nimiam dejectionem*, quæ est vitium *per excessum*. Virtus definitur, *Habitus in mediocritate consistens*, prout PRUDENS *definierit*, quare quæ *recta prudentia* definierit, sunt virtus, & agenda; sic & *Magnanimitas*, & *Magnificentia*, & *Virginitas*, & Religio, ut dicetur in suis locis, *medium* à rectà ratione præscriptum servant.

In quo *medio* consistit virtus? putas esse medium, sicut *corpus mixtum* dicitur *medium* inter elementa, aut ut *tepidum* fit ex calido, & frigido, aut sicut color *fuscus* dicitur *medius* inter album, & nigrum? erras; virtus enìm non dicitur media, sive consistere *in medio*, quià sit quid mixtum ex duobus vitiosis extremis; absit cogitare istud; iste fuit Stoicorum error, putaverunt, Peripateticos, dum virtutem collocabant *in medio*, eam collocare in mixto ex vitiis oppositis, quasi virtus constaret ex contrariis, & refractis vitiis, & fieret ex participatione extremorũ; quos refellit Cicero, protegens, nunquam Peripateticorum in mentem lapsum tale delirium; nunquàm hos cogitasse, virtutem esse vitium temperatum ex duobus extremis vitiosis oppositis, nec esse unum extremum ad mediocritatem reductum, cum & ipse Aristoteles doceat esse vitia, quæ mediocritatem non admittunt, ut adulterium, & similia; & item nec ullam virtutem esse positam, ut quo tempore, & quomodo furtum sit faciendum, præscribat.

Existimas item *medium*, in quo consistit virtus, esse sicut *punctum copulativum*, quod est *medium* duarum medietatum ejusdem lineæ? recedis à vero, nam *medium* virtutis vitia extrema non copulat, imò relegat.

Imaginaris fortè, quòd *medium*, in quo consistit virtus, sit sicut *via*, & *motus*, qui est *medium* à termino *à quo* ad terminum *ad quem*? judicas, sit sicùt *forma embryonis*, quæ dicitur *media* inter generantem, & genitum? recedis ab scopo; nàm motus à termino *à quo* ad terminum *ad quem* est motus, est propter terminum *ad quem*, at *medium*, in quo consistit virtus,

non est propter aliquod extremum, ad quod tendat ; quià extrema sunt vitiosa, & ad ea non solùm non tendit, sed abhorret; embryo est imperfectior generante, & genito, at virtus est perfecta ità, ut extrema vitiosa nihil moralis perfectionis teneant.

Putes fortè, quod *medium* virtutis sit *participatione extremorum*, sicut *animus rationalis* dicitur *medius* inter Angelos, & formas materiales ? adhuc cœcutis, si sic putes, & in errore jaces ; nam anima rationalis est perfectior formà materiali, imperfectior autem, quàm substantia Angelica; at virtus consistens *in medio*, tale *medium* est, ut sit perfecta ipsa sola, & utrumque extremum, quià vitiosum, sit imperfectum.

Quomodo ergo est, & vocatur illud *medium*, in quo consistit virtus ? dicitur, & est medium *ex negatione*, *& privatione extremorum*, quià est medium inter vitiositates extremas, quia repugnat ei, quòd aliquid participet de eiis.

Si consideres *materiam*, circà quam versatur virtus, communicat cum materià, circa quam versantur vitia extrema; nam materia circà quam versatur virtus, sunt passiones, sive affectiones animi, in eiisdem versantur vitia ; at virtus versatur in tali materià, ut dirigat, aut corrigat, & sanet, vitia ut devient, corrumpant, & infirment, & disformes rectæ rationi reddant; hinc virtutes, & vitia communicant *in materià*, non autem *in bonitate morali*, imò quoad hoc toto zelo distant. Et quià communicant in materià, nascitur, quòd fortis cõparatus cum timido appareat fortis; & liberalis comparatus cum avaro, videatur prodigus. Si velis quòd duo extrema vitiosa (*quià mala*) se habeant *per modum unius*, oppositi virtuti, quæ sola est bona, non multùm litigabimus, quià tandèm ut sic est nostra sententia in substantià. Medium in quo est virtus, non est *Arithmeticum*, sive rei, quod semper est unum, & invariabile, sed *geometricum*, idest *rationis*, quare temperantiæ medium in comedendo, & bibendo non est idem pro omnibus, sed diversum pro necessitate, aut viribus, magis, vel minus, ut definiat Prudentia.

Mordet te scrupulus. At, inquis, virtutes *Theologicæ* non consistunt *in medio*, cur ergo *Morales* ? at scias, ad nos in Philosophia *Morali* solùm attinere agere de virtutibus *Moralibus*, quæ & dicuntur *civiles* ; at & circà Theologicas sunt etiam Theologi, qui doceant, quòd servant medium rationis.

Item & virtutes *intellectuales* consistunt *in medio*, nam te nescire, quod oportet, est vitium per *defectum* ; plus scire, & sapere, quàm oportet sapere, & quæ oportet non sapere, est vitium *per excessum*. Te non judicare de re, quod est, est *defectus* ; judicare de re plusquàm est, est *excessus*, & utrumque defectuosum est.

Dexterè ergo *S. P. Augustinus* in libro de *Quantitate animæ*, *cap 6.* dicit *circulum* similem *virtuti*, ideòque virtutis symbolum; cur sic? quia sicut à centro circuli, quod est in medio, ducuntur lineæ æquales, quæ nec excedunt, nec deficiunt in circulo, ità virtutes sunt à medio, absque excessu, aut defectu.

Ideò ex Philosophià Proverbiali : *Medium tenuere beati.*

Sed O quàm difficile est id medium virtutis attingere ! quis est, qui attingit ? *quis est hic, & laudabimus eum* ? ideò in Indice in omnia opera D P. Augustini, impresso Venetiis apud Damianum Zenarum, anno M.DLXXXIIII. V. *virtus*, citatur S. Pater dicens : *Difficile est medium tenere virtutis*; sed ope Dei invenitur.

Consonat dictis Philosophia *hieroglyphica*; cur simulacrum Herculis, hie-

hieroglyphicum virtutis, figuratum cum *arcu*? quia *arcus* est id, è cujus *medio* jaciuntur sagittæ, ideo simùl figuratur cum sagittis, & pharetrà; sagittæ illæ, quas effingunt, Herculem emisisse contrà monstra, signant actus virtuosos emissos contrà vitia, quorum symbola sunt monstra; ergo figuratur cum *arcu*, è cujus *medio* jaciuntur sagittæ, ad innuendum, quòd sagittæ, nempe actus virtuosi contra vitia, jaciuntur *è medio*, in quo consistit virtus.

Ex *Symbolicà*, *& Emblematicà* SOL incedens semper in viâ mediâ, nec devians ad latera, est symbolum virtutis; fit Emblema, cum additur lemma, *semper in medio.*

Ex *Poeticà* Scylla, hinc, & Charybdis illinc signant duo extrema vitiosa, in quæ si navis animi impingat, naufragium morale patitur; ideò sicùt ut naves inter illos duos scopulos in illo tramite angusto maris sint sine ruinà, oportet non declinare hùc, nec illùc, nec ad dexteram, nec ad sinistram, id est, nec ad Scyllam, nec ad Charybdim, sed viam tenere *mediam*, & solùm per *medium* sunt tutæ, ita navis animi tùnc est tuta in hoc sæculi difficili mari, cum non declinat ad vitiosa duo extrema, sed graditur viâ *mediâ*, quæ est inter illa.

Scribit Lactantius; *Inter ortum, & occasum, quod* medium *est, vocatur meridies*; hinc à Græcis *meridies* dicta *aurea mediocritas*; indicat meridies *medium*, in quo consistit virtus, & quidem est id *aurea mediocritas*. Fortè ex hoc Ethnici putarunt meridiem sacram Diis, & charam; & tempore meridiei prohibebatur hominibus ingressus in Deorum templa; putabant enim Ethnici, Deos illà horà visitare templa, ut narrat Cœlius lib. 5. Servius addit, quòd meridie apparebant mortalibus spiritus adorati. Item *meridies* putata est apta, ut introducerentur homines ad præsentiam Deorum; *tùnc ferè* ait Servius, *videntur Numina*. At nos procùl ab omni superstitione, & in sensu solo Catholico, & puro, quià meridies est *medium lucidum*, quando Sol medium tenet cœlum, dicimus symbolum virtutis, quæ consistit *in medio*; imò cum Sol *tùnc* sit *in summo* apice, & sit in suo fervore, & splendore, & sit *Sol* virtutis *symbolum*, Sol *in meridie* est symbolum *virtutis* in gradu *summo*; quare in nostris sacris literis apud Cantica cap. 1. B. & alibi, *meridies* signat fervorem *charitatis*, & arduarum *virtutum manifestationem*; sicut apud Psalmum 36. *Meridies* manifestationem bonorum operum signat; quando sunt perfectè bona? quando medium à Prudentiâ præscriptum tenent, & sunt in medio, *meridiei* instar.

CAPUT XV.

De SUBJECTO virtutum Moralium. *PRUDENTIA recipitur* in intellectu, *JUSTITIA* in voluntate; *reliquæ in irascibili, & concupiscibili. Id ex AUGUSTINO; ex Philosophiâ* hieroglyphicà *per* calvitiem, & senectutem *Herculis, per* caput leonis *Herculi* pro galeâ, *per* pharetram *cum sagittis* accinctam.

VIdeas confusam diversitatem sententiarum *circà subjectum* virtutum moralium, hinc illinc methodo Scholasticà, & Metaphisicà auctores digladiantes; explodentes literaria tormenta, jacula Palladea, & vocum rebombo strepentes aulas; at cùr in Philosophiâ Morali, quæ est *practica*, & in-

& intendit *bonos mores*, speculationibus *Scholasticis* tempus nimis cedamus? quid homini cujuslibet status prosit magis circà mores, & virtutes, scholasticè, & cum *quo*, & ut *quod*, & similibus terminis præliari, an juxtà virtutem, & rectam rationem operari? Si opereris *virtuosè*, cur ubi recipiatur virtus, & in quà potentià, sis notabilitèr anxius? *fac benè, & vives.* Tamen quod sufficiat, non prætereamus.

Jàm hos cernas litigantes, omnes virtutes morales subjectari *in voluntate*, sivè intendant bonum proprium, sive alienum, sive sint institutæ ad moderandas passiones, sive solùm ad operationes; in appetitu autem *sensitivo* subjectari solùm habitus quosdam, inclinantes, & expedientes ipsum, ut rectæ voluntati obediat, quos habitus *propriè* virtutes non dicunt, sed virtuti servientes, & famulantes.

Alii cum distinctione certant; dicunt, virtutes, quæ *ad alienum bonum* tendunt, ut *justitia*, & ejus partes, inclinantes, ut quod suum est cuique, & consequentèr *alteri* tribuatur, subjectari *in voluntate*; illas verò, quę ad bonum *proprii* suppositi tendunt (quales sunt *Fortitudo, Temperantia*, & harum subjectivæ, & potentiales partes) *in appetitu sentiente* subjectari, in hoc sedem habere, & ibidem (reprimendo, refrænando, corrigendo, & perficiendo, & *in medio virtuoso* illum constituendo) operari.

Alii putant, virtutes *veras*, etiàm *ad alterum*, terminatas residere in appetitu *sentiente*, præter illas, quas residere asserunt in appetitu *rationali*, nempè in voluntate.

Alios alitèr jaculari cernas; volunt, virtutes morales *in utroque appetitu*, nempè *rationali*, qui est voluntas, & in appetitu *sensitivo* subjectari; at illas dicunt formalitèr diversas ab his; illas enim (ajunt) respicere suum objectum, ut est quodam bonum rationis, sivè *intelligibile*; has verò, ut est quodam bonum *sensibile*.

Scias, quòd præcipua oppositio est, an recipiãtur in appetitu *rationali*, qui est *voluntas*, an in appetitu *sensitivo*. Apud omnes est certum, virtutes Morales non recipi in membris corporis, vel in potentiis naturalibus determinatis ad unum; uno verbo virtus moralis non potest esse in facultate aliquà corporis motrice, aut ejus organis, in quæ animus despoticum dominatum exercet; quià ista obediunt, sed ità ut non possint non obedire, & exequi, quia se habent more servorum, & animus habet in ea dominium *heritle*; corpus enim, & omnia organa facultatis motricis, ut musculi, nervi, juncturæ, commissuræ membrorũ, & aliæ potentiæ determinatæ ad unum, ut quinque exteriores sensus corporis, more servorũ obediunt imperio rationis, & præsente objecto non possunt non tendere in illud, ideò in eis non residunt virtutes, quæ cum sint liberæ, & meritoriæ, solùm possunt recipi in subjecto *libero*, quod possit obedire imperio rationis, vel illud repugnare, & excutere, ideòque suprà quod ratio habeat dominium, more dominii *civilis*; tale subjectum liberum solum est vel *voluntas*, quæ est *libera* per *essentiam*, vel appetitus *sensitivus*, qui est *liber* per *participationem*, quatenùs est in eodem supposito cum voluntate, & potest obedire imperio rationis, vel repugnare, non faciendo, quod illa præcipit; & quia appetitus rationalis, & sẽsitivus possũt repugnare actus virtuosos, & non obedire rectę rationi, ideò sunt necessarii in eis habitus virtutum, quibus inclinentur, & expediantur, ad eliciendos jucundè actus virtuosos, & ut obediant rectæ rationis imperio.

Item subjectum, in quo recipiuntur virtutes, cum istæ inclinent ad actus conformes *rationi*, debet esse *rationale*, saltèm per *participationem*; solus *intellectus* est *rationalis per essentiam*; voluntas, & appetitus sensitivus sunt *rationales per participationem*, quatenus possunt dirigi ab intel-

tellectu, & ita obediunt rationi, ut possint non obedire; è contrà membra corporis, facultas motrix, & ejus organa nec *per participationem* sunt *rationalia*, quià licèt obediant rationi, non possunt non obedire, necessariò obediunt, quià more servi se habent, qui licèt ut homo habeat naturalem libertatem, non tamen politicam, sive civilem, quià servus totus domini est, & se habet sicùt alia res, quæ possidetur à Domino, & sicùt instrumentum ad actionem.

Ad actum virtutis possunt concurrere duæ facultates animæ, una dirigendo, alia eliciendo; v g. Prudentia dirigit, voluntas elicit, actus virtutis elicitus à voluntate recipitur in voluntate eliciente, non in prudente intellectu dirigente; & prudentia, quæ recipitur in intellectu solùm dicitur reperiri *in voluntate* per *communicationem*, & participationem quandam, quatenus voluntatem dirigit; sic etiam in appetitu sensitivo, quem dirigit.

Ex virtutibus Moralibus *Prudentia* recipitur in intellectu; est enim Prudentia judicium rectum de agibilibus, at judicare attinet ad intellectum. *Prudentia* dirigit, at dirigere est intellectus officium, qui est oculus animæ, & dicitur videns, sicut voluntas dicitur potentia cœca, quæ ab intellectu ducitur, & ductum rectæ rationis sectari debet. *Justitia* recipitur *in voluntate*; est enim justitia *voluntas suum cuique tribuendi.*

Item & cum justitia *æqualitatem* intendat, & hanc (quia quid *intelligibile*) constituere non sit appetitus sensitivi, qui solùm potest attingere *sensibile*, quod sibi repræsentatur per sensum, restat, quòd talem æqualitatem solùm possit constituere, & velle appetitus rationalis, nempe voluntas, quæ ducitur ab intellectu, ideoque in voluntate resideat justitia.

Hæc ex Philosophia hieroglyphicà indicantur per calvitiem, & senectutem Herculis, & per caput leonis capiti Herculis pro galeà; nam calvities & senectus symbola prudentiæ explicantur in capite Herculis, unde cum caput sit sedes intellectus, ibi residet *Prudentia*, quià residet in intellectu. Leo est in sensu malo symbolum hominis vitiosi, & insidiantis, & crudelis; cum Hercules effingitur, illum occidisse, signatur, cum nomine Herculis intelligatur virtus, quòd virtutis (quod justitiæ punitivæ est) munus est, scelestos è medio tollere; hinc caput leonis occisi Herculi pro galeà signat justitiam punitivam scelerũ; at cum est Herculi pro galeà, & cõsequentèr in capite, ubi est *voluntatis* sedes, innuit, quòd *in voluntate* recipitur justitia, ad quam concurrit intellectus prudens ut dirigens, at voluntas ut volens, & eliciens actus volitionis justitiæ.

Fortitudo autem, & *Temperantia*, & aliæ virtutes, quorum munus est moderari *passiones sensus*, in quo subjecto recipientur congruentiùs, quàm *in appetitu sentiente*? ibi residet, ubi effectus moderandi præbent.

Ibi est virtus, ut moderetur, ubi sunt vitia contraria virtuti, nisi virtus subjectum moderetur; ubi autem sunt vitia contraria *Fortitudini*, & *Temperantiæ*, & reliquis virtutibus, moderantibus perturbationes sensus, nisi in *appetitu sentiente*? ergo in *eodem* subjectanda est omnis virtus, quæ talia vitia repellit. An *gula* oppositа *Temperantiæ* non est in appetitu *sentiente*? an *timor* oppositus *Fortitudini* non est in appetitu *sentiente*? ergo *in eodem* conveniunt tales virtutes, ut moderentur passiones tales, & talia vitia exulent.

An *gula*, & *libido* sint *in voluntate*, quæ est potentia spiritualis? an in ea *timor sensibilis*? non; quam enim delectationem ex gula, & libidine corpoream habere possit voluntas, quæ est spiritualis? ergo cur *Temperantia*, & Fortitudo *in voluntate*, si ibi non est sensus, quem à relatis vitiis reprimant?

mant? Et quidem positis virtutibus moralibus moderantibus passiones sensus *in appetitu sentiente*, quid est *in voluntate*, quod non sit facile ad passiones virtuosas? ergo cur in voluntate, in qua non est difficultas, requirantur habitus ad actus Temperantiæ, & fortitudinis expedientes? Appetitus sensitivus est, qui rebellis repugnat *honesto*, & rationi imperanti, licèt ratio, licèt voluntas *honestum* imperent, & velint, ergo appetitus *sensitivus* est *equus* indomitus, qui indiget domari, & subijci virtutis fræno; qui equus si sit domitus, *recta ratio* (quæ adæquatè constituitur ex *intellectu* rectè dirigente, & ex *voluntate* juxtà rectum dictamen rationis imperante sensui) ut eques dexter equitat, nec repugnat virtuti, imò amat, & viam mediam, in qua consistit virtus, intendit.

Ponis fœnum in ore equitis, an in ore equi? in hujus ore dicis; at cur in hujus, & non in illius ore? quià equs solus indiget fœno; cur iste? quia recalcitrare potest, quià, nisi reprimatur, assurget ferus, & rebellis; *eques* est ratio, *equs* est sensus, ergo cui apponendum virtutis *frænum*? sponte patet; ergo qui legis, intellige; nam & in sacris literis non semel *sensus* significatur per *equum*, *& ratio* per *equitem*.

Et quidem ex eo, quod Fortitudo, & Temperantia subjectivè essent *in voluntate*, quæ inde facilitas ad bonum, & actus honestos, & mediocritatem servandam, esset in appetitu *sensitivo*? huic est imprimenda qualitas moderans, quià iste est mediocritati repugnans; & si non sigilletur illi qualitas moderans, & domans, erit continuus in luctà, & rixà contrà rectam rationem; quando appetitus sentientis perturbationes, & motus sunt correcti, domiti, repressi, sopiti, tùnc est pax interior, quia voluntas ex se non est, quę repugnat honesto sensibili, ergo appetitus sentiens est, qui indiget in ipso receptà reprimēte virtute; in voluntate sufficit *habitus justitiæ legalis*, quo expeditur ad volendum, & imperandum sensui, quæ juxtà legem sunt, & rationem; appetitus sentiens est, qui incipit resistere, ideò istum fœno oportet subjici.

Si dicas, in appetitu sentiente requiri habitus inclinantes, ut obediat rationi, & ad actus fortitudinis, & temperantiæ, quibus anteà repugnabat, at hos non esse *propriè* virtutes morales, sed has esse in voluntate, contrà vibro. Quos dicis in appetitu sentiente *habitus* inclinantes, ut obediat rationi, & ad actus fortitudinis, & temperantiæ, illos dico & ego *propriè* virtutes morales, sive habitus virtutum moralium; nam illi *mediocritatem servant*, *quam prudentia definit*, ergo sunt *propriè* virtutes morales, quæ sic sunt definitæ: Item tales habitus sunt *dispositio perfecti ad optimum*, nempè Deum, ergo sunt *propriè* virtutes, quarum ea est definitio. Et quidem suppositis talibus habitibus inclinantibus ad actus fortitudinis, & temperantiæ, & ad obediendum rectæ voluntati, & rationi in appetitu *sentiente*, ad quid requirantur *in voluntate* Temperantia, & fortitudo? an voluntas sentit difficultatem in abstinentia à gula, in sobrietate à vino, in continentià à venereis? non; quià nec, quia *spiritualis*, delectationes in gulà, vino, & venereis sentit; an timiditas, & ignavia propriè voluntati hærent? non, quià æterna est, & incapax mortis in periculis bellicis; ergo difficultatem non sentit voluntas nec in actibus fortitudinis, ut relegentur ignavia, & timor, nec in actibus temperantiæ, ut eliciantur actus temperati; si igitur non est in voluntate indoles actus talium virtutum difficultans, superfluus erit in eà habitus ad illos facilitans. Imò excluſsà ab appetitu sensitivo inordinatà appetentià gulæ, sive cibi, & potus, &c. abstinentia à gula, & ab aliis vitiis sensus est juxtà inclinationem *voluntatis*, quia conveniunt ad tuendam vitam, & bonam salutem animæ, & corporis, ad quod voluntas naturaliter

incli-

inclinat; talis enim abstinentia, sicut absolutè fortitudo, & temperantia non versantur in *bono alieno*, sed in *bono proprii suppositi*; ad quod voluntas inclinat naturalitèr, nec pro hoc ideò indiget habitu facilitante, & inclinante, ideò dicente Augustino *lib.1. de Doctr. Christiana*, cap.23. *non esse opus aliquo peculiari præcepto*, ut homo diligat *se ipsum, & corpus suum*; cur? quià innatà propensione inclinat *ad bonum proprium*; ergo cum *voluntas* naturalitèr inclinet ad bonum *proprii suppositi*, & actus fortitudinis, & temperantiæ sint bonum *proprii suppositi*, ad hos ut bonum *proprii suppositi* inclinat; quare supposito appetitu sensitivo moderato per virtutes, & habitus receptos in ipso, cum posteà in voluntate nulla sit difficultas, non requiritur in ipsa habitus temperantiæ, aut fortitudinis facilitans.

Ut voluntas servet *justitiam*, quia est ad bonum *alterius suppositi*, difficultatem sentit, ideò ad hanc vincendam diximus in voluntate residere virtutem, sive habitum *justitiæ*.

Et licèt homo, quià naturalitèr animal *civile*, etiàm inclinet *aliqualitèr* ad bonum *aliorum*, cum quibus socialitèr vivit, non tamen inclinat ità *vehementèr* ad *bonum aliorum*, & commune, sicùt ad *proprium*; imò si inclinat ad vitam *civilem*, & convictum cum aliis sociè, est propter bonum *proprium*, quià naturalitèr inclinat, ut proprium suppositum habeat tegumenta, alimenta, habitaculum, sive domum, & præsidia alia necessaria vitæ, & defensioni ab hostibus, & medicinas, quæ cum non possint sufficientèr haberi sine multis sociis, quià requiruntur plures manus, & artes, ideò voluntas ex amore ergà *proprium suppositum* naturalitèr inclinat ad vitam *civilem*; non tamen inclinat ad hanc primariò, & maximè *propter bonum commune*, & aliorum, nisi sit rectificata à virtute, ad præferendum bonum *publicum* bono *privato*; nàm ex peccato Adæ mansit nostra natura curva, & gibbosa, quià more curvi, & gibbosi intuetur *se ipsam*, attendendo ad bonum *proprium*, quasi dicat, primùm *mihi*, secundum *mihi*, tertium *mihi*, &c. Hinc voluntas circà bonum *proprii suppositi* non indiget habitu inclinante, sivè expediente, & facilitante; indiget verò, ut expediatur jucundè ad *bonum aliorum*; ex quo ulteriùs derivatur, quòd cum *actus fortitudinis, & temperantiæ* sint bonum *proprii suppositi*, quia tuentur vitam, & valetudinem conservant incolumem, si appetitus sensitivus, quia perfectus per habitus, expedientes ad tales actus, non sit jàm reluctans rectæ rationi, sed obedire facilis, voluntas amans naturalitèr bonum *proprii suppositi*, non reluctatur, sed inclinat ad idem; ergo cur in voluntate subjectatæ requirantur virtutes Fortitudinis, & Temperantiæ, ut voluntatem inclinent ad tales actus, si ipsa vehementèr supponitur inclinata?

Et quæ potentia elicit, & exequitur actus Fortitudinis, & Temperantiæ, nisi appetitus sensitivus? ergo si iste elicit tales actus, in ipso recipiuntur tales virtutes, expedientes, inclinantes, concurrentes activè ad tales actus. Si præcipua difficultas ad abstinentiam à gula, ab ebrietate, à libidine, ab audacià temerà, à timore vitioso, est in appetitu sentiente, in quo subjecto erit necessaria virtuosa facilitas, nisi in illo, in quo est præcipua difficultas? Voluntas non solùm in animà separatà, verum cum ipsà animà in corpore, quando appetitus sensitivus non mordet, non latrat more canis contrà rectam rationem, non sibilat more serpentis, non rugit more leonis, non recalcitrat more equi, non æstuat, & fervet more Euripi inquieti, sed undique est sedatus, & veluti in portu, & quiete silente, & more bovis veteris est subditus rectæ rationis jugo, more equi jam dudùm domiti, & servientis, est subditus fræno virtutis, & rectæ rationi equiti, unde, vel cur voluntas spiritualis repugnet actus *Temperantiæ*, & *Fortitudinis*, etiàm si

in corpore sit ? an ipsa etiam ut in corpore percipit delectationes in cibo, vel in aureo, vetere, & generoso vino, vel in ignavià ?

Fateor, quòd voluntas, sicùt & anima nostra immersa corpori afficiuntur passionibus *sensus*, ut dictum alibi ex symbolo *ostreæ* ; at quando sensus est rectificatus, & purgatus à vitiosis passionibus gulæ, ebrietatis ignaviæ, &c. per virtutes inhærentes ipsi, voluntas quam vitiosam affectionem *à sensu* participabit ?

Voluntas solùm tùnc cedit sensui, quando est abstracta, & illecta à sensu, assurgente, & movente *contrà rectam rationem* ; ergo quando sensus (quià per virtutes inhærentes ipsi perfectè coercitus, & domitus, jucundè, & facilitèr obtemperat *rectæ rationis* imperio) non allicit voluntatem, ut consentiat gulæ, & aliis delectationibus sensibilibus, & corporeis, ipsa, quæ est spiritualis, undè allicietur, aut propendet ad illas ?

Si virtutes Morales sunt, ut moderentur amorem ergà *sensibilia bona*, in quo subjecto recipientur, ut moderentur, nisi in illo, quod immediatè, & primariò respicit *sensibile bonum* ? at tale subjectum est appetitus *sensitivus*, non *voluntas*, quæ est *spiritualis*, & ut tali respondet ut objectum præcipuum *spirituale* bonum.

Adhùc altercatione, & lite fatigas ? recurramus ad judicem. AUGUSTINUS lib. 14. de Civitate Dei, cap. 19. dicit : *Hinc est, quòd & illi Philosophi, qui veritati propriùs accesserunt, IRAM, atque LIBIDINEM vitiosas animi partes esse confessi sunt, eò quòd turbidè, atque inordinatè moverentur ad ea etiam, quæ sapientia perpetrari non vetat ; atque per hoc opus habere MODERATRICE MENTE, atque RATIONE.* In quibus triplicem distinguit animæ partem, unam *concupiscibilem*, quæ libidinosa ; aliam *irascibilem*, in qua IRA ; tertiam *rationalem*, nempe *mentem*, sivè *rationem moderatricem* turbidarum, & inordinatarum illarum passionum ; & addit : *Quam partem animi tertiam velut in ARCE quadam ad istas regendas perhibent collocatam, ut illà IMPERANTE, istis SERVIENTIBUS, possit in homine JUSTITIA ex omni parte conservari. Hæ igitur partes, quas & in homine sapiente, ac temperante fatentur esse vitiosas, ut eas ab his rebus, ad quas injustè moventur, MENS compescendo, & cohibendo refrænet, & revocet, atque ad ea permittat, quæ sapientiæ lege concessa sunt, sicut IRAM ad exercendam justam coercitionem, sicut LIBIDINEM ad propagandæ prolis officium, hæ, inquam, partes in paradiso ante peccatum vitiosæ non erant ; non enim contrà rectam voluntatem ad aliquid movebantur, unde necesse esset eas RATIONE tanquàm frænis regentibus abstinere.* Hæc S. Pater, & cum in Indice impresso Venetiis, anno 1584. citantur hæc verba v. *virtus*, legimus, quòd ex his *virtutes* (nempè oppositæ *iræ*, *& libidini*, quæ sunt Fortitudo, & Temperantia) *videntur esse in CONCUPISCIBILI, & IRASCIBILI*, nempe sensitivo appetitu. Et quidem ità, nam oportet esse in illo subjecto, ubi sunt illa vitia, ut ista exulent per illas ; quare *Fortitudo* subjectatur in appetitu sensitivo *irascibili* ad moderandam *iram* ; *& Temperantia* inhæret *concupiscibili*, ad moderandam libidinem, & concupiscentias alias boni sensibilis. Dicit S. Pater, quod MENS, sive RATIO relatas partes vitiosas *cohibet*, *& refrænat* ; sed quomodo, nisi illis ponendo virtutis frænum ? Ideò in Catheg. cap. 12. dicit : *Disciplina in eà animæ parte, quæ RATIONALIS dicitur, tantummodò versatur. VIRTUS verò omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam suo imperio gubernat, & regit, ut & IRACUNDIAM domet, & CUPIDITATES animo amoveat.* Tres autem dicit suprà animæ partes, *Rationalem, irascibilem, concupiscibilem* ; quare cum dicat, quòd

vir-

virtus omnes animæ partes amplectitur, non solùm dat *Prudentiam* in intellectu, *justitiam* in voluntate, quæ sunt potentiæ ad portionem *superiorem hominis* attinentes, sed docet virtutes in *inferiori* portione hominis, nempe sentiente, *ut iracundiam doment*, & *cupiditates animo amoveant*; ex quibus cum primum fiat per virtutem *Fortitudinis*, & secundum per virtutem *Temperantiæ*, has virtutes videtur assignare in appetitu sentiente, illam in *irascibili*, istam in sentiente *concupiscibili*; sic enim virtus (ut inquit S. Pater) *omnes animæ partes amplectitur*.

Hinc cum *Fortitudo* moderetur appetitum sensitivum *irascibilem*, & regat, ideoque subjectetur, & recipiatur in eo, consequentèr *Mansuetudo*, *Magnanimitas*, & *Magnificentia*, quæ sunt partes Fortitudinis, recipiuntur in *irascibili*. Nàm *Fortitudo* moderatur audaciam, & timorem; *irascibilis* appetitus potest deficere, vel nimis, & temerà audacià aggrediendo ardua, vel non aggrediendo, quando, & quomodo oportet aggredi, & timori nimio vitiosè cedendo. *Mansuetudo* moderatur iram, & lenitatem; quia irascibilis potest deficere, vel nimià ira, vel nimià lenitate non irascendo, quando, & quomodo, & propter quæ oportet *irasci*. Ad hæc: *Magnanimitas* moderatur appetitum irascibilem, ne declinet ad præsumptionẽ, quæ reducitur ad audaciam, & ne declinet ad pusillanimitatem, quæ reducitur ad timorem. Magnificentia moderatur irascibilem appetitum, ne declinet ad paucificentias, & consumptiones, quæ reducuntur ad passiones sensitivas *spei*, & *desperationis*, quæ sunt passiones appetitus sensitivi *irascibilis*. Hinc *Fortitudo*, *Mansuetudo*, *Magnificentia*, *Magnanimitas* in appetitu *irascibili*, quem regunt, & moderantur, recipiuntur; nam virtutes *intellectuales* solùm recipiuntur in intellectu, quem unicè formalitèr perficiunt; at virtutes *morales* illi subiecto, sivè potentiæ inhærent, quam moderantur, coercent, perficiunt, & *formaliter* regunt; nam *directivè* regit intellectus prudens, *imperativè* voluntas recta per intellectum, at *formalitèr* coercendo, & moderando, regunt virtutes subjectum, in quo sunt.

Temperantia cum moderetur appetitum sensitivum *concupiscibilem*, non solùm ipsa, sed ejus partes, scilicèt *Liberalitas*, *Honoris amativa*, *Affabilitas*, *Veritas*, *sivè Ingenuitas*, *Eutrapelia* recipiuntur in appetitu sentiente *concupiscibili*; nam *liberalitas* moderatur appetitum sensitivum *concupiscibilem*, ne sit avarus, vel prodigus bonorum sensibilium fortunæ. *Honoris amativa*, *sive Phylotimia* moderatur concupiscibilem appetitum, ne nimis fugiat, & ne nimis concupiscat honores sensibiles. *Veritas*, sive veracitas, aut *Ingenuitas* moderatur appetitum sensitivum, ne concupiscat jactantiam, nec sui derisionem. *Affabilitas* eundem moderatur, ne concupiscat adulationes, nec rusticitatem. *Eutrapelia* eundem concupiscibilem appetitum moderatur, ne concupiscendo declinet ad scurrilitatem, nec ad ruditatem; de quo latiùs, dum in *Quinta portica* de relatis virtutibus agamus. Ergo relatæ in hoc numero virtutes Morales in appetitu *sensitivo concupiscibili* subjectantur; relatæ in numero antecedente subjectantur in appetitu *sensitivo irascibili*; at hæ, & illę in appetitu *sensitivo*, non in voluntate.

Id videtur indicari in simulacro Herculis, hieroglyphico virtutis Moralis; in quo cum calvities senex, & caput leonis in capite Herculis pro galeà significent (ut explicatum suprà) *Prudentiam*, & *Justitiam* residere in *superiori* portione hominis, nempe Prudẽtiam *in intellectu*, Justitiam *in voluntate*, tamen simùl figuratur Hercules, habens pharetram, & sagittas in ipsà symbola virtutum Moralium in pharetrà animi, pendentem ab humeris, & accinctam ad pectus, ità ut comprehendat cingulum pectus, & lumbos; in pectore est *cor*, quod alii dicunt sedem appetitus *irascibilis*, alii di-

cunt *fel* ſedem *iraſcibilis*, at fel etiam eſt in *pectore*; in *hoc* item eſt medium ſeptum in jecore, & ſplene, in quo ponunt ſedem appetitus ſenſitivi *concupiſcibilis*, alii ſedem hujus ponunt in *jecore*, at & hoc etiam eſt in *pectore*; hinc in hieroglyphico virtutis caput calvum, & ſenex ſymbolum *Prudentiæ*, & caput leonis ſymbolum *juſtitiæ* pro galeà capiti, hieroglyphicè ſignant, quòd *Prudentia*, & *Juſtitia* recipiuntur in portione ſuperiori hominis, nempè *in intellectu*, & *voluntate*, quarum potentiarum ſedes eſt in capite ſymbolo portionis ſuperioris hominis, ut in arce; at pharetra ad *pectus*, vel accincta *pectori*, quod eſt ſedes appetitus *ſenſitivi*, cum ſagittis contrà monſtra, ſymbolis virtutum Moralium contrà vitia, indicat hieroglyphicè, quòd reliquæ virtutes Morales recipiuntur, & ſubjectantur in appetitu *ſenſitivo*; ideò pharetra cum ſagittis figuratur *cincta* ad lumbos, & pectus, pendens ab humero dextro juxtà collum *infrà caput*; at portio *inferior* hominis, nempe *ſenſitiva*, ſignificatur per portionem corporis, quæ eſt *infrà caput* uſque ad pedes. Aliter: lumbi etiam ſunt ſedes, & ſymbolū *libidinis*, pectus eſt ſedes iraſcibilis, & *concupiſcibilis ſenſus*; hinc pharetra cum ſagittis accincta hieroglyphico virtutis, ità ut *cingat* cingulum lumbos, & pectus, ſignat virtutes, quæ ſubjectantur in appetitu ſentiente, & hunc cingunt, ne relaxetur; quare apud Geneſim cap. 49. C. *Galaad accinctus ad præliandum* refertur, & moralitèr ſignificat, quum per temperantiam, & diſciplinam diſſolutio ſenſuum reſtringitur. Hieroglyphicum virtutis ſic præcinctum ſignat animum paratum ad opus virtuoſum, & animus dicitur in Pſalmo 17. *virtute præcinctus.*

Membra corporis ad honeſtatem reducuntur ab interiori virtute, ideò dicente Sancto P. Auguſtino (apud Indicem in opera omnia D. Auguſtini, impreſſum Venetiis anno 1684. V. Virtus) *virtus, qua benè vivitur, ab animi ſede membris corporis imperat.*

CAPUT XVII.

VIRTUS non *poteſt elicere ACTUS MALOS, qua nemo* per ſe *abuti poteſt. Id ex AUGUSTINO, & RATIONE; ex* Philoſophia hieroglyphicà *per CLAVAM ÆNEAM HERCULIS.*

REctè videtur dici, quòd virtus non poteſt elicere actus malos; nam virtus omnis eſt eſſentialiter bona, eò quod eſſentia ipſius eſt tendere ad honeſtum, ut honeſtum eſt; quomodo autem ſi eſt eſſentialiter bona, poſſit elicere actus malos? quomodo cum ſit acquiſita ex actibus bonis poſſit expedire actus malos, activè concurrendo ad ipſos? ſanè habitus virtutis ſolùm facilitare poteſt ad actus ſimiles illis, à quibus eſt productus; nec enim homo in lineà phyſicà poteſt generare equm, quià effectus cauſæ rationalis ſolùm generare poteſt rationalem effectum. Et ſicùt habitus ſcientificus ſolùm poteſt elicere ſcientificos actus ſimiles illis, à quibus eſt productus, non autem actus erroneos, ità habitus moralitèr virtuoſus ſolùm elicere poteſt actus ſimiles illis, à quibus eſt productus; & cum ſit productus à bonis moralitèr, ſolùm moralitèr *bonos*, non moralitèr *malos* elicere poteſt.

Hinc virtutibus *per ſe* nemo poteſt abuti, ideò docente S.P. AUGUSTINO (lib. 1. de Morib. Eccleſ. Cath. cont. Manich. cap. 6.) *virtutem eſſe* ha-

habitum, & quasi sapientis animæ qualitatem; & virtutes sunt quibus benè vivitur, & nemo malè utitur; & libro 2. de libero arbitrio cap. 19. addit: *In eo sunt etiàm omnes virtutes, quibus nemo potest male uti*; & ibi Prudentiam, & Sapientiam collocat inter virtutes, quibus affirmaverat, *neminem* posse *malè uti*. *Et in eodem* lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. Tomo 1. scribit: *Intueris* JUSTITIAM, *qua nemo malè utitur*; *hæc inter summa bona, quæ in ipso sunt homine numeratur; omnesque virtutes animi, quibus ipsa recta vita, & honesta constat*; *nàm neque* PRUDENTIA, *neque* FORTITUDINE, *neque* TEMPERANTIA *malè quis* UTITUR; *in his enim omnibus, sicùt in ipsà etiàm, quam tu commemorasti*, JUSTITIA, *recta* RATIO *viget, sine qua* VIRTUTES *esse non possunt*; RECTA *autem* RATIONE *malè* UTI NEMO POTEST. In quibus non solùm dicit, quod virtutibus *nemo potest malè uti*, sed docet causam, nempè quià regulantur *per rectam rationem, quà nemo malè uti potest*.

Et infrà addit distinguendo bona *magna, media, & minima*; dictat sic: S. Pater: *Ista ergo* (nempe virtutes) MAGNA BONA sunt; *sed meminisse te oportet, non solùm* MAGNA, sed etiàm MINIMA BONA *non esse posse, nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, hoc est*, DEO. VIRTUTES *igitur, quibus rectè vivitur*, MAGNA BONA *sunt*; POTENTIÆ *verò animæ, sine quibus rectè vivi non potest*, MEDIA BONA *sunt*. *Species autem quorumlibet corporum, sine quibus* (ut sine oculis, vel pedibus) *rectè vivi potest*, MINIMA BONA *sunt*. VIRTUTIBUS NEMO *malè* UTITUR. *Cæteris autem* BONIS, *scilicèt* MEDIIS, & MINIMIS *non solùm benè, sed etiàm malè quisque uti potest*. *Et ideò* VIRTUTE NEMO *malè* UTITUR, QUIA *opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiàm non benè uti possumus*; NEMO *autem, benè utendo, malè* UTITUR.

Ergo satis nota est mens Augustiniana, cum S. Pater apertè dicat, & probet.

Ad id videtur conspirare CLAVA ÆNEA in manu simulacri Herculis, quod fuit hieroglyphicum virtutis, imò & ipsa *clava*, qua effingitur, occidisse monstra symbola vitiorum, habita est hieroglyphicum virtutis occidentis vitia; at quid indicat *clava ænea*? quod si *clava* est symbolum *virtutis*, & *æs* non generat *rubiginem* symbolum *vitii*, virtus vera non potest elicere actus *vitiosos*. Scis, quod ærugo est rubigo, quæ fit in metallis, ea consumens, & etiàm est pallor quidam in frugibus reddens eas infrugiferas, quare est symbolum vitii, quod moraliter consumit, & reddit infrugiferum animum; & apud Mathæum cap. 6. C. v. 20. *ærugo* potest significare *invidiam*, quæ omnes demolitur virtutes, & etiàm *iram*, quæ quod tangit, incendit; & apud Joel (c. 1. A. v. 4. & 2. F. v. 25.) quòd *rubigo* comedit residuũ bruchi significare (ajunt interpretes) potest, quòd sæpe dum ventris ingluvies per abstinentiam restringitur, *iræ* impatientia acriùs dominatur; item *rubigo*, sive ærugo potest significare *avaritiam*, quæ consumit avarum, & reddit inutilem, & infrugiferum aliis, imò & sibi. Et apud Psalmum 77. v. 46. etiam *ærugo* signat *fiduciam sui*, *& superbiam*, quæ latentèr nocet, cum quis putat, se esse aliquid; tandem *rubigo*, sive ærugo signat vitia *carnis*, quæ vitiosum consumunt, & infœcundum reddunt; hìnc congruè *clava* Herculis *ænea* (symbolum virtutis, cum *æs* non generet rubiginem symbolum vitii, ad fumum virideſcit, at viror est symbolum, ex virtutibus, *spei*) hieroglyphicè, signat, quòd virtus vera actus vitiosos, sivè moralitèr malos nequeat *elicere*. Nec incongruè in *clavà æneà* significata est *virtus*, quià si *æs* est genus metalli *forte*, virtus est fortitudo *animi*; si *æs* est symbolum *belli*, quia signat instrumenta bellica, virtus est armatura con-

trà

trà vitia, & apud Psalmum 17. *Aereus arcus*, cum dicitur, *Posuisti ut arcum æreum brachia mea*, fortitudinem contrà dæmones, & vitia signat.

Si objicias, quod potest quis ex motivo inanis gloriæ elicere actus Temperantiæ, Liberalitatis, Clementiæ, & aliarum virtutum, at tales actus sunt mali, & eliciuntur à virtutibus, si hoc, inquam objicias, infringitur jaculum; nam tùnc virtutes non concurrunt *ut principium* actus *mali*, sed ut *objectum*, quod respicit inanis gloriæ cupidus, ut eliciat tales actus, & ut occasionem capiendæ gloriæ inanis. Aptiùs; tunc non concurrunt *ut virtutes formalitèr*, quia non est *finis honestus*, qui virtutem reddit *formalitèr* talem, nec est conformitas cum *rectâ ratione*, jubente, quod virtus, & ejus actus non recedant à *fine honesto*; imò si recedant, tùnc cum non sit *adæquatio cum rectâ ratione*, nec virtus est; quòd si velis dicere virtutes, at non sunt virtutes *formalitèr*, sed *materialitèr*, nempè quatenus sunt *facilitas* ad relatos actus, acquisita ex prioribus actibus; non tamen *illa facilitas* ad relatos actus est tùnc *formalitèr* virtus, quià expedit *fine malo*, & non *bono*, & laudabili. Ex quo quis poterit (at illicitè) liberè libertate deficiente *abuti virtutibus*, at per *accidens*, ut explicatum; non *per se*, id est, nunquam virtutes *ex naturâ suâ* possunt activè concurrere ad malos actus, aut ipsos elicere; de quo vide ex AUGUSTINO paginam 527. quare & pag. 528. diximus *ex Augustino*, istum dicere, *Nàm eorum* (nempe abutentium virtute ob inanem gloriam) *virtus, si tamen ulla est, &c.* quarè talem virtutem negat virtutem esse, & lib. 9. de Civitate Dei, cap. 1. ait: *Vita deformis est, ubi virtus servit dominæ voluptati, quàmvis* NULLO MODO *hæc dicenda sit* VIRTUS.

Ideò autem dicit Augustinus, quòd virtus serviens dominæ voluptati *nullo modo* est virtus, quià tunc non est *debitus finis*; undè consequentèr addit S. Pater libro 19. de Civitate, cap. 25 sic: „ Proinde virtutes, *quas sibi* „ (nempe mens) habere videtur, per quas imperat corpori, & vitiis ad „ quodlibet adipiscendum, vel etiàm tenendum, nisi ad Deum retulerit, „ etiàm ipsæ sunt vitia potiùs, quàm virtutes; nam licèt à quibusdam tùnc „ veræ, & honestæ putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec „ propter aliud expetuntur, etiàm tùnc inflatæ, ac superbæ sunt; & ideò „ non VIRTUTES, sed VITIA judicanda sunt. Sicùt enìm non est à „ carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè vivere. Hæc S. Pater, in quibus virtutes non relatas ad Deum (quales actus Temperantiæ, liberalitatis, justitiæ, &c. fine inanis gloriæ) negat esse VIRTUTES, asserit esse VITIA; imò esse *vitia*, quanvis ad se ipsas referantur, quià sunt superbæ, & inflatæ, cum non referuntur ad Deum, ut ultimum finem.

Et licèt actus Temperantiæ, liberalitatis, justitiæ fine inanis gloriæ appareant similes virtuti, non sunt virtutes, sed vitia similia virtuti, ideò docente S. P. Augustino Epist. 29. Hieronymo, Tomo 2. „ Sunt quædam vitia „ virtutibus aperta discretione contraria, ut imprudentia prudentiæ; sunt „ autem quædam specie fallaci similia, ut eidem prudentiæ astutia malitiosa. Item in partibus TEMPERANTIÆ contraria est EFFUSIO PARSIMONIÆ; ea verò, quæ TENACITAS dici vulgò solet, vitium quidem est, tamen parsimoniæ simile, non naturà, sed fallacissimà specie. „ Item dissimilitudine manifestà contraria est INJVSTITIA justitiæ; solet „ autem quasi imitari justitiam se vindicandi LIBIDO, sed vitium est. „ IGNAVIA FORTITVDINI perspicuè contraria est; DVRITIA verò distat naturà, fallit similitudine. CONSTANTIA pars quædam virtutis est, ab hac INCONSTANTIA longè abhorret; PERTINACIA

„ ve-

„ verò CONSTANTIA dici affectat, & non est, quià illa est VIRTVS,
„ hæc VITIVM. Vt ergo non iterùm hæc eadem commemorare neces-
„ sè sit, exempli gratià ponamus aliquid, unde possint cœtera intelligi.
„ CATILINA, ut de illo scripserunt, qui nosse potuerunt, frigus, sitim,
„ famem ferre potuerat; eratque patiens inediæ, algoris, vigiliæ suprà
„ quàm cuiquam credibile est, ac per hoc & sibi, & suis magnà præditus
„ FORTITVDINE videbatur; sed hæc FORTITVDO prudens non
„ erat; mala enìm pro bonis eligebat; TEMPERANS non erat, corru-
„ ptelis enìm turpissimis fœdabatur; JVSTA non erat, nam contrà pa-
„ triam conjuraverat; & ideò nec FORTITVDO erat, sed DVRITIA
„ *sibi, ut stultos* falleret, nomen FORTITVDINIS imponebat; nam si
„ FORTITVDO esset, non VITIVM, sed VIRTVS esset, &c. Vide
ibi; in quibus quia debitus finis in Catilina non erat, illa *temperantia*, & *fortitudo* virtutes non erant, licèt apparerent similes virtuti; ita nec virtutes sunt, sed vitia, cum exercentur sine inanis gloriæ.

Et sic si aliquis dum Christianus esset *justus*, & *temperans*, & posteà fieret apostata, & ad cultum inanium Deorum actus temperantiæ, & justitiæ exerceret, tales actus non essent moraliter virtuosi, quia debitus finis honestus non erat, ne ex rectà ratione operaretur; procederentque ab habitu priori *justitiæ*, & *temperantiæ*, ut erat quædam *facilitas*, non ut *virtus* erat; finis enim honestus, & debitæ circunstantiæ sunt essentiales virtuti, ut virtus est, & à rectà prudentià regulantur, licèt non sint essentiales habitui virtutis, ut quædam facilitas est; & licèt finis honestus sit virtuti extrinsecus, ordo tamen ad finem honestum est virtuti intrinsecus, & essentialis; & licèt virtus subdatur voluntatis imperio, non tamen possumus malè uti omni eo, quod subditur voluntatis imperio *ut principio* mali usus, si repugnet hoc tali principio, ut repugnat *virtuti*; sed hac solùm possumus malè uti ut objecto, vel occasione; licètque virtus sit habitus electivus, & indifferens ad *exercitium*, id est, ad agendum, vel non agendum intrà speciem boni, non tamen ad agendum bonum, vel malum, sive qnoad speciem benè, vel malè, sicùt voluntas nostra; est enìm *virtus* instrumentum voluntatis, sed determinatum ad benè agendum, sicùt scientia ad veritatem; fateor, est acquisita per actus liberos, at per actus liberos bonos, ideò determinata, ut solos hos possit elicere, & nullo modo ad malum flecti, consequenterque nec *ut virtus* ad pravum usum cõverti; licètque idem habitus electivus respiciat bonum, & malum, at bonum prosequẽdo, malum fugiendo; sic Grammatica discernit sermonem *congruum*, & *incongruum*, at ut istum repellat, illum erudiat. Sed nè in scholasticis imbibamur, qui nùnc magis praxim moralem optamus, dicta sufficiant.

CAPUT XVIII.

VIRTUTES MORALES quoad perfectionem, seu consummationem, *NON INSUNT* nobis à *NATURA*; *id ex Philosophia* Poeticà *per HERCULEM, cui effingitur inimica JUNO; at virtutum INCHOATIO* est à naturâ, & communis omnibus; *INÆQUALIS* tamen *juxtà INÆQUALITATEM individualem* animarum, *& complexionum. ASTRORUM, & INCHOATIONIS vis* inclinant, *non* cogunt; ex Poeticà *per CIRCEM, & MEDEAM*.

CVr credamus Platoni deliranti (in *Menone*, in *Eutydemo*, & in *Protagora*) virtutes esse nobis à naturâ, ideoque naturales, & necessarias? sed cur sine verbere transeat delirium insanius ejusdem Platonis ibi, qui à principio, & exordio orbis dicebat à Deo creatas omnes animas rationales, & cujusque rationalem animam cum virtutibus omnibus tàm *Moralibus*, sive practicis, quàm *intellectualibus*, sive speculativis, & scientificis, posteàque animam transmigrare de corpore in corpus, & in transmigratione non privari relatis virtutibus, sed solum oblivisci, quasi hausto Lethæo poculo, & ipsas quasi esse sopore dormientes, posteàque exercitio, studio, & operatione non *primò* acquiri, sed quasi è somno excitari, & in memoriam restitui? hæc deliria Platonis; & de hoc videatur D. Thomas *De virtutibus in communi, art.*8. Item videantur Ludovicus Vives ad librum 19. de Civitate Dei cap. 1. nec non Justus Lipsius *lib.*2. *Manuduct. dissert.* 10.

At, relictis Platonis deliriis, nos virtutes Morales *quoad perfectionem, & entitatem perfectam* dicimus non *à natura*, non *necessarias*, sed *liberè* acquisitas; nam per virtutes meremur, ergo sunt liberæ; in naturalibus enim nec meremur, nec demeremur. Virtutes virtuosum reddunt laudabilem; at unde, si liberè non acquireret, merebitur laudem? ex eo enim, quòd quis à naturâ sit robustus, & alter debilis, quod præconium ille mereatur, quod vituperium morale iste accersat?

An non videmus non rarò aliquos virtuosos, & posteà redditos vitiosos? ergo amisserunt virtutem; quomodo possent amittere, si fuisset naturalis, & necessaria? Naturale necessarium est invariabile, est stabile; ergo si homo in virtute potest esse variabilis, & instabilis, transiens de virtute ad vitium, cur virtus dicatur ipsi naturalis?

Vides *risibilitatem, consideras intellectum, & voluntatem*; sunt homini *à naturâ*; an possit homo relata amittere? an possit etiam *liberè* acquirere aliquam qualitatem relatis proprietatibus contrariam? non; cur? quià sunt à naturâ, & necessariò connexæ cum ipsâ, qua manente, non potest destrui aliquid connexum cum ipsâ; ergo si homo transiens de virtute ad vitium, servat naturam, & non servat virtutem, signum est, quòd virtutes non sunt ipsi naturales, id est, à naturâ inditæ; si enim virtus esset homini indita à naturâ, hæc esset ab intrinseco determinata ad bonum honestum,

ſtum, ergo quomodo poſſet in oppoſitum, nempe in vitium abire?

Si velis, quòd *virtutes Morales* ſint nobis *naturales* in hoc ſenſu, quòd non ſunt nobis *violentæ*, virtus enim non eſt violenta naturæ rationali, imò juxtà hujus inclinationem, *concordamus*; ſi velis, dici *naturales* nobis, quatenùs intrà naturæ ordinem perficiunt ſubjectum, in quo ſunt, *pacifici* in hoc ſenſu ſumus, nec arma literaria capeſſimus; ſi velis, quòd ſint *naturales*, quatenùs *naturale* opponitur *voluntario*, ſive *libero*, & *ſpontaneo*, diſſentimus; hoc enim eſſet dicere, voluntariè, liberè, ſpontaneè non acquiri, ſed contrà hoc provocamus ad arenam; acquiruntur enim actibus liberis honeſtis, quare ipſas liberas quodammodo, & nobis voluntarias divulgamus.

Naturalia, ſive indita à naturâ non amittuntur per peccatum, non enim diabolus amiſſit ſpecies inditas rerum naturalium, nec ſcientiam; cum igitur virtus amittatur per vitium, quid ſpontè reſultat, niſi quòd virtus non ſit homini naturalis?

Si velis dici *neceſſarias* ad benè vivendum, & nos pro hoc clamamus; at liberè eſt acquirendum, quod nobis ad benè vivendum eſt neceſſarium; ſi velis dici *neceſſarias*, quia *neceſſariò* inſint nobis à naturâ, ut proprietates ab eſſentiâ, hoc repugnamus. Legeris in AVGVSTINO (lib. 10. Confeſſ. cap. 38. Tomo 1.) virtuti periculum à vanâ gloriâ, & amore laudis, & quòd homo ſæpè de ipſo vanæ gloriæ contemptu vaniùs gloriatur; item in Indice in opera D. Auguſtini (impreſſo Venetiis anno 1584. v. *Virtus*) legas ex Auguſtino, *virtutem facilius eſt ſimulare, quàm habere*; at ſi virtutes eſſent nobis *naturales*, *& non liberæ*, nec paterentur periculum ex vanâ gloriâ, nec eas habere eſſet difficile; noſtra virtus non eſt naturalis, aliàs eſſet perpetua, & non laberemur.

Quæcumque jacula in contrarium tentes, unico ſcuto deficiunt; ſolùm probant, nobis à naturâ eſſe *inchoationem virtutum*, non autem *æntitatem, & conſummationem perfectam virtutum*; fateor, quòd à naturâ inchoat virtus; quis enim negare audeat, quòd artifex ſummus inſeruerit nobis quædam virtutum ſemina, & velut igniculos? at ſtudio, doctrinâ, culturâ, induſtriâ, bonâ educatione parentum, & magiſtrorum, legibus optimis, bonorum exemplis, & ſocietate, receſſu à vitioſis, & improbis, lectione optimorum librorum, & vitarum ſanctorum ſemina virtutum inchoata à naturâ adoleſcunt, at uſu, & exercitatione perficiuntur; nolis intelligere, dum dicimus, inchoationem virtutis Moralis eſſe *à naturâ*, quòd *aliquid* illarum in gradu ſaltèm remiſſo, & imperfecto ſit nobis naturaliter inditum; non, inquam, nàm *à naturâ* ſolas habemus potentias ſpirituales, & ſenſitivas *nudas*; ſed habemus inditum lumen primorum principiorum, quod dictat *bonum eſſe amandum*, unde inferimus, *ſed virtus eſt bona, ergo amanda*; ecce qualis eſt *inchoatio*; nam de cœtero omnes virtutes *Morales*, ſivè *Naturalis* ordinis (de quibus nùnc) quoad totam ſuam æntitatem, etiam in gradu imperfectiſſimo, acquiruntur (præeunte auxilio Dei naturali, ſive intrà naturæ ordinem) *mediâ operatione noſtrâ liberâ* acquiruntur.

Et quid indicat Doctor AVGVSTVS dicens libro 2. de libero arbitrio, *Notionem boni eſſe nobis à naturâ*, & de Geneſi ad literam docens, *velle bonum ineſſe nobis à naturâ*, niſi virtutum inchoationem nobis à naturâ eſſe? de virtute enim *quoad entitatem* dicit *lib.* 19. de Civitate Dei cap. 3. quoad *virtus diſcitur, ſicut & doctrina*. Ad inchoationemque virtutum attinet illud in *Job. cap.* 3. nempe: *Ab infantia meâ mecum crevit miſeratio*.

Item aliquos ex temperamento, & complexione videmus inclinantes ad *Misericordiam*, alios ad *Justitiam*, alios ad *liberalitatem*, & *affabilitatem*; alios ad abstinentiam, & Temperantiam; an hæc non sit aliqualis *inchoatio* talium virtutum? at relatæ virtutes non sunt illis naturales *quoad entitatem*, quia per actus vitiosos oppositos ex pravâ educatione, & pravis societatibus, & ex aliis vitiis possunt generari habitus vitiosi oppositi relatis virtutibus, qui & illas inclinationes possunt suffocare, & oppositas ex pravis habitibus, & ex pravâ consuetudine inducere; sicut & è contrà experimento patet, homines acquirere virtutes, & habitualem inclinationem ad res honestas, quam anteà non habebant; nec sufficit illa inchoatio ad virtutem, nisi accedat moderatio rectæ rationis, assignans medium.

Imò licèt ex temperamento possit esse homini inclinatio naturalis ad unam, vel aliam virtutem, non tamen ad omnes, quia inclinatio naturalis ad virtutem unam inclinat etiam ad vitium oppositum alteri virtuti; unde qui est naturaliter dispositus ad *fortitudinem*, quæ est virtus ad aggrediendа ardua, est minùs dispositus ad *mansuetudinem*, oppositam iræ, & ideò magis pronus ad vitium *immodicæ iræ*; sic qui inclinat naturaliter ad misericordiam, & clementiam est minùs dispositus ad justitiam vindicem scelerum, & magis ad vitium contrà istam; quare cum omnes virtutes morales in statu perfecto sint connexæ, nunquam cum sola inclinatione naturali ad aliquam potest esse entitas perfecta virtutis, nisi ipsa cum reliquis studio, & operatione liberè acquirantur.

Etiam ex impressione cœlesti inchoationem virtutis explicat D. Thomas *in Disputatis, quæst. unicà de Virtutibus in communi art.* 8. his verbis:

„ Est autem aliqua inclinatio virtutis, quæ sequitur naturam individui,
„ secundùm quod aliquis homo ex naturali complexione, vel cœlesti im-
„ pressione inclinatur ad actum alicujus virtutis. Et hæc quidem inclina-
„ tio est quædam virtutis inchoatio; non tamen est virtus perfecta, quia
„ ad virtutem perfectam requiritur moderatio rationis; unde & in defini-
„ tione virtutis ponitur, quod est electiva medii secundùm rationem re-
„ ctam. Hæc D. Thomas ibi, quem & videas 1.2.q.51.art.1. & quæst.63.
„ art.1.

Imò ex D. Thomâ ibidem *triplex inchoatio* virtutum distinguitur, *una passiva*, nempe potentia susceptiva virtutis; alia *activa* nempe potentia *activa* virtutis; tertia *dispositiva* virtutis; naturæ humanæ in specie convenit duplex prima *inchoatio*, quiâ in potentiis animæ rationalis est idoneitas *receptiva* virtutum, & item inchoatio *activa* virtutum, nempe quædam semina illarum, quæ dicuntur principia *juris communis*, sicut illa, *Bonum est amandum*, *malum est fugiendum*, quæ sunt principia lumine naturali nota, & quædam virtutis inchoationes; & quiâ homo rationalis est, ejus præcipuis potentiis est naturalis inclinatio ad id, quod est conforme rationi, qualis est virtutis moralis, sive amor boni moralis, & cognitio veritatis evidens; at & attentâ complexione individuali uniuscujusque, & impressione cœlesti est quædam dispositio virtutum, ex qua venit, quòd aliqui hominis aptiùs sint dispositi ad virtutes, quàm alii, & rursùs quidam meliùs dispositi ad opera alicujus specialis virtutis, quàm alii; à dispositione enim corporeâ diversâ derivatur diversitas operationum portionis inferioris, sivè sensitivæ hominis, quæ corporea est; at & hinc rursùs resultat diversitas in judiciis, & affectionibus portionis superioris hominis, nempe intellectivæ, sive rationalis, eò quòd istis potentiæ sensitivæ, sive inferiores ministrant; & ibidem D. Thomas distinguit triplex in homine subjectum susceptivum

vir-

virtutis, nempe *intellectum, voluntatem, & appetitum inferiorem*, sive sensitivum, quem ibidem dividit in *concupiscibilem, & irascibilem*; in quibus recipiuntur virtutes Morales, ut explicatum in elapso capite. Quare relatas *inchoationes* virtutum Moralium in homine Angelus scholarum ibi distinguit ratione *speciei* duas, ratione individuæ naturæ aliam; ut ideò dicat: „ Et hoc modo in homine est aptitudo naturalis (loquitur de susceptivà,& „ activà, & dispositivà) ad virtutem; partìm quidèm secundùm naturam „ SPECIEI, & partìm secundùm naturam INDIVIDVI, secundùm „ quod quidem sunt apti ad VIRTVTEM.

At *inchoatio* ratione *individui*, sive *complexionis*, aut *impressionis cœlestis* non est *æqualis* in omnibus, sed *inæqualis*, sicùt complexio inæqualis est, aut cœlestis impressio in corpore; imò *intellectus, & voluntas* in *individuo*, & quatenùs sunt cum meliori, vel minori idoneà organizatione corporis, etiam sunt *inæquales in individuo* ad operationes; nam intellectus,& voluntas in *individuo*, ut operentur expeditè in corpore, cui sunt immersa, requirunt expedita organa; unde fuit observatio Senecæ Epist.59. *quosdam* ex hominibus egregiam sortitos indolem, & sine longo magisterio scientias acquisivisse, & honesta adamasse, cum primùm audierint; *alios* sine institutione subtili evasisse probos, & assecutos fuisse magnos profectus, nudis tantùm obsequendo præceptis; felix ingenium illis fuit, & salutaria in transitu rapuerunt; alios enim esse aptiores aliis ad studia,constat. Et Aristoteles ajebat 2. de Animà, cap.9. textu 94. sic: *Qui sunt duri carne, ii sunt inepti mente: qui verò sunt molles carne, ii sunt ingenioſi, menteque dexteri.*

Inchoationes virtutum à naturà docet D.Thomas ibi dicens: *Est opinio media, quòd scientia, & virtutes secundùm aptitudinem insunt nobis à naturà, sed earum perfectio non est nobis à naturà, & hæc opinio melior est.* At quando est individualis inchoatio virtutis ex complexione etiam, tùnc non ità ægrè acquiritur virtus, sicut cum non est inchoatio virtutis, quià in hoc casu est vincenda resistentia inclinationis temperamenti.

Relatæ tamen *inchoationes* virtutum non trahunt necessariò virtutem, nec cogunt libertatem, & ideò sunt virtutes acquirendæ liberè; fuit observatio Clementis Alexandrini lib.1. *Strom.* cap.4. aliquos *naturà minimè aptos* ad virtutem, assecutos fuisse studio, & consuetudine virtutem; alios *naturà aptos* evasisse malos, negligentes, incurios. Licèt enim mores *ut plurimùm* sequantur temperamentum, & inclinationem corporis, non tamen *necessariò*; virtute enim inclinatio vitiosa potest vinci,& plantari assuefactio ad bonũ;cum vitio inclinatio virtuosa potest vitiari,& plantari assuefactio, & cum hac inclinatio ad malum, quià consuetudo est altera natura.

Virtutes non esse nobis *naturales*, sed *liberè* acquisitas innuit Philosophia Moralis *Poetica*, dùm *Herculem* effingit à natali, & horoscopo odiosum *Junoni*; cum enim nomine Junonis intellexerit Poesis AEREM, innuit ab impressione cœlesti, aliquos minùs virtuti idoneos *ex corporis temperamento*, subdito cœlesti influxui, natos; nam si quis natus fuerit sub felici siderum horoscopo, ità affecti aeris primam vim hauriens, ad ea propensus est, ad quæ vis illa inclinat; quòd si maligna illa vis sit, & stellarum conjunctio,propendet natus ad maligna,at consilio,prudentià,rectà ratione, & libertate rectâ, propensio illa temperamenti hominis ad maligna potest verti in melius. Ideò cum JVNONEM,quã effinxit *Poesis* inimicam VIRTVTI, effinxit inimicam, & invidiosam *Herculi*, at hoc non obstante, *Herculem* evasisse *virtutibus heroem*, indicavit, ex impressione cœlesti in corpore, & consequentèr ex temperamento, & complexione, posse esse aliquem pronum ad vitia, & tamen posteà studio,labore, & opere fieri *virtu-*

ADMONITIO.
Illi Poetæ ignaricul-pæ originalis, videtur, quòd putarint inchoationẽ formalem vitii ab astris, & aere; sed contrà, eos à pag. 1221.

te heroicà præditum ; unde consequentèr indicavit, virtutes *liberè* acquiri, nec *inchoationem vitii* ex corporis temperamento, aut cœlesti impressione, cogere, aut libertatem à nobis adimere. Sìc neque *inchoationem virtutis* cogere, sed per pravos actus posse corrumpi, & sìc virtutes abesse, ideoque non esse naturales, & necessariò homini annexas, indicavit eadem *Poesis*, dum CIRCEM, & MEDEAM effinxit filias SOLIS, in quo indicavit *inchoationes* VIRTVTVM ex benigno influxu cœlesti, & temperamento, & tamen CIRCEM, & MEDEAM posteà lapsas in turpia vitia, & sæva scelera refert. At de his satìs, quia redibit sermo infrà, dùm exponamus, *vitia quoad entitatem non esse nobis à naturà, sive non esse nobis naturalia, & necessariò*, nec ex influxu cœlesti, nec ex temperamento. Vide illìc.

CAPUT XIX.

VIRTUS Moralis est HABITUS acquisitus, & genitus ex HONESTIS ACTIBUS FREQUENTATIS; unus solus *in nobis licèt* fervidus *non sufficit, ut generet HABITUM. HABITUS VIRTUTIS ex sacris literis per VESTEM NUPTIALEM, per NUBES, per ABRAHAM, per INDUMENTUM*; *ex Philosophiâ* hieroglyphicà *per CLAVAM Herculis ex* quercu; *ex* Poeticà *per* frequentes labores *HERCULIS*. *Per actus* internos *generatur HABITUS virtutis, per* externos *perficitur*.

CVm virtutes non sint nobis inditæ à naturà, ut capite elapso probatum, ergo ut sint, oportet acquiri; quomodo acquiruntur? repetendo, & frequentando virtutis actus; hìnc enim generatur facilitas ad actus similes illis, à quibus est producta; & quià *illa facilitas* est permanens, & difficilè mobilis à subjecto, eò quod sit consuetudo, quæ dicitur ab Augustino altera natura, illis verbis lib.6.de Musicà cap.7. Tomo 1. *Non frustrà consuetudo, quasi secunda, & quasi affabricata natura dicitur*, ideò illa *facilitas* dicitur *habitus*, qui in hoc discriminatur ab *actu*, quià iste transiens, ille permanens consistit. Hùc AVGVSTVS PATER (de 10. Categor. cap.12. Tomo 1.) adest docens: HABITVS *affectio est animi*, longo tempore perseverans; ut est VIRTVS, & DISCIPLINA, quæ perseveratione sui, & perpetuitate temporis æstimantur, nisi fortè eas languor corporis aliquis, & casu injecta debilitas amputaverit. AFFECTIO verò est mutabilis mentis impulsio, vel cupiditas levis, quæ brevi tempore deleatur. HABITVS ergo & AFFECTIO videri possunt; ab hac namque incipit, & si ipsa permanserit (ecce dicit habitum genitum) HABITVS NASCITVR; AFFECTIO autem habitus videri non potest; si enim ad HABITVM pervenerit, vocabulum proprium non tenebit. Hæc S.P.ibi; Et de bono conjugali, cap.21. Tomo 6. addit: *Ipse est* HABITVS, *quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non est opus*.

HABITVS potest esse vel *animi*, qualis est *habitus* virtutis, & disciplinæ, de quo S. P. dixit suprà; vel potest esse *habitus corporis*; ideò dictante eodem Augusto Patre lib.83. quæst. quæst.73. Tomo 4. sic: *Multis modis HABITVM dicimus, vel HABITVM animi, vel corporis*; & de habitu corporis loquitur, cum dicit (in Regulà Tomo 1.) *in incessu, statu, HABITU, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat*

dat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. De habitu *animi* loquebatur Cicero dicens: *Justitia est habitus animi*; & de habitu corporis Plautus inquiens, *Qualis habitus oris*; & Virgilius lib. 1. Georg. *cultusque, habitusque locorum.*

Habitus autem, ut est consuetudo acquisita, est promptitudo frequentibus actibus agendi collecta, & à Philosophis definitur, quòd sit *alicujus rei sivè in animo, sive in corpore natura concepta, sed usu corroborata, & plena perfectio.* Nunc de *habitu virtutis.*

Aptè dicitur, quòd habitus virtutis generatur *ex frequentatis actibus*; an in omni arte habitus non acquiritur ex frequentatis operationibus in ipsarum materiâ? ergo sic habitus virtuosus Moralis; an qui sit justus habitualitèr, hoc non acquisivit, frequentando justitiæ actus? temperantiam habitualem qui habeat, quomodo acquisivit, nisi repetitis prævis temperantiæ actibus? Quomodo legumlatores cives ad virtutem habitualem disponunt, nisi optimis legibus eos ad actus virtuosos dirigendo?

Solis actibus *internis* repetitis potest generari habitus virtutis absque externis; ut tamen virtutis habitus sit virilis, consummatus, robustus, perfectus, actuum externorum accersitur suffragium. Cur virtutis habitum, & virtutem neges sine actibus *externis*, & cum solis *internis* repugnes posse comparari? Cur virtutem subdas fortunæ, quæ non rarò adversa actus externos liberalitatis, & magnificentiæ, impedit operari? an pro solo tuo libero arbitrio possis habere pecunias, ut largiaris, aut exercitus, & armamenta, ut pro defensione patriæ, & Religionis Rempublicam munias? age; nulli præclusa est virtutis Janua; quare cum quilibet pro solo suo libero arbitrio cum ope Dei, independentèr à fortunâ sæculi prosperâ, possit actus *internos* honestos exercere, cum his solum potest virtutis laureà coronari. Et cur cum actibus bonis *internis* repetitis non possit quis acquirere habitum, sive facilitatem ad benè operandum? an velis veste nuptiali virtutis animum pauperis privare? „ Nulli (jure ajebat Seneca lib. 2. de Benefic.) præ„ clusa est virtus, omnibus patet, omnes invitat, omnes admittit, & inge„ nuos, & libertinos, & servos, & Reges, & exules; non eligit domum, „ nec censum; nudo homine contenta est.

Actibus tamen *externis* virtutem *virilem*, *robustam*, *consummatam* reddi non negabis, qui non ignoras, *Prudentiam perfectam*, & plenè maturam, non sine diuturno experimento ex *agilibus exterioribus* gigni, & possideri; quare cum omnes virtutes Morales sint connexæ cum *Prudentiâ*, nulla erit robusta sine actibus *externis*; imò si sit consummata, cur sine omnibus actibus consummatis, nempè tàm *internis*, quàm *externis* ad consummationem plenam perveniat? & quomodo sine actibus *externis* aliquis possit certò cognoscere, se virtutem assecutum fuisse perfectam? certè ab interiori ad exterius est distantia; plurimi putarunt se virtute perfectâ interiùs præditos; & tamen accedente occasione explicandi opere exteriùs, defecerunt. Putat aliquis, se virtute *fortitudinis* frui, & tamen accedente periculo arduo pertimescit, fugit ut lepus; putat alter, se virtute *magnanimitatis* ornatum, & tamen pusillanimis invenitur, casu accidente adverso. Militem probat acies, tempestas nauclerum. Putat se aliquis Aristidem justum, si Judex, vel Princeps sententias decerneret; accedit casus, & ex hoc, vel illo motivo, vel avaritiæ, vel timoris, vel acceptationis personarum, vel ambitionis justitia vulnerata gemit, virgaque decernentis contrà rectitudinem flectitur; ideò dexterè Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. *Magistratas virum ostendet.*

Dexterè Augustinus (De quantitate animæ, cap. 21. Tomo 1.) inquit:

Exer-

Exercitatio vires auget ; at quomodo erit exercitatio consummata virtutis sinè bonis etiam actibus *externis* ? O ut *medium* eligatur, in quo consistit *virtus*, quot observationes tàm ex actibus *internis*, quàm ex actibus *exteris* optantur ! quot experimenta ! imò tot experimenta quomodo plenè constabunt sine actibus *externis* ? actibus honestis *internis* repetitis solùm potest generari habitus virtutis *quoad essentiam*, non tamen quoad *integrum complementum*, & robur.

Hùc Favet S. Pater (libro uno de bono conjugali, cap. 21. Tom. 6.) dictans : *Virtutes autem animi aliquæ in opere manifestantur* ; *aliquæ in* HABITU *latent* ; sicùt martyrii virtus eminuit, apparuitque tolerando passiones ; sed quàm multi sunt in eadem virtute animi, quibus TENTATIO deest, qua id, quod intùs est in conspectu Dei, etiàm in hominum (nempe conspectum) procedat ; nec tùnc esse INCIPIAT, *sed* tùnc INNOTESCAT; jàm enìm erat in JOB PATIENTIA, quam noverat Deus, & cui testimonium perhibebat, sed hominibus INNOTUIT tentationis EXAMINE ; & quod latebat intrinsecùs, per ea, quæ forinsecùs illata sunt, non NATVM, sed MANIFESTATVM *est*. Hæc S.P. Augustinus, in quibus docet *habitum virtutis* interiùs *natum*, sed exteriùs *manifestatum*, *& tentatione*, *& examine*, *& tolerando* probatum, & sìc consummatum.

Actus ergo honesti repetiti, & non solùm *interni*, sed etiàm *externi* generant *robustam* virtutem; at *nec sine repetitis actibus* potest generari *habitus virtuosus* quoad *essentiam* ; solus *unus* actus, licèt *vividus*, *& fervidus*, non sufficit subjugare sensum rebellem rationi, & difficilem ad bonum, ex quo vitiatus est per Originale peccatum ; unus solus actus nostræ naturæ pronæ ad malum non expedit facilitatem ad bonum, & talem, qualis oportet, ut vincatur quælibet occasio mali. Oportet ad hoc *facilitas habitualis* tùm *physica*, tùm *intentionalis* ad actus virtuosos, quæ datur per *habitum virtutis* genitum ex honestis repetitis actibus, qui est *qualitas physicè* (instàr ponderis) inclinans potentiam ad actus bonos similes illis, à quibus est productus, & simùl excitat recordationem, & simplicem complacentiam actuum præcedentium honestorum, & excitat species repræsentatrices honestatis, & utilitatis eorum, ut plures alii similes, & perfectiores frequententur, & eliciantur, & sic crescente virtute sit gradus ad virtutis culmen.

Licèt autem habitus virtutis quoad *essentiam*, sive substantiam, & rationem formalem habitus acquiratur repetitis actibus, non tamen *frustatìm* acquiritur; id est non acquiritur uno actu una pars habitus, alio alia, & sic usque dùm sit producta tota substantia habitus ; non, inquam, sìc ; sed priores actus boni honesti disponunt potentiam ad habitum, paulatìm inclinant *ad bonum*, & quòd minùs difficilis sit *ad id* ; paulatìm vincunt difficultatem, & resistentiam, quare omnes hi sunt ut dispositiones; quando jàm autem est sufficiens dispositio, accedente actu *fervido*, tunc potentia mediante isto producit virtutis habitum quoad essentiam ; qui habitus posteà per alios repetitos actus fervidiores magis, & magis intenditur, perficitur, completur, & radicatur ; non enìm fit talis intensio per additionem gradus ad gradum, sed per majorem radicationem, & explicationem in subjecto, habente habitum. Vides, quomodo per primos gradus caloris remittitur frigus in ligno, & quando frigus est remissum in summo, tùnc introducitur forma caloris, quæ quia non est roborata, firmitatem non habet, at roboratur posteà per continuationem, & repetitionem calefactionum ? sìc in nostro casu, ut suprà explicatum.

Vi-

Videas rixas inter Auctores; alii dicunt actus non esse causam habitus, sed tantùm dispositiones; alii ajunt, actus verè producere habitus, at in hoc subdividuntur, nam alii volunt, quemlibet actum producere particulam habitus, quæ multiplicatis actibus paulatìm accipit firmitatem, quare illa particula statìm ac est producta, habet modum dispositionis, & firmata postea per actus fit habitus; alii alitèr discurrunt; sed cur ego lectorem non scholasticum cum his, & similibus difficilem reddam? in materiâ hâc *Morali* nostra methodus communis omnibus potiùs quærit utilitatem Moralem pro praxi suadere, quàm scholasticam subtilitatem ostentare. Lectori sufficiat repetere actus virtutis, ut generetur virtuosus habitus.

Habitus virtuosus est symbolicè significatus in literis sacris (apud Mathæum cap.22. B.) per *vestem nuptialem*; quid est habitus virtutis nisi animi nuptialis, & pretiosa vestis? ipse habitus expediens virtuosos actus quid est nisi *nubes* irrorans veræ sapientiæ aquam? nubes ex multis vaporibus humidis in sublime vi caloris elatis generatur, & virtus ex multis actibus, vi caloris amoris Dei suprà ad hunc directis, acquiritur.

Ipse virtuosus moralitèr habitus est indicatus in illa *nube*, quæ (apud Exodum cap.14.C.) narratur media inter Hebræos, & Ægyptios, illis protectio, & ab Ægyptiis persequentibus defensio; virtus enim protegit animum, & à malis, & vitiis, significatis in Ægyptiis defendit.

Quid (apud Genesim cap.12. 13.20.) signat *Abrahamum* factum fuisse *divitem in Ægypto*, symbolo mundi, nisi virtutes in hoc mundo esse *acquirendas*? ideò quòd sit egressus de terrâ suâ indicat, mentem, & intellectum debere egredi ab omnibus corporeis voluptatibus, & ab ipsis cognatis sensibus, & vocibus, ut tota conversatio sit in Deo, in hoc autem mundo ut in Ægypto sit animus peregrinus; & sicut Abraham in peregrinatione duxit secum *Saram* symbolum *virtutis*, & in Ægypto dixit, quòd *soror* ejus erat, ità in hac peregrinatione sit nobis *soror virtus*; at quomodo soror, & firmitèr socia, nisi sit in nobis virtutis habitus permanentèr socius, repetitis actibus acquisitus? sed & quid in sacris literis signant sæpe *indumenta* nisi virtutum habitus? sunt animi indumenta; at de hoc capite sequenti latiùs.

Ex hieroglyphicâ Philosophiâ in hieroglyphico virtutis *clava* symbolum virtutis, & *ex quercu* arbore firmâ, robustâ, resistente oppositioni ventorum, grandinum, nivium, quid indicat nisi *virtutis habitum* firmum, robustum, & constantem, quem jàm contrarii flatus passionum non flectant? sed quomodo sic permanens, firmus, & robustus, nisi à repetitis actibus genitus, & uberioribus roboratus? antequàm quercus valdè robusta consistat, repetitis ictibus ventorum resistit.

Ex *Poeticâ* quid indicant frequentes *labores Herculis*, *& continuati*, ex quibus effingitur *heros*, & virtutem *habitualem* assecutum, nisi virtutem *habitualem* non nisi prævìis multis actibus possideri?

CAPUT XX.

De HABITU Virtutis induendo; ex literis sacris per varia SYMBOLA. *Quomodo plantanda* virtutum *SEMINARIA. Virtus à tenera ætate discenda, ex* Poeticâ *per HERCULEM occidentem SERPENTES* in *CUNA. Purgatio à vitiis præcedat plantare virtutes, ex* Poeticâ *per HERCULEM, purgantem stabulum AUGIÆ.*

PAtet ex dictis capite elapso, & ex S.P. Augustino lib.83. qq. q.73. variè accipi habitum. „ Multis modis, ait, HABITUM dicimus; „ vel HABITUM ANIMI, sicùt est cujuscunque disciplinæ perceptio, usu „ roborata, atque firmata; vel HABITUM CORPORIS, secundùm „ quem dicimus, alium alio esse succulentiorem, & validiorem, quæ magis propriè HABITUDO dici solet; vel HABITUM eorum, quæ membris nostris accomodantur extrinsecùs; secundum quem dicimus VESTITUM, CALCEATUM, ARMATUM, & si quid ejusmodi est. „ In quibus omnibus generibus (siquidem nomen hoc dictum est ab illo „ verbo, quod est HABERE) manifestum est, in eâ re dici HABITUM, „ quæ accidit alicui, ut ità eam possit etiàm non habere, nam & doctrina „ accidit *animo*, & succus, & cibus corpori, & vestis, atque arma non dubium est, quià accidunt membris nostris ità, ut & imperitus possit esse „ animus, si ei doctrina non accideret, & exile, ac languidum corpus sine „ succo viscerum, & robore, & nudus sine veste, & inermis sine armis, & „ pede nudo sine calceamentis esse homo potest. HABITUS ergo in ea „ re dicitur, quæ nobis, ut habeatur, accidit. Hæc S.Doctor Augustinus, in quibus explicat HABITUM, nunc de HABITU ANIMI, quatenùs per analogiam *ad habitum corporis* est animi *vestimentum.*

Age; indumentum, sive habitum animi tibi facere, cum Dei auxilio, in tuâ libera est potestate. Vestem nuptialem animæ tuæ facias, ut cum Deo sponso celebret nuptias.

Quomodo talem nuptialem habitum tibi texas, facias, & induas? repetendo virtutis actus; virtuosa opera sunt pulchra animi vestimenta. Apud Psalmum 44. sponsa circum amicta varietate quid signat nisi animam variis virtutibus decoram? Hæc sunt *vestimenta non scindenda* apud Joel cap.2.C. quia hùc sis totus, ne virtutis habitus scindatur; quando scinditur? quando corrumpitur virtuosus habitus; quando corrumpitur iste? quando actus vitiosos exerces, ex quibus habitus vitiosus generatur; quando actus vitiosos facilè exerces? quando ab exercitio actuum bonorum per diuturnum tempus desistis. Actus vitiosus remittit habitum virtuosum; & illo repetito, corrumpitur iste per contrarium habitum.

Ergo actibus virtuosis repetitis acquiras habitum virtuosum; & eisdem, quibus generatur, augeas, perficias. Vitiosum habitum exuas, quià sordidum; virtuosum ut vestias cultum. Quid innuit Jacob (apud Genesim cap.24. F.) præcipiens suis, ut *mutarent vestimenta?* quòd exuto veteri homine induerent novum; id & Paulus ad Ephesios cap. 4. intimat. Vestem vitiosam scinde, nàm sic exuis veterem hominem; Vestiaris vestimentis, quibus abutuntur hypocritæ.

Vestias vestimenta septem mulierum, quæ apud Isaiam cap. 4. A. signant ornatum, quem secum habent spiritus sancti dona.

Vestimenta induas, quæ (apud Marcum cap. 10. A.) sternebant Apo-

sto-

ſtoli ſuper jumenta Chriſti ; deſignant enim doctrinam virtutum, ſive *virtutum habitus*, quibus ſi anima tua careat, ſeſſorem non habebit Chriſtum.

Veſtiat anima tua veſtimentum mulieris fortis, quod apud Proverbia cap.31. D. virtutem *fortitudinis* ad tolerandam perverſorum improbitatem deſignat; & ibidem cap.31. C. *ſtragulata veſtis mulieris fortis* fortia virtutis opera indicat.

Virtutis habitum induas, & perfectum ; induaris *juſtitiâ* ſicut veſtimento ; undique bono te protege, & induas opere ; nullam portionem animi actionis peccaminoſæ labe nudam relinquas; nam ſi in aliis actionibus juſtus ſis, in aliis injuſtus, quaſi hoc latus cooperis, illud nudas, nec jàm bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis pravis operibus inficiuntur . Qui ſplendida opera exercet, veſtem gloriæ induit.

Sit ergo habitus, ſive veſtis animæ undique integer . Ergo in individuo diſponamus veſtem.

Indiges *tunica*? ergo texe polymitam Joſephi, quæ (apud Geneſim cap.37.A.)ſignat plenum habitum virtutis *ex variis virtutibus* contextum; & quatenùs erat *talaris*, ſignabat *perſeverantiam* in virtute.

Tunicam *lineam* optas? texe tibi tunicam *lineam* Sacerdotis,quæ apud Leviticum cap.6.B. *juſtitiam* indicat,quià perfecti cujuſque juſtitia eſt maximè veſtis.

Præter tunicam *interiorem* opus eſt tibi veſtimento *exteriori* ; ergo præter virtutem interiorem in animo, indue, oſtende (ad ædificationem,& exemplum) habitum exteriorem honeſtum in corpore ; vel veſtimentum primum, nempe tunica, ſit baptiſmus; ſecundum (ſi perdidiſti tunicam albam baptiſmi) ſit pœnitentia . Item ſis ſanctus *ſpiritu*, *& corpore*; illa eſt veſtis, & tunica interior, iſta exterior.

Placet tibi tunica *lanea*? placeat;ſed (apud Leviticum cap.13.F.) veſtis *lanea*, quia ſolidior, & magis calefaciens, deſignat *perfectiorem virtutis ſtatum*.

Sericam veſtem repellas ; *Sericum* enim *in mercatu Tyri* (apud Ezechielem cap.27.C.) opera terrena, quæ ad interitum properant, ſignificat.

Quid optas? *calceamentum*? benè optas ; at calceamenta, quià ſunt ex pelle animalis mortui, *mortalitatis* memoriam ſignant ; *Memento mori; recordare noviſſima tua*, *& in æternum non peccabis*.

Quid jàm optatur ? *cingulum*, ſive *zona* ; at cingulum, quo præcinguntur lumbi, ſignat virtutem *continentiæ*, *& carnis caſtigationem*; ideò Jeſus jubet : *Sint lumbi veſtri præcincti*. Zonam ergo præcingas, & uſque ad mamillas, quod (apud Apocalipſim cap.1. C.) ſignat cunctos cogitationum motus reſtrictos per amoris cœleſtis vincula.

Pileus optatur? cooperit,& tegit caput; ſymbolum eſt *prudentiæ*, quæ in capite reſidet, & eſt ipſi, & corpori munimen; quare & in hieroglyphico Minervæ, ſive virtutis, galea virtutem Prudentiæ ſignat.

Cur ſine *pallio* exiſtas? apud Iſaiam cap.3. D. *pallium*, quo pectus, & humeri proteguntur , operum ornamenta ſignant . Habeas *pallium*, ſed pallium *Rebeccæ*, quo ſe operuit, viſo Iſaac ; quod (apud Geneſim cap.24. C.) pudorem vitæ veteris indicat.

Relata ſit tibi veſtis ; nolis redire ad tunicam veterem ſemel exutam; eſſet enim hoc ad temporalia redire. Nolis veſtiri veſte *muliebri*, quià eſſet hoc mores fœmineos imitari. Oderis veſtem *peregrinam*, quæ (apud Sophon.cap.1.B.) colere idola, & errores defendere ſignat.

Etiam ad habitum pertinet *armatura* . Optas *loricam* ? Paulus ad

Epheſios cap.6. C. jubet induere *loricam fidei*; & idem Paulus ad Romanos cap.13. D.monet, nos *induere arma lucis*; quæ iſta? virtuoſa opera.

Purpuream regiam veſtem cur reiicias? apud Cantica cap.7.C. ſignare poteſt repreſſionem vitiorum, ſpem regni cœleſtis, charitatis fulgorem.

Cur ſis ſine *curru*? at in ſacris literis non ſemel *currus* ſignat *devota,& ferventia deſideria*, quibus boni vehuntur ad Cœlum; hæc ſignabat currus Eliæ; ſed cur aſſignem tibi *currum* ſine *equis*? quatuor *generoſos equos*, ut currum vehant virtutis, in tuà liberà poteſtate eſt (Dei ope) obtinere ſine pecunià, *quatuor equi boni* ſunt quatuor *Cardinales virtutes*.

Sed cur ſis ſine *vaſallis, ſervis, & famulatu*? appetitus ſenſitivus, & hujus affectus, potentiæque exteriores *rectæ rationi* ſerviant, ſint vaſalli obedientes.

Hæc ſi facias, veſtitus, ſive *habitus animi tui* erit deauratus, & circumdata *anima tua* virtutum varietate; erit illi *habitus*, ſive veſtis *nuptialis*; O quàm pulcher, & armatus ſpiritus tuus cœleſtes ibit ad nuptias! non mittetur in tenebras exteriores. Eris nùnc Princeps, Rex cum curru, famulis, vaſallis, ſervis, & equis.

A primà autèm ætate texatur, & induatur *virtutis habitus*, ut firmiùs hæreat animo; ætas tenera, ſi incurvetur ad malum, dirigitur non ægrè; cujus ideò eſt ſymbolum arbor tenera, incipiens dirigitur facilè, ſi incurvetur; at ſi in arborem adolevit tortuoſa, quomodo dirigetur? ſolus poteſt dirigere Deus; ideò *in ſacris literis* Samuelem legimus ab infantiâ in templo Deo dicatum, ut à primà ætate ſuſciperet virtutis indumentum; & ex *Poetica* ſcimus, quòd Hercules (dictus poſteà heroicà virtute præditus) *ſerpentes* ſymbola *vitiorum* occidit in *cunà*, ut innueretur, quòd dum virtus ab infantiâ incipit, poſteà non difficilè creſcit. Effinxit Poeſis, Herculem *anno* 16 *ætatis ſuæ* ſuffocaſſe *leonem Nemæum*, ad innuendum, quòd ſi *leo* ſymbolicè ſignat *appetitum ſenſitivum*, & hujus affectus immodicos, & numerus 16. fuit ſymbolum *libidinis*, quià à tali ætate incipit fervere, & ſtimulare libido, & nomine *Herculis* intelligitur *virtus*, hæc à primà ætate eſt exercenda, & tunc jàm ſubjiciendus ſenſus, reprimendi inordinati motus, & ſuffocandi irrationales affectus.

Item à cunà effingitur *Hercules* ſuffocans ſerpentes, vitiorum ſymbola, ut indicetur, quòd animus priùs eſt purgandus à vitiis, ut poſſit plantare virtutes; quomodo hoc? explicat Auguſtinus lib 13. *Confeſſionum* c.19. *Diſcite bonum facere, judicare pupillo, juſtificare viduam*. Et infrà addit, quòd *qui vult venire ad vitam, ſeparet à ſe* (ecce purgationem à vitiis) *amaritudinem malitiæ, atque nequitiæ, non occidat, non mœchetur, non furetur, non falſum teſtimonium dicat, &c.* & infrà: *Vade, extirpa ſylvoſa dumenta avaritiæ, vende quæ poſſides, & implere frugibus, dando pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis*. Hæc S. Pater ibi, quæ reſpiciens *Index in opera S. Patris Auguſtini* impreſſus Venetiis anno 1584. V. *Virtus*, ait, Auguſtinum in his docere, *Quomodo ſint plantanda ſeminaria virtutum*; & ubi ſuprà ad marginem legimus, *Pectus purgandum à vitiis, quo ſit capax virtutum*; & ex Philoſophiâ *Poetica* Hercules effingitur purgans ſtabulum *Augiæ*, ut indicetur, quòd ſi nomine *Herculis* intelligitur *animus virtuoſus*, & per ſtabulum *ſordidum Augiæ* intelliguntur *vitia*, non niſi purgatis vitiis erit animus virtuoſus; ut virtutes cultæ plantentur, ſordes vitiorum ab animo purgentut.

CAPUT XXI.

De NUMERO VIRTUTUM. *Virtutes præcipuæ* MORALES *sunt* DUODECIM. *Ex sacris literis per* DUODECIM MARGARITAS, *per* DUODECIM PORTAS, *per* DUODECIM FONTES, *per* DUODECIM LAPIDES, *per* DUODECIM STELLAS; *ex Philosophiâ* Poeticâ *per* DUODECIM præcipuos LABORES HERCULIS.

DUODECIM præcipuæ numerantur virtutes *Morales*; sicut enim *duodecim* præcipuæ sunt passiones, *duodecim* præcipuæ virtutes Morales referuntur; & sicut inter 12. passiones principales (ut dictum *in tertiâ Porticu*) sunt *quatuor principalissimæ*, ita inter 12. virtutes Morales principales sunt *quatuor principalissimæ*, nempè *quatuor Cardinales*; cunctas numerat Aristoteles; nam circà finem 5. Ethicorum præter *Prudentiam*, & *Justitiam*, numerat alias decem, nempè *Fortitudinem*, *Temperantiam*, *Honoris amativam*, *Magnanimitatem*, *Largitatem*, *Magnificentiam*, *Mansuetudinem*, *Veritatem*, *Affabilitatem*, *Eutrapeliam*, ergo sunt *duodecim*; & quidem cum triplex sit subjectum virtutis nempe *Intellectus*, *voluntas*, & *Appetitus sensitivus*, Prudentia est in *intellectu*, Justitia in *voluntate*; reliquæ *decem* (ut dictum in hac Porticu) *in appetitu sensitivo*. Aliæ virtutes Morales, quæ sint, sunt annexæ relatis principalibus, vel ancillantes.

Alii volunt, tot ferè esse virtutes, quot vitia, & ideò tot esse virtutes, quot sunt actus virtutum specie distincti; ajunt autem, inter duo vitia persæpè dari duos actus virtutum specie diversos; sic inter *avaritiam*, & *prodigalitatem* distingunt duos actus virtuosos specie diversos, nempè *dare*, & *retinere*, nam liberalitatis est dare, ut decet; parcimoniæ est retinere, ut oportet. At pro his actibus sufficit eadem virtus *liberalitatis*, cujus quià regulatæ *per rectam Prudentiam* est *dare*, & *retinere* ut oportet, nam si aliquis nihil sibi reservet, prodigus erit, non liberalis; relati item actus sunt cognati, & per modum unius, quarè ab eadem liberalitatis virtute possunt derivari; imò idem actus liberalitatis utrumque munus exercet.

Hinc in Exodo cap.xv. versu 27. dicitur: *Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant* DUODECIM FONTES AQUARUM. Apud Apocalipsim cap.21.D. legas DUODECIM PORTAS, per quas est introitus in cœlestem Hierusalem; aptè autem *duodecim* virtutes Morales possunt symbolicè significari per relatos *duodecim fontes*, & per relatas *duodecim portas*; an habitus virtutis expediens ad virtutis actus, qui sunt salutaris spiritualis aqua, non se habet instar *fontis* moralis, à quo fluunt? non sunt *portæ*, per quas est ad perfectionem ingressus, & ad assecutionem Dei aditus? ideò apud librum 1. Regum cap.3.C. & Psalmum 9. & 23. & 86. *Ostium tabernaculi*, quandoque significat *virtutes*, & *opera bona*, quæ etiàm per portas Sion, aut filiæ Sion symbolicè indicantur; & apud Jeremiam cap. 17. C. *Portæ Hierusalem* possunt dici VIRTUTES. Et apud Job cap.19.B. *Portæ Civitatis* sunt *bonæ actiones*, per quas anima ad conventum Regni cœlestis ingreditur. Virtutes sunt *portæ*, quibus (apud Job cap.38.A.) *concluſit Deus mare*, quià cum eis omnes concupiscentiæ reprimuntur; relatæ portæ sunt portis mortis contrariæ. Sic & apud Josue cap.4.B. filii Israel ex præcepto Josue portarunt de medio Jordanis alveo *duodecim* LAPIDES; at illos duodecim lapides significare firmitatem *virtutum*, ab interpretibus

sacris accipio ; & apud Apocalipsim cap. 12. A. quid signant illæ *duodecim* STELLÆ corona illi mulieri amictæ Sole, quam ibi se vidisse narrat Joannes, nisi *duodecim virtutes Morales* subjectas *discretioni*, per quam gubernantur, & quæ sunt animæ justæ corona? Et apud Leviticum cap. 24. A. cur DVODECIM PANES *propositionis* nequeant duodecim Morales indicare virtutes ? cibus animi sunt . Item illi duodecim lapides pretiosi , quibus (apud Apocalipsim cap. 21.) vidit Joannes ornata fundamenta cœlestis Hierusalem non solùm ad 12. Apostolos, sed ad 12. virtutes Morales accomodari possunt ; sicùt in *duodecim portis* Jerusalem *margaritæ duodecim*, quas ibi Joannes describit ; quælibet virtus ex duodecim in animà est una lucida margarita.

Item apud Exodum cap. 28. C. duodecim lapides in Rationali Pontificis *duodecim* virtutes Morales signant in animo.

Duodecim ergo *virtutes præcipuæ Morales* sunt *duodecim* FONTES, unde salutaris operationis aqua; *duodecim* sunt *portæ*, per quas intramus ad perfectionis civitatem , & in Hierusalem cœlestem ; sunt *duodecim* LAPIDES, quibus virtus est firma; sunt *duodecim* STELLÆ , quibus coronatur anima ; sunt *duodecim* PANES , quibus cibatur spiritus ; sunt *duodecim lapides* pretiosi ornantia fundamenta perfectionis ; sunt 12. *margaritæ*, quas memorat Joannes in qualibet portà cœlestis civitatis , nam si portæ sunt Doctores, & Apostoli , cum relatis virtutibus sunt ornati ; at quia *duodecim* sunt *ter quatuor*, indicatur, quòd ut perfectè sint , sunt habendæ in fide TRINITATIS.

De *Theologicis* virtutibus, quas sacra *Theologia* docet supernaturales à DEO nobis *infundi* ultrà omne debitum, & exigentiam naturæ, in Philosophià Morali non agimus nisi occasionalitèr cum aliquid occurrit dicere; solùm agit Philosophia *Moralis ex se* de virtutibus *Moralibus*, quæ dicuntur *Naturales* , quià sunt juxtà dictamen *naturale* rationis , & auxiliis Dei *naturalibus* , sivè intrà *naturæ* ordinem, præstitis ab ipso ut Auctore naturali haberi possunt, & possent inveniri in Philosopho gentili, quæ *per se* spectatæ nihil conferunt ad *supernaturalem* finem, sive *supernaturalem* felicitatem, nisi informentur, & valorentur à virtutibus *Theologicis* , sivè *supernaturalibus*; & ideò dictum , quòd ut proficiant ad vitam æternam , possidendæ, & exercendæ sunt *in fide* TRINITATIS. Quià tamen nostra Philosophia *Moralis* non est instar solùm illius *Ethnicorum* , sed *Christiana* , ideo more nostro *Catholico* multos (quando oportet, & occasio invitat) damus ex sacris literis sensus *Morales*, & itèm *supernaturales*.

Ex *Poetica duodecim* præcipui labores, Herculis ad innuendum numerum *duodecimum* principalium virtutum conspirare, ajunt.



CAPUT XXII.

De QUATUOR VIRTUTIBUS CARDINALIBUS *in genere, sive ex terminis* CARDINALIUM; *ex sacris literis per* QUATUOR PUTEOS Jacob, *per* QUATUOR CORNUA altaris, *per* QUATUOR COLORES *cortinæ tabernaculi, per* QUATUOR SPECIES *unguenti tabernaculi, per* QUATUOR ROTAS *incurru igneo, per* QUATUOR ANIMALIA *apud Ezechielem, per* QUATUOR ANGULOS *domus Job, per* QUATUOR LATERA arcæ *Noemi, per* QUATUOR FLUMINA paradisi; *tandem ex* AUGUSTINO.

PAter loquitur? ergo fileo, audio, disco, quasi mihi dicat AUGUSTINUS: *Audi, fili mi, disciplinam Patris tui.*

Ideò de virtutibus *Cardinalibus* cur dicam ex meâ plumbeâ Minervæ, si sonat *aurea* Augustini Aurelii Musa?

Contrà Academicos lib. 1. cap. 7. Tomo 2. dicit: „ Illa est humana-
„ rum rerum scientia, quæ novit lumen PRUDENTIÆ, TEMPERAN-
„ TIÆ decus, FORTITUDINIS robur, JUSTITIÆ sanctitatem.

Et de libero arbitrio lib. 1. cap. 13. Tomo 1. „ Considera nùnc, utrum
„ tibi videatur esse PRUDENTIA appetendarum, & vitandarum rerum
„ scientia? Videtur. Quid FORTITUDO? Nonne est illa animæ affe-
„ ctio, qua omnia incommoda, & damna rerum, non in nostrà potestate
„ constitutarum, contemnimus? Ità existimò. Porrò TEMPERANTIA
„ est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his rebus, quæ turpitèr
„ appetuntur; an tu alitèr putas? Imò ità, ut dicis, sentio. Jàm JUSTI-
„ TIAM quid dicamus esse, nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur?
„ Nulla alia mihi justitiæ notio est. Hæc S. P. ibi.

„ Et lib. 2. de libero arbitrio cap. 18. dicit, quòd Prudentià, Fortitu-
„ dine, Temperantià, Justitià nemo malè utitur, quia in his recta ratio vi-
„ get; de quo ex isto textu S. Patris nos diximus cap. à pag 1197.

„ Libro 4. de Civitate Dei cap. 20. scribit, quòd etiam Pagani virtu-
„ tem in QUATUOR species distribuendam esse viderunt, Prudentiam,
„ justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Item lib. 19. de Civitate cap. 4.
commemorat istas virtutes. Et lib. 22. de Civitate cap. 24. dictat: „ Ipse
„ (DEUS) animæ humanæ mentem dedit, ubi ratio, & intelligentia in
„ infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, excitanda scilicèt, at-
„ que exercenda ætatis accessu, qua sit scientiæ capax, atque doctrinæ, &
„ habilis perceptioni veritatis, & amoris boni; qua capacitate hauriat sa-
„ pientiam, virtutibusque sit prædita, quibus *prudentèr, fortitèr, tempe-*
„ *rantèr, & justè* adversùs errores, & cœtera ingenerata vitia dimicet, ea-
„ que nullius rei desiderio nisi boni illius summi, atque incommutabilis
„ *vincat*. Hæc S. P. ibi.

Et lib. 13. de Civitate, cap. 21. „ Quatuor virtutes Cardinales expli-
„ cat symbolicè signatas in *quatuor fluminibus paradisi*, dicens: *Nemo* ita-
„ que prohibet intelligi paradisum vitam bonorum; *quatuor* ejus flumina
„ *quatuor* virtutes *Prudentiam, fortitudinem, temperantiam*, atque *justi-*
„ *tiam*;

„ *tiam*; & ligna ejus omnes *utiles disciplinas*, & lignorum fructus *mores* „ *piorum*; & lignum vitæ ipsam bonorum omnium matrem *sapientiam*; & „ lignum scientiæ boni, & mali experimentum transgressi *mandati*. „ Hæc ibi.

Sed lib. 2. de Genesi contrà Manichæos, cap. 10. uberiùs id explicat inquiens: „ *Flumen* autem, quod præcedebat ex Eden, id est, ex delitiis, „ & voluptate & epulis, quod flumen à Prophetà significatur in Psalmis, „ cum dicit, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, hoc est enim *Eden*, quod „ latinè *voluptas* dicitur, dividitur in *quatuor* partes, & *quatuor* virtutes „ significat PRVDENTIAM, FORTITVDINEM, TEMPERAN- „ TIAM, JVSTITIAM. Paulò infrà addit S. Pater: Quod & ipsorum „ (nempe *quatuor* fluminum) interpretatio docet, si quis *Hebræam* lin- „ guam, vel *Syram* consideret. PRVDENTIA ergo, quæ significat ip- „ sam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quià est „ ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam potiùs, quàm paris, quià ibi „ audivit & Apostolus ineffabilia verba, quæ non licèt homini loqui; hæc „ ergo PRVDENTIA circumit (sicut fluvius PHISON, quem suprà di- „ xerat esse GANGEM, sicut GEHON esse NILVM) quæ habet aurum, „ & carbunculum, & lapidem prasinum, id est, *disciplinam vivendi*, quæ „ ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta nitescit sicut aurum opti- „ mum, & verum, quod nulla falsitas vincit, sicùt carbunculi fulgor no- „ cte non vincitur; & vitam æternam, quæ viriditate lapidis *prasini* signi- „ ficatur propter vigorem, qui non arescit.

„ Fluvius autem ille GEHON (sive NILVS) qui circumit terram „ *Æthiopiam* multùm calidam, atque ferventem, significat FORTITV- „ DINEM calore actionis alacrem, atque impigram.

„ Tertius autem fluvius TIGRIS vadit contrà *Assyrios*, & significat „ TEMPERANTIAM, quæ resistit libidini, multum adversanti consi- „ liis prudentiæ, unde plerumque in Scripturis *Assyrii* adversariorum lo- „ co ponuntur.

„ Quartus fluvius (nempe Euphrates) non dictum contrà quod va- „ dat, aut quam terram circumeat, JVSTITIA enim ad omnes partes ani- „ mæ pertinet, quià ipse ordo, & æquitas animæ est, qua sibi ista tria con- „ corditèr copulantur, *primò* PRVDENTIA, *secundò* FORTITUDO, „ *tertiò* TEMPERANTIA, & in istà totà copulatione, atque ordinatio- „ ne perficiunt JUSTITIAM. Hæc Augustus Doctor ibi, in quibus illa quatuor flumina (PHISON, GEHON, TIGRIS, EVPHRATES, de quibus in capite 2. Geneseos) explanantur ab ipso symbola *Quatuor Virtutum* Cardinalium. Hæc S. Pater.

Vide item de virtutibus Cardinalibus AUGUSTINUM in Epistola 29. & in Epistola 52. Tomo 2. & de Genesi ad literam lib. 12. cap. 26. Tomo 3. & contrà Julianum libro 4. cap. 3. Tomo 7. & de Moribus Ecclesiæ, cap. 15. Tomo 1. Item vide earum descriptionem in expositione Psalm. 83. Tomo 8. Et libro 83. qq. q. 31. Et 61. Tomo 4. Item libro 12. de Trinitate cap. 14. & lib. 13. cap. 1. & cap. 9 Item lib. 14. de Trinitate cap. 1 & 9.

In Psalmum 83. Tomo 8. sic describit breviter relatas *quatuor virtutes*: PRVDENTIA dicitur, qua dinoscimus inter bonum, & malum. JVSTITIA dicitur, qua sua cuique tribuimus, nemini quicquam debentes, sed omnes diligentes. TEMPERANTIA dicitur, quà libidines refrænamus. FORTITUDO dicitur, qua omnia molesta toleramus.

Hæc Augustinus; ex quibus, & aliis, quæ de his *quatuor* virtutibus dicit, constat, quod *Prudentia* cæteris virtutibus lumen præfert. *Temperan-*

tia

tia animam perficit respectu ejus, quod infra nos est ; *Fortitudo* respectu ejus, quod contrà nos est ; *justitia* respectu ejus, quod est *juxtà nos*, vel *suprà nos*, respectu proximi, vel Dei, cui cultus debetur.

Prudentia est eligere quod eligendum est. *Fortitudo* nullis avelli molestiis, *Temperantia* nullis illecebris, *justitia* nullà superbià.

Peccatum Originale induxit quatuor pravos defectus, nempe *Ignorantiam*, *Infirmitatem*, *Concupiscentiam*, *Malitiam*, sive Malignitatem. Contrà hæc *quatuor* vitia sunt quatuor Cardinales virtutes; *Prudentia* contrà ignorantiam, *Fortitudo* contrà infirmitatem, *Temperantia* contrà concupiscentiam, *Justitia* contrà malignitatem.

Prudentia eligit, quod agendum est. *Temperantia* cavet, ne quid nimis. *Fortitudo*, ne quid parum. Justitia opus ordinat ad debitum finem.

Prudentia facit, ut homo benè se habeat ad vera, vel falsa ; *Temperantia*, & *Fortitudo*, ut benè se habeat ad prospera, & adversa ; *justitia*, ut benè se habeat ad Deum, & proximum.

Quatuor relatæ virtutes dicuntur CARDINALES propter præeminentiam, quia eminent suprà alias virtutes; & dicuntur *Cardinales* à *Cardine*; Cardines enim dicuntur primæ partes cœli, vel terræ, vel maris, quare in Deuteronomio cap. 30. *Si ad CARDINES Cœli fueris dissipatus, inde trahet te Deus*; Cardines enim Cœli suprema Cœlorum significant, & polos, super quos vertitur Cœlum sicut super Cardines; & lib. 1. Regum, cap. 2. *Domini enim sunt CARDINES terræ* ; & Job. cap. 36. *CARDINES quoque maris aperiet*; sic & quatuor relatæ virtutes dicuntur CARDINALES, quia sunt inter alias virtutes primæ, & sicut CARDO est, super quem ostia domus volui solent, ità relatæ quatuor virtutes dicuntur CARDINALES, quia sunt CARDO, cui nititur ostium totius perfectionis Moralis ; & sicut CARDINALES præsunt clero, & eminent suprà illum, & sunt CARDINES Ecclesiæ, ita relatæ *quatuor* virtutes præsunt reliquis, eminent suprà ipsas, & sunt Cardines perfectionis Moralis, sive virtutum; nulla enim virtus potest esse tuta, & perfecta, sine Prudentià, fortitudine, temperantià, & justitià ; tota perfectio Moralis tandem consistit in faciendo bonum, & patiendo fortiter sensibile malum, at hæc relatis quatuor virtutibus innituntur ; imò relatæ virtutes sunt principales, quia ad ipsas cœteræ reducuntur. Item illæ quatuor motus virium animæ dirigunt, nam *Prudentia* discernit inter bonum, & malum; quod bonum sit melius, quod malum sit pejus, & perficit intellectum; *Temperantia* dirigit actum concupiscibilis appetitus sensitivi, cujus est velle bonum delectabile.

Fortitudo dirigit actum *irascibilis* appetitus sensitivi, qui actus est aggredi arduum, & sustinere quod est difficile ad sustinendum, ergo istæ *tres* virtutes dirigunt tres vires, sive potentias animæ in ordine ad subjectum habens illas; *justitia* dirigit actus respectu proximi, & perficit voluntatem ; quare cum quatuor relatæ virtutes perficiant præcipuas vires, sivè potentias superioris, & inferioris portionis animæ, jure dicuntur præcipuæ, Cardinales, & eminentes.

In sacris literis sunt plura symbola harum *quatuor* virtutum. Apud Genesim (cap. 26. D & 46. A.) QVATVOR PVTEI, quos fodit Isaac, has quatuor relatas virtutes significare possunt, quia continent aquam salutarem actuum virtutis. CORNVA QVATVOR *altaris* (apud Exodum cap. 27. A.) designant has quatuor virtutes in altare animi, quibus fit perfectum altare Deo. Apud Exodum cap. 26. v. 8. Feceruntque cortinas decem de *bysso retortà*, & *hyacintho*, & *purpurà*, *coccoque bis tincto*, ex quibus *hyacinthus* aerei, sive *cœlestis* coloris, *byssus* est coloris *candidi*, est *purpura* co-

lo-

loris sanguinei, & quasi accensi; *coccus* est coloris *ignei*; at istæ *quatuor* colores sunt *quatuor* virtutum *Cardinalium* symbola; *hyacinthus* enim signat *Prudentiam*, quia cum ejus color sit cœlestis, ut agat rectè, & benè, Deum, & Angelos imitatur. *Bissus*, quià coloris *candidi*, signat *Temperantiam*, quià candidam, & mundam reddit animam, & candore puritatis, sine sorde luxuriæ albicantem; imò *byssus* retorta (quæ erat inter *quatuor*, ex quibus erant factæ tabernaculi cortinæ) designat carnem jejuniis, & vigiliis, maceratam, sicùt maceratur byssus, ut candorem recipiat; at talis maceratio, & corporis castigatio non sine Temperantià fit. *Purpura* (quia sanguinei, sive accensi coloris) *Fortitudinem* signat, qua excitatur, & prudentèr accenditur animus, & ad ardua aggredienda acuuntur vires. *Coccus* (quià coloris *ignei*) symbolizat *justitiam*, cujus zelus, velut ignis, animum ad opera justitiæ inflammat; ex his *quatuor* coloribus, virtutibus Cardinalibus nempe quatuor, constat cortina, qua lucidè velatur tabernaculum animæ, in qua Deus per virtutes habitat.

Si legeris Exodi caput 30. à v. 23. invenies, Deum præcepisse Moysi, faceret *unguentum* ex *myrrha*, *Cinnamomo*, *calamo*, & *Casià*; ista autem *quatuor* unguenta dixeris quatuor virtutum Cardinalium symbola; nam MYRRHA significat *continentiam*, quæ luxum voluptatis, & fluitantia carnis incentiva desiccat; signat ergò symbolicè *Temperantiam*. Myrrha, ex quà Deus jussit conficere unguentum, fuit myrrha *prima*, quare signat Temperantiam in, & à juvenili ætate, tunc enim est laudabilior, & quià à principio vita Deo dicatur, & quià tùnc acrior passionum pugna vincitur. CINNAMOMVS signat *justitiam*, quià est *cinericei* coloris, symboli *cognitionis humanæ infirmitatis*, & *fragilitatis*, & consequentèr *humilitatis*, quæ est omnis *justitia*; quare (apud Mathæum cap. 3. à v. 13.) cum veniret Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, Joannes prohibebat eum dicens, *Ego à te debeo baptizari*, & *tu venis ad me?* Respondens autem Jesus (ut exerceret illam *humilitatem*) dixit ei: *Sine modò, sic enim decet, nos implere omnem justitiam.* CASIA nascitur in locis aquosis, ac etiàm campis, juxtà Cinnamomum; quatenusque nascitur in aquosis locis, signat *Prudentiam*, quæ nutritur in doctrinæ, & experientiæ aquis. CALAMVS arbor aromatica, quæ & fistula dicitur, est odorifera, signatque *Fortitudinem*, nam sicut aromata, cum conteruntur, redolent, ita tolerando adversa, virtus fortitudinis suavitatem odoris explicat. Præceperat Deus Moysi his *quatuor* adderet *Oleum de olivetis*, ut fieret *unguentum*; oleum signat *amorem Dei*; itaque cum amoris Dei oleo, & ex illis quatuor virtutibus fit unguentum spirituale, quo unctus animus præservatur, aut sanatur à morbis vitiorum.

Adde ex libro 4. Regum cap. 2. v. 11. quòd *QUATUOR ROTÆ* currus ignei, in quo Elias per turbinem ascendit in Cœlum, signant *quatuor* virtutes Cardinales, sunt quatuor rotæ currus virtutis, in quo sic virtuosi vincendo turbines *passionum*, elevantur ad Deum.

Sed apud Ezechielem cap. 1 *quatuor illa animalia aquila, vitulus, leo, homo*, dicunt interpretes quòd (inter alia) *quatuor* Cardinalium virtutum sunt symbola; nam *AQUILA*, quià *visum* habet *acutum*, & à longè videt, est *Prudentiæ* symbolum; *VITULUS*, qui immolabatur in lege, *Temperantiam* Deo sacrandam signat; *LEO* fortissimus bestiarum est *Fortitudinis* typus; *HOMO justitiam* signat, quæ humanæ societatis est vinculum, & istæ *quatuor* virtutes currum perfectionis Moralis vehunt aurigà rectà ratione.

Apud Job cap. 1. D. *ANGULI QUATUOR domus Job quatuor* virtu-

tutes *Cardinales* ſymbolicè indicant, ſunt enim quaſi *anguli quatuor* domus virtutis; & ſi angulus eſt ille, in quem lineæ concurrunt, in virtutes Cardinales, ſicut in angulos quatuor concurrunt lineæ aliarum virtutum. Domus virtutis eſt animus virtutibus omnibus præditus, at *quatuor* anguli talis domus ſunt *quatuor Cardinales virtutes*.

Sed & *QUATUOR LATERA arcæ Noemi* ad relatas *quatuor* virtutes innuendas conſpirant, nam quatuor virtutibus Cardinalibus tota vitæ Moralis machina coaptatur; latus autem, in quo fit oſtium, Prudentiam deſignat, quæ eſt virtutum Moralium janua.

Apud Exodum (cap. 28. C. & 38. A.) *QUATUOR ORDINES lapidum in rationali* ſummi Sacerdotis ſignant virtutes *quatuor* Cardinales in animo; & apud Zachariam cap. 1. *QUATUOR FABRI deſtruentes quatuor cornua*, exponunt interpretes, quòd figurant *quatuor virtutes cardinales*, quæ deſtruunt ædificia diaboli, & vitiorum.

At ut proficiant ad *vitam æternam*, per virtutes *Theologicas* ſunt dignificandæ; quare apud Exodum ubi ſuprà *quatuor ordines lapidum in rationali* ſignant quatuor virtutes *Cardinales* cum *Theologicis*; in *quatuor* enim ordinibus referuntur *terni lapides*, numerus *trinus* eſt ſymbolum *Trinitatis*, quare in *quatuor* ordinibus lapidum in rationali *terni* lapides referuntur, ut innuatur, relatas *quatuor* virtutes proficere ad vitam æternam, at *in fide Trinitatis* valoratas, *tribus* virtutibus Theologicis promotas.

Relatas *quatuor* virtutes eſſe Cardinales, ſatis conſtat ex dictis, & item probari poteſt, quia poteſt contingere, nos *ratiocinari* rectè, & non rectè; item *agere*, ſive operari rectè, & non rectè; item *paſſionari* rectè, & non rectè; unde ut *ratiocinemur* rectè, eſt *Prudentia*; ut agamus rectè in ordine, & æquemus operationes, eſt *juſtitia*; ut *paſſionemur* rectè, ſunt *Fortitudo*, & *Temperantia*; nam quædam paſſiones impellunt nos *ad malum*, ut paſſiones *concupiſcibilis* appetitus, & pro his modificandis eſt *temperantia*; quædam verò paſſiones nos retrahunt *à bono*, ut paſſiones appetitus *iraſcibilis*, & pro his modificandis eſt Fortitudo.

Item relatæ *quatuor* virtutes ſunt Cardinales, ſive principales, quia quatuor ſunt potentiæ, in quibus ſubjectantur virtutes, nempe *intellectus*, *voluntas*, appetitus ſenſitivus *iraſcibilis*, & *concupiſcibilis*; cum ergo Prudentia ſit principalior in *intellectu practico*, juſtitia in *voluntate*, Fortitudo in *iraſcibili*, Temperantia in *concupiſcibili*, jure hæ *quatuor* dicuntur (inter Morales virtutes) principales, ſive principaliſſimæ & Cardinales. Imò cum omnis actus virtuoſus ſit agendus *prudenter*, *fortiter*, *juſtè*, & *temperatè*, rectè quatuor virtutes, concurrentes ad hoc, nuncupantur *Cardinales*.

CAPUT XXIII.

De VITIIS in genere. *SYMBOLA vitiorum ex sacris literis. Explicatur SYMBOLUM PYTHAGORÆ*, Ne degustaris ex his, quibus est nigra cauda. *VITIA punienda; id ex* Poeticà *per VULCANUM, EUMENIDES, JUDICES* inferni, *Tartarum. Nullum vitium occultum*; ex Poeticà *per FAUNOS, SYLVANOS, TRITONES, ARIONEM*; *ideo principiis obsta per THESEUM. Exhortatio contrà vitia. VITIUM HABITUALE ut exulet, plures actus requiruntur virtuosi; id ex* Poeticà *per HERCULEM, repetitis ictibus suffocantem LEONEM NEMÆUM.*

NOn loquimur de vitiis physicis, sive corporis, quæ dicuntur largè vitia, ut morbi; sed de vitiis Moralibus, & quæ fœdant animum; & in hoc sensu vitium definitur ab Augustino (De perfect. Just. cap. 2. Tomo 7.) sic: Vitium est *qualitas, secundùm quam malus est animus*. Dicitur *vitium* à *vitando*, quià vitandum, & fugiendum est.

Vitium est *contrà naturam rationalem*, juxtà quam ut rationalem solùm est, quod *juxtà* rationem est; at vitium est *contrà* rectam rationem, hìnc contrà rationalem naturam est, ideo dicente Augustino lib. 11. de Civitate, cap. 17. *Vitium ità contrà naturam est, ut non possit nisi nocere naturæ*. Et Epist. 120. cap. 10. Tomo 2. ait: *Vitium est semper contrà naturam*. Et de Verâ Religione cap. 23. Tomo 1. scribit: *Vitium animæ non natura ejus, sed contrà naturam ejus est; nihilque aliud est, quàm peccatum, & pœna peccati*. Vitium enìm reddit *hominem* moribus *brutum*; hìnc contrà excellentem naturam hominis est; & *vitium* etiam est homini non solùm *culpa*, sed *pœna*, quia eum reddit moribus brutum. Quod contrà naturam hominis est, ipsi pœna est.

Vni virtuti (inquit Augustinus in Epistolà 29 Tomo 2.) *duo vitia opponi solent*; ideò in elapsis dictum, quòd virtus consistit in medio inter duo extrema vitiosa.

Vitium & virtus opponuntur *ex naturà rei*, nec cohærere possunt simùl; virtus enim expirat, si in animo vitium sit; id in sacris literis indicatum per Saram, quæ (ex Genesi cap. 33. A.) mortua est in terrà *Chanaan*; fuit iste filius *Cham*, & ab illo dicti sunt *Chananæi*; signatur *vitium* per Chanaan, *virtus* per Saram, ergo Sara mortua in terrà Chanaan moralitèr signat, quòd ubi est vitium, expirat virtus. Hìnc apud Genesim cap. 31. C. Jacob refertur, relicto Laban, rediisse ad Isaac; in quo indicatur moraliter, quod si Laban significat *vitium*, & nomine Jacob intelligitur *virtus*, hæc duo nequeunt habitare simùl; ideò recede à vitio, si velis ornari virtute.

Vitia in sacris literis jàm signantur per spinas, jàm per lolia, jam per cadavera, jàm per stercora, & sordes, jàm per lepram, jàm per noctem, jàm per gelu, quia animam congelat, & detinet, ne currat ad Deum. Anima recipiens vitia jàm signatur per lupanar, jàm per adulteram, quia recedit à viro, nempe à perfectà ratione, jàm per boves, sive vaccas macilentas, quia animus est infirmus morbis vitiorum.

Effectus vitii sunt obnubilare, excœcare, pervertere mentem, conscientiæ remorsus, animi perturbatio, cadere à dignitate hominis, reddi inimicum

cum Deo; & multi alii infelices effectus!

Ideò fuit symbolum Pythagoræ, *Ne degustaris ex his, quibus est nigra cauda*. Simile refertur ænigma Antiphonis Comici; nempe, *à melanuro, & mugile cavendum*; quæ sunt illa, quibus est nigra cauda, nisi vitia? ex coloribus *niger* ater est symbolum vitii, & infelicitatis; at vitia nigram habent caudam, quià accersunt terribilem pœnam; miseros, & infaustos produnt effectus. Hinc & à vitiosis cavendum, quibus & cauda est *nigra*, quia finis conversationis cum eis sunt fatales casus, tristes eventus. Putatur enim & etiam Pythagoram in hoc symbolo intendisse, cavendum *ab improbis*, quià *nigro* sunt animo, id est, iniquo; ut ideò quidam Poeta dixerit, *Hic est NIGER; hunc tu, Romane, caveto*. Horatius, Catullus, & alii Poetæ improbos, & vitiosos homines *nigros* appellant.

Et quidem cum Poesis effinxit, Gigantes habuisse crura, & pedes draconis, non solum innuit, vitiosos (quia Gigantes sunt symbola vitiorum, & iniquorum hominum) tortuosè, & non rectè in via mandatorum Dei incedere, sed extrema vitii, & finem conversationis cum iniquis, esse nigra, infausta, læthali veneno inficientia. Alii putant, Pythagoram expressè nominasse *melanurum*, qui ex nigrà caudà inter alios pisces noscitur, & voluisse, fugiendam amicitiam cum improbis. Sunt *melanuri* insidiosi, fraudulenti, dolosi. Erasmus ponit *sepiam* pro *melanuro*, nam *sepia* extremis partibus nigrescit, & obscuratur. Alii exponunt, Pythagoram innuisse, cavendum à mendacio, & calumniatione, quià tandem patescit veritas, denigratà famà calumniantis, & mentientis. Quicquid sit, in tali symbolo commendatur cavere à vitiosis, & vitiis.

Et ut *Poesis* id commendaret, sub figmentis innuebat pœnam, & quòd nullus peccator potest iram fugere Dei, & ad significandū hoc finxit Vulcanum ligasse Martem, & Venerem coeuntes, & irrisioni Deorum, & ludibrio exposuisse, nec Martem præsidem bellorum finxerunt fuisse tutum à pœnà debità sceleri, ad indicandum, quòd nulla est potentia peccans, quæ possit iram Dei fugere, & pœnam; ideòque etiam Gigantes fulminatos à Jove dixerunt Poetæ.

Cur Poesis finxit tres Judices inferni (Eacum, Minos, & Radamanthum) qui post mortē judicarent animas corpore exutas, & pœnas, vel præmia decernerent, nisi ut indicaretur vitioso, quòd nulla culpa sine pœnà? Sed quid per *Eumenides* inferni nūcupatas *Furias* significare voluerunt, nisi remorsus conscientiæ crudeles ex vitio? an illi non sint pœnà? sed & *Eumenides* dixerunt Poetæ ministras *Judicum*, quæ portarent vitiosum judicatum ad *Tartarum*, ut innuerent post hanc vitam pœnas inferni; quod & acceperunt *ab Hebræis*, at ab his *purè*, *& sincerè* sine *fabulosis* involucris, sub quibus relata *Ethnici* superstitiosè involuerunt, ideò & isti pœnà digni, quia sincerè non retulerunt, & involucra superstitiosa texerunt, quæ à vulgo audita *ut sonant*, in errores lapsi ignari superstitiosa crediderunt.

An putas, quòd Deus non videt? ubique videt Deus; quare *Faunos, & Sylvanos, & Oreades Nymphas*, præsides pastoribus, & agricolis finxit Poesis, ut etiam in sylvis non delinquerent, & scirent, quòd ubique videt Deus; & si essent boni, ubique est numen ad consolationem, & præmium; Tritonesque dixerunt Deos marinos, qui prestò essent navigantibus, videntes bona, vel mala, ut indicarent, quòd nullus locus est ab oculis Dei secretus; unde ut suaderet Poesis, quòd nullum vitium est occultum, & sinè pœnà, addiderunt, *Arionem* eximium citharœdum divitem ex Italia redeuntem fuisse à nautis spoliatum, & ejectum in mare, ut ipso naufrago, nulla sceleris remaneret notitia, & illi essent tuti à pœnà; at Arionem sono

citharæ allicuisse delphinum, qui eum dorso susceptum incolumem portavit ad littus; Corinthum Arion pervenit cum hoc apparatu, rem aperuit Periandro totam, iste non credit; Arionem servari jussit cum custodiâ, quousque venirent nautæ; isti salutant portum, accersuntur à Periandro, iste quærit, & perconctatur de Arione; respondent illi, Arionem benè valere, & felicitèr in Italia; accersitur tùnc Arion; apparet, ut in mare dejectus fuerat; quid nautæ? aperto scelere, obmutescunt, nec scelus ausi sunt negare; quid Periander? eos ultimo supplicio statim affici imperavit. Quid innuit Poesis in hoc figmento, quod ab aliis reputatur historia? indicare, quod nullum scelus est secretum, nullum etiam in medio reconditi maris manet occultum; videt Deus, qui innocentem salvat, delinquentem punit, & ex cujus voluntate etiam pisces in mari, bruta in deserto erunt perpetrati sceleris rigidi, & veri accusatores.

Sic & finxerunt, *Ixionem* ob tentatam pudicitiam Junonis sub specie nubis fuisse ejectum è Cœlo, & ad inferos detrusum, rotæque perpetuo motu circumvolutæ inter serpentes alligatum; at quid indicare voluerunt, nisi pœnam peccati? nomine *inferni* etiam intelligebant portionem inferiorem hominis, in qua animus detrusus, velut rotæ perpetuo motu passionum immodicarum circumvolutæ alligatus, cruciatur, & inter serpentes, nempe inter motus inordinatos, qui in homine vitioso serpunt; item & voluerint Poetæ sapientes (qui ab Hebræis acceperant præmium, & pœnam post hanc vitam pro meritis, vel demeritis) innuere pœnas in inferno post mortem vitioso statutas.

Sed *Typhonem* gigantem admirabili corporis magnitudine effinxerunt, cujus altitudo montibus eminentior erat; caput tangebat astra; manus una orientem, altera occidentem possidebat; ex humeris centum capita draconum se explicabant, in cruribus maximas viperarum spiras cerneres; corpus aspiceres pennis totum objectum, impexa crura, barbam prolixam, igneos oculos, ex ore ignem abundè ferventem; O monstrum! quid hoc? figmentum est; at relictis physicis sensibus, quid in hoc indicare voluit sapiens Poesis? quòd si *Typhon* est symbolum *vitii*, superbiæ, ambitionis, libidinis, tyrannidis, & Typhonem finxerunt à Jove fulmine dejectum, sciant homines etiam *potentissimi*, quòd, si *vitiosi*, nunquam effugere poterunt Dei vindicis flagella.

Sed & quorsùm respectat figmentum *Sisyphi*? dictus à Poesi *astutissimus*; at à Jove effingitur punitus hac pœnâ, ut *saxum quoddam* prægrande assiduè supra montem apud inferos portaret; quod ubi Sisyphus ad montis verticem accessisset, suâ sponte revoluebatur ad montis radices, nec ullâ vi retineri poterat; quarè continuò portabat saxum, quia nunquam suprà verticem montis poterat retinere firmum; quid indicarunt Poetæ in hoc nisi astutiæ vafræ supplicium? astutus vafer grave saxum portat in animo, & nunquàm quiescit; prætendens ambitiosè repulsam patitur, & iterùm prætendit; assequitur, & iterùm ambitiosè incipit; nunquam quiescit ambitio; item indicavit Poesis, nullam astutiam exemptam à justo supplicio: contrà Deum nihil prodest vafra solertia; quò ibis à spiritu Dei, & quo à facie ejus fugies? adest ubique, & ubique ejus potentia prævalet.

Nec reservandus *Tityus*, quem admirabilis corporeæ magnitudinis effinxerunt, cujus corpus vastum noven jugera terræ occuparet; hunc punitum propter vitia ajunt, dejectum ad inferos, prostratum, ligatum, & à duobus vulturibus laniari assiduè, ejusque cor comedi finxerunt; quod ubi semel fuerit absumptum, denuò reviviscere, & denuò laniari, ne immortalis pœnæ argumentum, ac fundamentum deficeret; sed *moralitèr* quorsùm

sùm ista, nisi ad innuendas immodicas passiones, aut vitia duo, nempe *iram*, *& concupiscentiam* (velut vultures duos) laniantia cor? immortalis est pœna, dum non moritur culpa. Animus vitiosi incessantèr torquetur, & post hanc vitam pœna immortalis vexat. At tantam pœnam affligere illud vastum corpus, effingunt, ut indicent, nullas tantas esse vires, quantas vis justitiæ castigare non possit, & quæ divinæ vindictæ possint resistere. Tot figmenta repetivit Poesis, ut homines revocaret à vitiis!

Ergo principiis vitiosis obsta; si enim Theseus obstaret, non effingeretur à Poesi in inferno, nempe vitiorum, quousque liberatus (ut fingitur) fuit ab Hercule, per quem intelligitur VIRTUS, ut innueretur, quod virtus ab inferno vitiorum animum redimit.

Et maximè caveas, ne fit *habituale* vitium; difficultèr enim vincitur; quare *Leonem Nemæum* Poesis effinxit invulnerabilem, ejus pellem nullo ferro pertransibilem, in quem Hercules dicitur multas, sed frustrà, conjecisse sagittas, nec omninò læsisse; queis exhaustis, apprehendit ferream clavam, multo ferro gravem, at crebris verberibus, & ictibus est comminuta; quid tùnc Hercules? Leonem nudis apprehendit manibus, unguibus dissecuit. Cum autem nomine Herculis, & clavæ intelligatur virtus, & per sagittas, & ictus clavæ intelligantur actus virtuosi, & per Leonem Nemæum duræ pellis intelligatur vitium habituale, quid innuunt apud Poesim tot labores, tot ictus repetiti clavæ, tot sagittæ necessariæ, ut occideretur leo, nisi difficultatem in occidendo habituali vitio?

CAPUT XXIV.

VITIA non insunt nobis à naturâ; *sunt VOLUNTARIA, non NECESSARIA. Temperamentum NATURALE, etiam per ordinem ad CORPORA COELESTIA*, quorum influxu *fuit acceptum*, vitiorum *NECESSITATEM* nullam *inducit*.

SApientèr AUGUSTINUS (De pecc.merit.lib.2.cap 4.Tomo 7.) docet: *Manet malum in carne nostra, non naturâ, in qua divinitùs creatus est homo, sed VITIO, quo VOLUNTATE prolapsus est*. In quibus carnis nostræ propensionis vitiosas explicat procedere à voluntate, qua lapsus est homo, non à naturâ nostrâ, ut creatâ à Deo; nam prout à Deo erat propensa ad bonum. Ideo S.Pater (in Psalmum 68. conc.1. Tomo 8.) repetit: *Vitia ex nobis, & ex nostrâ voluntate habemus.*

Ergo obmutescant Epicharmus *in Hercule furente*, Chrysippus, & Pyrrhones, qui *Fato ineluctabili* omnia tribuentes, tàm *virtutes*, quàm vitia delirabant, necessariò, sive à naturâ cuique competere; libertatem humanam penitùs è medio tollebant; ideò increpante Augustino (lib.2.ad Bonifacium cap.6.Tomo 7.) sic: *Fatum qui affirmant de syderum positione ad tempus, quo concipitur quisque, vel nascitur, quas constellationes vocant, non solùm actus, & eventa, verùm etiàm ipsas nostras voluntates pendere contendunt*. Hæc ibi; & ibidem addit: *Fati assertores, & bona, & mala hominum, fato tribuunt*.

Recedant, qui licèt virtutes affirmaverint, liberè acquiri, tamen vitia ajebant invitò, & non spontè contrahi. Cur non exulent, & non puniantur illi, qui dixerunt, vitia necessariò derivari ex propriâ cujusque complexione, ex influxu astrorum recepta? Et cur audiantur arbitrâtes, mores omninò sequi naturale corporis temperamentum? ibi putarunt mores bonos, ubi temperamẽtum bonum; ibi malos, & vitiosos, ubi temperamentum non bonum, & ad bonas operationes minùs idoneum; hæc existimatur opinio

Pla-

Platonis in *Timæo*; hæc Galeni (cum Hippocrate) in libro, cui titulus; *Quòd mores animi sequuntur temperamentum corporis*.

At cur hæ errorum tenebræ non fugentur flagello Solis veritatis?

Contrà attribuentes omnia ineluctabili *Fato* est Augustinus in Psalmo 7. & in Psalmo 40. & simile in Psalmo 128. Tomo 8. dicens: *In peccatis meis non dico, hoc mihi fecit fatum*. Et (Sermone 3. de *divers.* cap. 3. Tomo 10.) addit: *Sunt homines, qui valdè abundant, & cum cœperint accusari, currunt se excusare. Excusare autem est causas quærere, & causationes innectere, quare ad se non videatur pertinere peccatum. Alius dicit, diabolus mihi fecit; alius dicit, fortuna mihi fecit: alius dicit, FATO compulsus sum, nemo ad se* peccatum pertinere dicit. Contra *Fatum*, ut ab Ethnicis statuebatur, & ab errantibus, dicit (Tract. 8. in Joannem, Tomo 9.) sic: *Non solum Christus non habuit, quod appellas FATUM, sed nec tu, aut ille, aut quisquam hominum*.

In sententiâ ineluctabilis FATI, quod inferre hominibus necessitatem, & libertatem tollere ajebant, fuerunt Stoici, & Priscillianistæ; item Democritus, & Heraclitus, ut scribit Cicero in libro de *Fato*; item Lucanus dicens:

Præceps agit omnia Fatum.

Senecam in eodem errore declarant ejusdem verba: *Regitur* FATIS *mortale genus*. Accedit Ovidius inquiens:

Ratio FATUM vincere nulla valet.

Juvenalis in eodem errore invenitur scribens:

Plus enim FATI valet hora benigni,
Quàm si nos VENERIS commendet epistola MARTI;

Qui error prævaluit inter Chaldæos, & Babylonios, ut refert Philo Hebræus *de migratione Abrahæ*.

Contrà delirantes, quòd complexio ex influxu *astrorum* recepta necessario impellit ad vitia, adest Augustinus in Psalmo 40. Tomo 8. ubi sic: *Infactis, & peccatis meis, non dico, hoc mihi facit* FATUM; *non dico, adulterum me fecit* VENUS, *& latronem me fecit* MARS, *& avarum me fecit* SATURNUS; cur? quia astra, & complexio ex influxu eorum recepta, non *cogunt* nostram libertatem. Ideò in Psalmo 58. increpat, quòd *qui peccat, accusat* STELLAS; quærit peccator se excusare dicens: *Si Deus noluisset, non id fecissem. Quid vis, faciam* FATO MEO? *Jàm quæris, quid sit* FATUM, *curris ad* STELLAS. *Quæris, quis fecerit, & ordinaverit* STELLAS? DEUS *est; ergo ad hoc peccatum tuum defendis, ut* DEUM *accuses; ideò excusatur reus, ut culpetur Judex*. Quare lib. 50. Homil. in Homil. 12. Tomo 10. absolutè decernit: *Per* STELLAS *homo non facit peccatum; creator enim* STELLARUM DEUS *est*.

Imò & contrà Astrologos *horoscopum* facientes agit Augustinus lib. 5. de Civitate cap. 1. & sequentibus Tomo 5. Item de Genesi ad literam lib. 2. cap. 17. Tomo 3. Item Tractatu 8. in Joannem, Tomo 9.

Sed Sermone 34. de tempore, cap. 2. Tomo 10. addit: *De genituris hominum vani homines loquuntur, quod insipienter opinantur; negant* VOLUNTATEM, *qua peccant; confingunt* NECESSITATEM, *qua peccata defendant; perditos mores, per quos in terrà ab hominibus detestantur, in cœlo etiam figere conantur, & à* SYDERIBUS *manare mentiuntur*. Et in Psalmum 72. loquens contrà illos, qui stellis subjectas dicunt voluntates nostras, & quòd unusquisque non pro meritis agitur, sed NECESSITATE STELLARUM SUARUM, hanc doctrinam dicit *malam, & impiam*. Illi, qui cuncta tribuunt *Fato*, & illi, qui *complexionem* ex influxu *stellarum* receptam dixerunt, necessitatem nobis inferre, & cogere, & libertatem auferre, parum, aut nihil videntur distare.

Et

Et ideò scribit Augustinus (lib 5. de Civitate, cap. 8. Tomo 5.) sic: *Qui* ASTRORVM *constitutionem* FATI *nomine appellant, non multum cum eis de verbi controversiâ laborandum est*; & contrà omnes eos, qui delirarunt, *astra*, vel *complexionem* ex influentiâ *astrorum* participatam inducere necessitatem aliquam nostræ libertati, scribit D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 5. dicens: *Subtrahuntur causalitati cœlestium corporum actus liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis, & rationis; intellectus enim, sive ratio, non est corporeus, nec actus organi corporei; & per consequens nec voluntas, quæ est in ratione.* Et quidem ità, non enìm vis inferior potest subjugare superiorem; spirituale est superius corporali; astra, & eorum influxus, & complexio ex eorum influentiâ sunt corporea, voluntas est spiritualis, ergo nec astra, nec eorum influxus, nec complexio ex eorum influentiâ participata, possunt subjugare voluntatem, & cogere.

Et loquendo de vitiis, non solùm *astra* non influunt in vitia, verùm nec in *inchoationes formales* vitiorum, quæ sunt illæ *propensiones* ad vitia, quas experimur; nam astra non alium habent influxum, quàm ipsis præstitum à sanctissimo auctore eorum Deo; at Deus sanctissimus nec dedit eis influxum *in vitia*, nec *in inchoationes formales* vitiorum; nam formalis inchoatio vitii est semen vitii, Deus autem sanctissimus semina formalia vitii non dat, nec causat.

Inchoatio, & propensio ad vitia in complexione *affectâ influxu cœlesti* non venit *ab influxu cœlesti*, sed *ex alio capite*, nempè quià est *complexio* naturæ descendentis ab Adamo per seminalem propagationem, & vitiatæ, & corruptæ *per peccatum Originale*, derivatum ex primo peccato *Adami*; & patet, quià si non peccasset Adam, essent nùnc iidem influxus cœlestes, qui sunt, & tamen nec influerent in vitia, nec in inchoationes formales vitiorum, sive nec in propensiones ad vitia. Ergo cur atribuatur *astris*, & eorum *influxui* labes, quam contraximus *voluntariè* in Adamo sicut in capite? sunt ergo *voluntaria*, & libera nobis *vitia, & inchoationes formales vitiorum*; vitia sunt nobis voluntaria, & libera libertate *personali*; inchoationes ad vitia, & propensiones sunt nobis voluntariæ, & liberæ libertate *capitali*, quià *Omnes in Adam peccaverunt*.

Fateor (ut invenio citatum ex Damasceno lib 2. cap. 7.) Planetas causare in nobis diversas complexiones, habitus, & dispositiones corporeas; & pro hoc etiam legimus citatum D. Dionysium Areopagitam cap. 4. de Divinis nominibus, & Joannem Bachonium in 2. Sententiarum, & Ptolomæus in Aphorismo 38. refertur dicens: *Quando Mercurius in alicujus natali fuerit in aliqua ex domibus Saturni, & Mercurius fuerit fortis in suo esse, influit* aptitudinem ad *res radicitùs intelligendas*. At inchoationes ex influxu stellarum, & temperamenti *ex se, & ex naturâ suâ*, & ut stellæ, & temperamentum sunt à Deo, sunt inchoationes *boni*, ut ideò in pag. 1202. dictum maneat (Quæst. unicà de virtutibus in communi, art. 8) ex D. Thomà, quòd *est aliqua inchoatio* VIRTVTIS, *quæ consequitur naturam individui, secundùm quod aliquis homo ex naturali complexione, vel cœlesti impressione inclinatur ad actum alicujus* VIRTVTIS; at & hæc inchoatio virtutis, quia est in naturâ liberâ, & corruptâ, sive vitiatâ per peccatum Originale, potest per habitus vitiosos opprimi. Inchoationes *mali moralis* derivantur non ab influxu cœlesti, nec à temperamento ex terminis temperamenti, sed à naturâ vitiatâ per peccatum Originale, in qua temperamentum illud est, & influxus cœlestis recipitur. In *mala physica* ut in aeris intemperiem, famem, pestem, possunt (propter statutos à Divinâ Providentiâ fines, & propter bonum publicum universi, præferendum privato) influere astra,

sicut

ſicut & Deus propter ſua juſta motiva poteſt mittere *phyſica mala*, ut alibi dictum; non tamen Deus, nec aſtra influxu ipſis à Deo dato influunt in *mala Moralia*.

Oppones, quòd natura vitiata per peccatum Originale eſt communis toti generi humano; at experimur multos homines eſſe magis propenſos, & proclives ad vitia, quàm alios; ergò unde derivatur iſta ſpecialis propenſio ad vitium, niſi ex ſpeciali influxu cœleſti, ſub quo concepti, aut nati ſunt, & conſequenter ex diversà, & ſpeciali complexione, quæ ſit affecta diversà, & ſpeciali influentià cœleſti, & ſub diversà, & ſpeciali conſtellatione? ſanè à naturà vitiatà per peccatum Originale, cum hæc ſit omnibus hominibus æqualis, & communis, cur derivetur illa propenſio inæqualis, ſpecialis, & vehementior ad vitia?

At Reſpondendum fatendo, quòd ſunt propenſiones ad vitia, & ad alia in triplici differentià; *aliæ*, quæ competunt toti generi humano; aliæ præſertim alicui nationi; *aliæ* alicui determinato individuo. Experimur enìm ex nationibus *aliquas* eſſe bellicoſas, alias imbelles; *alias* feroces, & iracundas, alias eſſe humaniores, affabiles, civiles, & mites; alias ad diſciplinas idoneas, alias ineptas, & ſolidas; quare Galenus ubi ſupra obſervat, quòd *apud Scythas unus tantum poſt hominum memoriam fuit Philoſophus Anacharſis; Athenis autem plurimi. Item apud Abderitas multi fatui nati ſunt; Athenis verò pauci.* Item experimur, aliquas nationes eſſe magis proclives ad certa vitia, quàm alias; ut ideò Plato lib. 5. de legibus oſtenderit, differẽtiam locorum plurimùm conferre, ut homines meliores, vel deteriores evadant; & in *Politica Civili* eſt adhortatio, quòd pro ædificanda Civitate eligatur ſitus, qui ſit ſub benigno cœleſti influxu, qui diſponat ad virtùtem, ſalutemque animi, & corporis. Quantùm ad individua, nos experimur quotidie in ſociis etiam, cum quibus vivimus, quanta ſit differentia complexionum, & propenſionum, & bonæ, vel malæ indolis. Fatemur, inquam, hæc; at cum hoc cohæret, quòd nec ab aſtris, nec ab influxu aſtrorum, nec à complexionibus ut affectis cœleſti influentià, preveniant propenſiones ad vitia, nec communes, nec individuæ, ſive ſpeciales, ſed à vitiatà naturà per primum, & originale peccatum. Quomodo hoc? explicabo.

Pone nationem *iracundam*, quia ſit ſub Planetà influente igneum, & bellicoſum ardorem, nempe ſub Marte; ſic & pone individuum, cujus complexio ex eadem causà igneum, & bellicoſum influxum participet; poſteà talis natio, ſive tale individuum immodicà irà, & feritate fervent; at hæc *immodica paſſio* non venit *ab aſtris*, nec *ab eorum* influxu *per ſe*, & cauſaliter, ſed a *naturà vitiatà per peccatum*, in qua imprimitur ille influxus; nam ex parte aſtrorum ille influxus ad iraſcibilitatem eſt ad tutelam, defenſionem, & conſervationem naturæ, & patriæ, & Religionis, & ad alios juſtos fines divinæ Providentiæ, utentis aſtris, ut miniſtris, & organis, & inſtrumentis, & ideò aſtris dedit influxus idoneos ad ſtatutos a Deo fines; licèt enìm Deus poſſit ſe ſolo agere, quod agit mediis cauſis ſecundis, tamen mediis his agit, qui cuncta fortitèr, & ſuavitèr diſponit.

Hìnc *abuſus* illius influxus venit *à ſubjecto vitiato* per culpam Originalem, in quo recipitur; ac ſi dicas, influxus cœleſtis non vitiat naturam noſtram, noſtra natura vitiata vitiat illum influxum, dum abutitur, quia per peccatum Originale labilis. Pone à principio puro, & mundo derivari linteum mundum, & cadere in vas immundum; ſordeſcit? ità; at ſordes nec derivatur à manu, unde cecidit, nec à linteo mundo, ſed à ſubjecto immundo, in quo cadens eſt receptum. Margarita culta, & lucida cadit intra vas ſordidum; ſordeſcit? ità; at ſordes non ab ipſa, ſed à vaſe ſordido, in quo

imprimitur. Sic & dedit nobis Deus duplicem appetitum sensitivum *irascibilem*, *& concupiscibilem*; istum ad *conservationem*, illum ad *defensionem nostram* à contrariis; at nostra natura vitiata per peccatum Originale abutitur primo ad vindictam, secundo ad gulam, & ad alia vitia; vitium non est ab illis, ut à Deo sunt nobis dati, & ad congruos fines; sed venit à carne vitiatà per peccatū Originale, ideoque à sensu rebelli *rationi rectæ*.

Pone aliam nationem *melancholicam*, quià sub Saturno, sicùt & melancholicum ex eadem causa individuum; at ille influxus ex parte astrorum disponit ad subtiliorem, & maturiorem, & profundiorem laudabilem speculationem, & ad prudentiora, & maturiora consilia, quià *melancholicus* totus intrà se reflectit, & intelligit maturiùs, quià *intelligere* est intùs legere; at ille influxus ex parte astrorum ab auctore sanctissimo naturæ, & eorumdem astrorum est ab bonum; recipitur in subjecto infecto per originale peccatum, & hìnc per abusum applicatur ad malum, & fraudes.

Adde nationem propensam ad *Venerem*, sicut & individuum; at à constellatione illa inclinatio est ad bonum, nempe ad honestam, & debitè propagationem generis humani, ad conservationem humanæ speciei, & ut generentur veri Dei cultores; ideòque in subjecto rationali, in quo recipitur talis influxus, talis solùm honestus debet esse finis; at quià subjectum est vitiatum per Originale peccatum, & in eo ex hoc est fomes peccati, resultat inclinatio ad abusum, sive abuti illà speciali constellatione, & applicatur homo effrœnis ad malum.

Eccè quomodo cohæret, quòd sint *propensiones* ad vitia *communes* toti generi humano, *& aliæ speciales* alicui nationi, vel individuo, & tamen *illæ*, & *istæ*, & sicut *illæ*, ità *istæ* non deriventur ab astris *per se*, & ex natura horum, sed à subjecto infecto, in quo imprimūtur influxus, ideòque nec astra, nec eorum influxus sint *per se* dispositio *communis*, nec *specialis* ad vitia, sed *per accidens*, & ex alio capite, nempè quià in subjecto *corrupto* per peccatum Originale vitiantur; ut ideò dexterè dicat Paulus, *Omnis creatura ingemiscit*, *& parturit usque adhùc*; cur? quià creata est à Deo, ut serviret *honestati*, & cogitur à nostra voluntate liberè deficiente, ut serviat *vanitati*.

At quanvis ex naturà vitiatà per peccatum Originale, & ex influxu astrorum (non *per se*, nec ex naturà eorum) *vitiato* per naturam vitiatam, sint propensiones ad vitia, & dispositiones, & inchoationes vitii remotæ, tamen istæ non cogunt, nec necessitant nostram libertatem, quià ope Dei, & frœno rectæ rationis possunt liberè reprimi; & quià possunt reprimi, ideò si non reprimantur, tùnc est peccatum, seu vitium.

Ex his patet contrà sententiam Galeni; quando enim dicit, quòd *mores sequuntur temperamentum corporis*, vel loquitur de temperamento ut affecto influxu cœlesti, quod est idem ac complexio influentià cœlesti affecta, & sic manet impugnatus ex dictis, quantum ad *mores malos*; vel loquitur de *temperamento in se*, & ex terminis temperamenti, & ut sic dicendum consequentèr, quòd temperamentum ex terminis temperamenti, & ut datum à Deo non inchoat vitia, nec propendit ad ea, sed quatenùs est in subjecto infecto per Originale peccatum; nam si non peccasset Adam, temperamentum idem esset ex quatuor primis qualitatibus, & tamen nos non propenderet ad vitia. Ergo non ex temperamento specificativè, sive ex terminis temperamenti, sed ex ipso *ut vitiato* venit, quòd sit ad vitia propensio.

At & illa propensio ex temperamento *ut vitiato* per Originale peccatum, quià est in naturà vitiatà per id, non propendit, non inclinat ad vitia

necessitando libertatem, & cogendo; sed in nostrâ liberâ potestate est, Dei ope, talem inclinationem comprimere, refrœnare, domare, subjicere. An non vides Sanctum Ludovicum Beltranum? erat temperamenti melancholici, & sanctus. Recolis D. Vincentium Ferrerium, & Divum Pasqualem Bailon? erant temperamenti sanguinei, & læti, & sancti sunt. Recolis Eliam? erat temperamenti biliosi, claudebat nubes, fulminabat idolatras sanctâ irâ, & zelo; temperamentum remotè disposuit, & sanctus fuit Propheta. Recolas alios temperamenti mitis, & phlegmatici; & sancti fuerunt; ergo cur tuæ libertatis crimina temperamentis attribuas?

Temperamentum in tuâ naturâ vitiatâ per originalem culpam est vitiatum? corrigere in tuâ potestate (Deo auxiliante) est; *Sapiens dominabitur astris*; quicumque influxus sit, quodcumque temperamentum, etiàm adversum, quiâ vitiatum, virtute domatur.

Mores ut plurimùm sequuntur temperamentum corporis vitiatum, quia *ut plurimum* labimur in ea, ad quæ temperamentum vitiatum propendit; at non sequuntur *necessariò*. Vir continens oppositæ propensioni temperamenti vitiati vim infert, & (Dei ope) triumphat. Quot ex veteribus, quot ex sociis reflectimus, qui à virtute ad vitium, à vitio ad virtutem (retento antiquo temperamento) transierunt? ergo temperamentum non necessitat. Alias rationes, unde colligitur, *vitia* quoad *entitatem* esse nobis libera, videas in Aristotele lib. 2. Ethicorum, cap. 1.

Ecce cur Physiognomici pluriès conjiciunt nostros mores; nam ex vultu, figuris, & aliis notis, sive signis certò deprehendunt temperamentum (nempe vitiatum ab originali peccato, licèt ipsi hoc non reflectant, nec sciant, quiâ ignari) cujusque, & propensionem ad varias passiones, sive perturbationes animi, inde derivatam; & quia ut plurimùm sequimur nostrum temperamentum vitiatum à naturâ vitiatâ, ideo sæpè sine errore conjiciunt, at conjiciunt, suspicari possunt, & per accidens vera dicere; non tamen evidenter inferre, certò, & infallibilitèr, nisi alia concurrant ad notitiam; cur? quiâ virtus vincit temperamentum, & ope Dei libertas nostra contrà propensionem temperamenti (nempè vitiati) est potens agere *liberè*.

Ergo age, vitiose; nolis culpare astra, nolis culpare temperamentum, nolis quærere excusationes in peccatis; nec enim Adam, & Eva, ad excusandum se in Dei judicio, recurrerunt ad *temperamentum*, aut *astra*; illa dixit, *serpens decepit me*; iste se excusavit dicens, *Mulier, quam tradidisti mihi, dedit mihi, & comedi*; stultè se excusabant; at non se excusarunt, recurrendo ad *temperamenta*, vel *astrà*.

Si culpes *astra*, vel *temperamentum*, auctorem eorum DEUM culpas; unt enim agentia *necessaria*, non *libera*; nequeunt agere, & non agere, sicùt agentia libera; agunt, ut Auctor sanctissimus Deus statuit, & instituit; ergo si ea culpes, culpas auctorem; si hoc? ergo apage, blasphemie; contrà te (ubi suprà) AUGUSTINUS fulminat, tonat, clamat.

QUINTA PORTICUS MORALIS

AD PROBATICAM PISCINAM MYSTICÆ SANITATIS.

Ubi IDÆA Quintæ hujus *PORTICUS* lapides *DUODECIM RATIONALIS* in pectore ſummi *SACERDOTIS.*

PROOEMIUM.

QUinarius *numerus literis in ſacris* ad quinque libros legis *ſolet referri ; hùc reſpectant* (*apud Joannem cap. 5. A.*) quinque porticus probaticæ piſcinæ , *at & ad* quinque partes Philoſophiæ Moralis doctrinalis, & ſpeculativæ *etiam accommodari poſſunt; ſunt enim* Porticus, *per quas* (*ſi præcepta Moralia in eis explicata exequaris*) *intrare poteris* in Philoſophiam Moralem practicam, *nempè in exercitia virtutum , quæ ſunt* moralis probatica piſcina, *in quam ſi intres , ſanus eris à quacumque detinearis morali , nempe vitiosà, infirmitate ; ſunt enim virtutes ſanitas animi . Quatuor jàm ereximus* PORTICUS, *nùnc erigenda* QUINTA. *Apud Lucam cap.* 12. G. Quin-

que in domo unà *signant* animam, carnem, appetitum rationalem, concupiscibilem, & irascibilem in homine; *& dividuntur, quæ priùs in malum consentiebant. Virtutum in particulari est effectus, quod* illi quinque *dividantur, ne in domo hominis consentiant* in malum, *& uniantur, ut* concurrant ad bonum; *ideò agendum* de virtutibus in particulari. Duodecim *diximus* virtutes Morales principales, *quas* (*inter alia*) symbolicè *signatas aperiemus* in duodecim lapidibus pretiosis, *qui erant* in quatuor ordinibus rationalis in pectore summi sacerdotis; *In PRIMO ordine erant* sardius, & topazius, & smaragdus. *In SECUNDO* carbunculus, sapphyrus, & jaspis. *In TERTIO* ligurius, achates, & amethystus. *In QUARTO* Chrysolitus, Onychinus, & beryllus, *ut est in Exodo cap.* 28. *& cap.* 39. *Sed cum PRUDENTIA sit* animi lucerna, *incipiamus* à lucernà, *eam accendamus, ne laboremus in tenebris, & ut scribamus cum lumine.*

CAPUT PRIMUM.

De COMMENDATIONE PRUDENTIÆ. Hæc ex lapidibus *Rationalis* in pectore summi sacerdotis *per* CARBUNCULUM. OCULUS, AURUM *symbola* PRUDENTIÆ, pro hac *aliqua* EMBLEMATA.

IN Genesi cap. 2. v. 11. est narratio de quatuor fluminibus paradisi, unus ex illis *Phison*. Sunt verba sacri textus: *Nomen uni PHISON; ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur AURUM; & AURUM terræ illius* OPTIMUM *est; ibi invenitur* BDELLIVM, *& lapis* ONYCHINVS. Dictum (pag. 1215. ex S. P. N. AVGVSTINO) quòd PHISON figurat PRVDENTIAM. *Bdellium* Hebraicè *Bedolach*, quod alii transtulerunt CARBVNCVLVM. At *bdellium*, sive *Carbunculus*, & *Onychinus*, quia inveniũtur in *Phison* fluvio, symbolo Prudentiæ, attinentia *ad Prudentiam* symbolicè signant. Vbi in textu nostræ vulgatæ legitur *Onychinus*, septuaginta transtulerunt *lapis prasinus*, ut ideo in pag. 1215. S. P. Augustinus in Phison vice *Onychini* nominet *prasinum.*

De CARBVNCVLO nùnc loquimur, qui ponebatur in secundo ordine *Rationalis* in pectore Pontificis, ut habetur in Exodo cap. 28. C. & cap. 39. B. Est *Carbunculus* lapis colore *igneus, ac splendidus, vincens tenebras noctis*, qui in Isaia cap. 54. C. dicitur *Phuc*. Hinc multi sensus continentur in Carbunculo; quià enim suo splendore vincit tenebras, signat *veritatem*, quam nulla falsitas vincit; item *Charitatem*; at ad præsens, carbunculus, quia vincit tenebras, signat PRVDENTIAM, cujus lumen tenebras ignorantiæ vincit, & obscura negotia reddit clara. Nihil tam novum, tàm inopinatum affert dies, quod illicò suis consiliis Prudentia non excipiat; ideò etiam symbolum viri prudentis *Luna*, in tenebris clarior; item *noctua*, quæ nocte videt, cui ideò lemma, *in tenebris* clariùs, ad idque indicandum fuit dicata Minervæ hieroglyphico Prudentiæ; hæc more ensis Alexandri nodos Gordianos resolvit.

CARBUNCVLVM symbolum Prudentiæ etiàm explicuit D. Antonius de Padua serm. 1. de *Martyr. Carbunculus, qui fugat tenebras, est prudentia contrà ignorantiam, quià ut dicit Seneca, ipsa portat lucernam ante alias virtutes*. Ideo symbolum Prudentiæ carbunculus, cui inscriptio, TENEBRÆ PROCVL.

Nullum architecto opus felix sine lineà, & perpendiculo, nullum feli-

licitèr gestum tibi sine prudentiâ; illa sunt architecto in factibilibus norma, ista est homini in agibilibus regula.

Oculum symbolum prudentiæ figurarunt Ægyptii in vertice sceptri; ità necessariam putarunt Regi. Pretiosior est prudentia sine doctrinâ, quàm scientia, sive doctrina, sine prudentiâ. Salomon quià sciens prudens in regendo adeptus famæ honores; jurisque prudentiæ auxilio delevit tyrannicas leges Draconis. Prudentia temperat dolores; cujus symbolum *iris*, quæ temperat tristia risu, ideò dicta à Poesi *risus plorantis Olympi*. Prudentia est mentis sanitas, animam servat. Optimum metallorum est aurum, prudentia optima inter virtutes est. Nullus benè utitur equo sine fœno, nullus & utitur benè divitiis, & honoribus, sine prudente consilio; ideò Prudentiæ symbola *aurum, & frænum*; illud quia inter metalla optimum; istud, quia coercens, ne præcipitetur equs. Prudentia à præcipitiis hominem præservat, coercet concupiscibilis, & irascibilis appetitus sensitivi equm. Civitatum munimenta sunt castella, mœnia, armatura, viri fortes, præsidia; Civitatis autem nostræ, constantis corpore, & animà cum potentiis superioribus, & inferioribus, arces & munitiones, sunt cogitationes prudentes. Videre est facile, providere difficile; providere autem Prudentiæ est; prudens non dicit, *Non putavi, sic fore*, quia ut futurum est, prævidet. Quid proficit, post ruinam, *non putabam?* Nec armatura Martis sufficit Civitati sinè Prudentiâ.

Quantò cæteris sensibus præstat *visus*, tantò (ajebat Bion) Prudentia cæteris virtutibus antecellit. Ideò Prudentiam dicas aurigam virtutum. *Mnemosinem* dixerunt Musarum matrem, Prudentiam dicimus matrem virtutum; ipsa librat, & ejus statera medium, in quo consistunt, statuit virtutibus cunctis. Intellectus prælatus est omnibus potentiis animæ, & Prudentia inter omnes virtutes princeps.

Prudentia (dicit Augustinus *ad fratres in Erem.*) *præsentia ordinat, præteritorum recordatur, & futura providet*. Prudentiam præire oportet, sine qua, etiam quæ bona sunt, dilabuntur in importunitatem, & immodestiam.

Rerum exitus prudentia metitur, estque Prudentiæ officium, *ex præteritis, & præsentibus* futura perpendere; ideò via recta, & regia ad felices eventus Prudentia est; qui hanc viam Prudentiæ non capessit, ad regionem, & civitatem felicitatis minimè accedit. *Via quælibet* sine *Prudentiâ* laboriosa, deserta, angusta, saxosa, spinosa est, exposita lupis, ursis, serpentibus, & animalibus feris, id est, adversis effectibus, & innumeris hostibus; tandem ducit in præceps.

Prudens citò deprehendit noxia, agnoscit errores, & ad securitatis portum, amicæque fortunæ littora accedit; imò etiam mala, & adversa convertit in bona; ideò Prudentiæ symbolum *cervus*, qui serpentibus pascitur symbolis noxii; quare cervo in actione vescendi serpentibus lemma. *Vertit in bonum*. Illudque Emblema, in quo figuratur *fasciculus herbarum, & florum salubrium*, serpente, *ut vittâ, ligatus*, addito epigraphe, *Pharmacum ex utrisque*, hùc conspirat, ut innuat Prudentiam, quæ ex salubribus, & noxiis, ex prosperis, & adversis utilitatem non est eruere nescia.

Prudentia ardua vincit, superat more fluminis obstacula, à quibus detinebatur, aquarum copiâ subiicientis, ut ideò sine impedimento fluens, ad centrum optatum accedat; quare flumini sic cooperienti repagula lemma, *Evincit gurgite moles*.

Prudens sola utilia curat; abite, dicit superfluis; *lentè* deliberat, *festinè*

ſtinè exequitur; reſolvit *ſine impetu*, at maturè deliberata, & reſoluta, opere impigrè perficit. Ideò ex Philoſophia ſacrâ Proverb. Prov. cap. 3. *Beatus homo, qui invenit ſapientiam, & qui affluit* PRVDENTIA; *melior eſt acquiſitio ejus negotiatione auri, & argenti primi, & puriſſimi.*

DEFINITIO PRUDENTIÆ. Hujus tres partes integrales præcipuæ *MEMORIA* præteritorum, *COGNITIO* præſentium, *PROVIDENTIA* futurorum, ex *Philoſophiâ morali* hieroglyphicâ *per TRICIPITIA Mercurii*, & Apollinis, *& per JANUM BICIPITEM. Tres partes* potentiales *per PALLADEM TRITONIAM. Item EPICEJA per JASPIDEM.*

S. P. Auguſtinus (lib. 1. de libero arbitrio cap. 13. Tomo 1.) ſic *Prudentiam* definit: *Prudentia eſt appetendarum, & vitandarum rerum ſcientia.* Et in Epiſtola 52. Tomo 2. addit: *Eligere quod diligendum eſt, Prudentia eſt.* Et de Moribus Eccleſiæ, cap. 5. Tomo 1. ſic: *Prudentia eſt amor ea, quibus adjuvatur in Deum ab his, quibus impeditur, ſagaciter eligens.* Et in eodem lib. cap. 24. Ad *Prudentiam dignoſcentia pertinet appetendorum, & vitandorum.* Et in Pſalmo 83. Tomo 8. ſic: *Prudentia dicitur, qua dinoſcimus inter bonum, & malum.* Et lib. 83 Quæſtionum, quæſt. 31. Tomo 4. ſic: Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, *& neutrarum* ſcientia. PARTES *ejus* MEMORIA, INTELLIGENTIA, PROVIDENTIA. MEMORIA *eſt, per quam animus repellit illa, quæ fuerunt.* INTELLIGENTIA, per quam reſpicit ea, quæ ſunt. PROVIDENTIA, *per quam futurum aliquid videtur, antequam factum eſt.* Tandem ex Epiſtola ad Romanos num 49. ait: *Definitio Prudentiæ in appetendis bonis, & vitandis malis explicari ſolet.* Hæc S. Pater.

In quibus explicat, definit, & deſcribit, quæ ſunt de eſſentiâ, & munere *Prudentiæ*; imò aſſignat tres præcipuas partes *integrales* Prudentiæ; nempe MEMORIAM præteritorum, COGNITIONEM præſentium, PROVIDENTIAM futurorum; & includit, & imbibit alias quinque annexas integrales, quæ etiam numerantur partes Prudentiæ, ut infra. Has tres præcipuas prudentiæ partes Philoſophia hieroglyphica ſignavit per Mercurium tricipitem, & per tricipitium Apollinis hieroglyphica *Prudentiæ*; & per Janum bicipitem, quia vir prudens quaſi uno vultu averſo reſpicit præterita; alio anteriori præſentia, & futura. Vide pag. 77. & 179. & 181.

Partes *integrales Prudentiæ* numerantur ex D. Thoma OCTO, nempe *intelligentia, memoria, ſolertia, docilitas, ratio, providentia, circumſpectio, & cautio*; tot enim ad rectè conſultandum requiruntur animi diſpoſitiones.

Species, ſive partes *ſubjectivæ*, quas ſub ſe continet Prudentia in genere, ſunt tres. Prudentia *privata*, qua quis propriam perſonam regulat; *œconomica*, qua regit familiam; *Politica*, qua guvernet Civitates, & regna.

Partes aliæ tres *potentiales* numerantur, & quæ ancillantur ipſi, nempe *Eubulia*, *Syneſis*, & *Gnome*; prima ſubminiſtrat prudentiæ conſilium *lucidum*, & *bonum*; ſecunda ſubminiſtrat judicium *certum*; tertia eſt vis illa intellectualis, quæ judicat, *non ſecundùm legem*, ſed *ſecundùm rationem naturalem*, quæ *hìc*, & *nùnc* dictat, diſpenſandum eſſe in lege communi, & per hanc regulatur *Epicceia*, quæ eſt ſpecies juſtitiæ vetans, legem im-

pleri *in aliquo casu*; quare *Synesis* ministrat Prudentiæ judicium *secundùm leges communes*; at *Gnome* dictat *secundùm rationem naturalem* contrà ipsas, ut sonant, leges; licèt in re non sit contra legem, quia interpretatur recta ratio, quòd non fuerit voluntas legislatoris, *in tali*, vel *tali* casu legem latam impleri. Legislator enim justa, & lex justa solùm intendunt bonum, nec à providentià humanà possunt prævideri in individuo omnes futuri eventus; quarè si posteà contingat casus, in quo sit inconveniens executio legis, nec est contrà legem, nec contra voluntatem legislatoris, quòd ut conveniens fiat, non sit standum (ut sonat) legi. Lex jubet depositum reddi ei, qui depositum fecit; pone casum, quòd ille reddatur inimicus patriæ, tunc ratio naturalis dictat, quòd ei non reddatur depositum. Jubet lex, gladium Petri reddi Petro; iste quando furiosus petit, dictat ratio naturalis, quòd *tùnc* non reddatur Petro, ad vitandum homicidii eventum. Ideò per *Gnome* regulatur *Epicceja*, & hæc signatur symbolicè per *jaspidem*, qui dicitur valere contrà phantasmata; quare Epiccejam signat, quæ vana phantasmata curat, ne trepides timore, ubi non est timor; & hìc lapis erat in secundo ordine rationalis in pectore summi Pontificis, ut est in Exodo cap. 28. C.

Aptè *Eubulia*, *Synesis*, *Gnome* numerantur tres partes *potentiales* Prudentiæ, quia licèt non sint partes *essentiales*, nec *integrales*, nec *subjectivæ*, sunt tamen *potestates*, sive vires, & facultates, cum quibus Prudentia operatur, & dant *potentiam*, unde potentiales dicuntur; nam sine judicio *lucido*, sive bono, & *certo* de agibili, quomodo Prudentia possit agere rectè? at primum dat *Eubulia*, secundum *Synesis*; item quomodo aget rectè sine *Gnome*? hæc est vis judicans *secundùm rationem naturalem*, *hic*, *& nùnc* in tali casu, vel tali non esse standum legi, sed rectæ rationi; at sine hoc lumine, quomodo quis semper possit agere rectè?

Aliis terminis: *Eubulia* consultat *benè*; *Synesis* judicat *rectè*, *Gnome* judicat, quando oporteat stare *legi*, vel *rectæ rationi* contra communem legem.

Aliter: Eubulia, ut ipsa vox Græca sonat, est habitus, quo redditur intellectus idoneus ad rectè consultandum, & deliberandum, & inquirit media, seu præsidia decentia, & idonea ad assequendum finem. *Synesis* judicat, quæ ab Eubulia sunt perquisita, & de inquisitis, sive inventis ab Eubilia judicium fert. *Gnome* judicat juxtà mentem, & voluntatem legislatoris contra corticem legis scriptæ quæ non expressit omnes casus, in quibus obligat, cum ii sint sine numero; nec lex ideò potuit ferri in universum ità, ut propter varietatem locorum, temporum, & personarum, non patiatur exceptionem, saltem semel, aut iterum. Ideò solet definiri *Gnome*, sic: *Est virtus benè judicandi præter communia morum principia.* Additur, quod sit & ejusdem munus *rectè præcipere*, aut præscribere, qua ratione mediis, quæ judicata sunt optima, utamur, & ea constantèr exequamur.

Itaque Eubuliæ est judicare an sit finis honestus ille, qui intendatur; si inveniatur honestus, consultare de mediis licitis, & ideo dicitur, quòd est vis consultandi *bene* ad finem, & ex eis eligere meliora. Factà istà consultatione, *Synesis* judicat de illis mediis judicatis optimis, an optima sint, quare est quædam reflexio suprà id, quod Eubulia proposuit. Si Synesis recto judicio approbat, accedit *Gnome*, vel ad judicandum, si ratio naturalis impediat executionem, vel si non sit inconveniens, ut sit executio optimi consultati, & judicati prompta.

Hìnc constat, quam maturè sit deliberandum, & consultandum, priùsquàm aliquid agas; & postquàm maturè sit consultatum, deliberatum,

& re-

& rectè judicatum, impigrè esse exequendum : An relatæ non sint partes potestativæ Prudentiæ ? Relatas tres partes *potentiales* Prudentiæ indicat *Tritonia* Pallas. Cur Pallas dicta *Tritonia* ? ad indicandum, quòd si sub nomine *Palladis* intelligitur *Prudentia*, tres sunt Prudentiæ partes, nempè *benè consulere*, ad quod expedit Eubulia; *rectè judicare*, quod expedit Synesis; *justè agere*, quod expedit Gnome; & ideò triangularis figura, ad id indicandum, dicata Palladi. Hæc alludendo ad partes *potestativas*, sive potentiales Prudentiæ; alludendo enìm ad tres principales *integrales* Prudentiæ, *memoriam præteritorum*, *cognitionem præsentium*, & *providentiam futurorum*, etiàm ex hoc capite potuit dici *Tritonia*, & triangularis ipsi dicari figura.

At omnia ista (ne in præcisionibus immoremur) dicas munera Prudentiæ. Versatur Prudentia in medio inter stoliditatem, sive ignorantiam, quæ est vitium per *defectum*, & inter vafram astutiam, cum per illicita media, dolis, & fraudibus finem intendis. Etiam per defectum opponitur Prudentiæ, quod opponitur partibus relatis ipsius, nempe agere sine consilio, sine judicio, sine cautione, sine circunspectione, præcipitantèr, &c. Per excessum etiam opponitur Prudentiæ virtuosæ prudentia carnis, quæ ultimum finem constituit in corporis bonis, & in nimio affectu bonorum terrestrium. Itaque apponam, quomodo in agilibus te geras.

REGULA pro agibilibus humanis.

QVodlibet agibile intendas, finis sit justus, & rectus; nihil illicitum, aut injustum intendas; & in hoc sit matura reflexio.

Posteà (etiam si *debitè* intendas) non statìm ad opus exeas; sed consulta, & prævide maturè media ad talem finem, & quæ optima ex illis. Vt autem hoc habeas, multæ reflexiones præcedant; sit tibi *memoria præteritorum*, *cognitio præsentium*, *providentia futurorum*.

Recordare eorum, quæ fuerunt, vel tibi contigerunt, vel aliis, quæ media nocuerunt, vel fines, fugias. Quæ agenda sunt, actis cohærent. *Cognosce præsentia*, & vide si status rerum præsentium faveat, vel obstet. *Provide*, id est, vide, quæ sunt procùl, sive prævide, ut possis, futura, & quid possit emanare propitii, vel adversi ex operatione tuà.

Memoriam præteritorum monet Ecclesiasticus cap. 1. *Memento*; *quæ antè te fuerunt*; nam hìnc inferes, quid profuit, vel nocuit, ut discas ex præteritis. Si *præsentia* non reflectas, temerè intendes. Si non *prævideas* futurum, quod possit resultare, ibis facilè in præceps; ideò providus Tobias (cap. 8.) dixit Azariæ, *si me ipsum tradam tibi servum*, *non ero condignus providentiæ tuæ*; & in Deuteronomio, cap. 32. *utinam saperent*, *& intelligerent*; *ac novissima providerent*. Item sit tibi *Circumspectio*, qua reflectas circunstantias *temporis*, *loci*, *& personarum*; ut enim intendas etiam justa agibilia humana, non semper est tempus. Non sufficit, tibi jus favere; oportet, te habere justitiam, scire explicare, & aperire justitiam, & quòd sit, qui tuam audiat, & attendat justitiam, & adsint sufficientia media, ut assequaris justitiam. Si tale tempus non faveat, expecta tempus. Si Judex sit corruptibilis muneribus, vel passione, vel amore, vel personarum acceptatione, quid tu sine his intendas? tùnc cum potentiori ne contendas, expecta tempus, quo sit debitus Judex.

Cautionem adhibeas, cautè procedas. Sis *solers*, sollicitus, & (quantum possis) secretus. *Ratiotinando* conferas, & inferas. Quòd si his actis, non invenias aliquid, quod vel finem prohibeat, vel agibile impediat, transeas

ſeas ad conſideranda media congrua finis aſſecutioni ; ex mediis illis reflecte, quæ abſolutè, & in tali circunſtantiâ ſint meliora, & optima; poſteà iterùm judicium facias de illis putatis optimis, an verè ſint ità ; ſi verè dubites, conſule ſapientes, ſis *docilis*, nam docilitas eſt indoles Prudentiæ; acquieſce meliori conſilio alieno ; at vide, quem eligas conſiliarium, ne fortè eligas contrarium. Si benè conſultaſti,& deliberaſti, feſtina exequendo,ne fortè ſit periculum in morâ; ſi tamen nova circunſtantia non impediat.

Ergo in quolibet negotio agibili reflecte omnes circunſtantias, naturam, & conditionem, quibus rationibus, & viis adjuvari poſſit, & quibus impediri ; alitèr temerè ages, audi Sacrum Proverbium (Proverb.cap.3.) *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.*

Aliquando multæ viæ, & rationes, & media tibi occurrent ad expeditionem negotii ; at non rarò talis ubertas provenit ex infirmitate judicii, cui ideò etiam ardua proponuntur facilia; ideò repetita reflexio requiritur.

Duo ſunt maximè præcipua, in quibus privata, ſive pro perſonâ propriâ, Prudentia verſatur ; primò eligere optimum ſtatum, ſive genus vitæ; ſecundò in tali ſtatu debitè, & rectè agere. O quot errores in electione ſtatus, cui minimè ſis aptus, vel quia ingenio, vel quia viribus, vel quià inclinatione cares! Hæc magis aperientur ex infrà dicendis.

SYMBOLA, & EMBLEMATA attinentia *ad PRUDENTIAM* privatam *pro* regimine perſonali.

FIli ; quando ſunt inimici, noli vagari ; *thynnus* piſcis non vagatur tempore hyemis, verno tempore *thynni* vagantur, & gregatim ; hinc cum hyems ſit ſymbolum temporis adverſi, ver autem propitii, quid indicatur, ſymbolicè, niſi tempore adverſo conſiſtere in receſſu ?

Sis Prudens, nam vir prudens diſcernit pretioſum à vili ; cujus ideo turbo vitreus in igne eſt index, cum epigraphe ex Iſaia cap.15.v.19.*Pretioſum à vili*, id eſt, diſtinguit.

Vir ſi prudens, & ſapiens ubique benè ſe habet, cujus ideò ſymbolum *rana*, quæ vivit ſuprà terram, & etiàm in aquis; ideò ranæ figuratæ lemma, *Mihi terra,lacuſque*. Homini ingenuo totus orbis eſt patria.

Loquaris, at tempore opportuno,& opportuno tempore ſileas; hoc viri eſt prudentis, horologii rotarum more, quod ſi benè organicum, quando oportet, ſonat ; quando non eſt tempus, aut hora, ſilet. Horologium non ſine pondere ſonat ; ſonet vox tua, at Prudentiæ pondere.

Accomoda te tempori ; diſcas ab erinaceo, qui duas portas habet in caveà ; rigente Boreà, claudit iſtam, & aperit Auſtralem ; ardente Auſtro, claudit Auſtralem, & aperit illam, quæ opponitur Aquiloni ; auguratur tempus, tempori ſe accommodat; ſervire tempori regnare eſt.

Expecta tempus, quando non ſint hoſtes, vel contrarii ; diſcas à moro ſymbolo Prudentiæ, dicitur morus à morando, florem non explicat, niſi inimico frigore elapſo, quando ver amicum, & auxilians favet.

Cede tempori adverſo, & potentiæ; quià enim ſalices flectuntur, non franguntur. Juncus eſt levis, & non frangitur adverſo vento, quià cedit ; cupreſſus reſiſtit, frangitur. Cum potentiori ne contendas.

Onera ſola ſuſcipias, viribus *congrua* ; camelus non patitur onerari, pluſquàm ſuſtinere poſſit ; experire priùs tuas vires more paſſeris, qui volat circà littora maris, priuſquàm volatum ad mare arripiat ; alitèr cades præceps more Phaetontis, & Icari ; de his fuit figmentum, at ad morale documentum. Aquila tenens prædam inter ungues, at

non totalitèr elevata ad volatum, probat, an volans sustinere possit. Biantis fuit consilium, *considera, & posteà rem aggredere*. Sume tuis viribus æquum; formica susceptura pondus, priùs an congruat viribus, tentat.

Cogita *præterita*, ut inferas *futura*; vide, quomodo serpens, Prudentiæ symbolum, formans circulum, caudam ore tenet. Item cauda est finis; ergo tu in agibilibus *respice* finem, ne finis sit infelix. Vide Janum duplici facie, cui lemma, *Non illi altera fatis*; vel *antè, retroque*. Serpens *amphisbena* duo habet capita, unum annexum collo, aliud extremitati caudæ; unde Emblema cum epigraphe, *retrorsùm aspicit*.

Aguosce *opportunitatem, & arripe*; nam Occasio figuratur capillata à fronte, à tergo calva; si venientem non arripias, evanuit. Alcion, nidificatura in littore maris, tempus opportunum prænoscit, nidificat in hyeme, & cubat, et quando tempus opportunum agnoscit, quando cadunt ventorum procellæ, & flatus aurarum quiescunt, & placidum est mare; cum est adversitas, expectat; cum est maris tuta tranquillitas, opportunitatem arripit cum solertià.

Sis semper reflexus, discas à *testudine*, quæ intrà se manet, ut sit secura. Hæc est Prudentia, cujus symbolum anchora contrà procellas.

Fugias noxia, & pericula; ab hirundine discas, quæ volant ad temperata loca, cum hyems adversa imminet. Dum imminent pericula, vola.

Maturè consulta, maturè consultata, & deliberata veloci executione adimpleas; in monetà Q. Titi videas figuratum Pegasum; ex alia parte caput ipsius barbatum, & alatum; cur *barbatum*? ad indicandum maturum consilium. Cur *alatam*? ad innuendam velocem executionem conspirat.

Ergo in operando non sis præceps; sed *festina lentè*; id est, *lentè* delibera, optimè deliberata *festinantèr* exequere. In monetis antiquis vide delphinum alligatum anchoræ; hæc indicat pondus, & quietem; ille est symbolum velocitatis; ergo hæc duo socia habeas, pondus prudentiæ, ut quietè consultes, & deliberes; at velocitatem delphini, ut optimè consiliatà festinanter exerceas.

Accomoda te loco, & circunstantiis, more bovis marini, qui omnium locorum, vicinorum ipsi, accipit colorem; cui lemma, quo fit Emblema, *Sapiens non se mutat, sed aptat*. Nix apparet in Armenia rubra; est alba, sed rubro se accommodat territorio.

Cautè age; ideò Vlysses effingitur cerà obturans aures, ne audiret cantus Sirenum; cui sic figurato lemma, *Ne læderet cantus*; quà cautione effingitur à Poesi vitasse stragem. Ideò nec nimìs fidere, nec nimìs diffidere ad *cautionem* attinet; cujus rei symbolum *vulpes*, quæ ut pertranseat gelu condensatum flumen, priùs applicat aurem; si audiat susurrum aquæ labentis, non transit, quià infert, gelu esse tenue, & mergendam facilè; si non audiat murmur fluentis aquæ, infert, gelu esse solidum, & posse transire sine periculo naufragii; ideò *vulpi* figuratæ in actione applicandi ad flumen gelidum aurem, datum lemma, *Fide, diffide*; indicatur *cautio*.

Nihil exequaris sine prævìis mediis ad securitatem; nam & *grues* volatura se prævenit cum lapide, sive lapillo inter unius pedis ungues, ne illo pondere facilè impediatur à vento; cui ideò lemma, ut fiat Emblema, *non sine pondere*.

Inter inimicos sileat lingua, obtura os; imò si sint, silentiosè (ne audiant, & irruant) incedas, nam anseres volaturi per montem Taurum, ubi abundant rapaces Aquilæ, ne dilanientur, noctem expectant, & ne etiam per inadvertentiam clangorem innatum emittant, ex quo ab Aquilis audiantur, lapidem ponunt in ore, qua cautione, & providentia, & solertià, à naturà dictatis, incolumes volant.

Cum

Cum grues quiescunt, una vigilat cum lapillo inter ungues unius elevati pedis; hac incommoditate ne dormiat; & si somnus prævalet, rumor lapilli cadentis eam excitet è somno; si inimicos sentiat, voce excitat cæteras, ut volent, & periculum vitent; discè à gruibus, & anseribus *cautè* vivere, ne te occupent hostes.

Sustine, abstine, ne quid nimis; patientèr simula.

SPECULUM SALOMONICUM pro privato prudentiali regimine; ex PROVERBIIS, & ECCLESIASTICO, & ex *parabolicà* sacrà.

IN libro sacro Proverbiorum Salomonis habes præcepta, & normam pro prudente regimine tuæ personæ, sive privato. Illìc videas, aliqua *præcipua* transferam.

Ne obliviscaris legis Dei, & præcepta ejus cor tuum custodiat. Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, tu & ipse benefac. Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, cras dabo tibi, cum statìm possis dare. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. Ne contendas adversùs hominem frustrà, cum ipse nihil tibi mali fecerit. Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. Possìde sapientiam, possìde prudentiam. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Vade, opiger, ad formicam, considera vias ejus, & disce sapientiam; parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.

Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus, *Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innocentium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordias.* Non affliget Dominus fame animam justi, & insidias impiorum subvertet.

Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur spiritus. Melius est parum cum justitiâ, quàm multum fructus cum iniquitate. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? Noli laborare, ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Qui operit odium fraudulentèr, revelabitur malitia ejus in consilio. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Ne comedas cum homine invido, & ne desideres cibos ejus, quoniam in similitudinem arioli, & conjectoris æstimat, quod ignorat; comede, & bibe, dicet tibi, & mens ejus non est tecum; cibos, quos comederas, evomes, & perdes pulchros sermones tuos. Ne respondeas stulto juxtà stultitiam suam, ne efficiaris similis. Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis. Meliùs est vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum saginatum cum odio. Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni, & insatiabiles.

Qui ambulat fraudulentèr, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. *Hæc ex Proverbiis sacris* pro privato prudente regimine. Nùnc ex *Ecclesiastico*. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.

Multi pacifici sint tibi, & consiliarius unus de mille. Si possides *amicum*, in tentatione possìde eum (*id est proba, experire*) & ne facilè credas ei; est enim amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis; & est amicus, qui convertitur ad inimicitiam; & est amicus, qui odium, & rixam, & convitia denudabit. Est autem amicus socius mensæ (*hìnc cautè te geras cum eis, quos putas amicos*) & non permanebit in die ne-

ceſſitatis. Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende. Amico fideli nulla eſt comparatio. Ne derelinquas amicum antiquum, novus enìm non erit ſimilis illi.

Cum *audace* non eas in viâ, ne fortè gravet mala ſua in te. Cum *iracundo* non facias rixam, & cum *audace* non eas in deſertum.

Cum *fatuis* conſilium non habeas. Noli fœnerari homini *fortiori* te, quòd ſi fœneraveris, quaſi perditum habe. Coràm *extraneo* ne facias conſilium; neſcis enim, quid pariet.

Non omni homini cortuum manifeſtes. Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem.

Adoleſcens loquere in tuâ causâ vix; ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum; in multis ſta quaſi inſcius, & audi tacens ſimùl, & quærens; in medio magnatorum non præſumas, & ubi ſunt ſenes, non multum loquaris. Ne laudes virum in ſpecie ſuâ, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. In veſtitu ne glorieris unquam.

Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam; & cum interrogaveris, corripe juſtè. Ne in multis ſint actus tui. A ſcintillâ unâ augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis.

Attende tibi *à peſtifero*, fabricat enìm mala.

Non credas inimico tuo in æternum; ſicut enim æramentum æruginat nequitia ejus; & ſi humiliatus, vadat curvus, adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo; non ſtatuas illum penès te, nec ſedeat ad dexteram tuam, ne fortè converſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam; unà horà tecum permanebit, ſi autem declinaveris, non ſupportabit. In labiis ſuis indulcatur inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubvertat te infoveam. In oculis ſuis lachrymatur inimicus, & ſi invenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine; & ſi incurrerint tibi mala, invenies eum illìc priorem.

Ditiori te ne ſocius fueris; quid communicabit cacabus ad ollam? quando enìm ſe colliſerint, confringetur; dives injuſtè egit, & fremet, pauper autem læſſus tacebit; ſi largitus fueris, aſſumet te, & ſi non habueris, derelinquet te; ſi habes convivet tecum, & evacuabit te, & iple non dolebit ſuper te. Si neceſſarius illi fueris, ſupplantabit te, & ſubridens ſpem dabit narrans tibi bona, & dicet, *Quid opus eſt tibi?* & confundet te in cibis ſuis, donec te exinaniat bis, & ter, & in noviſſimo deridebit te, & poſteà videns derelinquet te, & caput ſuum movebit ad te.

Longè abeſto ab homine, habente *poteſtatem occidendi*, & non ſuſpicaberis timorem mortis; & ſi acceſſeris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. Terribilis eſt in Civitate ſuâ homo linguoſus, & temerarius in verbo ſuo odibilis erit.

Amico, & inimico tuo noli narrare ſenſum tuum; & ſi eſt tibi delictum, noli denudare.

Audiſti verbum adversùs proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quòd non te diſrumpet. Fatuo non erit amicus; & ex ore fatui reprobatur parabola, non enìm illam dicit in tempore ſuo.

Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam. Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem. Honora medicum propter neceſſitatem. *Hæc Salomon.*

Hoc *Salomonicum ſpeculum* ſi reflectas, in ipſo *Prudentiam* videbis; figuratur Prudentia cum *ſpeculo* in manu, ut indicetur, tanquàm *in ſpeculo* eſſe prævidendas noſtras actiones, & componendas, ut ſint honeſtè cultæ, & priuſquam ad opus, & ad publicum transferantur; imò ipſa Prudentia eſt *ſpeculum*, in quo intueri debeamus actiones; at prædicta Salomonica do-

cu-

cumenta pro regimine prudente privato sunt lucidissimum *speculum*.

Sed in *Parabolis* Salvatoris apud Evangelistas (præter alios sublimes sensus) etiam regimen *prudens* invenies pro personâ. In Parabolâ vineæ componitur, quòd Pater familias plantavit vineam, locavit agricolis; misit servos ad illos, ut solverent debitum; agricolæ ex servis alios lapidant, alios occidunt; aufertur ab eis vinea; non egissent *imprudentèr*, si prævidissent *finem*. In Parabolâ decem virginum *quinque* dicuntur *prudentes*, quià fuerunt *providæ*; aliæ *quinque fatuæ*, quia non præviderunt *finem*, & negligentes non præ venerunt oleum, ut lampades arderent. Ergo sis *providus, respice finem*, nam ad hoc indicandum, figuratur calvariam tenens in manu, & illam fixè respiciens, aliud Prudentiæ symbolum.

SYMBOLA PYTHAGORICA pro PRUDENTE regimine *PRIVATO*, *sivè personæ*.

NOlis facilitèr, sine maturo examine, aliquem assumere ad amicitiam; ideò Proverbium, *Non cuivis porrigenda dextra*; hoc enim est amicitiæ symbolum, & Pythagoras: *Dextra cuique non injicienda.*

Caveas à servitute durâ; annulus fuit servitutis symbolum; ideò Pythagoras, *Annulum arctum ne gestato*. Alii volunt, indicasse rationem victus habendam, at non parsimoniam nimis adstrictam.

Amicitiam ne dissolvas; ideò Pythagoras, *Panis non frangendus.*

Recta, & justa proferas, gressus tui à viâ rectâ rationis ne recedant; ideò Pythag. *Rectus pes promovendus*.

Si voluptati impuræ consensisti, caveas divulgare; sis castus. Si non castus, sis cautus; ideò Pyth. *Ollæ vestigium in cinere confundendum*; corpus humanum voluptuosum instar ollæ ferventis dicas.

Homines mutabiles, & solùm socios in prosperis, ad amicitiam ne admittas; ideò Pythag. *Sub eodem tecto hirundines non habendæ*; nam istæ sunt sociæ tempore *veris* symbolo prosperitatis, & recedunt tempore hyemis symbolo adversitatis.

Constitutiones, & statuta publica serva; ideò Pyth. *Extrà publicam viam non eundum*.

Justè, & prudentèr agas, & loquaris; ideò Pyth. *sal apponendum*; sal est symbolum prudentiæ, quià sicut ille à corruptione, ista à multis malis præservat, & est conversationis jucundum condimentum.

Sis parato animo ad prospera, & adversa, ideò Pyth. *strumenta semper habenda colligata*.

Nolis spernere abjectos; ideò Pyth. *In superfluis capillorum, unguinque segmentis non mejendum*.

Iracundiam reprime; ideò Pyth *Gladius acutus seponendus.*

Curas mordaces abigas, ideò Pythag *Cor non comedendum.*

Otium fugias; ideò Pyth. *Super modio non consistendum*.

Nolis transgredi rationem, & legem; ideò Pyth. *stateram, & jugum non transilienda*; illa est symbolum rectæ rationis, istud legis.

Nolis perturbare proximum; ideò Pythag. *Oleo sedes non maculanda*; est enim sedes symbolum quietis; si oleo maculetur, impeditur quies.

Ut aliis prædices, & alios corrigas, sis purus; ideò Pythag. *Lyra illotis manibus non attigenda*.

Scientiam, vel artem, quibus te applices, radicitùs intelligas; ideò Pyth. *In poculi fundo residuum non relinquendum*.

Apud

Apud ignaros pretiosa verba, & conceptus ingeniosos ne proferas; ideò Pyth. *Apud quadrupedem poema* non canendum.

Aliena ne rapias; ideò Pyth. *sudorem ferro abstergere, tetrum facinus*; horridum enim est, vi, aut ferro læthali rapere, quæ alter acquisivit sudore.

Consulta cum sapiente; ideò Pyth. *In solitudine sine baculo non ambulandum*.

Pro reclarâ, & conspicuâ, rationes adducere superfluum; ideò Pyth. *Sole collucente*, ignem *deferre nefas*.

Ne ponas unà simùl omnes opes in discrimen; ideò Pyth. *Integer fasciculus in igne non apponendus*.

Si quæ incœperis, experiaris noxia, desiste; ideò Pyth. *Pede in limine illiso retrocedendum*.

De supremis viris ne loquaris temerè; ideò Pythag. *In astrum nunquam est digitus intendendus*. Etiam indicatur, quòd altiora te ne quæsieris.

Negotia, quorum turpia sunt principia, non prosequenda; ideò Pyth. *Offensà invellibulis obscœnà vetulà, non egrediendum*. Item indicat, pericula cavenda.

Prudentia, scientia bona, & sapientia sunt præferenda; ideò Pyth. *Lumen post caput appensum detinere, flagitium*; illarum enim symbolum lumen est.

Vivendum ex legitimè acquisito, & non viis fraudulentis; ideò Pyth. *Sinistrà manu sumere cibum, nefas*.

Caveas, ubi nescias, & ab eis, quos non cognoscas; ideò Pyth. *Noctu in tenebris ambulanti, cavendum*.

Res caducas nimis ne appetas; ideò Pyth. *Facies influvio non labanda, vel spectanda*; aquæ enim, quia labiles, & fugitivæ, bonorum sensibilium sunt symbola.

Hominis memoriam, & laudem lacerare nolis, ideò Pyth. *Hominum vestigia ferro non configenda*; vestigium enim est symbolum memoriæ, quæ remanet ex homine, qui defunctus jam abiit; innuit, Non esse malè dicendum de mortuis.

Stolidis, & ignaris hominibus non committendæ sapientiæ laudes; item stolidi, & incapaces non applicandi ad literas; ideò Pyth. *Candela ad parietem non applicanda*; candela est symbolum sapientiæ, & studii; paries est symbolum incapacis, & stulti. Item innuit, lucida negotia, & honores, & dignitates, non committi ineptis, & indignis.

In rebus agendis sis cautus, & diligens, acta memoritèr retine; ideò Pyth. *Egredienti è laribus synciput, redeunti occiput scalpendum*; est enim actio naturalis ad discurrendum scalpere synciput, at occiput ad excitandam memoriam, vel egrediens è domo, vide obvia; ingrediens respice retrorsum, si fortè sequatur hostis.

Dum levibus hominibus, & mobilibus nolis amicitiam contrahere, nec eis secreta revelare; & hùc Pyth. *In arundineto non confabulandum*; est enim arundo symbolum animi levis, & facilè mobilis, quia vacua, & quolibet vento movetur.

Qui habes escam hodie, ne sis incurius de crastinâ; sis rationaliter (at non nimis, & immodicè) providus; hùc Pyth. *Chœnici ne infideas*, erat chœnix diurna esca.

Nihil agas, quod tibi ruborem causare possit, quia malum; ideò Pyth. *Rubrum aliquid non suscipiendum*; item indicat, nimis verecundos ex animo demisso fugiendos in omni negotio.

Falsa pro veris non amplectaris; hùc Pyth. *Ad lucernæ lumen speculum*

lum non inſpectandum ; in lucernâ enim accensâ eſt lux vera ; in ſpeculo non vera, ſola imago.

Actiones honeſtæ primo loco collocandæ, inutiles relinquendæ ; hùc Pyth. *In calceum dextrum præmittendum pedem, in podomphum, ſiniſtrum.*

Pudor,& verecundia ſerventur,nihil indecens agas;hùc Pyth. *Adversùs ſolem non mejendum*. Item indicat coràm Principe reverentiam, nil eructare indecens contrà ipſum, nam de Principe, aut *benè*, aut *nihil* loqui.

Curis nimiis nolis torqueri, nec in re planà dubiis vexari ; hùc Pyth. *ligna in viâ non ſecanda.* Item indicat, quòd nolis publicæ utilitati obſtare.

Leges, & decreta Reipublicæ, & Principis nolis violare, nec crimen læſſæ majeſtatis committere;hùc Pyth.*Corona non decerpenda.*Incapaci nolis dicere pretioſa ſcientifica ; hùc Pyth. *Cibum ne immitas in metellam.*

Hæc ex Pythagora pro regimine prudente privato, ſive peronæ. Symbola Pythagorica videas à pag. *355.* aliqua ſunt explicata in diſcurſu operis, alia nunc, alia non nimis ſunt obſcura.

CAPUT II.

De JUSTITIA ; ſignificata per HYACINTHUM in rationali ſummi Pontificis. Lux, FONS, VIRGA RECTA, & plura *juſtitiæ SYMBOLA, & EMBLEMATA.*

JUſtitiæ nomine poteſt intelligi omnium virtutum complexio ; in quo ſenſu (Pſalmo 92.) *juſtus ut palma florebit*. Et Eccleſ. cap. 30. *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ,& melior eſt omni auro,& argento.* Et sìc quævis virtus eſt juſtitiæ pars.

At nùnc accipitur juſtitia, ut eſt virtus particularis, qua redditur unicuique jus ſuum ad æqualitatem.

Eſt & juſtitia *legalis*, reſpiciens bonum commune Reipublicæ.

Juſtitia, ut eſt virtus reddens unicuique quod ſuum eſt, dividitur in commutativam, & diſtributivam. *Commutativa* conſtituit æqualitatem inter datum, & acceptum ; hæc diſponit privatum hominem ad privatum,vel ad eos, qui inſtar privati ſe habent. Diſtributiva conſtituit proportionem inter res, quæ diſtribuuntur, & perſonas,vel præmia pro meritis, vel pœnas pro demeritis, & quando sìc, dicitur juſtitia punitiva. Et licèt juſtitia primò tendat ad dandum alteri, quod eſt ſuum ; tamen *ſecundariò* habet moderari paſſiones proprias,ne impediant Juſtitiæ finem. Juſtitia etiam hoſtibus debetur.

Eſt juſtitia virtus, cui ineſt eximius ſplendor. Cicero (1.de leg. & Offic.3.) eam dixit omnium virtutum cauſam, atque ſentinam, dominam, & reginam.

Juſtitiæ ſymbolum lapis pretioſus *hyacinthus* in rationali ſummi Pontificis ; eſt lapis coloris *aerei cæleſtis*, *aureis punctis collucens* ; quare quià coloris *cæleſtis* eſt,eſt ſymbolum *juſtitiæ*, quæ de *cælo* proſpexit. Adhùc apud Ethnicos invenires templum Jovis, tecto perforato; cur sìc? ad innuendum virtutem Jovis, id eſt, *Juſtitiam*, non à mortalibus, ſed *à cælo* eſſe petendam.Heſiodus in Theogoniâ *Themim* conjugem *Jovis* dixit; quid *Themis*? interpretatur *Juſtitia*; putavit Juſtitiam rem ita *cæleſtem*, ut conjugem Numinis putati ſupremi diceret;ab Orpheo cognominata eſt voce Græcâ, latinè *cæli filia*. Ideò cæteras virtutes dixerunt *juſtitiæ* comites, & pediſſequas,*juſtitiam* reginam Solem rectos mittentẽ radios,& qui omnibus lucet,

di-

dicunt *juſtitiæ* ſymbolum. Ædes *ſolis* apud Romanos erat *rotunda*; quid innuebat? quòd ſi ſol eſt juſtitiæ index, juſtitiæ domus eſt rotunda, quià circulari virtutum tenetur circumſepta coronà. Apud Ægyptios hieroglyphicum juſtitiæ *palma*, & quià eſt planta incorrupta, & quià oneri non cedit; quià eſt conſtans, diuturna, & firma, juſtitiaque eſt conſtans, & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi, quin corrumpatur ex ſe, & reſiſtens ponderi contrario; tandem quià *Palma* eminet procèra inter arbores, ſic juſtitia inter alias morales virtutes. Ideòque Nemeſim Deam juſtitiæ figurarunt veteres, alterà manuum tenente frænum equi, alterà cubitalem menſuram, ut innueretur etiàm quòd juſtitia eſt omnis virtus, quià equo ſenſus, ſive appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis frænum apponit, menſuram ſtatuit rationi conſentaneam, etiam in factis, & dictis.

At hæc præcipuè pertinent ad *juſtitiam*, ut eſt omnium virtutum *complexio*, & ut etiam Prudentiam continet; ſi enim fiat comparatio virtutis particularis ad particularem, ſive ad ſpeciales virtutes morales, Prudentia eſt omnium Regina; at etiàm ſpecialitèr indoles *cæleſtis* eſt quælibet ſpecies juſtitiæ, ideòque ex literis ſacris aptè figurata (quià colere *cæleſti*) in HYACINTHO rationalis, quod erat in pectore ſummi Sacerdotis.

Juſtitia, ut eſt omnium virtutum complexio, non dicit *ſpecialitèr* juſtitiam, quæ eſt ad *alterum*, ſed omnes virtutes in ſubjecto juſto. Vt autem eſt *ad alterum*, & ſpecialiter juſtitia, diſtincta ab aliis virtutibus, in primà ſui diviſione dividitur (ut colligitur ex dictis) in *legalem*, *& æqualem* ut in duas ſpecies, ſive partes *ſubjectivas*; ex quibus *legalis* præcipit ad impletionem legis, & quia lex præcipit actus omnium virtutum, ideò juſtitia *legalis* actus omnium virtutum præcipit; quare legalis functiones omnium virtutum videtur præſcribere, & ideò eſt quodammodo omnis virtus, unde & dici ſolet juſtitia *generalis*. Ajunt, quòd *legalis* præcipit actus omnium virtutum, ut eæ *ad alterum* ſpectant; at cum juſtitia legalis præcipiat virtutes omnes à quolibet exerceri, ut ſit & ipſe juſtus, & non ſolùm alii, ideò diſtinguenda eſt duplex juſtitia legalis, *una*, quæ jubet actus omnium virtutum, etiam ut referuntur ad proprium ſubjectum, & non ſolùm ad alios, jure enim naturali cautum eſt, ut quilque ſibi melius, quàm alteri cupiat eſſe; bonum pullicum eſt, quod præferendum private; & relatam juſtitiam dico *legalem generalem*, at hanc potiùs dicas *legem naturalem*; *alia* eſt legalis juſtitia, quę prçcipuè tendit *ad alios*, & eſt particularis virtus reſpiciens bonum commune Reipublicæ, illudque procurans, & promovens, & ut ſic eſt pars ſubjectiva juſtitiæ ſpecialitèr tendentis *ad alterum*.

Juſtitiam *æqualem* diviſimus in *diſtributivam*, *& commutativam*, ut dictum. Juſtitiam, ut eſt ad alterum, definit S.P. Auguſtinus lib.1. de lib. arbitr. cap.3. ſic: *Jàm juſtitiam quid dicamus, niſi virtutem, qua ſua cuique tribuuntur?*

Vulturem veteres dixerunt *juſtitiæ* hieroglyphicum, quia nihil, quod vivit, attingit, nullum animatum interficit, ideò neminem lædit; accipiter autem, & aquila animatis nocent, quià viventia alia occidunt.

Juſtitia *diſtributiva* præmiorum, & *vindex* ſcelerum commendabatur à Democrito dicente, *Duo eſſe in ſinu juſtitiæ numina* PRÆMIVM, & POENAM. Vtraque ſymbolicè ſignificatur per *virginem*, in dextrà *enſem*, in ſiniſtrà *ſtateram* tenens; lemma *cuique ſuum*; enſis inducat juſtitiam punitivam, ſtatera juſtitiam diſtributivam præmiorum juxtà merita, & punitionem, ut culpæ exigant. *Fontem*, per diverſos canales, emittentem aquam, cum epigraphe *cuique ſuum*, etiàm in ſymbolum juſtitiæ, & in Emblema, quo indicatur, aſſumpſerunt.

Quia

Quia justitia Judicis debet esse *recta*, est signata per *lucem*, quæ à corporibus cœlestibus mittitur *recta*, cui lemma, *recta diffunditur*.

Justitiam dicas robur Atlantis, quæ globum, sive Cœlum Regni sustentat. Optimos, & justos rectores, judices, & legislatores antiquitas appellavit *Semideos*; at Ægyptiaci Reges (asserente Diodoro Siculo) optimè gubernare putabant, si *parendo legibus*, populum potiùs excitarent exemplo, & virtute, quàm legum auctoritate. Princeps, & Judex non possunt *plusquàm jus*. Ideò Antiochus tertius Asiæ Rex Civitates sui regni monuit, quòd si in literis, nomine ipsius scriptis, esset contrarium legibus, scirent non suas, sed furtivè, & ipso nesciente scriptas, ideòque eis non parendum. Principum, & Judicum auctoritas est justitia animata loquens. Hinc in hoc laudabilis Alexander, qui videns Ephesi Sacerdotissam Dianæ pulchritudine peregrinam, exivit è templo; quæsitus, cur sic? respondit, ne violarem legem, cum pulchritudo excœcàret mentem. Rectus Judex, & sapiens perturbationibus non cedit; ideò apud Poesim effingitur, AEOLVM imperare *ventis*, quià horum nomine intelliguntur passionum tempestates, contrarietatum procellæ, nomine *Aeoli* intelligitur vir justus, & sapiens, judex rectus; ergo compositum, Aeolum imperare ventis, ut indicetur, quòd rectus Judex oppositioni non cedit.

Cur *leges* sint dictæ similes *aranearum telis*? an quià capiant debiles muscas, & violentur, rumpanturque à potente? non ità debet esse; dicuntur ergo leges telis aranearum similes, quià sicùt ex veneno aranearum texuntur earum telæ, & tamen medicina sunt contrà venenum, ità lex ex hominum peccato originem trahit, & tamen est contrà peccata, & vitia remedium; at si Judex sit rectus.

Tribus à Diis fingebat Plato (11. de leg.) imperii regimen procedere, à *Pallade*, *Vulcano*, *& Marte*; nomine Palladis intelligitur *sapientia*, nomine Vulcani, qui supponit pro igne symbolo ardentis, & zelantis affectus, inflammata *voluntas*; nomine Martis, bellorum putati præsidis, *potentia*; effinxit Poesis, à relatis tribus Diis regimen procedere imperii, Civitatis, & regni, sive Reipublicæ, ad innuendum, quòd ad expeditam administrationem justitiæ *sapientia*, *voluntas*, *& potentia* concurrere debeant; ergo quomodo benè provisa, si Judex *ignarus*? idonei Judicis est consulere aliis, non alios; ideò apud Cretenses simulacrum Judicis sine auribus, non solùm ne audiat verba, quibus à rectitudine flectatur ad injustum, sed ne indigeat documentis alienis, quià scire quid decernendum, ad Judicem idoneum pertinet, ne decipiatur ab aliis. Item licèt sit *scientià* præditus, si *voluntate* careat, quomodo justè decernat? polleat *scientià*, *& voluntate*, si *potentià* careat, & Marte, sive armaturà, qua constringat rebelles, quomodo mandabuntur executioni decreta? ergo ut rectè judicent electi, vel eligendi Judices, Princeps, qui legit, intelligat.

Judex *ignarus* quid decernat? stultas sententias. *Phœbus*, *& Pan* carmina certant, asininus Judex *Midas* pro *Pan* subscribit, contrà *Phœbum* sapientem decernit; in jure dicendo quomodo potest benè sentire, qui malè intelligit?

Judex ille, qui plures habet oculos, ut studeat, & videat leges, non qui plures offert, ad audiendas calumnias, aures; ideò ad hoc indicandum videres in areà subdiali simulacrum Jovis *sine auribus*, sed in fronte habens *oculos tres*.

Columna virtutum omnium *justitia*, ideò hæc inter virtutes, quòd terra inter elementa.

Lex eadèm voce alloquitur omnes, nec excipiuntur status à justitiæ

virgà. Rectè apud Ægyptios hieroglyphicum juſtitiæ cupreſſus, *recto* ſtipite ſurgit; æquales ab infimo ad ſummum ramos, æquo ordine, æqua magnitudine explicat, nec ullus alium excedit; alti, medii, & inferiores pares æqualitate videntur; ſic hieroglyphicum legis, ſive *juris*, cui omnes ſtatus æqualitèr cedunt, & ipſum favet omnibus æquè. *Gorgones* apud Poeſim legas *tres*, unum tantum habentes *oculum*, quo ſingulæ utebantur per vices; quid innuebat figmentum? quòd ſi oculus eſt iuſtitiæ ſymbolum, & tres Gorgones ſignant tres præcipuos ſtatus Civitatis *Senatum*, *equeſtrem*, *& plebem*, juſtitia æquè favet ſupremis, infimis, & mediis; non eſt acceptatio perſonarum apud Deum, & juſtitiam ſobolem Dei. In hac Principatus felicitas; ideò cum jupiter ſit putatus exemplar juſtitiæ, & juris, ſupremuſque Judex præmians, & puniens, fuit Proverbium, *Jovis taxilli felicitèr cadunt ſemper*; innuebat, quòd ubi *juſtitia*, ibi *felicitas eſt*. Reflecte, quòd erat animus ſignificare *juſtitiam* per SAPPHIRUM, qui eſt coloris cœleſtis, & aureis punctis collucens, ut dictum in pag. 1239. ſed ex inadvertentiâ impreſſor pro SAPPHIRO poſuit HYACINTHUM; ſed tandem non incongruè, quià HYACINTHUS lapis pretioſus etiam *colorem cœleſtem* habet, qui eſt ſymbolum *juſtitiæ*; quarè *Sapphirum* dicemus alterius virtutis ſymbolum; nec mirum, quòd in uno ſymbolo ſint plura ſignificata.

PARTES integrales JUSTITIÆ.

PArtes juſtitiæ integrales ſunt habitus omnium virtutum moralium; nam omnes virtutes eam integram reddunt, & ſi deficiat aliqua, facilè poteſt flecti, & vitiari; qui enim Judex non ſit temperatus, ex crapulà, vel impuritate facilè corrumpet juſtitiam; qui non ſit fortis, ex timore, vel temerà audaciâ juſtitiam lædet, &c. Item partes integrales juſtitiæ ſunt *operari bonum, & vitare malum*; hoc autem habetur, cum omnes virtutes ſunt ſociè.

PARTES Potentiales JUSTITIÆ.

SUnt *Religio*, *Pietas*, Gratia, ad quam reducitur *liberalitas*; *vindicativa*, ad quam reducitur Pœnitentia. *Obſervantia*, ad quam reducitur *Obedientia*; *& Veritas*; item aliæ referendæ infrà, pag. 1247.

RELIGIO; ubi varia SYMBOLA, & EMBLEMATA. Alia *ex Poeticâ.*

REligionem S.P. Auguſtinus (lib. 83. Quæſt. quæſt. 31. Tomo 4.) ſic definit: *Religio eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam, cæremoniamque affert.* Et de verâ Religione, cap 55. Tomo 1. ait: *Religio à religando dicta creditur.* Et lib. 1. Retractat. cap. 13. Tomo 1. *Religio à religando, & religendo dici poteſt.* Item lib. de verâ Religione definit, quòd Religio *eſt virtus, qua unus Deus colitur, & purgatiſſimâ pietate cognoſcitur principium rerum omnium; à quo omnis univerſitas & inchoatur, & perficitur, & continetur.* Ex quibus definitionem eruunt iſtam: *Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo tribuit, tanquam primo omnium principio.*

Hinc De verâ Religione cap. 55. Tomo 1. monet Auguſtinus, quòd

non

non sit nobis *Religio* in phantasmatibus nostris, non sit nobis Religio cultus humanorum operum, non cultus hominum mortuorum ; quia si piè vixerunt, non sìc habentur ut tales quærant honores; sed illum à nobis coli (cultu latriæ) volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos habere consortes; honorandi ergo sunt propter imitationem , non adorandi propter Religionem . Si autem malè vixerunt, ubicumque sint, non sunt colendi.

Addit ibi AUGUSTINUS : *Non* sit nobis religio cultus dæmonum , non terrarum cultus, non cultus purioris, & serenioris aeris; non corporum æthereorum, atque cœlestium; non sit nobis *religio* cultus illius vitæ , qua dicuntur arbores vivere ; non sit nobis *Religio* ipsa sapiens anima rationalis; religet nos *Religio* uni omnipotenti Deo. Ideò Tract. 23. in Joann. Tomo 9. sic: *Hæc est Religio Christiana, ut colatur unus Deus , non multi Dii, quià non facit animam beatam nisi UNUS DEUS.*

Religio versatur in medio interduo vitia, unum per *defectum*, nempe *non colere* Deum; aliud per *excessum*, nempe colere *superstitioso* modo , & *inconvenienti* , ut si coleres cœremoniis legalibus , nùnc à Deo prohibitis . Nunquam possumus excedere colendo Deum magis, quàm meretur ; quià est infinitus, & dignus infinito cultu, quem nos finiti non possumus præstare ; & quanvis magis, & magis colamus, ex hoc capite nunquam possumus excedere, quià ipse majorem , & majorem , magis , & magis cultum meretur ; at excederemus , si ex zelo colendi , coleremus etiam modo indebito, superstitioso, prohibito, & inconveniente. Hæc S.P.

Vera Religio est stabilimentum Regni; ipsà servatà servamur; adhùc Ethnici sic de Religione putarunt, dum oraculum ecceperunt , quod Troja staret, dum staret Palladium, quod erat simulacrum Palladis; at ruituram, si Palladium non esset; cui ideò lemmà datũ, *servatà, servabimur ipsi*; Æneas Palladium rapuit , Troja defecit . Nos sine superstitione de nostrà Religione verà dicamus, quod servat nos ipsa servata.

Religionem dicas Reipublicæ *anchoram* , navim Reipublicæ firmat . Dicas *magnetem* , quæ navim Regni ducit ad felicitatis portum ; ideò *Ciconiæ* nidificanti in pinaculo templi , symboli Religionis , datum lemma, *Hic tutior*.

Dicas Religionem *clavum navis* , cui clavo epigraphe , quasi ei navis dicat , *te stante, tuta* . Si Religionem dicas *columnam nubis, & ignis*, quæ ducebat populum Hebræum , attigisti verum, ideò tali figuratæ columnæ lemma, quasi populus Hebræus ipsi dicat, *te duce egrediar*.

Religionem servas ? more *aquilæ* sedes intrà quercum , cui lemma, quasi Aquila quercui dicat , *tutissima quies* . Vidisti *aquilam* volantem suprà nubes ad Solem ? cum Sol, quià unus, sit symbolum unius Dei , & nubes, quia tempestates, & turbines (symbola adversitatum pariunt) sint symbola calamitatum , & suprà nubes non sint fulmina earumdem calamitatum , & ruinæ symbola , aquila , supra nubes volans ad Solem, signat cultorem unius Dei veri, & religionis pennis volantem ad istum; hìnc calamitates, tempestates, turbines, fulmina adversitatis non timet, quià suprà hæc superior volat; aquilæ in illà actione lemma, *imbres effugio*.

Vidisti *Cygnum* figuratum suprà altare ? fuit symbolum , ut indicaretur, quòd si Cignus est canorus, & altare est religionis symbolum , ubi religio, ibi dulcis , suavis , quietus, harmonicus , procùl à turbatione , cantus; ideò Cygno suprà altare figurato epigraphe, *dulcius ut canam*.

Emblema illud, in quo figurantur equi Solis inordinati propter imperitiam Phaetontis , quos sola Apollinis peritia possit ad regimen adducere, innuit , quòd sola Religio effrœnem est potens moderari populum , ideò

lemma, *effrœnia infrœnabit Apollo*; sine Religione enim nec esset societas, nec fides, nec virtus, sed licencia, fraudes.

Si cernas fortè coronam ex ramis palmæ, & lauri contextam, intrà quam sit figurata ara,& in eà thuribulum,cum inscriptione *favet una,fovet alia*, scias esse Emblema, quo significatur, quòd si corona est insigne *regium*, & palma, & laurus sunt symbolum *triumphi*, & ara cum thuribulo est symbolum *Religionis*, tùnc regnum est felix, laurisque, & triumphis potens, quando *religio* est radicata interiùs in corde, ideòque ara cum thuribulo figuratur intrà coronam; religio coronæ *favet*, quando corona religionem *fovet*. Inter veteres palmæ germinantes ad pedes statuæ cujusdam Deæ, victorias ex Religione signabat.

Ideò regnum sine religione dicas corpus sine animà. Populi refugit obsequium Princeps, qui Dei negligit imperium. Herculem, & Æneam dixit antiquitas sobolem Deorum,simul & hominum; ille jecit fundamenta imperii apud Græcos,iste apud Latinos; putarunt veteres, à religione fuisse derivata imperia. Religio Numam Pompilium ex privato, & quasi rustico homine Romanum constituit Regem; crediderunt, eum ab Egerià Nymphà consilia capere, ideò putarunt nefas, ei non obedire. Æneam extollit Maro, quià nihil, nisi propitiatis Numinibus, & peractis rebus sacris, tentaret egregium. Putarunt Religionem rerum agendarum, & vitandarum lampadem;ideò apud Ægyptios statuti Sacerdotes,apud Gallos Druydæ, apud Persas Magi constituti, ut de rebus universis pro Religione statuerent, sine qua lumine agibilium putarunt carendum. Si secentur cacumina abietis, moritur; si cacumen Regni Religio absit, Regnum expirat.

Homerus nemini coronas nisi Deo præsidi belli tribuit. In sacris certaminibus apud Romanos non coronabatur victor, sed patrii Penates, Geniique solebant coronari, ut innuerent,quòd à Diis erant triumphi, & coronæ, quare, & triumphantibus dabantur coronæ, ut eas in templis Diis victoribus dicarent; si Ethnici ità putarunt de suà Religione *falsà*, quid nos de nostrà *verà*?

Poesis ut Religionem commendaret, effinxit *aprum Calidonium* vineam *Oenei* vastasse ob neglectum cultum Dianæ. Ob Religionem neglectã,Poesis finxit Gigantes à Jove fulminatos;& qui delyraverant ascendere in cœlum,& Jovem præcipitare de throno,fulminibus fingũtur dejecti;quibus sic fulminatis lemma,*Nolite temnere divos*. Medusam finxerunt ex pulchritudine horridam, & cui capillorum vice essent viperæ, & serpentes,sic castigatam à Minervà,quià in hujus templo ausa sit turpitèr coire cum Neptuno, & de aureà comà cum Deà contendere. *Nioben* addidit Poesis numero, & præstantià septem filiorum, & septem filiarum superbientem, & Diis immortalibus se comparare,imò anteponere jactantem; *Latonam* contumeliis, & impudicis verbis irritabat, quia hæc solùm *Apollinem*, *& Dianam*, illa verò quatuordecim proles germinasset;quid hìnc? quòd Diana,& Phœbus (qui Apollo) omnes illos confecerunt sagittis;cum quibus calamitatibus ità *Niobe* obstupefacta fingitur, ut neque lachrymas, neque lamentationem, nec vocem ullam emisserit, sed tanquam mutum saxum remanserit; hoc fuit Poeticum figmentum, ut indicaret, ex religione neglectà pœnas, & quòd nullus cum Numine audeat contendere. Additum est,quòd *Ceyx* maritus *Halcyonis* ità felix fuerit, ut jam se non putaret hominem, sed se *Jovem* diceret, & uxorem suam *Junonem*; quid hìnc? sævà tempestate ab illis immissà submersus, quando navigabat, perit. Adde *Cyclopes*, quià impios, punitos. *Thamyrim*, arrogantèr de cantu audentem contendere cum Musis, fingunt patientem ingentes pœnas. Marsya & numeratur crucia-

ciatus ; quià de cantu contendere fuit ausus cum ipso Deo, à quo canendi artem acceperat. *Arachne* fingitur in *bestiam* mutata, quia jactabat contendere de artificio cum illà Dea, à qua texendi artem didicerat. In his omnibus figmentis persuadere intendit Poesis mala, & calamitates ex Religione neglectà ; nos (*procùl omninò ab involucris superstitiosis Ethnicis*) subscribimus, quòd *veræ* Religionis neglector prolabetur in calamitates omnes ; felix ille, cui Religionis cultu placatus, & amicus Deus.

Decreveram agere de origine idolatriæ, oppositâ veræ Religioni; imò fortè id promisseram; sed quia res est, quæ calamum diffusum postulat, & jàm opus hoc crevit in volumen, abstineo ; fortè daturus aliquando, si ministrent tempora opem, & pro expensis impressionis necessaria tribuant.

DE PIETATE.

PIetas ergà Parentes *ex symbolicà* Philosophià, & *Emblematicà* per AQUILAM, CICONIAM, CAPREOLUM, GLIREM, PELICANUM, CAMELUM CUCUPHAM. Ubi de pietate ergà *consanguineos*, & PATRIAM.

Pietas (inquit Augustinus lib.4. de Civitate Dei, cap.23. Tomo 5. & Epist.29.Tomo 2.)*est verax veri Dei cultus.* At in hoc deffinit *Pietatem*, quæ est *Religio*, de qua jàm dictum suprà ; ideò de *Spiritu*, *& lit.* cap.11. ait : *Pietas dicitur Dei cultus, qui in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata.*

Nunc agimus de *pietate* erga *Parentes, consanguineos, & patriam.* Solet definiri ex S. P. Augustino sic : *Pietas est virtus, per quam sanguine conjunctis, patriæque, benevolens, atque diligens officium tribuitur cultus.* Quare hæc virtus ad debitam pietatem ergà parentes, consanguineos, sanguinis vinculo unitos, & ergà patriam inclinat; versatur in medio inter *impietatem*, quæ est vitium per *defectum* oppositum pietati, & est *inhonoratio* Parentum, propinquorum, & patriæ, & inter nimium amorem ergà eos, quod est vitium per excessum, virtuti pietatis contrarium.

Discas colere parentes à *Ciconia, & aquilà*, quæ adjuvant parentes senes, calefaciunt, fovent, & alunt ; portant volantes suprà dorsum patres senes, cum alio contingit migrare ; quare Aquilæ in actione volandi, & suprà dorsum portandi pullum, lemma, *vicem quandoque rependet* ; & Ciconiæ portanti suprà dorsum non solùm pullos, sed etiam patres senes, & languidos, epigraphe, *par pari ferunt*; quare Hugo Cardinalis (in 2.Corinth. 13.) *Ciconia parentes decrepitos pascit, sed parens priùs eam educavit.*

Animal dictum *Capreolus*, cum patrem senem videt, & ineptum, ut sibi provideat, non solùm providet de cibo, portans arborum frondes, sed ore proprio aquam ori patris infundit, cui ideò in hac actione lemma, *vices rependit.* Item & idem legimus de animali, quod dicitur *glis*, qui genitores fessos (testante Plinio lib.8.cap.57.) insigni pietate alit. *Cucupha* avis genitoribus, senio confectis, gratiam rependit eodem modo, quali ipsa fuit educata; eis nidum, in eodem loco, in quo fuit enutrita, parat, pennas vellicat inutiles, eòque cibum importat, idque quoad reassumptis pennis patres sibi sufficere, & providere possint ; ergo fili, *vade ad jumenta, & docebunt* te, qualiter debeas esse *pius* ergà *Patres*. Licèt filii *Pelicani* fœminæ illam deserant, tamen amantior ei semper assistit, nec recedit à latere ; ideò illi ad latus matris figurato epigraphe, *manet amantior.* Reverentiam & ergà matres docet *Camelus*, qui nunquam matrem insalit;

quin

quin si quis cogat, ipse non patitur. Contigit, emissarium cooperire matrem cameli, ut eam camelus filius superveniret; elapso velamine, agnovit matrem, iratusque contrà emissarium, eum morsu defixo interemit. *Equmque* legimus Regis Scytharum, qui coactus, ut superveniret matrem, postea ut expiaret scelus, se præcipitem fecit ex alto.

Cur *pius* non sis ergà consanguineos, quos unit tecum vinculum, sive vitta purpurea sanguinis? aliquid tui habent; ergo cur impius contrà te, si cum ipsis exerceas impietatem?

Quid dicam de *pietate* ergà *patriam*? nidum, ubi educatio eorum, etiam irrationalia amant. Aerem, quo prima tibi respiratio fuit, cur non ames? Feris datum est agros, sylvasque quærere, hominibus patrias diligere. Non nobis tantùm sumus nati; ortus nostros partìm vendicat patria, partìm amici. Natura nos primùm conciliat patriæ. Ideo Ovidius lib. 1. de Ponto:

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.

Ideò dictum:

Dulcis amor patriæ, dulce videre suos!

De VINDICATIVA JUSTITIA: Ex Philosophia symbolicà, *&* Emblematicà *per CASTOREM, & POLLUCEM. Ira justitiæ innocens per constellationem, quæ dicitur ORIENS. Hujus* justitiæ *terror gratus per signum cœleste PERSEUM. Ex Poeticà per HERCULEM, punientem CACUM, & LUCINUM latrones.*

HAnc numerant aliqui inter partes *potentiales* justitiæ; sed cur non sit *subjectiva*, contenta in *distributiva*? hæc pro meritis distribuit præmia, & juxtà demerita subscribit pœnas.

Justitiam punitivam, & vindicem scelerum dicas *ignem*, fovet, & destruit; comburit, & destruit campum vepribus, & loliis vitiosum, at simùl fovet, & fœcundat ad utilia germina terram; sìc justitia *vindex* dum scelestos punit, Rem publicam felicem pace, quiete, & virtutibus reddit.

Justitia *vindex* est more *facis comburentis* Hydram, digna est, quæ luceat aris. Quid enim Hydra nisi vitia signat, & improbos homines, Reipublicæ pestes? justitia, quæ talia occidit monstra, digna est, ut luceat in arà. Eam dicas exhalationes duas, sive duas flammas accensas, quæ in primà aeris regione cum apparent, frangitur tempestas, desinunt venti, & bonà spe nautæ se adjuvari celebrant; dicuntur *castor*, *& Pollux*, cui exhalationi lemma, *terret severa procellas*. Tumescit Reipublicæ mare, fervet populi Euripus inquietus, tempestas spumat, bullit; quid tunc? Justitia punitiva apparet, procella quiescit. Apparet justitia armata, sed bono publico innocens; apparet irata, sed sancta est ira, quià contrà scelera est; cujus ideò symbolum constellatio ORIENS, apparet armata, & tamen non nocet. Vides armatam justitiam in Republicà, sed non nocet, imò proficit. Sed cum iniquus occiditur, publica pax munitur; ideò terror justitiæ gratus. Vidisti ex signis cœlestibus *Perseum*, triginta octo stellis distinctum, in actu tenendi in dextrà Gorgonis partem, quam effingunt ab eo recisam? si vidisti, apparet terror, at terror est lucidus, terror est gratus. Reciditur caput iniqui, Gorgonis nomine significati? suspenditur scelestus in furcà? est terror, sed terror publico bono profic uus, rectæ rationi gratus. Vide lætitiam Israel,

cum

cum vidit caput reciſum Goliæ; vide Bethuliam feſtivis vocibus clamantem, cum caput Holofernis reciſum à Judith conſpexit; vide (in lib.2. Machab.cap.15.v.32.) Palæſtinam exultantem, cum caput, manum dextram, & linguam Nicanoris vidit à fortiſſimo Juda Machabæo truncata. Ergo juſtitiæ vindicis terror eſt, ſed *gratus*.

In arcà teſtamenti erat manna dulce, ſed & virga; ergo in Civitate ſit cibus, ſed & virga; ſit panis cum virgà, ſit virga cum pane. Virga Moyſis vitioſis Magis occurrebat ut ſerpens, Iſraelitis erat ut baculus; ità juſtitia vindex *bonis* eſt baculus protectionis, auxilii, defenſionis; malis occurrit ut ſerpens. Sit tamen juſtitia mixta cum clementià.

Herculem cum dicunt punientem *Cacum*, *Lucinum*, & alios iniquos, ad juſtitiam punitivam indicandam, conſpirant. Quales debeant eſſe Judices, à pag.181. uſque ad pag.188. reflectas, & à pag.266. uſque ad pag. 268. & pag.923.& à pag.949. uſque ad pag.951.

De OBSERVANTIA, OBEDIENTIA; quæ ſunt potentiales *partes JUSTITIÆ.*

OBſervantiam definit S.P.Auguſtinus lib.83. qq. in q.31. Tomo 4. ſic: *Obſervantia eſt, per quam homines, aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam, & honore dignamur*. Obſervantiæ eſt affinis *Obedientia*; de hac N.S.Pater lib.13. de Civitate, cap.20. Tomo 5. ſic: *Obedientia* magna *virtus eſt rationalis Creaturæ, ſub Creatore Deo conſtitutæ*. Et lib.14. de Civitate, cap.12. ſic: *Virtus* OBEDIENTIÆ *in Creaturà rationali mater quodammodo eſt, omnium cuſtoſque virtutum*. Et de Conjug. bono, cap.23. Tomo 6. ità: *Omnium virtutum mater quodammodo* OBEDIENTIA eſt; *ac per hoc ideò poteſt eſſe obedientia ſine virginitate, quià virginitas ex conſilio eſt, non ex præcepto*. OBEDIENTIAM *verò illam dico, qua præceptis obtemperatur*. Et in Pſalmo 70.conc.2.Tomo 8. *Nihil tàm expedit animæ, quàm obedire; & ſi expedit animæ obedire in ſervo, ut obediat domino; in filio, ut obediat patri; in uxore, ut obedeat viro, quantò magis in homine, ut obediat Deo?*

At *obedientia Deo* reducitur *ad Religionem*; obedientia *patribus* reducitur ad *pietatem*; obedientia, qua veneramur *ſuperiores*, qui nobis præſunt, dicitur ſpecialiter virtus moralis *obedientiæ*; & ille honor, & cultus, *quo* nos gerimus ergà homines aliquà dignitate excellentes, licèt non ſint nobis patres, nec ſuperiores, dicitur *obſervantia*.

Obſervantiæ *per defectum* opponitur in obſervantia, *per exceſſum* nimia obſervantia. Obedientiæ opponitur *per defectum* inobedientia; per exceſſum *nimia*, & imprudens *obedientia*, ideò in regulà dicente Auguſtino, *Honore coram vobis prælatus ſit vobis, timore coràm Deo ſubtractus ſit pedibus veſtris*. Virtus conſiſtit in medio.

Relatæ virtutes (nempe juſtitia, & hujus partes) ſunt de jure naturæ, ut dicitur ex Auguſtino, *quià eas non opinio, ſed quædam innata vis inſeruit, & conſuetudo firmavit*.

ADMONITIO.

AD partes *potentiales* JUSTITIÆ pertinent LIBERALITAS, & VERITAS; imò etiam & AFFABILITAS, & EUTRAPELIA, licèt has duas velint alii reducere ad *Temperantiam*; at cum juſtitia ſit *ad alterum*, & quatuor relatæ virtutes *ad alios* cum quibus agimus, relationem

di-

dicant, relatas omnes *quatuor* dicamus etiàm partes *potentiales* juſtitiæ: Item BENIGNITAS, HUMANITAS, ÆQUITAS, BENEFICENTIA; imò & CLEMENTIA, MANSUETUDO, MISERICORDIA, HOSPITALITAS, quia *ad alios* relationem dicunt, ad partes *potentiales* juſtitiæ poſſent trahi.

At quià *Liberalitas*, *Ingenuitas*, *Affabilitas*, & *Eutrapelia* numerantur communitèr inter *duodecim* virtutes morales, ideò de his *quatuor* per capita *quatuor* erit diſcurſus, reliquas nùnc imbibemus.

CAPUT III.

De HUMANITATE, BENIGNITATE ÆQUITATE, GRATIA, ſivè BENEFICENTIA, & LIBERALITATE. Ubi de CLEMENTIA, HOSPITALITATE, & MISERICORDIA, & Manſuetudine.

Humanitas jàm ſumitur pro naturà *humanà*, jàm pro *eruditione*, unde ſtudia *humanitatis*. Humanum propriè dicitur, quod hominis eſt, nempe quòd ſit mitis, ſuavis, beneficus, affabilis, urbanus, benignus, miſericors, ſocialis, comis, urbanus; & quia ſtudia bonarum literarum, & eruditionis, ſic hominem expediunt, ideò dicuntur ſtudia *Humanitatis*. Quare in ignaris, incultis, & non eruditis, relatæ dotes Humanitatis non ſunt, ſed ſunt aſperi, ruſtici, incompti, inſociales; ideò Ovidius.

Adde, quòd ingenuas didiciſſe fidelitèr artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Ideò ſex præcipuè virtutes ſolent numerari ſub *Humanitate*, & quæ ſunt conſonæ naturæ hominis, ut differt à brutis. *Primò* JUSTITIA, quæ eſt fundamentum veræ humanitatis.

ÆQUITAS, MANSUETUDO, & hùc reducitur Clementia. BENEFICENTIA juvans alios conſilio, operà, doctrinà, pecunià, aliquove alio bono utili, & huc pertinent & *miſericordia*, *hoſpitalitas*.

Affabilitas, quæ eſt in quotidianis congreſſibus facilè, & libentèr alloquens alios, & lenitèr, non faſtidioſè audiens alios; nec durè, ſed benignè, ac comitèr reſpondens, & hùc pertinet *benignitas*.

Etiàm ad *Humanitatem* pertinet COMITAS, quæ in omni ſermone, geſtu, aut actione, & officiis præſtandis, benevolentiam ſuam ergà alios cum quadam ſuavitate, & urbanitate declarat, & in *jocis* eſt EUTRAPELIA; & hæ virtutes (ut plurimum) reperiuntur in his, qui ſunt doctrina culti, quare ſtudia *Humanitatis*, ſive congrua naturæ humanæ dicuntur habere. Unde patet, quot virtutes ſub ſe contineat virtus *Humanitas* in genere.

At Humanitas, ut eſt pars *potentialis* juſtitiæ, & virtus ſpecialis Moralis, deffinitur à D. Thoma (ſuper Epiſt. Pauli ad Titum 3. col. 2.) ſic: *Eſt virtus conſiſtens in exteriori ſubventione, condeſcendendo defectibus aliorum.*

BENIGNITAS.

Benignitas definitur à D. Th. 2.2. q. 80. ſic: *Eſt habitus voluntariè benefactivus, & ad loquendum dulcitèr.*

ÆQVI-

ÆQuitas, est, quæ tolerat omes hominum nævos, & infirmitates; & amici mores novit, non odit, si non sint peccata, sed compatitur infirmitatibus, & defectibus proximi. Item *æquitas animi* est quædam *moderatio*, cum *æquo animo*, patientèrque omnia ferimus, ab aliquibus dicitur *Modestia*. Item *Æquitas* solet accipi pro perfectà quadam ratione, quæ leges, strictumque jus interpretatur, & emendat, nullà scripturà comprehensa, sed solùm in verà ratione consistens; quæ dicitur *Epiichia*, sive *Epicheia*, pars *Prudentiæ*. Item Æquitas significat *justum*, & consentaneum.

BENEFICENTIA, & LIBERALITAS. Ex Philosophià hieroglyphicà *per TRES GRATIAS, sive CHARITES. Ex* Poeticà *per HERCULEM, educentem* ab orco *CERBERUM* trifaucem. *LIBERALITAS symbolicè significatur per lapidem pretiosum AMETHYSTUM* in rationali *summi SACERDOTIS.*

BEneficentia, dicta à benefacere, latiùs patet, quàm *liberalitas*, nam ista propriè inclinat ad dandas pecunias, & alia bona fortunæ; at *beneficentia* non solùm inclinat ad sic benefaciendum, sed ad faciendum benè multis aliis modis, nempè consolando, compatiendo, miserendo, benè consiliando, & exhortando, honorando, adjuvando, Deum pro aliquo precando, docendo; his omnibus modis, & similibus potest exerceri *beneficentia*; ideò hæc est tanquam ratio generica, continens sub se multas species benefaciendi; & præcipuè dicemus de *liberalitate*, *Misericordià*, *Hospitalitate*.

Ideo *Beneficentia* in genere definitur: *Est virtus, qua mitis animus ad cuivis benefaciendum, nulli malè faciendum, commovetur*. Vel sic: Beneficentia *est exterior amicitiæ, vel charitatis actus secundùm rationem communem; nempe ad quomodolibet benefaciendum, vel in materià pecuniarià, vel auxilium, & opem præstando, vel consolando, vel defendendo, vel privilegia conferendo*. Uno verbo dicitur beneficentia, & beneficium, quicquid honestum gaudium tribuat accipienti. Nec dicitur beneficentia, nisi cum benefactor benevolè, & spontè benefacit; quando enìm sit coactus, benefactor non est; ideo dicente Augustino, *benè facere nemo potest, nisi elegerit*; & lib. 1. Confess. cap. 12. *Nemo invitus benefacit, etiam si bonum est, quod facit*.

Beneficentia est actus *exterior*, & supponit præsuppositam *benevolentiam*, quæ est actus *interior*, ideò illa imperatur ab istà.

Beneficentia virtus versatur *in medio* inter malè facere, vel absolutè non benè facere, quod est vitium per *defectum*, beneficentiæ oppositum; & inter *nimìs benefacere*, nempe quibus, vel quando non oportet, aut plusquam oportet, quod est vitium per *excessum*.

Largitas, liberalitas, & beneficentia regiæ sunt laudes, ajebat Lactantius.

LIBERALITAS, species *beneficentiæ*, versatur specialiter circà largitionem rationalem bonorum fortunæ, & à S. P. Augustino (De def.) definitur: *Liberalitas est virtus ad liberas largitiones pecuniarum, sine spe retributionis inclinans*. Et Aristoles 4. Ethic. sic: *Liberalitas est mediocritas circà pecunias dandas*. D. Thomas 2. 2. q. 117. a. 1. sic: *Liberalitas est virtus benè dispensandi divitias sibi, suis, & aliis*. Dicitur *liberalitas à liber*; liberalis est liber, quià non est pecuniæ servus.

Liberalis non acquirit, ut retineat; non appetit, ut recondat; non rapit, sine necessitate non petit, at non recusat, ut donet. In manu liberalis est aurum felix, quià ibi usus honestus, & bonum, ut communicetur aliis; non est aurum in manu liberalis captivum, non in fossà, aut antro, non sepultum; inter auras est, & (si liceat dicere) aurum in manu liberalis gaudet, quià liberum, & Solem videt. Liberalis nec aurum nimiè æstimat, nec spernit; recipit, ut distribuat; putat, felicius esse, divites facere, quàm divitem fieri. Liberalis procellosum populi mare serenat; huic dat annulum, illi monile, alteri pecunias præstat, & sic vulgi mare tumescens quiescit. Gaudet liberalis vehementiùs, cum distribuit, quàm cum recipit. Aurum in manu liberalis utile, in manu avari ac si non esset. Sagitta in manu Herculis feriebat Trojanos, in manu Philotetis nocuit huic, cecidit è manu, & pedem non experti læsit; sic scienti uti benè auro proficit, nescienti nocet. Animi generosi, & magnifici est juvare, & prodesse. Qui beneficia dat, imitatur Deum, qui *à dando* dicitur *Deus*. Hoc egregium (si possis) dare, *non polliceri*. Officio fungeris tuo, si tantum das, quantum per fortunam licet. Si potes dare, da; si non potes, *affabilem* te fac; jàm das, quod potes, cum alio bono dando cares. *Voluisse* sat est, das *voluntatem*, si cares facultate ad pecuniæ largitionem. Injustè petes beneficia, si dare nescias. Æqua beneficia votis, si factis non possis; abundes affectibus, sis desideriis dives; si ultrà non possis, vera liberalitas ultrà non requirit. Antiquiora beneficia subvertis, nisi posterioribus cumules. Beneficium unum est gradus ad aliud; quia beneficiis superare est indoles magnanima.

Artes captandi voluntates sunt dona. Vinum citiùs quolibet alimento vertitur in substantiam; dona citissimè convertuntur in amorem; amat, qui recipit; amat, qui donat, imò ex donis amor donantis accrescit. Liberalis cum manus recipientium adimplet, corda prædatur. Auri vis compedes ferreos rumpit, catenas dissolvit.

Benefac sponte; ut enim suprà ex Augustino, *Nemo invitus benefacit, etiamsi sit bonum, quod facit*.

In beneficio conferendo, plus animus, quàm census operatur; magis præponderat benevolentia, quàm munus. Benefacium ab homine aspero panis lapidosus vocatur. Da *hilari*, sereno, & grato vultu; alitèr exprobras, lædis, offendis, non benefacis. Exprobratio largientis est beneficentiæ venenum.

Benefacere *sine tubà* est benefaciendi elegantia; des occultè, & munera data velo silentii contegas.

Benefac, da *non rogatus*; serò beneficium dedit, qui roganti dedit. Beneficium propter monetam alieni ruboris vendis, cum speras rogari; non est dare, sed vendere. Nulla res est carior, quàm quæ precibus emitur. Sol non spectat preces, ut exoriatur, & recreet; ideò Poeta: *Gratius est donum, quod venit ante preces*.

Si *rogatus* sis, nolis retardare, citò des; nam *bis* dat, qui *citò* dat; si differas, propter monetam molestæ spei vendis; da, quomodo veles accipere. Celeres gratiæ dulciores; si tardaverint, vana gratia. *Honestius est negare, quàm longos terminos dare*, ajebat Cassiodorus. Omnis benignitas properat, & proprium est libentèr facientis citò facere. Qui de die in diem trahens profuit, non ex animo dedit, itaque dicas, maximas res perdidit, & *tempus, & argumentum amicæ voluntatis*, ut ajebat Seneca.

Multum à beneficio distat negotiatio; si dedisti, ut uberiùs accipias, est usura, non beneficentia. Si beneficium dedisti spe utilitatis, aut voluptatis sensibilis, jàm non est beneficentia virtus; dandum, *quo fine* oportet,

tet, nempe *honesto*, & propter Deum, & ut mutuâ beneficentiâ vita hominum conservetur, ut virtus sit.

Benefac, *quando oportet*, & tempore *opportuno*; nam extrà tempus quid prodest? quid prodest medicina sepulto? In beneficio tempus, locus, persona observanda, quià momentis quædam grata, & ingrata sunt.

Gratiùs das alicui, si des id, quo caret, quàm id, quo abundat; si des, quod diù quærit, quàm id, quod ubique habet; si des, quando indiget, quàm quando non eget. In ægris opportunitas cibi salutaris est, & aqua tempestivè data locum remedii obtinuit.

Benefaciendum *unde* oportet, nempe ex proprio, non ex alieno, non ex rapto; dare aliena non est beneficium, sed furtum. Ideò Augustinus (De Verb. Domini, Tract. 25. *Nolite velle eleemosinam facere de fœnore, & usurâ*. Si non potes subvenire alteri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quàm alterum gravari.

Da juxta qualitatem, & indigentiam personæ, cui das; minora sufficiunt minoribus; majora altior persona, & strictior indigentia reposcunt. Sit vestimentum doni juxtà qualitatem personæ, & necessitatis.

Sit Ordo in beneficentiâ: *Primò* des templo, & cultui Dei, à quo accepisti tua, & quod es. *Secundò patriæ, & Reipublicæ*; bonum enim publicum præferendum. *Tertiò* parentibus, liberis, propinquis. *Quartò* amicis. *Quintò* his, qui nobis sunt conjuncti societate Ecclesiæ, nationis, Civitatis, sive patriæ, & linguæ. *Sextò*, propter Deum omnibus indigentibus. Justi præferantur iniquis. Etiam peccatori subvenias, si gravitèr indigeat, & non ad vitium; non quià peccatori, sed quià creaturæ, quià homini. Præferantur senes, & infirmi, & inhabiles, qui laborare non possunt; & verecundi, qui mendicare erubescunt. Nec des omnia uni, sed singulis quædam, ut multis prodesse possis. Da, & serva, ut iterùm dare possis. Si non est, ut multis des, æqualis facultas, non sit impar pietas; non est parvus census, cui magnus est animus. Augustinus (super Joann. part. 2.) tonat: *Donare res suas histrionibus vitium est immane*.

Et (de serm. Domini in monte lib. 2. cap. 12. Tomo 4) ait: *Debemus benefacere hominibus propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum*. Et de Verâ Religione, cap. 47. Tom. 1. *Fortis omnibus benè utitur, amico, ad rependendam gratiam, inimico ad patientiam, quibus potest ad beneficentiam, omnibus ad benevolentiam*.

Da, & sine spe *humanæ gratitudinis*, ne quando experiaris ingratos, dedisse pœniteat; da *propter Deum*, benefac, & obliviscere; Deus enim scriptum habet; etiamsi homo sit ingratus, non amisisti præmium.

Augustinus (De Verb. Apost. serm. 16.) addit: *Quando dicis, debes mihi, quià dedi tibi, à te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum*. Ergo hæc est liberalitas, sine spe solutionis dare. In Psal. 36. conc. 2. Tomo 8. sic: *Qui non invenit foris, quod det, dat benevolentiam; habet semper unde det*. Nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis est repletà bonâ voluntate. Liberalitatis fontes duo, *verum judicium, & honesta benevolentia*.

Danda cuique dona congrua; dare studioso retia, fœminæ arma, est dare paleam cani, asino ossa. Aliquis est hostis? beneficiorum assiduitate concilia; beneficiis vince odium; vice sui veneni, pocula dulci melle compone. Aliquis est indignus? proba, an beneficiis possis reddere dignum. Aliquis est ingratus? tenta, an beneficiis possis reddere gratum. Indignus, & ingratus abutuntur beneficiis, sicut & hostes, & *pejores* fiunt ex beneficentia? ergo ne ingratitudinis, & perversitatis repetant peccata, ex lege

charitatis ſuſpende beneficia. Ajebat D. Ambroſius ſerm. 81. Tomo 3. *Perditur omne, quod perditis* datur. Et Bernardus ſerm. 7. de ſeptem panibus ſic: *Non ne jure perditum reputatur, quod ingrato donatum eſt; aut dediſſe non pœnitet, quod periiſſe videtur?* pœniteat ergo te dediſſe illi bona, non quià effudiſti, ſed quia pejor in animà eſt redditus è beneficio. Ideò Bernardus ſerm. 35. *Gratiarum ceſſat decurſus, ubi recurſus non fuerit; nec modò nil agetur ingrato, ſed quod accepit, vertetur ei in perniciem.* Ut enìm ajebat Gregorius Magnus lib. 12. Moral. cap. 2. Tomo 1. *Plerumque mali, qui provocari donis ad meliora debuerant, donis pejores fiunt.* Eos non dirigit virga aurea? ergo corrigat virga ferrea.

Benefacta, malè locata, malè facta arbitror. Rapitur à benemerito, quod confertur indigno. Ingrato pertinaci conferre beneficium eſt cadaver pretioſo oblinire unguento. Ingratum paſcere eſt lactans capra lupum, qui capræ poſteà ubera paſcet; nullo obſequio flectitur improbitas, reddit pro melle venenum, pro pietate dolum, pro fructu pœnam; tùnc maximè ad maleficia animatur, cum beneficia recipit; beneficia putat fraudem, hìnc magis infidus fit deterior; ergo improbis tua non excidant beneficia, ne tibi injuriæ hæreant. Cur paſcas eos, qui, muli more, contrà paſcentem recalcitrant? cur foveas ſcorpiones in pectore? cur nutrias corvos, qui te cœcum, & ſine oculis reddant? abſtine à beneficentià cum bonis fortunæ, qua redduntur pejores, at pro eis tua ſit oratio ad Deum.

Aliqua ex dictis indicantur à Philoſophià hieroglyphicà per TRES GRATIAS, quas Græci dicunt CHARITES; figurantur virgines, & nudæ, & ſaltantes tempore verno, hilares; invicem ſibi adhærent, & manibus complexis; una faciem averſam explicat, quaſi à nobis profecta, reliquæ duæ facies oſtendunt ad nos converſas; habent alata talaria. Nomina earum *Aeglen*, *Euproſynen*, *& Thalia*; Homerus unam ex his *Paſythean* vocat. Dicuntur filiæ Jovis.

Cur dictæ CHARITES? quia hoc nomen latinè dicitur *à lætitià*, & cum lætitia debent fieri, & reddi *gratiæ* pro accepto beneficio; quare & effinguntur hilari vultu, & feſtivo, quià sìc debes beneficia conferre, non vultu aſpero. Cur effinguntur *juvenes*? quia beneficentia non ſeneſcit; gratiæ debent eſſe in vigore, tam ex parte gratiam facientis, quàm ex parte recipientis, & gratias reddentis.

Cur ſaltantes tempore *verno*? quia hoc tempus, quo virent campi, ſignat ſpem fructuum; tales debent eſſe *Gratiæ*, ut una promittat aliam; quare & ideò figuruntur manibus connexis, quia una *gratia* aliam parit, unum beneficium aliud generat; debetque eſſe inter dantem, & recipientem, ſive pro accepto beneficio *gratias* agentem, perpetuum benevolentiæ fœdus.

Cur in pedibus *talaria*? quia debemus eſſe veloces ſine *morà* ad fundendas gratias, & ad pro acceptis gratias agendum, ideoque ſine morà eſt dandum, & ſine morà ſunt *gratiæ* pro datà gratia repetendæ.

Cur *tres Gratiæ*? ajunt, quia *beneficii eſſe* debemus in alios, & aliorum beneficia *recipere*, & item *retribuere*; ſunt enim tres actus inter ſe diſtincti.

Cur una ex illis facie *aversà*? ad innuendum, quòd largiens *gratiam* non debet divulgare beneficium, nec ſpectare tributum à recipiente, nec quòd ipſi det gratias, ſed benefacere, & diſcedere, ne accipienti tempus ruboris præſtet; alitèr erit monetam abjectionis, & pudoris ſpectare à recipiente, & pro beneficio humiliationem alterius ſervilem emere. At duæ aliæ figurantur faciebus ad nos converſis, ad innuendum, quòd pro accepto beneficio duplicem, & quaſi cum fœnore gratiam rependere debemus,

li-

licèt benefactor spe fœnoris gratiam non fecerit:

Sed fortè etiam *Gratiæ* dictæ sunt *tres*, quia tria debent inveri in beneficio; *primò* benefactor det gratiam; *secundò* recipiens, gratias agat tùnc; *tertiò*, si possit, vel quando possit, retribuat *gratiam* cum alio dono, vel beneficio; at Gratia una figuratur facie aversà, quasi sit profecta, quia illa innuit benefactorem, qui sic debet benefacere, quasi gratiarum humiliationem, & fœnus non spectans, sed discedens; at si hæc est energia benefactoris, duplex alia supra dicta gratia est energia recipientis.

Cur nudæ? quia beneficia, gratiæ, & gratiarum actio pro illis debent esse nudæ ab omni fraude, & cordis duplicitate.

Cur Virgines? quia debent fieri, & reddi fine incorrupto, puro, & honesto.

Cur filiæ Jovis? ad innuendum, quòd indoles est divina gratias, sive beneficia facere, & æquo animo retribuere. Beneficentia, & gratitudo sunt à Deo.

Ex *Poeticà* liberalitas est significata per Herculem, Cerberum trifaucem, evomentem venenum, ab inferis extrahentem ad auras; nomine enim Cerberi intellexerunt avaritiam; avarus enim thesauros sepelit, & recondit sub terrà; at cum Herculis nomine intelligatur virtus, nomine Herculis extrahentis Cerberum ab inferis ad auras, intelligitur specialiter *liberalitatis* virtus, quæ thesauros extrahit ab inferis ad auras, cum extrahit liberalitèr ad publicum beneficium. Et aptè avaritia signatur nomine Cerberi trifaucis venenosi, quia numerus ternarius est index multitudinis, & radix omnium malorum avaritia est.

Ex *symbolicà, & Emblematicà* symbola liberalitatis *sol, palma, nubes, fons*; ista enim omnibus patent, & liberalitèr sua bona diffundunt, quibus lemma, *Non sibi, sed aliis*. Item Cœlum, cui lemma, *in omnem terram*, & Stella, cui epigraphe, *lucet, & influit*; item mensa, cui inscriptio *parit amicos*, & forum, cui titulus, *omnibus patet*, & aqua, cui index, *latè diffunditur*, sunt liberalitatis Emblemata, & symbola.

Liberalitas versatur in medio inter *avaritiam, & prodigalitatem.*

Contrà *avaritiam* vide à pag. 557. usque ad 564. & à pag. 909. usque ad 910. Unde & Scyllam sub specie fœminæ alatæ, parte infima sui explicante varia monstra, effinxerunt *avaritiæ* symbolum; quod enim est monstrum vitii, quod non patriat avaritia mater?

Prodigalitas sine mensurà rationis effundit; nec quibus, nec quando, nec quo fine oportet dare, reflectit; cujus symbolum *pavo*, cui cauda ampla, & prodiga ad solam inanem ostentationem est, cum nec sit utilis ad volandum. Liberalis retinet ad usum; ideò illius symbolum *bursa*, cui lemma *retinet ad usum*.

Liberalitas potest symbolicè significari per *amethystum* lapidem pretiosum *in rationali* summi Sacerdotis; nam *est gratus aspectui, fœcundat steriles, & cohibet malitiam veneni*; sic liberalis est gratus aspectui, diligitur, quia gratias dispensat; fœcundat steriles commoditatis, cum paupes relevat, & dona distribuit; cohibet malitiæ venenum, cum odium inimici muneribus mitigat, placat, & temperat.

Grati animi symbolum si dicas *heliotropium*, consentio; continuò respicit Solem, cujus virtuti debet esse, crescere, & conservari; cui epigraphe, *inde beneficium, illùc respicio*. *Canis* symbolum gratitudinis vulgare est; quare apud veteres *canis* intuens simulacrum aliquod, vel conditum cadaver, hieroglyphicum fuit animi grati, & memoris beneficii; non enim tradit canis oblivioni eos, à quibus beneficium acceperit. Cum cætera ca-

lore,

lore, & fomento Solis nutriantur,& crescant; nix sola dissolvitur;ideò symbolum animi ingrati; illi epigraphe, *decrescit, quo cætera crescunt.*

DE GRATITUDINE. Ex *symbolicâ* Philosophiâ per CANEM.

GRatitudo est virtus, *qua quis ex accepto beneficio affectum ergà benefactorem concipit, ac suo tempore gratias agit, & pro viribus retribuit.*

Quinque numerantur gratitudinis officia, nempe *Beneficii* æstimatio, *benigna* acceptatio, *gratiarum*, actio, *grata* commemoratio; item *repensio*.

Cur beneficii æstimatio? ut ostendamus, nos illud æstimare ex affectu, & animo donantis, etiàm quamvis res donata non sit magna. Cur *benigna acceptatio*? quia cum benignè acceptas, benefacientem honoras, & ejus affectui quodammodo satisfacis, & quia si repudies, vel acceptes absque indicio, quo significes te esse gratum, videris contemnere, vel beneficium parvi facere, affectumque donantis.

Cur gratiarum actio? quia hæc est benevola protestatio gratiæ acceptæ, seu beneficii, gratis, atque sine debito dati, cum quadam subjectione, & demissione ad ipsum benefactorem directà;quæ actio est quædam beneficii compensatio, quia per illam honoratur benefactor, & alter se illi quodammodo submittit, tanquam majori.

Cur grata commemoratio? primò, ut apud nos tempore, & loco simus memores beneficii accepti, & apud alios, quando occasio se offert, libentèr referamus; hæc enìm est quædam compensatio, quià ad laudem, & honorem benefactoris attinet. Invitatur ad magna, qui de parvis gratias agere consuescit, & per gratias collatas homo dignificatur ad recipienda majora.

Cur beneficii *repensio*, sive *relatio*? ut beneficium vicissim re, vel si non possimus re, obsequio reddamus. Qui animi est grati, cum accipit,jàm de redendo cogitat.

Et quomodo debeant agi gratiæ,diximus suprà ex Philosophiâ *hieroglyphica* per TRES GRATIAS, cum egimus de liberalitate, cujus si est facere gratias,quià gratis dat,est consequens (in recipiente) gratiarum actio; & sicut illæ largiendæ hilari vultu, sincerè, sine morà, sine honesto, ità gratiarum actio.

AMICITIA, quæ est pars potentialis *JUSTITIÆ*. *Ejus symbola, & Emblemata.*

AMicitiam definit S.P. AUGUSTINUS in *Epist.*155. & contrà Academicos lib.3. cap.6. Tomo 1. his verbis: *Amicitia est rerum humanarum, & divinarum cum benevolentiâ, & charitate consensio.* Et lib.50. Homil. in Homil.38. cap.2. Tomo 10. veram amicitiam describit.

Pro legibus amicitiæ inquit in Epist.52. Tomo 2. *Vera amicitia non est pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore potienda.* Et in Epist. 260. *Probitas in moribus, in amicitiâ fides esse debet.* Et lib.50. Homil. in Hom.38. cap.2. Tomo 10. *Amicitia dicenda non est, quam facit mala conscientia*; & quidem ità, quià vera amicitia est virtus.

Idem S.P. (de Catechis.rudib. cap.4. Tomo 4.) addit: *Nihil aliud ca-*

vea-

veamus in offensione amicitiæ, nisi ne amicus arbitretur, quòd eum vel non diligamus, vel minùs diligamus, quàm ipse nos diligit. Et de libero arbitr. lib. 1. cap. 12. Tomo 1. *Meus amicus esse non poteris, nisi velis, ut benè sit mihi.*

Ex aliis locis Augustini accipe. Quædam bona necessaria sunt propter amicitiam, sicùt nuptiæ. Hominum amicitia charo nodo dulcis est propter unitatem de multis animis; amicitia enim facit ex amicis affectivè unum, & idem. Amicus desiderat absentes cum molestià, suscipit venientes cum lætitià. Nec hominem amicum potest quis amare fideliter, cui se futurum noverit inimicum. Non omnis, qui parcit, amicus est; nec omnis, qui verberat, inimicus. Nihil est homini amicum sine homine amico. Ergà inimicos patientia, ergà amicos affabilitas esse debet. Qui amat amicum, incolumem habere optat. Amicus lenitèr admonendus. Amicus chari sui absentiam non sine magno mœrore fert. Tùnc amas amicum, si oderis, quod nocet amico. Bonus animus amici consensionis dulcedine, & amoris fide. Amicus *relativè* dicitur, neque enim esse incipit, nisi cum amare cœperit. Avaritia amico fidem non servat. Multum valent boni amici ad bonum, & mali ad malum, ergo mali amici fugiendi. Danda est opera, ne amicitiam cum peccato faciamus. Amicus vitæ medicamentum. Amicus animæ dimidium. Amicitia est voluntas ergà aliquem rerum bonarum illius ipsius causà, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Quid aliud amici, quàm *unum* esse conantur? & quantò magis *unum*, tantò magis *amici* sunt. Nihil sìc probat amicum, quemadmodum oneris *amici* portatio. *Hæc ex Augustino.*

Amicos *falsos* dicas *hirundines*, *& grues*; assistunt tempore verno, symbolo prosperitatis, at tempore hyemis symbolo adversitatis abeunt. Dicas *columbarum* more volantes ad *alba*, prosperitatis symbola. Adorant Solem in Oriente, non in Occidente.

Amicos duos veros dicas ramum insitum stipiti alterius arboris, cui lemma, *ex duobus unum, & idem.* Vnit amicitia, more fibiæ, distantia; & more pontis extrema distantia jungit. In adversis probatur, & more campanæ fractæ ex sono noscitur; more auri in adversitatis igne probatur. Adversitatem dicas lapidem lydium, in quo probatur amicitiæ aurum. Tempestas probat amicitiam.

Rebus in adversis patientia vera probatur,
Rebus in adversis vera probanda fides.

Amicitiam dicas coronam ex floribus textam; nectit, & ornat. Amicus verus, speculi more, fallere ignorat.

Amicum *falsum* dicas *arundinem* sinè profunda radice, & quolibet vento hùc, illùc flectitur. Aquas scias tribulationis symbola; sal resolvitur, si immittatur in aquam; sic falsus amicus tempore tribulationis disparet. Proba amicum, priusquàm approbes, more aquilæ ad Solis aspectum filios, an sint genuini, probantis; si intrepidè respiciant Solis rectos radios, agnoscit suos, fovet, & alit. Nummum probas, an sit verus, vel adulterinus, ergo cur amicum admittas sine examine? Amicus verus, more *vitis* viridis, & fructuosæ hærentis ulmo, etiam si sit felix, semper assistit.

Ille amicus *verus*, qui more *anthiæ* piscis, solicitat amicum à periculis, & malis extrahere. Si aliquis piscis anthias capiatur in hamo, vel rete, videas alios, omni diligentià succurrentes socio, & jàm gyrando, jam hamum, vel rete trahendo, jam frangendo, jam fatigando, solicitant socium incolumem reddere, ideò *anthiæ* lemma, *chari non desertor amici.* Amicum languidum reddit languor amici, more florum, qui lunæ languentis eclipse languescunt; qui ideò inducuntur quasi dicentes lunæ eclipsatæ, *tuo languore languescimus.*

Ami-

Amicum *bonum* dicas *poli* ſtellam ; eſt dux , & non fallit , ſincèrè ducit navem. Stella *Urſæ minor* nunquam recedit à polo; Stella Diana, Oriente die, apparet vicina Soli ; ſic verus amicus amico vicinus nunquam recedit ab eo ; & more canis venatici , portantis ore patrono prædam , lucrum portat amico . Amicitia vera , more *candelæ accenſæ*, lucet , & ardet uſque in finem ; imò amicitia vera etiam poſt mortem amici defuncti durat in illo , qui remanet , more *vitis* non ſecatæ adhuc amplectentis ulmum jacentem, à ſecuri dejectam, & jam ſine vitâ vegetativâ defunctam, cum tamen vitis non ſecata vitâ ſuâ vegetativâ adhùc ſit prædita , & ulmum jàm aridam ramis ſuis , pampinis , & botris veſtit ; vel ulmum licèt non ſecatam, tamen jàm aridam cingit , amplexatur , & ornat ; ideò viti ſic amplectenti ulmum jacentem epigraphe , *amicitia poſt mortem durans* . Amicitia eſt virtus, non quæſtus; immortalis eſſe debet.

Auguſtinus in Pſal. 131. monet : *Non* omnes , quos diligimus, recipiendi ſunt in amicitiam, quià non omnes ſunt ad id idonei. Primùm quidem amicus eſt *eligendus* , deindè *probandus* , & sìc demùm *admittendus* . Non ſunt ad amicitiam idonei nimìs *iracundi*, *inconſtantes*, *ſuſpicioſi*, *& verboſi*, quæ *quatuor* ſunt notanda in amici *electione* . Hæc S. Pater.

Amicitia verſatur *in medio* inter inimicitiam , quæ eſt vitium per *defectum*, & nimiam amicitiam, quando nempe plus juſto, & fervore imprudente amaretur amicus. Vide pag. 1070. & 1074. & pag. 1235. in fine. Amicitiæ actus ſunt *benevolentia* in affectu , *concordia* in voluntate , nempe eadem velle , & nolle , *beneficentia* in affectu , nam amicis omnia ſunt communia; tandem *fides*, *& conſtantia* in adverſis.

Cauſas , & effectus amicitiæ collige ex pag. 905. & 906. & 1013. inde collige idoneos effectus amicitiæ.

De MISERICORDIA.

EX eo (docet S. P. Auguſtinus contrà Academicos cap. 11. Tomo 6.) *appellatam* MISERICORDIAM *dicunt, quòd miſerum cor faciat dolentis alienà* miſeriâ . Et de Morib. Eccleſ. cap. 8. Tomo 4. *Miſericordia ex eo appellata eſt, quòd miſerum cor faciat condolentis alienà miſeriâ.* Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. Tomo 4. Miſericordia hominis habet nonnullam cordis miſeriam, *unde etiàm in Latinà linguà nomen accepit* .

Ideò Damaſcenus : Miſericordia eſt *triſtitia in alienis malis* ; ideò S. P. Auguſtinus contrà Julianum lib. 1 oper. imperf. num. 38. ~~Tomo~~ 7. ait: *Non opus eſt miſericordiâ, ubi nulla eſt miſeria.*

D. Thomas 1. p. q. 21. a. 3. *Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio , qua utique ſi poſſumus , ſubvenire compellimur* . Et S. P. Auguſtinus (Epiſt. 50. Tomo 2.) ait : *Si opera miſericordiæ hominibus debemus impendere pro ſalute corporali , magis pro vitâ æternâ adipiſcenda , & pœnâ æternâ vitandâ .*

Ut eſt virtus Moralis verſatur in medio inter non miſericordiam, quando non eſt compaſſio alienæ miſeriæ, quæ eſt vitium per *defectum*, & inter nimiam miſericordiam , ſivè contrà rationem, quando ex nimiâ miſericordiâ non puniuntur vitiâ , ideo dicente Auguſtino Epiſt. 54. Tomo 2. *Sicut eſt aliquando miſericordia puniens, ità & crudelitas parcens* . Miſericordia noſtra imitetur divinam , de qua S. Pater Auguſtinus in Pſalm. 39. Tomo 8. *Non sìc eſt Deus miſericors , ut injuſtus ſit ; nec ſic juſtus eſt , ut*

mi-

misericors non sit. Saul peccavit, quià misertus est Achab Regis hostium, quem prohibuerat divina sententia servari.

Nihil (inquit S. P. in expositione epistolæ ad Galatas, cap. 6. Tomo 4.) *ad misericordiam sic inclinat, atque proprii periculi cogitatio.*

Miseratio est effectus misericordiæ, quæ est virtus, ut docet D. Thomas sup. Psalm. num. 24. co. 3. ut invenio citatum. Dicitur *miseratio à miseror miseraris*, quod ità differt à *misereor misereris*, quòd *misereri* habet *passivum* affectum, quià dicit cor anxium ex alicujus miseriâ; at *miserari* est *activum*, nempe ostendere verbis, aut lachrymis dolorem, quem ex alteriùs miseriâ habemus. Commendatur misericordia à Salvatore, cum (Math. cap. 5.) dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Miseria est *copia tribulationis, & inopia consolationis, quando multifariè quis patitur, & à nemine relevatur.*

De CLEMENTIA.

Clementia (deffinit S. P. Augustinus lib. 83. qq. in quæst. 31. Tomo 4.) *est, per quam temerè in odium alicujus illecti, concitatique, comitate retinentur.* Clementia est superioris ad inferiorem; mansuetudo, sicut & misericordia possunt esse cujusvis ad quemlibet, nempe privati hominis ad hominem privatum. *Clementia* est pars *temperantiæ*, quià clementià temperat iram, at quia tendit ad alterum, ideò ad partes potentiales *justitiæ*, quæ *ad alterum* tendit, eam trahimus; nec mirum, quià sicut omnes virtutes mutuò se fovent, & adjuvant, ità partes potentiales unius virtutis, etiam adjuvant virtutem aliam.

Clementiæ symbolum mulier suprà leonem sedens, sinistra manus tenet lanceam, dextra sagittam in actione non vibrandi, non emittendi, non feriendi, sed eiiciendi in terram, quasi cadant; sic videas in icone Severi Imperatoris, cui inscriptio, *Indulgentia Augusti*; leo est symbolum iræ, quam clementia subiicit. *Clementia*, ajebat Seneca, *est lenitas superioris adversùs inferiorem in constituendis pœnis*. Clementiam commendarunt veteres, qui Deorum simulacra, & statuas non faciebant ex ære, nec ferro; cur sic? quia sunt materia ad instrumenta bellica, & vindictam; ita Clementiam putarunt propriam Numinum, ut nec ex materià vindictæ statuas Deorum fieri voluerint.

Sententiæ justæ severitatis per Clementiam temperantur, & temperanda est severitas, ne veniatur ad deteriora. Hostem vincere benignitate, & clementià, quàm armis, præstat. Clementia est omnibus amori, at odio crudelitas. Plus parcendo, quàm vincendo, auxere Romani imperium.

Clementia versatur *in medio* inter *sævitiam*, quæ est vitium per *defectum*, & clementiam *nimiam*, ex qua non puniuntur *debitè* scelera, quæ est vitium per excessum; nam facilitas veniæ est causa delinquendi, & bonis nocet, qui malis parcit; ideò Ambrosius (ad Vercel. Episc.) sic: *Beatus, qui severitatem, & mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur*; & Gregorius 19. Moral. *Regat disciplinæ rigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet rigorem, & sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit frigidus, nec mansuetudo dissoluta*. Medici, non nisi tentatis omnibus, ad sectionem descendunt.

CAPUT IV.

De MANSUETUDINE. Ex Philosophia Morali symbolicè per OVEM, & AGNUM; ex sacris per BERYLLUM lapidem pretiosum in rationali summi SACERDOTIS, & per BERYLLUM in octavo fundamento Civitatis Hierusalem cœlestis.

HÆc est *potentialis* pars temperantiæ, sicut & *clementia*; hùc trahuntur, quià sunt ad *alios*; utraque habet pro objecto moderationem iræ, & lenitatis; ne ira sit contrà rationem, & ne lenitas sit nimia, & contrà rectam rationem; differunt Clementia, & mansuetudo (ut dictum) in eo, quòd *clementia* est propriè eorum, qui sunt in potestate constituti, qui possunt punire, & parcunt; at *mansuetudo* omnibus etiam subditis convenit. Augustinus (serm.7.de temp.) monet: *Serva pietatem mansuetudinis, qui tandiu suspendisti gladium ultionis.*

Duo iræ remedia sunt; unum est *mora*, aliud *silentium*; nam cum *silentio* non evaporat ira, reprimitur; cum morà tepescit. Turpe est nescire injuriam pati, nam vir bonus non est, qui malos patientèr (ut dictet recta ratio) non tolerat. *Mitis à mitigando* dictus; qui mitigat odia, nullà injurià deterior redditur, sed se habet more hominis succo malvæ aspersi, quem nec apum, neque scorpionum aculei, nec aranearum morsus possunt lædere. Vide à pag 1014. usque ad 1018. & à pag.1054. usque ad 1056. Item pag.1058.& 1059.& à pag.1097. usque ad 1113.

Mansuetudo virtus versatur *in medio* inter *crudelitatem*, quæ est vitium per defectum, & inter *nimiam* mansuetudinem, quæ potest appellari fatuitas, vel hebetudo. Recta prudentia dictat medium. Vide p.1113.ubi *mansuetudinis* symbolum diximus *agnum*, & *ovem*, & alia ibi, attinẽtia hùc.

Ex sacris literis *beryllus* (lapis pretiosus in octavo fundamento Hierusalem cœlestis apud Apoc cap.21.& *in Rationali* summi Sacerdotis) *mansuetudinis* virtutem in lineà morali symbolicè signat. Est *beryllus* lapis pretiosus colore viridis, viriditatem puri maris imitans; nascitur in Indià; ejus varia sunt genera; *dicitur favere contrà* HOSTES, & LITES, *reddere* MITEM, & INGENIUM BONUM (id est, indolem placidam) *præstare*; hìnc aptum est symbolum *mansuetudinis virtutis*, quæ coercendo iram, favet contrà *hostes*, quatenus mansuetus hostes non generat, & si sint, eos mansuetudine dulcificat; item *mansuetudo* relegat *lites*, reddit MITEM, & indolem bonam efficit.

De HOSPITALITATE. Ex Poeticà per SISYPHUM cruciatum, quia cruciabat HOSPITES, & per HERCULEM occidentem DIOMEDEM, & BUSIRIDEM, quia crudeles ergà HOSPITES. Item per LYCAONEM.

HOspitalitas definitur: *Est facilitas, & benignitas in recipiendo extraneos, & advenas.* Commendatur ab Isaia cap.38. *Egenos, vagosque induc in domum tuam.* Paulus ad Hebr. cap 13. *Hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enìm quidam placuerunt angelis, hospitio receptis.* Ideò S.P. Augustinus de Verb.Apost. *Ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet hominem, & maximè hospitio suscepit hominem.* Et de Verbis Domini To-

mo 3. ſerm. 52. ſic: *Suſcipe hoſpitem, cujus & tu es comes in viâ, quià omnes peregrini ſumus*. Sicut gemma fulget in auro, ità hoſpitalitas in viro juſto: Eſt hoſpitalitas magnus theſaurus. Tantus debet eſſe affectus hoſpitalitatis, ut peregrini non ſolùm ſint invitandi, ſed trahendi; ipſis autem prompta, atque alacris ſuſceptio adhibenda; maximè monachis uberiorem honorificentiam hoſpitalitatis eſſe adhibendam ſuadet S. Iſidorus Hiſp. c. 2. *in regulà monachorum*.

Hùc Ariſtoteles lib. 6. Politic. cap. 5. *Gratioſorum, ac mentem habentium nobilem, eſt ſuſcipere egenos*.

Verſatur hoſpitalitas virtus in medio inter inhoſpitalitatem, quæ eſt vitium per defectum, & inter hoſpitalitatem nimiam, quæ eſt vitium per exceſſum; nempe quando ſine diſcretione, & ſine cautione recipiuntur hoſpites; cum poſſit contingere, te recipere latrones, & qui jura hoſpitalitatis violent; ideò Prudentia dictat, te ità recipere hoſpites, quos non noſcis; ut tu cum tuis ſis tutus, & incolumis.

Poeſis dixit, Herculem occidiſſe *Diomedem* Thraciæ Regem, & eum equis dediſſe in pabulum, quia hoſpitum carnibus, & ſanguine equos ſuos paſcebat; innuere voluit per Herculem virtutem hoſpitalitatis, quæ inhoſpitalitatem occidit, & quòd Deus impios ergà hoſpites non ſine pœnà relinquit; idemque innuitur, dum refertur, Herculem occidiſſe Buſiridem regem Ægypti, quià *hoſpites* mactabat crudelis. Item effinxit *Poeſis* Siſyphum cruciatum, quia variis tormentorum generibus *hoſpites*, qui ad illum accederent, cruciare ſolitus erat, & ideò à Diis ad inferos dejectum. Sed & Lycaonem finxit Poeſis crudelem ergà hoſpites hoſpitio ſuſcepiſſe Jovem verſum in pauperem operarium; unumque ex infantibus indigenis jugulaſſe, & ejus inteſtina Jovi cum aliis commiſta epulanda dediſſe; quod ſcelus abominatus Jupiter ſubvertit menſam, & Lycaonem convertit in lupum, & è Lycaonis filiis alios convertit in lupos, alios percuſſit fulmine. Per hoc figmentum Poetæ hortabantur hoſpitalitatem, & quòd contingere poſſit, Deum recipi ſub ſpecie hoſpitis; at ſimùl pœnas contrà eos, qui injuriarent hoſpites.

CAPUT V.

De VERITATE, ſive INGENUITATE, ſignificatà per SMARAGDUM lapidem pretioſum in rationali *ſummi SACERDOTIS. Ex* Poeticà *per HERCULEM, occidentem HYDRAM.*

Veritas prout eſt eadem, ac *ingenuitas* virtus Moralis, definitur ſic: *Eſt virtus, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur*.

Veritas dicitur *à verum*, quod eſt idem ac ſolidum, ſyncerum, non falſum. *Verum* derivatur à ſubſtantivo *ver* veris, ſignificante tempus *vernum*; quià ſicut tùnc terra aperit ſinus ſuos, & explicat, ut ſunt, & erant virtutes herbarum, & plantarum, quæ latebant, nec unum explicat, & aliud oppoſitum occultat, ità veritas virtus Moralis eſt, cum aperiens ore, vel calamo, vel ſigno mentem, id explicas ore, ſicut latebat in corde; vel exteriùs, ut eſt in animo interiùs. Dolet David Pſalm. 11. *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*.

Verſatur in medio inter mendacium, quod eſt vitium (per defectum)

oppositum veritati, & inter nimiam veritatem, sive ingenuitatem nimiam, nempè, & quando quis fatuè, vel imprudẽs, & incautus explicat sua interiora plus quàm oportet, vel quando non oportet, vel quibus non oportet. Opponitur & veritati *hypocrisis*; item *jactantia*, qua quis plus de se dicit, quàm sit. Ideò Paulus ad Ephes. c. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Et Jacobus in Epist. cap. 3. *Nolite gloriari, & mendaces esse adversùs veritatem.*

S.P. Augustinus in Enchirid. sic: *Is autem, qui mentitur contrà id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea instituta sunt, non ut per ea se invicem homines fallant, sed ut eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. Verbis autem uti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est.* Vide à pag. 1160. usque ad pag. 1170.

Hæc virtus potest symbolicè significari per SMARAGDUM lapidem pretiosum, qui Hebraicè dicitur *Barchet*, est gemma semper colore *firmo*, nec eum mutat ad lumen *lucernæ*, aut *Solis*, aut *umbræ*; visum, & memoriam conservat, à vertigine præservat; si sit smaragdus verus, reprimit *motus sensus*, adeòque contrà *libidinem* est, ut actu venereo *frangatur*; ferturque, smaragdum in annulo fractum, & in tres partes scissum in manu coeuntis *venereè*. Hinc quatenus *contra libidinem est*, *castitatem* ex virtutibus Moralibus symbolicè signat; at quatenus est *firmo* colore, nec mutatur, nec variat, est *veritatis* symbolum; vir enim verus, & ingenuus firmus in veritate est; *si si*, *non non*, semper in veritate constans; nec in publico, nec in privato, nec in prosperis, nec in adversis, ideòque nec ad lumen lucernæ, aut solis, nec in umbrà variat, ut est moris fallaci, & mendaci variare, nec in veritate firmo corde consistere.

CAPUT VI.

De AFFABILITATE, ex Philosophiâ Morali symbolicâ, & Emblematicâ *per NUCEM PINEAM calore excludentem fœtus; & per GUTTAM aquæ, sæpè cadendo, cavantem lapidem; item per TOPAZIUM lapidem pretiosum* in rationali *summi SACERDOTIS. Ex* Poeticâ *per ORPHEUM, & AMPHIONEM, & per ULYSSEM excæcantem POLYPHEMUM.*

COmmendat S.P. AUGUSTINUS *affabilitatem*, dum (in Psalm. 103. conc. 1 Tomo 8.) monet: *Si potes dare da; si non potes*, AFFABILEM te præsta; coronat *Deus intùs voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

Affabilitas pars justitiæ, inclinans, ut complaceamus unicuique, quantum possimus, & liceat, definitur: *Est suavitas quædam morum, atque sermonis comitas in hominum consuetudine usurpata.* Item aliis verbis definitur ità: *Est virtus, qua quis ad alios convenientèr se habet tàm in dictis, quàm in factis.* Ea commendatur, cum ejus effectus in Proverbiis, & in Ecclesiastico explicantur; nam in Proverbiorum capite 16. dicitur: *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, & qui dulcis eloquio majora percipiet.* Et in Ecclesiastici cap. 6. v. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimi-*

cos,

cos, & lingua eucharis in bono homine abundat. Absalon agnoscebat affabilitatis vim dulcem, cum (ut est in libro 2. Regum, cap. 15.) dulcibus verbis, & suavitate sermonis alliçere intendebat populum, ut coronaretur Rex.

Aptè dicitur, *affabilitatem* mitigare inimicos, cùm ex lib. 1. Regum, cap. 25. pateat, quòd *Abigail* uxor Nabal Carmeli sermone dulci, & blandis verbis placavit Davidem, venientem, ut occideret Nabalem, quià contumeliosè contrà David se gesserat, ut ideò David Abigaili dixerit: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te in occursum meum hodie, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & ne ulciscerer de manu meâ.*

Vim *affabilitatis* ad mitigandos hostes, & conciliandos animos suavitate sermonis innuit *Poesis*, fingens *Orpheum* suavitate lyræ mitigasse tygres, placasse leones, allexisse feras, sicut & Amphionem saxa prece blandâ testudinis movisse, quò vellet & traxisse sponte ad Thebanæ arcis constructionem; fuit innuere, suavitate sermonis, verborum dulcedine trahi, & molescere corda moribus fera, & dura, quanvis sint indole saxeà:

Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, fœdo victu, deterruit Orpheus,
Dictus hic lenire tygres, rapidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Adhuc ex *Poeticâ* Ulysses excœcans *Polyphemum* conspirat hûc, quòd si nomine Polyphemi intelligitur *asperitas*, sive *inaffabilitas*, & nomine *Ulyssis* illum excœcantis virtus *affabilitatis*, sive dulcis, & suavis sermo, affabilitas asperitatem repellit; quare de Polyphemo Virgilius: *Nec visu facilis, nec dictis* AFFABILIS *ulli.*

Vides *pineam nucem* calore explicantẽ fœtus? cernis *guttulam* mollem, quæ sæpe cadendo, cavat lapidem, & hujus duritiem emollit? *symbola* sunt *affabilitatis*, quæ molli, & blandâ suavitate verborum emollit corda etiam moribus lapidea, & calore suavi, & temperato sermonis cor (more pineæ nucis clausum, durum, & tenax) aperit, ut dulces fructus expromat; ideò, ut fiant Emblemata, pineæ nuci expositæ radiis Solis lemma, *Calore fœtus excludet*, & guttulæ cavanti lapidem epigraphe, *mollior frangit*; quare apud Proverbia cap. 15. v. 1. *Responsio mollis frangit iram.*

Affabilitatis symbolum idoneum est *Topazius*, unus ex lapidibus pretiosis *in rationali* summi Sacerdotis; est enim lapis pretiosus colore *viridis*, aut potiùs *aureus*, qui primus refertur in *Topazio* insulâ maris rubri inventus, & matri Regis Ægypti oblatus; *rarus* inventu, *fervidam* aquam *tepidam* reddit, si in ipsam *immittatur*, *variasque curat infirmitates*; Hebraicè dicitur *Pitalach*, Arabicè *Tabarget*, apud Turcas *Giberget*. Beda duos colores narrat in Topazio, unum similem *auro*, alium clariorem, radiis Solis resplendentem uberiùs, quàm in tenebris. Arias Montano, & Camillus Topazium asserunt gemmam pretiosissimam, colore *viridem*, resplendentem *aureè*; hinc cum colores *viridis*, & *aureus* sint grati, placidi, & amœni aspectui, est Topazius (relatis coloribus præditus) congruum *affabilitatis* symbolum, quià *affabilitas* placet omnibus, & cunctis est amabilis. Si Topazius *fervidam* aquam reddit *tepidam*, ità affabilitas erga alios, si hos inveniat ferventes irâ, tepidos reddit, & calorem ardentem iracundiæ sedat; sique Topazius varias infirmitates corporis curat, *affabilitatis* virtus plures ægritudines animi sanat, & ab ipsis præservat, dum à passioni-

bus

bus immodicis iræ, invidiæ,& à rixis liberat, & animum serenum servat.

Versatur *affabilitas* virtus *in medio* inter duo extrema vitiosa, nempe inter *asperitatem*, & *assentationem*; nimia affabilitas, sive nimia suavitas in conversatu humano non sine adulatione est; *asperitas* est vitium. *Affabilitas* servat *mediocritatem* inter sermonis *suavitatem*, *asperitatemque* erga alios, & reddit hominem *affabilem* in eâ mensurâ, ut nec sit *adulator*, nec *asper*. Adulator est plus justo suavis, ita placere aliis vult, ut eos immodicè, aut ultrà meritum laudet; *affabilis* in humanis congressibus, & colloquiis servat *medium*; nec *excedit adulando*, imò si in socio videat quid turpe, moderatè increpat, & objurgat, ideòque ut corrigat, eum aliqua tristitia afficit; nec *deficit affabilis* à suavitate, conversui humano necessariâ; quare ne dum *adulationem*, sed etiam *asperitatem* refugit, ne difficilem se exhibeat aliis, si nullam lenitatem, & suavitatem ostendat; ideò dicente Ambrosio Offic. lib. 1. *Sicùt molliculum, & infractum aut vocis sonum, aut corporis gestum non approbo; ita neque agrestem, neque rusticam naturam imitemur; effigies enim forma disciplinæ, forma honestitatis est.* Hùc D. Hieronymus ad Heliodorum sic: *Nihil imprudentius arrogantiâ rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ad lites in subditos intonant.*

CAPUT VII.

De EUTRAPELIA, symbolicè (in sensu morali) significata per CHRYSOLITUM, unum ex lapidibus pretiosis, qui micabant in rationali summi SACERDOTIS. Non eutrapelus per CAPRICITEM indicatus.

INter Affabilitatem, & Eutrapeliam hoc est discrimen, quòd Affabilitas est virtus regulans *motus*, & *actiones corporales*, *pertinentes ad externam conversationem cum aliis*, *tam in dictis*, *quam in factis seriis*; at Eutrapelia regulat eosdem motus, & actiones in dictis, & factis *Jocosis*, sive *ludricis*. Aptè distinguntur hæ duæ virtutes; licèt enim conveniant in eo, quòd utraque virtus reddit hominem *in dictis*, *& factis suavem aliis*, cum quibus versatur, & ideò ambæ ab Eustratio dicitur *sociabiles*, sive *affabiles*; at cum Affabilitas reddat suavem, & regulet in *dictis*, *& factis sobriis*, & posteà sit nova, & specialis difficultas ad regulationem, & moderationem in *dictis*, *& factis jocosis*, sive ludricis, ideò pro hoc specialis virtus *Eutrapelia* oportet. Non enim ista cuicumque *suavitati* in conversatu humano studet, sed ex munere illi, quæ est in ludis, & jocis.

Affabilitas versatur *in medio* inter *asperitatem*, *& adulationem*; Eutrapelia in medio inter *rusticitatem*, *& scurrilitatem*, quæ sunt extrema vitiosa, Eutrapeliæ directè opposita.

Nec vitia opposita relatis virtutibus sunt eadem, sed diversa; nam *adulatio*, opposita (per *excessum*) *Affabilitati virtuti*, est blandiri aliis, laudando nimìs, aut nimìs blandiendo, quin turpe corrigatur; at *scurrilitas* (per *excessum*) opposita *Eutrapeliæ virtuti* non blanditur, sed ad cachinum movet, & est nimia jocositas.

Asperitas opposita (per *defectum*) *Affabilitati virtuti*, est propriè, cum quis se gerit asperum, durum, & difficilem, & contentiosum, cæteris passìm adversantem absolutè in humano conversatu; at *rusticitas* opposita (per

defectum) virtuti *Eutrapeliæ*, est propriè, cum quis *in ludis, & jocis* se gerit agrestem, onerosum, incommodum, ità ut nec unquam jocetur, aut ludat, nec alios jocari, & ludere patiatur, sed ægrè ferat; ergo *Affabilitas, & Eutrapelia*, sive *comitas* duæ distinctæ sunt virtutes.

Et quidem cum *rusticitas, & scurrilitas* sint duo extrema *vitiosa*, Eutrapelia, quæ consistit in medio eorum, est verè Moralis virtus; Græcè dicitur *Eutrapelia*, latinè *comitas*, sive *urbanitas*, & definitur sic: *Est habitus studiosus, qui in ludis, & jocis versatur*, nempe *moderando, & regulando*, ne sit excessus, nec defectus; & sic juxtá rectam rationem *jocosus* dicitur *Eutrapelus*, id est, *benè, facilèque flexibilis, comis, urbanus.*

Nec existimes, *Eutrapeliam* non esse virtutem, quià versatur circà *ludos, & jocos*; non inquam; nam vis activa corporis, & animi humani est finita in agendo, & laborando, & fatigatur; quare sicut cum corpus laboravit juxtà totam intensionem virium exercitatione actuum externorum, ut currendo, saltando, excolendo terram, aut artem mechanicam exercendo, opus est ipsi refectione, somno, aut quiete aliqua, ut lassitudo tollatur, & corpus honestè recreatum cum vigore se restituat ad opera; ità cum anima *defatigata* est, vel agendo *circà sensibilia*, mediante ministerio organorum corporeorum, vel *ultrà sensibilia*, intẽta operibus rationis tum speculativæ, tum practicæ, & contemplando, & studendo, oportet, quòd quiescat per aliquam honestam delectationem, sive recreationem honestam, nempe per *ludos, & jocos honestos*; ludi propriè versantur *in factis*, joci *in verbis*; alioquin deficient animæ vires, & labori spirituali succumbet, quod & experiuntur literariis studiis addicti.

At oportet, ludos, & jocos esse intrà materiam *honestam*, non obscœnos, nec prohibitos; item *quando* oportet, & *quomodo* oportet, nempè non effundendo verba, & gestus, scurrarum more, moventes ad cachinum; & *ubi*, sive in quo *loco* oportet, & *cum quibus* personis oportet, & *quo fine*, nempe *honesto*, oportet; non irridendo aliquem, nec irritando; sed prudenter, dexterè, innocentèr, cum sale gratiosæ, & festivæ ingeniositatis honestæ; adeo, ne gravitas animæ omninò dissolvatur, sed ad tempus lassitudo remittatur, ut *intensiùs* ad speculationem, contemplationem, studia honesta, & opera rectæ rationis restituatur; ideò dicente S. P. Augustino lib. 1. de Musicà cap. 4. Tomo 1. *Magni viri post magnas curas, relaxandi, ac reparandi animi gratià, moderatissimè aliquid voluptatis assumunt; quam interdum sic capere modestissimum est; ab eà verò capi, vel interdum turpe, vel indecorum est*; ideò, *Cavendum* (ajebat Ambrosius lib. 1. Offic.) *ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.*

Sanè hujus virtutis exercitium talem ingenii, & prudentiæ, & animi specioši petit; & ut plurimum, cum dexteritate exercetur ab eruditis, ingeniosis, placidis, piis, urbanis, & doctis.

Solùm est habitus vitiosus ille, qui inclinat ad risum *immodicum*, & *importunum*; & iste reprehenditur; non tamen qui (ut suprà explicatum) inclinet ad excitandum risum modicum, debitè, & juxtà præscriptum rectæ rationis.

Et quidem si virtus versatur in *difficili*, & *arduo*, hìnc magis probatur, quòd *Eutrapelia* sit *virtus*, nam licèt ludere, & jocari (simpliciter loquendo) sit facillimum; tamen ludere, & jocari honestè, & intrà cancellos rectæ rationis, & cum debitis circunstantiis, & quin sis rusticus, nec scurra in convictu humano, est ità difficile, imò difficillimum, ut pro hoc virtus specialis inclinans, expediens, moderans, regulans requiratur.

Sym-

Symbolicè (in ſenſu *Morali*) ſignificatur Eutrapelia in CHRYSOLITO, lapide pretioſo *in rationali* ſummi ſacerdotis; eſt gemma AVREVM habens colorem, Hebraicè dicitur *Tharſis*. Albertus magnus dicit Chryſolitum colore viridem viriditate clarà, cum interiori ſplendore *auri*; *gaudet vi fugandi timores nocturnos*, *diminuit* MELANCHOLIAM, *confortat* INTELLECTVM; ideò aptum ſymbolum virtutis Moralis *Eutrapeliæ*, quæ cum honeſtis ludis, & jocis *melancholiam* temperat, & *intellectum* fatigatum ab operibus rationis confortat. Colorque viridis viriditate clarà cum interiori auri ſplendore colores ſunt amœni, & feſtivi, & læti, ut ideò Eutrapeliam expedientem honeſtè feſtiva, & facета, ſymbolicè ſignificare poſſint.

Quatenùs iſtà virtus cohibet immodicas delectationes in ludis, & jocis, videtur attinere ad *temperantiam*, quæ omnes delectationes ſenſus immodicas cohibet; ſed quatenus dicit relationem *ad alios*, cum quibus verſamur, & ſiſtit in æquo, & juſto, etiam non eſt aliena *à juſtitiâ*, ut pars *potentialis*.

Eutrapedia dicitur *Facetia*, & eſt *facetus*, qui facit de verbis, quod vult; dictus *à facio*, vel ut alii volunt *à fando*. Facetusque eſt elegans in dicendo, habens divitias ſermonis, & quaſdam honeſtas delitias, quæ dicuntur *facetiæ*; unde *facetè* adverbium, hoc eſt, *cultè*, *eleganter*, *urbanè dictum*. Facetia item lenit *iram*, *lites* ſedat, ut ideo hoc fine ſit virtus. Contigi; hoſpitem venire in tabernam, & non poſſe ferre clamores uxoris tabernarit rixantur; tùnc tabernarius ad illum, *Jàm per 32. annos uxoris hujus clamores incomptos ſuſtineo, & tu nec per horam tolerare potes?* Ex hac *facetia* inter omnes excitato riſu, cõverſa eſt pacificam in celebritatem rixa. Cumque Ariſtippus vituperaretur, quià pro amico rogans ad pedes Dionyſii jaceret, hocque eſſe Philoſopho indignum, reſpondit: *Rogavi ad Dionyſii pedes, quia Dionyſius habet in pedibus aures*; & cum hac *facetià*, opportunè dictà, placidè ceſſavit contentio.

Qui nullà jucundà conſuetudine poſſet ad *riſum* allici, & ejus expers eſſet, ſicùt de Socrate dicitur, per Capricipitem avem à veteribus hieroglyphicè ſignificabatur pictam; iſta enìm avis liene ſede riſus caret; ergo per hanc avem non Eutrapelus ſignificabatur.



CA-

De FORTITUDINE. Ex Philosphia Morali symbolicà, & Emblematicà per BISONTEM, PALMAM, QUERCUM, RUPEM, LEONEM, serpente coronatum; ex hieroglyphicà per CLAVAM in manu HERCULIS, & per LANCEAM in dexterà MINERVÆ; ex Poeticà per HERCULEM superantem MONSTRA, & per BELLEROPHONTEM aggredientem CHIMÆRAM; ex sacris per LIGURIUM lapidem pretiosum in rationali summi SACERDOTIS.

FOrtitudinem S. P. Augustinus (lib. 1. de lib. arb. cap. 13. Tomo 1.) definit sic: *Fortitudo est animæ affectio, qua omnia incommoda, & damna rerum, non in nostrâ potestate constitutarum, contemnimus.* Item lib. 6. de Musicâ cap. 15. Tomo 1.) sic: *Animæ affectio, qua nullas adversitates, mortemve formidat, nihil aliud, quàm FORTITUDO dicenda est.* Ideo in Epist. 83. Tomo 2. addit: *Christus per mala præsentia docuit, nos temperantèr prospera sæculi hujus contemnere, & fortitèr adversa tolerare.* Libro autem 73. qq. in q. 31. Tomo 4. breviùs definit: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio*; hìnc in Psalm. 83. Tomo 8. concludit: *Fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus.* Ex quibus deducitur illa definitio communis: *Fortitudo est virtus animi*, qua *labores, mortisque pericula, & aliæ occurrentes difficultates constanter suscipiuntur, & perferuntur.*

Versatur hæc virtus in medio inter *timorem, & temeram audaciam*; ille est vitium per *defectum*, ista *per excessum*; ideò dicente S. P. Augustino in Ep. ad Hieronymum: *Qui verà virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet*, & Aug. in orig sup. Isai. *Fortitudo, atq; constantia via regia est, à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est, & pertinax; ad sinistram, qui formidolosus est, & timidus.* De *timore*, & *audaciâ*; vide à pag. 1088. usque ad 1097.

Vir à *viribus* dicitur, & hic nescit in adversis tolerantèr deficere. Fortitudo virtus pericula justa contemnit; & nunquam mortem magis timet, quàm dedecus. Illum virum fortem (ajebat Seneca *lib. in sap. non cadere injuriam*) judico, quem bella non subigunt, nec vis hostilis exterret, non cui inter desides populos pingue otium est. Nec fortis judicandus est, nisi qui diù in laboribus, & periculis sit versatus, Plato (de leg.) decidebat. Fortium virorum non tàm est amare vitam, quàm contemnere, si justa causa id petat. Potest vir fortis invitâ fortunâ vivere, invitâ fortunâ mori. Mala non sentire sua, non est hominis; non ferre, non est viri. Fortis animus liber, intrepidus, alacer, & magnâ fiduciâ vivit; nec suppliciis movetur, nec fortitèr feciſſe pœnitet. Quæ in hominem adversa cadere possunt, despicit, & pro nihilo putat. Viro indignum est gemere, ejulare, lamentari, frangi dolore. Fortitudinem ideò dicas munimentum imbecillitatis humanæ; ideò viri fortes, oppositâ contrariâ clade, non solùm non remittuntur, sed ad majora audenda excitantur. Firmandus ideo fortitudinis virtute est animus adversùs ea, quæ contingere possint. Qui dolore, vel irâ

ductus periculum subit, fortis non est, quià cedit passioni; causa moveat justa. Quò res sit magis periculosa, eò magis viro forti grata. Arborum partes oppositæ Aquilonibus robustiores sunt, quàm quæ spectant ad Zephyrum, vel Austrum; ità fortiores sunt ii, quos duris casibus exercuit fortuna, quàm illi, quibus blanditur prosperitas. Viro forti non est linguæ procacitas, sed animi virilitas; altissima flumina minimo sono labi videmus. Canis timidus vehementiùs latrat, quàm mordet.

Congruè symbola *fortitudinis* Bisonte animal, quod multis vulneribus resistit; *adamas*, qui nec frangitur ferro, nec igne; *palma*, quæ oneri resistit; *quercus*, quæ adversis ventis non cedit, sed consistit firma; *rupes* in medio maris, quam undæ agitatæ invadunt, verberant, at ipsa immota resistit; ideò *quercui* lemma, *nulli cedit*; & palmæ Epigraphe, *non flectitur onere*; & *bisonti* inscriptio, *non uno vulnere vitam*, nempe non amittit uno vulnere; & adamanti, *nec ferro, nec igne*, nempe vincitur.

At *Fortitudo* destruitur, nisi per *consilium* fulciatur; fortitudinem regulat *prudentia*, ne declinet *in temeram audaciam*, aut ad aggredienda pericula sine gravi necessitate; quod ut indicaret Philosophia Moralis *symbolica*, figurat *leonem* coronatum *serpente*, ut innuat, quòd si *leo* est symbolum *fortitudinis*, & *serpens* est symbolum *prudentiæ*, huic debet subiici *fortitudo*, à prudentia reguletur; nam audacia sine prudentià non est fortitudo virtus, sed delirium præceps. Ad idem conspirant *clava* in manu *Herculis*, & *lancea* in dexterà *Minervæ*, ut indicetur, quòd si *clava*, quia ex *quercu*, & *lancea*, quià ex *ferro*, sunt *fortitudinis*, symbola, & nomine *Herculis*, & *Minervæ* intelligitur *prudentia*, tùnc *fortitudo* est *virtus*, quando eam prudentia movet, & tenet; & tùnc *clava*, & *lancea* juvant, quando prudentiæ manus ea dirigit, & regulat. Quarè & *Bellerophontem* aggredientem periculum arduum occidendi *Chimæram*, Poesis effinxit, ut indicaret virtutem *fortitudinis*, cujus est aggredi pericula ardua; at addidit Poesis, Bellerophontem equitem in equo arte, Minervæ domito, Chymæram occidisse, ut indicaretur, quòd si nomine *Minervæ* intelligitur *prudentia*, non nisi hujus auxilio, & quasi in ipsà equitans est *fortitudo* virtus, qua aggrediamur pericula ardua, & difficultatum monstra superentur.

Ex *sacris* literis *ligurius* lapis pretiosus *in rationali* summi Sacerdotis, quià generatur ex lyncis urinà, quod est animal *audax*, ajunt interpretes sacri, quòd signat virtutem *fortitudinis*, sive animositatem, & *audaciam*, ad exequendum, quod *bonum est*; at erat *in rationali*, quià tùnc *fortitudo* est virtus, quando inserta in ratione, consilio, & prudentià est.

ACTUS FORTITUDINIS.

Primò; pericula mortis, & ipsam mortem intrepidè sustinere, maximè in causà Religionis. *Secundò*, quælibet alia pericula tolerare propter defensionem virtutis. *Tertiò*; mentem in adversis, & prosperis ità roborare, ut nec in illis vincatur, nec in istis extollatur. *Quartò*; tentationes dœmonis intrepidè sustinere, & fortiter reijcere. *Quintò*; ardua quæque cum magnà in Deum fiducià aggredi. *Sextò*; mentis tranquillitatem in adversis retinere. *Septimò*; pericula, virès nostras excedentia, sine anxietate vitare. *Octavò*; se ipsum generosè vincere; fortior enim est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia.

Ex his còlligis, in præsenti non esse sermonem de *fortitudine corporis*, quæ consistit in robore, & firmitate membrorum; nec de *fortitudine*,

con-

consistente in pecunià, exercitibus, & armaturis ; sed de *fortitudine animi*; & quæ versatur in moderandis perturbationibus appetitus sensitivi *irascibilis*, & potissimè moderatur *timorem*, & *audaciam*. Ex quibus *timor*, sive timiditas est, *qua quis retrahitur à bono arduo, quod tamen recta ratio dictat esse prosequendum* ; audacia temerè intimida est illa, *qua non timentur timenda, aut quando, aut quomodo* oportet, sive hoc procedat ex elatione animi, sive ex vecordia, sive ex defectu rationis. *Fortitudo virtus* relata vitia fugat. Licèt autem omnes relati suprà sint *actus* fortitudinis, *duo* præcipui sunt aggressio, sive periculorum *susceptio*, & malorum *perpessio*; aliis terminis, *duo præcipui actus fortitudinis sunt aggredi, & sustinere*; non enim sufficit ad virtutem fortitudinis *aggredi* pericula, sed ulterius requiritur *sustinere* labores, & mala, quæ in tali labore concurrunt, usque ad assecutionem *finis honesti*; alitèr qui aggrediatur, & cum videt labores fugiat, non erit *fortis*, sed fuit temerè audax, quià non prævidit, quid sustinere, vel non sustinere posset, nec si haberet sufficientes vires ad illa vincenda, quarè est temerè audax; & tandem est mollis, non fortis, qui aggreditur, & non sustinet; subjecta enim fortitudinis materia sunt ea, quæ in vità habentur mala, nempe pericula, labores, adversa fortuna, quibus animus fortis non frangitur, sed contra obfirmat se, & resistit invicto, & inflexo animo ; ergo si flectatur, & fugiat, ut non *sustineat*, non erit fortis, quamvis *aggressus* fuerit. Oportet, quod *aggressio* sit *constans, consulta, non temeraria*.

Infertur etiam ex dictis, quàm necessaria sit virtus *fortitudinis* ; nam circà timores, & audacias contingere potest, aliquem se habere *rectè*, & *non rectè*; accidit enim aliquos timere *timenda*, *& non timenda*, quià adeò sunt pavidi, ut etiam umbram propriam, & muros circunstantes timeant; alii adeò fatuè audent, ut nec timeant timenda, imò nec Deum timeant, quod insaniæ est ; ergo oportet virtus fortitudinis regulans, ut timeantur timenda, & ne timeantur non timenda, & consequenter ut aliquis audeat, quando est audendum, & non audeat, sed prudentèr timeat, quando est timendum, & ideò non audendum ; quod aliis terminis est, ut aggrediatur, quando est aggrediendum, & non aggrediatur, quando non est aggrediendum; unde *Fortitudo* regulat *timores*, *& audacias* ; moderatur *timores*, ne per eos quis retrahatur ab eo, quod *ratio* dictat; reprimit *audacias*, ne quis aggrediendo aggrediatur id, quod *recta ratio* vetat; ideò in articulo elapso dictum, *Fortitudinem virtutem* non dari, nisi socio *consilio* fratre, & sorore majori, imò matre dirigente, *Prudentià*. Fortis est, qui periculum novit, neque id amat ; at ubi consultè adeundum est, non recusat ; non enim est Fortitudo inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio; diligentissima in tutelam sui est Fortitudo, & eadem patientissima eorum, quibus falsa species malorum inest. Licèt autem *Fortitudo* moderetur *timores*, & *audacias*, tamen *principaliùs* moderatur *timores*, & reprimit; quia cum *Fortitudo* sit circà pericula ardua, & imminentia mortem, vel saltèm gravitèr molesta, & tristia, nostræ indoli facilius est *timere*, & fugere, quàm *audere*, vel aggredi; naturaliter enim horrescimus mala corporis, & pericula, & libentèr fugimus ea. Ex quo difficilius est reprimere timores, quàm audacias ; cum autem virtus sit ad vincendam *difficultatem*, hinc si *major difficultas* est in reprimendo *timores*, quàm in moderando *audacias*, præcipuè versatur Fortitudo circà moderationem *timorum*, & ad hoc est magis necessaria.

Unde cum pericula *bellica* sin *terribiliora*, quià imminent coacervata mala, & oculis objicitur *mors*, omnium terribilium corpori maximum, & ea facilè fugere non possumus, & imminet mors violenta, eò maximè exerce-

tur Fortitudo *agrediendo*, & *sustinendo* pericula *bellica*, & vincendo timores, quos incutiunt; non enim sic *apertè* apprehendimus *mortem*, cum ægrotamus, quia ægritudo latet; nec sic timemus mortem in ægritudine, quià non sic apertè obijcitur visui, sicùt in bello; nec sic nos terret mors ex ægritudine, sicut *bellica*, quia ista violenta, & magis repugnat naturæ, eò quòd corpus mutilatur, & inciditur; ãdem mortem ex ęgritudine non possumus vitare fugiendo, sed necessitamur sustinere; mortem autem ex bello vel possumus, vel apprehendimus, posse vitare fugiendo, & ideò ne fugiamus, & ut morrem bellicam in bello *publico* sustineamus, maximè fortitudo requiritur. *Posteà* etiàm requiritur, ut fortitèr sustineamus *mortem* in bello *privato*, nempe ob tuendam justitiam, vel pudicitiam, vel aliam virtutem; *hìnc* etiàm ad sustinendam mortem violentam, etiàm ut pœnam *justam*, nempe suspensionem in furcà, vel decollationem ex decreto justitiæ propter grave scelus commissum. *Tandem* requiritur virtus Fortitudinis, ad sustinenda quælibet alia mala infrà mortem sensibilia terribilia, & gravitèr molesta naturæ, ut injurias, adversas fortunas, vel morbos &c. licèt enim in sustinendo hæc exerceatur *patientia*, at hæc est (ut infrà) pars *integralis* Fortitudinis.

Tandem infertur ex dictis, *Fortitudinem* non æstimari ex viribus corporis, nec ex inconsultà temeritate, sed ex constantià, & firmitate animi, & tandem ex *fine honesto*, in quo eluceat *justitia*; alitèr non erit *virtus*, sed *vitium*, ideò docente M. Tullio: *Ea enimi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, si justitià vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis*, in VITIO est; *non enim modò id VIRTUTIS non est, sed potiùs* inhumanitatis, *omnem humanitatem repellentis*. Quare in Philosphia *hieroglyphicà* videmus *loricam* in pectore Minervæ, ut indicetur, quod si *lorica in pectore*, sede Fortitudinis, signat *Fortitudinem*, & nomine Minervæ intelligitur *Virtus*, non nisi cum fine virtuoso, & honesto, & in animo moralitèr virtuoso est Fortitudo Moralis virtus.

PARTES INTEGRALES FORTITUDINIS PATIENTIA, & PERSEVERANTIA, & CONSTANTIA.

Fortitudini virtuti non *non sunt partes* subjectivæ.

FOrtitudo Moralis virtus partes *subjectivas*, sive *species*, in quas *ut genus* dividatur, non habet; licèt enim Aristoteles cap. 3. Et hic numeret septem species Fortitudinis, nempe *civilem*, *servilem*, *militarem*, *furiosam*, *consuetudinalem*, *bestialem*, & *fortitudinem virtutem*, tamen *ista sola* est *virtus*. Nam fortitudo civilis est, quando aliquis aggreditur aliquod terribile, quià si non aggrediatur, vituperatur ab hominibus, & ex hoc ut ultimo fine aggreditur, & dicitur *civilis*, quia inter cives, & notos fugit opprobrium, & quærit honores. Fortitudo *servilis* est, quando quis ex timore pœnæ aggreditur. *Militaris*, quando milites *propter experientiam*, quam habent, aggrediuntur, quià jam non timent terribilia, nec eos terret strepitus armorum, nec ignis, quia sunt in his assidui. Quartò; Fortitudo *furiosa* est, quando quis ex furore, & passione aggreditur pugnam. *Consuetudinalis* est, cum assueti victoriis, ex tali consuetudine aggrediuntur audaces propter spem victoriæ, quià benè accidit eis in aliis præliis. Fortitudo *bestialis* est, cum aliquis aggreditur, nesciens fortitudinem, arma, & potentiam hostis. At relatæ Fortitudines, quia non regulatæ per Prudentiam, nec ex fine honesto debito, non sunt *virtutes morales*; sola Fortitudo virtus est, cum aliquis *non* propter hominum gloriam, *non* coactione servili, & timore pœnæ, si

fu-

fugiat; *non* propter experientiam, *non* ex furore, *non* ex consuetudine, *non* bestialiter & cum ignorantiâ aggreditur, *sed* aggreditur propter bonum publicum, fine honesto, ex electione, & consilio recto; ideò hæc est Fortitudo virtus moralis, quæ est species athoma, & indivisibilis, nec habet alias species subjectivas.

Habet tamen partes *integrales*, & *potentiales*. Illæ sunt *Patientia*, *Perseverantia*, *Constantia*. Rectèque dicuntur partes integrales Fortitudinis, nam non prodesset, aliquem aggredi ardua, si patienter non sustineat labores, qui occurrant; nec prodesset sustinere per tempus, si non perseveret usque ad finem victoriæ, & assecutionem finis honesti; nec posset in laboribus perseverare, nisi esset constans contra agentia contraria, impedientia finis honesti assecutionem.

PATIENTIA (definit S.P.Augustinus lib. de *Patientia* cap. 7. & 8.) est virtus, *qua aliquis ne quid mali vel opere, vel ore committtat, æquo animo suffert mala ab extrinseco illata propter bona, quæ expectat*. Ex variis locis Sancti Patris colligo, quod Patientia necessaria non est, nisi ub i toleranda sunt mala. Non omnis, qui aliquid patitur, habet eam virtut em, quæ *Patientia* nominatur; licèt enim *Patientia* dicta sit *à patiendo*, oportet, ut sit Patientia virtus, quòd patiatur propter Deum, & justitiam, & se conformet patiens voluntati Dei, quando patitur. Nam pati propter finis mali assecutionem non est virtus, sed vitium. Mala hujus mundi exercent patientiam, & tribulationes prosunt ad *Patientiam* probandam, ideò S. Pater Augustinus (lib. Meditat. cap. 1. Tomo 9.) Deo sic: *Da mihi in adversis patientiam in prosperis continentiam*. Non invenit locum sapientia, ubi non est patientia. Vide à pag. 1030. usque ad pag. 1072. & inde usque ad 1088.

Patientiâ versatur in medio inter *impatientiam*, quæ est vitium per fectum, & inter *nimiam tolerantiam*, cum quis patitur, cum non est opus, nec oportet pati; v.g. si propter bona temporalia assequenda patiatur mortem. In doloribus, & casibus adversis, vel in morte voces dolentes, suspiria, lachrymæ, si animo æquo & conformi voluntati Dei sustineas, non opponuntur virtuti patientiæ, quià relata sunt naturalia.

PERSEVERANTIAM definit S. P. Augustinus (in lib. de persev.) sic: Est habitus, *quo quis eligit persistere in quocumque bono difficili usque ad finem alicujus operis virtuosi*. Et lib. 83. qq. in q. 41. Tomo 4. definit. *Perseverantia est in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio*. Et in serm. 14. ex additis à Paris. cap. 15. Tomo 9. *Crucis* LONGITUDO *perseverantiam significat*; & cap. 14 sic: LATITUDO *charitatis est in bonis operibus*; LONGITUDO *in longaminitate, & perseverantiâ bonorum operum*; ALTITUDO *in supernorum expectatione præmiorum*; *propter quam* ALTITUDINEM *tibi dicitur*, VT SVRSVM COR *habeas. Faciendo bona opera, quasi habuisti* LATITVDINEM; *perseverando in eis, quasi habuisti* LONGITVDINEM; *sed terrena conquirendo non habuisti* ALTITVDINEM, nempe Charitatis, & Crucis.

Perseverantia versatur *in medio* inter *mollitiem*, non quæ est species luxuriæ, sed quæ est facilis recessus à bono, & inter *nimiam perseverantiam* nempe quando jàm non esset opus perseverare in laboribus, & malis sustinendis, quià jàm esset assecutio finis honesti; quando enim jàm in bello justo victoria sit comparata, & cuncta jàm sint in tuto, cur miles perseveret sustinendo frigora, incommoda, famem, nives, sicut tempore belli ferventis? At in bonis operibus, & in recessu à vitiis, necessaria est perseverantia usque in finem, quia scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

CON-

CONSTANTIA est affinis *Perseverantiæ*. CONSTANTIA (describit Augustinus contrà Julianum lib. 4. cap. 3. Tomo 7.) *est virtus, cui contraria est* INCONSTANTIA. *Vitium tamen est ei quasi finitimum* PERTINACIA, *quæ* CONSTANTIAM *videtur imitari*; & describitur sic ab Augustino, quia definitio positiva *Constantiæ* est ea, quæ est *Perseverantiæ*, cui est affinis, & utraque dicit *persistentiam in bono*; solùm differunt, quià *Perseverantia* dicit diuturnitatem in bono opere; *Constantia* dicit resistere agentibus contrariis, impedientibus assecutionem boni *honesti*. Et ut *Constantia virtus* non confundatur cum *Pertinacia*, quæ est *vitium*, addit (ser. 9. ex addit. à Paris. Tomo 10.) sic: *Multi dolores toleraverunt pertinaciâ, non constantiâ; vitio, non virtute; pravo errore, non rectâ ratione; diabolo possidente, non persequente*; & in Epist. 210. Tomo 2. addit: *Sicùt Constantia non finit hominem depravari, sic Pertinacia non finit corrigi.*

HERCVLEM finxit Poesis aggredientem ardua, sustinentem labores, perseverantem, & constanter repellentem obviaquæque contraria, quæ possent impedire egregia facta, ut innueret completos virtutis Fortitudinis actus. Fortitudinis item sustinentis, perseverantis, & constantis symbolum *adamas*, qui ferro, sive mallei ictibus, & igni resistit; cui lemma, *nec igne, nec ferro*, nempe vincitur.

PARTES POTENTIALES FORTITUDINIS sunt MAGNANIMINITAS, & MAGNIFICENTIA.

RElatæ duæ virtutes *Magnanimitas*, & *Magnificentia* dicuntur partes potentiales *Fortitudinis* virtutis *Moralis*, & ipsi ancillantes; *& Magnaminitati* dicunt annexam *Longanimitatem*. Aliqui non distingunt Fortitudinem à *Magnaminitate* nisi solo nomine, non re; & *Magnificentiam* recusant inter partes *Fortitudinis*, quia illa solùm circà *sumptuarias* actiones, sicut liberalitas versatur, non circà ardua pericula aggredienda, ut est Fortitudinis munus speciale. At *Magnanimitas* distinguitur *à Fortitudine*, quià *hæc* versatur circà ardua pericula, *illa* circà magnos honores; potest tamen in aliquo sensu *Fortitudo* dici etiàm *Magnanimitas*, quatenùs animus magnus requiritur ad aggredienda ardua.

Item *Magnificentiâ* jure censetur inter partes potentiales *Fortitudinis*, quià aggreditur ardua opera, & quæ stent sumptibus magnis, & repellit timorem, qui posset retrahere ab illis faciendis, quando oporteret facere; quarè quidam animus fortis pro ipsis faciendis requiritur. Bona enim fortunæ propria, quià ad nos pertinent, aliquid nostrum sunt; quarè ut pro operibus, & sumptibus magnis à nobis mutilentur ex nobis, aliqua Fortitudo oportet. Quià *Magnanimitas*, & *Magnificentia* reputantur inter 12. *præcipuas* virtutes (inter quas tamen quatuor Cardinales sunt *principalissimæ*) ideò per capita diversa explicantur.

CA-

CAPUT IX.

DE MAGNANIMITATE, parte *potentiali Fortitudinis*; symbolicè signatà per ONTCHINUM gemmam in *Rationali* Summi SACERDOTIS.

Magnanimitas, & *Fortitudo* conveniunt in *modo*, & *forma*, sed differunt in *materiâ*, ut dicitur ex D.Thoma 3.sent.dist.33.q.3.a.3. & ut docet idem D.Thomas 2.2.q.129.art.5. *Fortitudo firmat contrà mala*, *Magnanimitas est in persecutione honorum* Animus magnus requiritur pro Fortitudine ad aggredienda *pericula magna*; animus magnus requiritur pro virtute specialitèr dictâ magnanimitate, ut homo rectè se regulet circà *magnos honores*; ergo conveniunt *Fortitudo*, & *Magnanimitas* in eo, quòd utraque virtus petit animum *magnum*, at illa ut quis rectè se habeat circà *magna pericula*, ista ut quis rectè se habeat circa *magnos honores*.

Ex bonis quædam sunt *utilia*, ut *pecuniæ*, & quicquid potest mensurari numismate; alia sunt bona *honesta*, ut *honores*. In *magnis* autem *honoribus* (ut aptè prævenit N. Doctor B. Cardinalis Ægidius Romanus 2.p.lib.1. de Reg.Princ.cap.22.) *tripliciter* quis se habere potest; nam quidam in talibus deficiunt, *ut pusillanimes*; quidam superabundant *ut præsumptuosi*; quidam autem se habent, *ut decet*, & hi sunt *magnanimi*. Videmus enim, ait, aliquos de se aptos ad magna, potentes exercere *magna* & ardua, & tamen pusillanimitate ducti retrahunt se ab ejusmodi *magnis*; tales ergò in talibus deficiunt. At è contrario alii superabundant, ingerentes se ad aliqua, quæ dignè complere non possunt, quos Aristoteles appellat *chaunos*, id est, *fumosos*, & *ventosos*, & nos eos dicimus *præsumptuosos*. At *magnanimus* est *medius* inter *pusillanimem*. & *præsumptuosum*; non enim se retrahit ab operibus, quæ potest dignè agere, ut se retrahit *pusillanimus*, nec se ingerit ad ea, quæ dignè complere non potest, ut se ingerit *præsumptuosus*; quare magnanimitas definitur: *Est virtus reprimens pusillanimitates*, *& moderans præsumptiones*.

Et quidem quòd hæc virtus sit necessaria non solum patet ex dictis, sed magis explicatur; in omni enim materiâ morum, ubi est specialis difficultas *in rectè agendo*, & circà quam potest contingere, aliquem agere *benè*, vel *malè*, est necessaria specialis virtus, quæ inclinet determinatè ad *benè*, & *rectè* agendum, & repellat *difficultatem*, quam agens possit in hoc habere, & statuat medium inter excessum, & defectum; cum ergò ut homo *benè*, & *rectè* se gerent *circà honores magnos* sit specialis *difficultas*, & circà eos possit agere *benè*, vel *malè*, aut *desiderando* quod non oportet, aut *fugiendo*, quod & quando non oportet, ideòque aut *præsumptuosè*, & ambitiosè intendendo, aut *pusillanimitèr* se retrahendo, unde potest contingere, quod non se gerat, *ut oportet*, & *decet*, & *recta ratio præscribit*, spontè resultat, quòd requiratur specialis virtus, quæ hominem regulet, ut se gerat, *ut decet*, & hæc est Magnanimitas, distincta ab aliis virtutibus; nam *Fortitudo* regulat affectiones periculorum; *Temperantia* voluptates gustus, & tactus; *liberalitas* sumptus, & sic de cæteris; sola *Magnanimitas* per *se*, & ex *proprio instituto* moderatur, & regulat *affectiones circà magnos honores*.

Magnanimitas *principalitèr* intendit *magna opera virtuosa*, quæ sint *magno honore* digna; unde ut advertit noster Argentina in 2.dist.42. quæst. unicà art.4. Vir magnanimus propriè, & directè non appetit *honores* nempe sæculi, ut sunt honorari ab hominibus, magna fama, magna laus, & magna

gloria

gloria Mundi, item Principatus, & dignitates; non, inquam, appetit directè hos magnos honores, sed appetit *opera magna virtuosa*, *in quantum* talibus magnis honoribus digna; *directè*, & *propriè* non appetit eos, sed *dignitatem honoris magni*, nempe meritum magnum honoris magni, qui debetur magnæ, & eximiæ virtuti. Suprà relati enim sæculi honores sunt bona *externa*; magnanimus autem intëdit *directè*, & *propriè* bonũ magnum *internum* animi. Imò sicut magnanimè intëdit *magna* opera virtuosa, ut *magno* honore digna, posteà ipsos honores externos *magnos* magnanimè contemnit, & cum in nostrà ambitiosà, & *præsumptuosà* indole, in contemnendo relatos sæculi honores magnos sit magna difficultas, sicut & ad agendũ opera virtuosa *magna*; ideò ad eas difficultates vincendas requiritur *magna virtus*, nempe *magnanimitas*. Magnanimi est relatos *magnos* honores mereri per *magna* opera virtuosa, non autem *absolutè* eos appetere, aut velle possidere. At si contingat casus, in quo oporteat, & cõveniat gloriæ Dei, & bono publico, ideòq; utilitati proximi tales *magnos* honores possidere, est *magnanimi* eos ex pusillanimitate, & animi abjectione, & demissione non recusare, sed animo magno acceptare àd gloriam Dei, & publicum beneficium, rectamque publicam administrationem. Si que jàm sit in magnis honoribus, dignitatatibus magnis, & Principatu collocatus, est magnanimi non extolli; si non assequatur, vel assecuta amittat, est magnanimi non deiici, nec cadere animo, sed æquo animo se habere in prosperis, & in adversis; ideò dicente D. Ambrosio *ad Simplicianum* sic: *Sapiens non metù frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur*. Pusillanimis nescit fortunas ferre, quià nimis amat exteriora bona; hinc si assequatur, extollitur, & vituperat alios; si non assequatur, vel perdat, dejcitur; magnanimus autem non appretiatur exteriora bona, sive sint honores famæ, sive divitiæ, sive Principatus, sive quæcumque alia ejusmodi bona; solùm appretiatur opera virtutum, non bona exteriora, nisi in quantum sunt organa ad virtutum exercitia; ideòque sive ea bona exteriora habeat, sive non, æquo animo magno est; nec multùm curat, quòd laudetur, aut vituperetur ab aliis; non est plangitivus, nec deprecativus abjectè maximè exteriorum bonorum; qui enim precatur abjectè, ut exteriora bona dentur, aut conqueritur, si non dentur, & eis careat, non magnanimus, sed pusillanimis est.

At *magnanimus* sive contemnẽdo, sive acceptãdo magnos honores, semper *ex fine honesto* operatur; imò *magnanimi* est cõtemnere, & item non recusare, imò appetere tales honores, *quãdo*, *quomodo*, & *quo fine*, nempè *honesto*, oportet, & est consonum rectæ rationi. Possunt esse circunstãtiæ, in quibus sit conveniens gloriæ Dei, & bono publico, & privato conformi rectæ rationi, tales honores aspernari, & oblatos respuere & tùnc nõ appetit, sed cõtemnit, & oblatos recusat, & non est superbia, quià ex fine honesto operatur. Possunt adesse circunstantiæ, in quibus conveniat gloriæ Dei, bono publico, & privato, rectæ rationi conformi, illos admittere, aut oblatos non recusare, & tùnc magnanimi est à pusillanimitate non retrahi, & tunc non est ambitio, quià ultimum finem non ponit in illis; nec est præsumptio, quia non acceptat ultrà meritum justum, vires, & sufficientiam; & consequentèr non est elatus, cum juxtà mensuram, & non plus justo, item & *ex fine honesto* sic operatur. Itaque ex circumstantiis, locis, & personæ fertur judicium, quando honores sint contemnendi à magnanimo, & oblati si sint, non recusandi, vel quando sint ab ipso admittendi, vel oblati si sint, non recusandi. Sicut & fortem virum quandoque decet aggredi, quandoque expectare, ut in circunstantiis recta ratio præscribat; pro quo (quià circunstantiæ sunt variæ) non potest assignari certa generalis regula, sed Prudentia recta, & in-

tegra

tegra cum circunſpectione, quæ ſint agenda, vel non agenda, vel expectanda, ſtatuat. Magis autem ex terminis eſt magnanimi contemnere, quàm acceptare honores oblatos, ſi oporteat; quià in contemnendo major difficultas in noſtro appetitu concupiſcibili bonorum ſenſibilium ſuperatur.

Magnanimitas eſt ornamentum aliarum virtutum, nam inclinat, ut actus earum ſint magni, ut *magno honore digni*; aliæ virtutes ſolùm ſpectant illam peculiarem honeſtatem, quæ intrà *propriæ* materiæ cancellos continetur; at Magnanimitas propendit, ut actus *omnium* virtutum ſint *magni, ut magno honore digni*; reddit cæteras virtutes morales majores, quàm per ſe ſint, & efficit in eis, quidquid excellentiſſimum eſt. Hinc eadem opera poſſunt eſſe ab aliis virtutibus, & à Magnanimitate ſub diversà ratione, ut docet N.B.Doct.Card. Ægidius Romanus, nam agens (ait) opera *Fortitudinis*, & aggrediens pugnam, & pericula ardua, ſi hoc facit, quià honeſtè delectatur in talibus actibus, *fortis* eſt; ſi verò hoc agit, *quià* talia opera ſunt *magno* honore digna, *magnanimus* eſt. Sic ſi agat opera caſtitatis, quià honeſtè delectatur in illis, *caſtus*, & *temperatus* eſt; ſi ea agat magna, *quià* ſunt *magno* honore digna, *magnanimus* eſt; propria enim materia Magnanimitatis eſt honor magnus, id eſt, agere opera virtuoſa *magno* honore digna.

Hùc Cardinalis Aguirre rem explicat, dicens, materiam, & formam Magnanimitatis differre omninò à materia, & fine primariò quarumlibet aliarum virtutum Moralium, ſive ſpectentur in gradu *mediocri*, ſive *præcellenti*, ſivè etiam *heroico*; cæteræ namque virtutes in quolibet eorum graduum *ſolùm* ſpectant illam *peculiarem honeſtatem*, qua dicuntur in agendo *intrà propriam materiam*, ſive *honeſtas* illa ſit *exigua*, ſive *mediocris*, ſive excellens, ſive denique *heroica* juxtà minorem, aut majorem perfectionem *intenſivam*, & *extenſivam* uniuscujusque ipſarum virtutum. *Magnanimitas* autem præ iis omnibus expectat, & quærit *dignitatem formalem magnorum honorum*, (id eſt, quòd opera magna eliciantur ut digna magnis honoribus) quæ ſanè *dignitas formalis* (id eſt, quòd homo ſe faciat, ope Dei, *dignum* talibus magnis honoribus) honeſtiſſima eſt, & à nullà aliâ virtute ſpectatur *formaliter*, quamvis *ex conſequenti* honeſtatem omnium virtutum excellentem aliquis *honor* magnus ſequatur veluti juſtum ſtipendium, ac teſtimonium, quià virtuti debentur honores. Eſt ergo Magnanimitas ſpecialis virtus; ideò D.Thomaſ.2.2. q 129.art. 4 quærit, *An magnanimitas ſit virtus ſpecialis?* Et reſpondet affirmativè his verbis: *Reſpondeo, dicendum, quòd ſicùt ſuprà diximus, ad ſpecialem virtutem pertinet, quòd modum rationis in aliquâ materiâ ponat.* MAGNANIMITAS *autem ponit modum rationis circà determinatam materiam, ſcilicet* CIRCA HONORES, *ut ſupra dictum eſt, articulo primo. Honor autem in ſe cõſideratus eſt quodam ſpeciale bonum. Et ſecundùm hoc* MAGNANIMITAS, *ſecundùm ſe conſiderata, eſt ſpecialis quædam virtus. Sed quià* HONOR *eſt cujuſlibet* VIRTUTIS *præmium, ut ex ſupra dictis patet, ideò ex conſequenti ratione* MAGNANIMITAS *reſpicit* OMNES VIRTUTES. Hæc D.Thomas; ex quibus, & ex dictis patet, quòd *Magnanimitas* primariò, & per ſe inclinat ad *virtuoſa opera magna* ut, ſive in quantum dignà *magno honore*, & ſpectat, ſivè intendit mediocritatem affectionum inter elationem, & parvitatem animi *circà magnos honores*, quibus *dignum* conſtituit hominem ex munere *primario* intrà propriam materiam, & ſubinde, ac *ſecundariò* intrà materiam aliarum virtutum, quas omnes impellit ad præcellentes actiones, quibus *magnos* mereantur *honores* ad gloriam Dei.

Verſatur ergo *magnanimitas* in moderandà affectione circa magnos honores, juxtà rectæ rationis præſcriptum; itidemque circà ignominias ma-

gnis honoribus contrarias, ne animus pusillanimitèr deficiat. Cum autem honores ex virtute oriantur (honor quippe virtutis stipendium, appendix, & præmium est) & magni honores oriantur ex magnis quibusque virtutibus, necessum est, ut *magnanimitas* dùm versatur in meredis magnis honoribus, tanquam in materiâ *propriâ*, efficiat *magna virtutum opera*, & item quodammodo *ex consequenti*, & *secundariò* tractet materiam aliarum virtutum *insignium*, ex quibus oriuntur *magni honores*, & inspiciat, & quærat præstantissima quarumlibet virtutum opera, quibus *magni* honores debentur, ut etiàm in materiâ aliarum virtutum agantur *magna opera virtuosa*, & cæteras virtutes impellat ad agendum *non remissè*, sed *excellentèr* ornatiùs, & *optimè*, ut ideò agantur *dignè magnis honoribus*.

Cohæret cum *humilitate magnanimitas*; nam virtutes moderantur nostras passiones, ne labantur in id, quod recta ratio vetat, & ne retrahantur ab eo, quod recta ratio dictat; *magnanimitas* est circà *magna opera virtuosa digna magnis* honoribus, qui sunt *magna* bona; ad *hæc* ut bona inclinamus, ab illis, ut sunt magna, & ardua opera, quià est magna difficultàs, retrahimur; ergò oportet duplex virtus, *una*, ut solùm tendamus in *honores* sæculi juxta præscriptum rectæ rationis, nec contra sufficientiam, & rectam rationem elatè, & plus justo tendamus in illos, & virtus sic regulans est *humilitas*; alia virtus est necessaria, ne retrahamur à magnis operibus virtuosis, magno honore dignis quia arduis; & virtus impellens ad hoc est *magnanimitas*; quare ità cohæret *magnanimitas* cum *humilitate*, ut non possit esse *magnanimus*, qui non *humilis*; nàm si non sit humilis, tendet in honores sæculi immodicè, & elatè. Item Magnanimitas cohæret cum humilitate, quia magnanimus cognoscit, quòd à Deo bona habet, & ex se in se solùm habere imperfectiones.

Magnanimitas symbolicè (in sensu morali) significatur per *Onychinum* gemmam *in rationali* summi Sacerdotis; est enìm *Onychinus*, sive *Onyx* gemma, candorem unguis humani referens, intervenientibus venis quibusdam *Sardæ*, & *Jaspidis* colorem imitantibus; nascitur (ut habetur in Gen. cap. 2.) in fluvio *Phison*, qui signat *Prudentiam*, & vice *Onychini* ibi Septuaginta transtulerunt *prasinum*, ut ideò S. P. Augustinus in pag. 1214. *prasinum* nominet, licèt in nostrà vulgatà legatur *Onychinus*; dicitur lapis intùs circà centrum coloris *terrei*, in circumferentià verò *cœlestis*; in sensu *mystico* signat eos, qui terrei sunt in centrali naturà, mente tamen, & affectu contemplantur cœlestia; at & etiam cum *cœlestia* signent *magna*, & *alta*, potest significare virtutem *magnanimitatis*, quæ *ad magna* opera virtuosa, magno honore digna, inclinat habentem.

Magnanimitas differt à *Fiducià*, quià ista est *omnium* bonorum, Magnanimitas *majorum*. Magnanimitati dicitur annexa *longanimitas*, quæ est virtus, *qua quis inclinatur in magnum bonum honestum, quod longè distat, ne desistat ab illo propter distantiam*. Vide infrà de *Phylotimiâ*.

EPI-

EPILOGUS indolis magnanimæ per aphorismos Morales. Ex Symbolicâ *per LEONEM abscissis cruribus, & per RHINOCEROTEM, & GIGNUM.*

Magnanimus in prosperis, & adversis est æquo animo moderatus. Nec adversis animus deprimitur, nec prosperis elevatur. Honoribus etiam magnis, & à bonis viris delatis, immodicè non delectatur. Magnanimus etiam in honoribus, & dignitatibus collocatus *non* est *affectu* in illis, sed in virtute magnâ. *Magnanimus* dignum se magno honore existimat *non ratione sui*, sed officii honorifici quod gerit, vel donorum Dei, quæ Deus *gratiosè* collocavit in illo; sinè Deo nihil esse existimat, & nihil magni esse; agnoscit acceptum à Deo, quod habet; non gloriatur, quasi non acceperit; in se *ex se* solos agnoscit *defectus*, & hinc se vilipendit, & se indignum putat, de quo vide D. Thomam 2.2.q.129.art.3; ideò cum *humilitate* cohæret hæc virtus. Acceptum beneficium majore beneficio compensat magnanimus; hinc non *nimis* est beneficiorum acceptorum memor, quià ex gratitudine jàm majora retribuit, & quatenùs non est ipsi delectabile, quòd ab aliquo beneficio accipiat, quin majora reddat. Parvis periculis se non exponit; at si de rebus præclaris, agatur, pericula magna non fugit, tùncque nec vitæ parcit.

Alteri auxiliari libentèr, est magnanimi indoles. Locis, & functionibus, honoratioribus, ad ipsum non attinentibus, se non ingerit; nam aliquem ingerere se, ambitionis est labes. Pauca, sed magna magnanimus intendit, quià non se ingerit parvis, & magna negotia externa non sæpè occurrunt. Dissimulat apud vulgus, suas idæas tegit, non prædicat ei suam magnitudinem, quia non quærit vulgi laudes. Apertè amat, vel apertè odit amore, vel odio digna, quià à timore procùl abest, & solius timentis est occultare sententiam, illius ideò symbolum leo, qui feras sectatur, & invadit apertè, cui ideò lemma, VENATUR INGENUE; non enim cum insidiis illicitè, sed virtute vincendum Alterius nutu, qui non sit amicus, vivere renuit, non enim est magnanimus, propter caduca bona, servilis indolis.

Pro veritate, & justitiâ omnia apertè dicit, & agit; cum enim res caducas spernat, servilitèr non subjugatur. Cum Principibus se gerit animo *prudentèr* excelso, quià non adulatur; non sinit, ejus animum verum, & justum deprimi à Principis auctoritate; quæ vera sint, & justa, animo *prudentèr* intrepido admonet. Neminem, aut vix quempiam rogat; si enim sint parva, quæ ab aliis potest accipere, ea non curat; si sint magna, & possit suà industriâ assequi, molestus ulli esse recusat, dependere propter caduca abhorret; si non possit suà industriâ assequi sensibilia bona, animo generoso non quærit. Facilè non admiratur, quià res caducas non reputat magnas. Injuriarum immemor eas pro nihilo putat; & glorioſiùs existimat parcere. Vindictam vilitatem putat, & animi demissi affectum, qui victus ab animali passione, hanc superare non sufficit. In molestiis necessariò perferendis, vel in parvis, non est queribundus, aut supplex; quia hoc putat infirmitatem animi debilis, & rebus caducis addicti. Potiùs res honestas, quàm utiles, possidere eligit. Motum habet tardum, vocem gravem, orationem stabilem, sive locutionem sedatam, quia opposita sunt animi levis; non festinat loquendo, quià paucis rebus studet, & magnis, quæ non festinatione, sed sobriâ attentione, & gravitate tractantur; nec nimis contendit, cui nihil in hoc sæculo videtur esse magnum. Non vacillat, sibi constat, & vitæ finem intrepidè expectat. Nec perturbatur, nec fortunæ succumbit. Rectus stat sub quo-

libet pondere, vincit virtute fortunam. Magnanimus victor parcit, quià viro magnanimo satis est prostrasse leonem.

Magnanimus omnia facilè fert, pusillanimis nec parva quidem. Magis curat magnanimus veritatem, quàm opinionem. Nullus contendit nisi pro re, quam æstimat magnam; ergo *magnanimus* non est contentiosus, quia nihil terrestre æstimat magnum.

Est à livore alienus; quià quid invideat, non videt, cum caduca videantur parva. More leonis etiàm si vires desint, animo non cadit; cujus ideò symbolum leo pedibus abscissis; explicat symbolum inscriptio, SI NON VIRES, ANIMVS. Cum *debilibus* pugnare contemnit, quià putat virtutis esse domare, quæ cunct pavent; cujus ideò hieroglyphicum *Rhinoceros*, cujus indoli non est moris contendere cum animalibus debilibus, sed contrà magna, & fortia, ut contrà elephantem, & similia, cui ideò epigraphe, VRGENT MAJORA; nec *leo* symbolum magnanimitatis dignatur luctari cum *timidis leporibus*, contemnit catulos latrantes, quibus ideò lemma, SECVRI INSVLTANT, & leoni lemma, PIGET IRRITARE MINORES. Ille magnanimus, qui minutorum canum latratus exaudit securus; leonis sitis non gaudet sanguine tenui, servantur ejus magnis cervicibus ungues.

Magnanimus lacessitus, & provocatus non percutitur terrore, imò animus acuitur, sicùt in cote; cujus ideò hieroglyphicum leo, quem lanceæ non terrent, imò acuunt, cui ideò Epigraphe ACVVNT IRAS. *Magnanimus* pericula non appetit ut temerarius, neque formidat ut timidus.

Magnanimus victor victoriam vincit, quià non superbit. Solùm ad probos, & amicos potest familiaritater vivere; prout recta ratio exigat, cum magnis, & parvis convivit.

Magnanimus est amator pacis; ideò more cygni solùm pugnat, quando injustè provocatus, at ex fine virtutis; ideò ei, quod cygno lemma, *Nec provoco, nec formido.* Magnanimus non timet, cui, quod leoni epigraphe, ad *nullius pavet occursum*; etiam in carcere, more leonis, non mutat animum; more aquilæ volantis intrà fulminantes nubes, consistit interritus, nec timet strepitus. Ut exeat è patriâ, nec nidus, nec nodus consanguinitatis detinent. More Elephantis in campo aperto, non pavet; more leonis vegetioris, cum est turbidus aer, est inter adversitates superior; moreque alcyonis nidificãtis in littore maris, non timet procellas; & pulegii more inter frigora rigida hyemis, symbola adversitatum, floreścit. More avis, quæ dicitur à Cellio *apus indica*, advolans non firmatur in terrâ; magnanimus ad alta, ad cœlestia tendit; more cœli stellati tranquillus, & placidus est. More montis saxosi, & alti, fulminum fortunæ despicit iras. More flammæ non declinat deorsùm ad terrena, abjecta, & vilia; superiora virtute magna petit. Magnanimus, more Solis, & cœli, infatigabilis est; appetit, & amat opera *magna* virtuosa, *ut magno honore digna*, non ut habeat honores sœculi, sed ut ad laudem Dei *in magnâ virtute* exerceatur, & item quià hic est magnus honor *servire Deo*, hoc enim *verè* regnare est; quantum ad honores sœculi se habet moderatè, ut recta ratio præscribat in circunstantiis loci, temporis, & personarum. Si esset casus in quo est assumendus ad dignitatem manifestè improbus, magnanimi est, ad vitanda mala, honorem ex pusillanimitate non recusare.

DE PRÆSUMPTIONE, AMBITIONE, INANI GLORIA vitiis per excessum oppositis MAGNANIMITATI. Ambitio ex Poeticâ per PHAETONTEM.

DIctum, pusillanimitatem esse vitium oppositum per *defectum* MAGNANIMITATI. Per excessum autem (ex parte *objecti*) opponitur illi *præsumptio*; ex parte *finis* opponitur ei *ambitio*, item & *inanis gloria*.

Ex quibus *præsumptio* est *affectio*, *quâ quis tendit in aliqua bona honesta, quæ dignè obtinere non potest, quia excedunt ejus vires*; & hoc est contrà virtutem Magnanimitatis, quæ circà opera honore digna, ut ad magna pericula aggredienda, vel ad magna ædificia, vel (si oporteat) ad magnas dignitates, & munera, solum inclinat ad id, quòd magnanimus dignè complere possit, & dignè mereatur; & præsumptio reprehenditur à Poesi per figmentum Phaetontis, qui præsumpsit regere currum Solis, pro quo munere non sufficiebant ei vires; quarè equis Solis novo aurigà commotis, præcipites è viâ mediâ excitarunt ignem, unde incenda in orbe, & ipse Phaeton præceps cadens periit; in quo significare voluit Poesis mala, ex præsumptione manantia, cum quis ineptus prræsumptuosè appetit, & aggreditur munera, & officia, in quibus (propter ineptitudinem) rixarum, & ruinæ incendia in regimine causat, aliis incendium, sibi excidium.

At sacræ literæ damna ex præsumptione declarant, cum in Proverb. cap. 28. dicit: *Regnantibus impiis, ruinæ hominum*; item *Dux indigens prudentiâ, multos opprimit per calumniam*; & Proverb. cap. 29. *Cum impius sumpserit Principatus, gemet populus*. *Quatuor* sunt species præsumptionis. *Prima*, quando aliquis præsumit, quòd alii doctiores non præsumunt. *Secunda*, quando præsumendum non est, ut cum quis præsumit de *viribus suis*, & nimiè confidit *in se*, vel *in divitiis*, vel in *hominibus*, cum debeat confidere in Domino. *Tertia*, cum quis præsumit aliquid ante tempus, ut victoriam tempore pugnæ, vel virtutem perfectam, quando inchoat virtus. *Quarta*, quando quis præsumit, quod est suprà vires suas, ut exiturum è peccato, cum voluerit, vel suscipit excedentia munera. At vitanda est omnis præsumptio. Præsumptio est species superbiæ; ideò omnes *præsumptuosi* sunt superbi. AMBITIO est *appetitus inordinatus honoris absque merito*. D. Thomas 2 2. q. 131. art. 2. Ambitio est *appetitus dignitatis, & honoris inordinatus*. Est ambitio *primò*, cum appetitur dignitas, aut honor major, quàm personæ conveniat. *Secundò*, si honor quæratur ex re illicitâ, ut rebellione, vel arte magicâ. *Tertiò*; si cum Dei offensâ ambiatur honor, ut cum simoniâ. Item si *nimio* affectu.

Ambitiosi *actus*, ut assequatur honores, & dignitates, sunt humilitatem simulare; fervidè attendere, ut placeat, & ne displiceat; fingit improbare mala, detestari iniqua; cunctos honorat, universis se inclinat, frequentat curias, assurgit, & amplexatur, plaudit, & adulatur, ut fiat acceptus, & putetur ad dignitates idoneus; vilitèr ambitiosus deiicit se, ut æstimetur alicujus virtutis possessor. *Ambitio* est effectus *superbiæ*, unde omnes ambitiosi superbi, ventosi.

INANIS, sive *vana gloria* est *appetitus* gloriæ, seu *claritatis de re, de qua non est gloriandum*; est effectus *superbiæ*, & causa *jactantiæ*, qua quis de

se

se verbis plus dicit, quam sit; item *ironiæ*, qua dicitur aliquid verbis, quod tamen verè negatur, item *præsumptionis*, *novitatum*, *simulationis*, *hypocrisis*, *pertinaciæ*, *discordiæ*, *contentionis*, & *inobedientiæ*. Contrà *ambitionem dignitatum*, vide à pag. 544. usque ad pag. 555., & à pag. 910. usque ad 912. & à pag. 647. usque ad 655.

Vanèglorioſus *eſt fatuus*, quià permittit ſibi illudi, cum gloriatur de quo non eſt gloriandum; *eſt fatuus*, quià gloriam ſæculi æternæ præponit; *eſt fatuus*, quià non curat, qualis ſit, ſed qualis dicatur; eſt fatuus, quià carè emit, quod ei nocet; *eſt fatuus*, quià hiſtrionum, & aliarum vitium perſonarum laudem, & teſtimonium appretiatur. At ſi ſymbola vanæ gloriæ *pulvis*, *ventus*, cur te paſcat *ventus*? vanam gloriam putas oleum, & eſt gladius occidens hominem. Ergo demiſſio tui, cognitio tui, conſideratio inferni, conſideratio gloriæ æternæ, reflexio vilitatis gloriæ vanæ, ſint tibi contra vitium gloriæ vanæ remedia. *Noſce te ipſum*, ſis magnanimus; nec cedas vili, & vanæ paſſioni. Contrà inanem gloriam vide à pag. 644. in fine, & paginam 645.

DE ACEDIA, ſive PIGRITIA; indicatà per SATURNUM EX PLANETIS, per IGNEM, & AEREM.

AGimus nùnc contrà *acediam*, quæ eſt *de virtutum laudabili exercitio utriuſque hominis languida dejectio*; cujus ſynonima ſunt pigritia, deſidia, ignavia, inertia, ſocordia, incuria, negligentia. Epitheta ſunt, quòd ſit mollis, pigra, ſegnis, tarda, lenta, jacens, torpens, languida, turpis; cujus *duæ* ſunt ſpecies, *prima*, qua bona opera cum triſtitiâ, & tædio aggredimur; *ſecunda*, qua inchoata bona intermittuntur ex tædio.

Saturnus eſt frigidiſſimus planeta, vel *per accidens*, quià tardè incedit, & ſic calorem non excitat, ut vult Averroes; vel quià ex naturâ ſuâ habet infrigidare, ſicut & *Mars* calefacere, ut placet aliis, & Avicennæ. Acediaque ab acedine eſt dicta, quià ea, quæ ſunt acida, ſunt etiàm frigida. Ergo Saturnus, quià frigidus, eſt *acediæ* ſymbolum, quæ hominem ad motum boni operis reddit tardum, & ſine operis boni calore. Aduſtio *ignis* rem dulcem vertit amaram; ſic acedia dulcedinem ſpiritus convertit in fel, dum quadam triſtitiæ febre palatum inficit animæ. Vide pag. 936.

Aer omni ſubintranti cedit, ſic *acedia* omni tentationi januam aperit. Luxurioſo frugalitas eſt pœna, pigro labor tortura. Otioſum dicas vitale cadaver. Sit tibi quies, non deſidia. Negligenti nullum beneficium datum. Nullum agens naturale eſt natum otioſum. Mortalium peſtis ignavia; contagioſus non admittitur in ullum domus angulum. Sicut oſtium vertitur piger in lectulo ſuo. Aves non nidificant in alis molarum in motu, nec diabolus in his, qui ſunt in motu, & actione, in otioſis figit ſedem. Veſtimentum generat tineam, ignavia deſperationem. Piger non ſubvenit periculis tempore opportuno. Ergo Chriſti exemplum, & ſanctorum exempla præclara, imploratio divini auxilii, laborem amare, ſeveritatem judicii divini ſtudiosè perpendere, ſalutem tuam æternam diligere, amorem Dei ardentem optare, & fovere ſint tibi contrà vitium *acediæ* Medicinæ Morales.

Adde conſiderare damna tàm corporis, quàm animæ, quorum acedia mater. Damna corporis declarat Salomon in Prov. cap. 10. *Egeſtatem ſibi operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium divitias parat.* Et Prov. cap. 20. *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.* Et cap. 24. *Uſque quò piger dormies?* Et Eccleſiaſt. cap. 22. *In lapide luteo lapi-*

da bi-

dabitur piger, & omnes loquentur super aspernationem ipsius. De stercore boum lapidandus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus; lapidatur, cum convitiis increpatur; omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus, quià cum sit onerosus hominibus, libentèr homines se expediunt ab eo.

Animæ nocet *acedia*, quià culpæ est mater. Tollit ergò acedia bonæ gratiæ, & naturæ; est mater mollitiei, quæ est impatientia rei duræ, & succumbit tribulationibus mollis; liquefit ad ignem tribulationis, & ad nihilum redigitur. *Acedia* somnum inducit, quin dormire egeas; est *piger* sepultura corporis suffocati; vacat sommo, cùm vacandum erat laudi Dei, orationi, & studio. Indecens est, si radius Solis te inveniat in lecto; ideò dicente S. P. Augustino: *Indecens est, si radius Solis te inveniat in lecto; posset enìm dicere Sol, si potestatem loquendi haberet, ampliùs laboravi heri, quàm tu, & tamen cum jàm surrexerim, tu adhùc dormis.* Ergo virtus Fortutitudinis, quæ impellit ad ardua juxtà rectam rationem, & *magnanimitas*, quæ impellit ad magna opera virtuosa, ut magno honore digna, *acediam* excutiant, otium, & negligentiam relegent; in illarum domicilio est horum exilium. Vide pag. 936. contrà *Otium*. Ovidius:

Cernis ut ignavum corrumpunt otia corpus.
Atqui desidiam, luxumque sequetur inertem.
Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

CAPUT X.

DE *MAGNIFICENTIA*, *parte* potentiali *FORTITUDINIS*, *symbolicè signatà per* JASPIDEM *in* Rationali *Summi* SACERDOTIS.

Magnificentia (definit S. P. Augustinus lib. 83. qq. in q. 31. Tomo 4.) *est rerum magnarum, & excelsarum cum animi amplà quadam, & splendidà propositione cogitatio, atque administratio.* Liberalitas, & Magnificentia versantur circà regulandos sumptus; at illa circa mediocres, ista circà magnos, unde & dicitur *magnificentia* à *faciendo magna* opera. Item differunt ex fine *primario*, quià in liberali est honestas gratuitæ donationis, in magnificentià verò splendor operis, & magnitudo, cujus gratià vir magnificus facit sumptus magnos cum magnà animi celsitudine, & honestate ad ornamentum, & decus Reipublicæ; itèm *Magnificus* vult facere sumptus proportionatos *operibus*, non parcèdo quibuslibet sumptibus, ut opera magnifica fiant, ut oportet; liberalis verò vult *facultatibus propriis accomodare* largitiones; nempe dare, ut facultas permittat.

Rectè assignatur Magnificentia virtus distincta à liberalitate, nam si hæc est circà *mediocres* sumptus, & illa circà *magnos*, cum specialis difficultas sit in eo, quòd *magnas* expensas faciamus, consequenter requiritur specialis virtus facilitans.

Item circà magnos sumptus potest contingere, quòd aliquis *deficiat*, vel *excedat*, vel *non faciendo* opera *ut decet*, vel *faciendo* plusquàm *oportet*; aliquis enìm continget, quòd non attendat, quomodo opera fiant, sed quomodo parum expendat, & hic deficiet, & erit *parvificus*; alter in operibus plus expendet, quàm requirant, & iste erit *consumptor*, qui ideò dicitur ab Aristotele *ignis*, & *fornax*, quia more horum omnia consumunt; ergo ne aliquis sit *parvificus*, nec *consumptor*, medium est, quod faciat opera *ut decet*,

& ex-

& expendat quod opus decentèr requirat; iſte autem erit *Magnificus*; & virtus id expediens dicitur *Magnificentia*, quæ ideò verſatur in medio inter *parvificentiam*, & *conſumptionem*, ut inter duo extrema vitioſa, reprimens *illam*, & moderans *iſtam*.

Magnificentia *primò* eſt exercenda circà divina, erigendo templa magnifica, vel renovando feſta honorabilia &c. *Deindè* circà bonum commune, ut conſtruendo pontes, aquæ ductus, pyramides in memoriam virorum, quos virtus magna ornaverit, & ergà Rempublicam fuerint benemeriti, ut hæc ſint aliis calcar ad virtutem. *Tertiò*; eſt exercenda Magnificentia circà perſonas ſpeciali honore dignas; *tandem* circà ſe ipſum, dignam faciendo domum, & digno apparatu nuptias, & ſimilia; at juxtà ſphœram, & qualitatem ſui ſtatus, utque recta ratio præſcribat, & facultates pro expenſis fuerint.

Exercitium hujus virtutis *exterius* ſolùm propriè poteſt convenire Principibus, & potentibus, quià his ſunt divitiæ; at quoad exercitium *interius*, nempè quantùm *ad affectum*, & animum præparatum ad facienda magnifica opera, *ſi eſſet pro expenſis facultas*, etiam hæc virtus poteſt in paupere eſſe. Ergo pauperes ſciant, quòd liberalitatis, & magnificentiæ meritum cum bonâ voluntate, ſine pecuniis, poſſunt habere. Nullus eſt (qui ſi velit, & Dei ope) non poſſit in choro omnium virtutum harmonicus reſonare cantor.

Jaſpis, quia ſunt magnifica ædificia ex Jaſpide conſtructa, poteſt ſignare virtutem *Magnificentiæ*, quam ideo (in ſenſu morali) poteſt ſignare *Jaſpis* in *Rationali* Summi Sacerdotis apud Exodum.

CAPUT XI.

DE PHYLOTIMIA, ſive HONORIS amativa: ex ſacris literis per ACHATEM lapidem pretioſum in Rationali ſummi SACERDOTIS.

PHylotimia græcè, latinè *honoris amativa*, commendatur in ſacris Proverbiis, cap. 22. *Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ*; & in Eccleſ. cap. 7. *Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa*, & cap. 33. *Ne famæ tuæ maculam imprimas*; & Proverb. cap. 15 *Fama bona impinguat oſſa*. Tandèm in Eccleſ. cap 4. *Curam habe de bono nomine; hoc enìm magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni*.

Hùc S.P. Auguſtinus (Epiſt. 239. Tomo 2.) *Bonam famam cuſtodiamus, diſpenſationi noſtræ multùm neceſſariam*. Et in eàdem Epiſt. addit. *Ab omni non ſolùm re, ſed etiam ſpecie maligna, quantum poſſumus, nos abſtineamus, & BONAM FAMAM cuſtodiamus*.

Itaque amare noſtrum honorem *ut finem ultimum* eſt vituperabile, ſuperbia, & peccatum; amare honeſtum honorem, *ut glorificetur Deus*, à quo omnis virtus, & præmium virtutis honor, & *ut poſſimus* honorati, & in bonâ opinione habiti, *proficere proximo*, & *Reipublicæ*, ſive *publico bono*, laudabile eſt. Item non amare honorem, ne facias honore digna, nempe opera virtuoſa, eſt vituperabile; amare honorem, ut facias opera honore digna, nempe virtuoſa, laudabile eſt, & ut ad hoc inclinet, datur virtus moralis *Phylotimia*, ſive *honoris amativa*,

Phylotimia, & Magnanimitas diſtinguntur in hoc, quod illa inclinat ad

ope-

opera mediocri honore digna, ut sunt proportionata nobis; at Magnanimitas ad opera virtuosa *magno* honore digna; illa respicit *mediocres* honores, ista honores magnos; at semper ex fine *honesto*, sicut liberalitas respicit *mediocres* sumptus, Magnificentia magnos *primò* ad laudem Dei.

Quià autem ex virtute, & operibus virtuosis resultat honor, & bona fama apud Gentes, debemus amare honorem *proportionatum*, & *mediocrem*, at manantem à virtute, & cum vitiis non amittere; non ut simus honorati à sæculo, nec honorari à sæculo sit finis ultimus; sed debemus amare honestè talem honorem, ut glorificetur Deus in illo, & ut ille honor datus propter virtutem sit aliis ad virtutem stimulus, & ut si honorati, sive in honore habiti simus, nostra documenta, & consilia bona sint auctoritatis apud gentes, & ea audiant, & sequantur, & retrahantur à vitiis, & sic ad gloriam Dei, & utilitatem proximi possimus huic, & Reipublicæ proficere; ità tandem ut cuncta ordinentur ad Deum ut ultimum finem. Ideò dicente D.Thoma 2 2.q.132.art.3.*appetitionem* laudis, honoris, & gloriæ humanæ tanquam *finis* esse *pravam*, & indignam viro probo, & magnanimo; *honestam* autem, ubi laus, honor, & gloria humana appetitur, *ut medium* utile ad aliquid, vel (ait) *ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur, vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt; vel ex hoc, quòd ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, & ad majora proficere. Et secundùm hoc laudabile est, quòd aliquis curam habeat de bono nomine, & quòd provideat bona coràm Deo, & hominibus; non tamen, quòd inanitèr delectetur*. Hæc. D.Thomas ibi.

Magnanimitas versatur circà alias virtutes, ut fiant opera *magno honore* digna, & *inquantum magno honore digna* pertinent ad *magnanimitatem*; ità Phylotimia, sive honoris amativa discurrit circà alias virtutes, ut agantur opera honore digna, & *ut honore mediocri, & proportionato nobis digna* pertinent *ad Phylotimiam*; & quià gravis difficultas est in moderando, & regulando nostros affectus, sive nostras passiones, & animi affectiones non solùm *circà* honores *magnos*, sed etiam *circà mediocres*, & *parvos*, quià etiàm mediocres, & parvi rapiunt cupiditatem, ideò ne sit *excessus*, nec *defectus* in affectionibus utrisque, oportet *duplex virtus* regulans, & moderans affectiones, ut sint, *ut deceat*, & recta ratio præscribat; nempe ne immodicè appetantur honores *magni*, vel mediocres, sive *parvi*, & ne immodicè ab illis retrahamur, sed ut rectà ratio præscribat, nos geramus. Jure autem *Phylotimia* distinguitur specie à *Magnanitate*, quià licet conveniant genericè in moderando, & regulando *nostras affectiones circà honores*, tamen cum in moderandis affectionibus circà *magnos* honores, & amplissimas dignitates, sit major difficultas, quià vehementiùs alliciunt concupiscentiam, & ex hoc talis moderatio sit magis difficilis, & ardua, quàm circà *parvos*, sive *mediocres* honores, ideò oportet ad moderandas affectiones *circà magnos honores* specialis virtus nempe *Magnanimitas*, distincta specie à virtute *illà*, quæ moderatur affectiones nostras circà parvos, sive *mediocres* honores, quæ est *Phylotimia*; ubi enim occurrit *major* difficultas vincenda ibi necessaria est ad victoriam *superior* virtus.

Honores itèm *mediocres*, & mediocres dignitates ità alliciunt *privatum* hominem, ac honores *magni*, sive magnæ dignitates alliciunt homines *primarios*; quare præter *Magnanimitatem*, quæ in viris *primariis* moderatur perturbationes animi, sive passiones circà *magnos honores*, & circà magnas dignitates, oportet, quòd sit alia virtus, quæ in quolibet hominum genere moderetur affectiones circà honores *mediocres*, & hæc est *Phylotomia*,

sive *honoris* (ut deceat, & recta ratio præscribat) *amativa*. Unde sicùt præter virtutem *Magnificentiæ*, quæ moderatur *magnos* sumptus, ut cum splendore fiant opera magnifica, non excedendo, nec deficiendo, & qui solum fiunt à *Principibus*, & opulentis viris, est virtus quædam peculiaris, potens competere etiam *privatis* hominibus, qua liberalitèr se gerant circà *mediocres* sumptus, proportionatos facultati ipsorum, quæ est *liberalitas*, ità (ut dictum) *circà honores*.

ACHATES unus ex lapidibus pretiosis in *Rationali* summi Sacerdotis, lapis niger, ut plurimum venis *albis*, valens contrà *scorpiones*, symbolicè in sensu *morali* signat virtutem Phylotimiæ, sive *honoris*, ut deceat, amativam, qua agimus opera virtuosa honore digna, quæ valent contrà vitia, & infamiam, quorum symbola scorpiones; item color albus est honoris boni, & bonæ opinionis, & nominis symbolum. Vide à p. 640. usque ad 647. doctrinam circa HONOREM. Facientes opera, mediocri honore digna, dicuntur *honoris amativi*; tamen tùnc propriè sunt magnanimi, quando agunt opera *magno honore* digna, & illa virtus disponit ad istam, *Phylotimia ad Magnanimitatem*. Ex honoribus sæculi *alii* consistunt in bonà existimatione apud gentes, & reverentià exteriori, quæ exhibetur; *alii* sunt dignitates, & officia honorifica; *Phylotimia*, & *Magnanimitas* directè non respiciunt relatos honores, sed opera virtuosa; at quià virtuti debentur honores, ideò *ex consequenti* moderantur affectiones circà honores; *illa* circà honores *mediocres*, at *ista*, nempe *Magnanimitas* circà honores *magnos*, ne in affectionibus circà *illos*, & *istos* sit *defectus*, aut quid *nimis*, sed teneatur *medium*, in quo consistit virtus.

Et cum inclinant ad opera *ut honore digna*, inclinant ad opera virtuosa, simùl regulando, & moderando affectiones nostras, quæ sint circà honores.

CAPUT XII.

DE TEMPERANTIA, symbolicè indicata per SARDIUM lapidem pretiosum in rationali *summi SACERDOTIS.*

TEmperantia definitur à S. P. Augustino (lib. 83. qq. in q. 31. Tomo 4.) sic: *Temperantia est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma dominatio.* Sed hæc videtur definitio Temperantiæ *imperativè*, nempe *rationis* dirigentis ad Temperantiam, & imperantis.

Ità *Temperantia* aliter accipitur, *prout est virtus animi, impetus non rectos cohibens*; & sic Temperantia est circà omnes virtutes, ne sit excessus, vel defectus; sic Temperantia est generalis, & communis omnibus virtutibus, quia omnium est (in suà materià) cohibere impetus non rectos, & moderari passiones. Et in hoc sensu videtur loqui S. P. Augustinus cum (de Morib. Eccles. c. 19. Tomo 1.) ait: *Omne officium* TEMPERANTIÆ *est exuere veterem hominem; & in Deo renovari; id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia, & divina conferre.* Et (de Morib. Manich. cap. 19. Tomo 1.) dicit: *Munus Temperantiæ est in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus.* At hæc est Temperantia *generalis* omnibus virtutibus, & medium in quo consistit virtus est temperatum, nec excedit, nec deficit.

Tertiò *Temperantia*, ut est in suà specie specialis virtus Moralis, est virtus, animam regens circà delectationes corporales, sive circa delectationes

sen-

sensus, & est refrænatio cupiditatis ab his, quæ corporalitèr delectant, quæ quià magis alliciunt, eò quòd magis unita suo delectabili, magis perturbant; & quæ magis delectant, sunt delectationes *gustus*, & *tactus*; versatur ergo Temperantia præcipuè in hoc, quòd regulet, & moderetur delectationes circà venerea, & gustabilia; indè ad regendas delectationes aliorum sensuum, ne sint vitiosæ, & contrà præscriptum rectæ rationis; & in hoc sensu S.P. Augustinus (de libero arbitr. lib. 1. cap. 13. Tomo 1.) definit. *Temperantia est affectus coercens, & cohibens appetitum in iis rebus, quæ turpitèr appetuntur.* Cardinalis Doctor noster B. Ægidius definit: Temperantia est *Virtus moderans delectationes venereas, & nutrimentales, quatenùs principalitèr sunt circà tactum, & ex consequenti circà gustum; nec non insensibilitates, inter quas habet esse.* Quare indicat Temperantiam consistere in medio inter delectationes sensus nimias, quæ sunt *intemperantia*, & vitium per *excessum*, oppositum Temperantiæ; & inter *insensibilitatem* quæ esset vitium, per *defectum*, eidem Temperantiæ contrarium; fugere enim delectationes consonas rectæ rationis, & honestas, & necessarias nutrimento, & fini honesto, esset *defectus*, & velle insensibilem, sive non sensitivum fieri; Deus autem dedit nobis sensum, ut sentiamus delectationes honestas fini honesto congruas; sectari autem delectationes omnes, & rapi sine discretione, & contrà dictamen *rectæ rationis*, esset *intemperantia*, esset vitiosus excessus. Ergo virtus Temperantiæ consistit in medio; inclinat, ne sectemur omnes delectationes corporis, ut *intemperati*; nec fugiamus omnes, ut *insensibiles*, sed fugiamus fugiendas, sequamur sectandas, *rectà ratione* duce.

Temperantia dicitur *à temperie*, quià debet esse moderatio. Dicit Doct B. Ægidius quòd Temperantia principalitèr respicit moderationes circà *tactum*, qui à iste sensus latissimè patet, & in toto corpore; in *Venereis* tactus est, qui indiget moderatione, & in *gustabilibus* vehementior delectatio est in *tactu*, quàm in *gustu*; istius enim sedes est *lingua*; circa gustabilia, sive nutrimentalia tactus est in *gutture*; experimur enim vehementiorem delectationem, quando cibus tangit guttur, quàm quandò in linguà gustatur; ideò Polyxenus gulosus optabat linguam non latiorem, quàm est lingua bovis; at guttur optabat longũ more gruis, ut uberiorem perciperet delectationem. Ergo Temperantia principalissimè moderatur tactum, inde gustum, inde alios sensus. *Temperantiæ* symbolũ congruum (in sensu Morali) est SARDIVS lapis pretiosus, sive gemma *in rationali* summi Sacerdotis, primò inventus in Sardo provincià Græciæ; est coloris rubei ad unguis colorem tendens, & rubræ terræ similis, qui vulgò *corneolus* dicitur, & ideò Hebraicè dicitur Adam, idest terra rubra; acuit *ingenium, mitemque reddit, & animum accendit ad gaudium*, CASTVMQUE efficit. Hinc non solùm ferunt, timori esse *monstris*, & *belluis*, sed etiàm vim habere *curandi* DOLORES, ac *molestias*, quæ *nostris corporibus* innascuntur.

Vt SARDIVS est similis terræ *rubræ*, potest significare homines, quià ex terra *rubrà* formatus est corpus Adami, & à terrà rubrà Adam nomen habet. At potest significare Temperantiam in homine, *quatenus* acuit ingenium, & *quatenùs* reddit MITEM, & CASTVM; & *quatenùs* curat DOLORES *corporis*, & *quatenùs* timorem incutit *belluis*, & monstris. Hæc enim cuncta virtus Temperantiæ causat.

ACVIT INGENIVM, quod gula, ebrietas, & luxuria obtundunt, obcæcant, obtenebrant. Reddit hominem CASTVM, quià eum coercet à Venereis.

Reddit hominem MITEM, quià relegat Zelotypias, rixas, bella, furores, cœdes, quæ sunt luxuriæ, & crapulæ partus.

Curat DOLORES *corporis*, quià Temperantia in cibo, & potu, & abstinentia ab immodico vino,& Venere plures infirmitates sanat,& à morbis multis corpus præservat; è contrà *intemperantia* in cibo, potu, vino, & venereis est dolorum corporis, & ægritudinum plurimarum parens, de quo vide pag.982.

Temperantia animum accendit ad GAVDIVM,quià qui *temperatus*, ille *gaudet*.Cur gaudet?*quià* animo tranquillo,& sereno; *quià* vegetiori est præditus sanitate; *quia* non torquetur in aculeo, in quo venerei cruciantur; *quià* à multis periculis, quæ generant luxuria, & crapula,præservatus.

Sardius lapis incutit timorem *monstris*, & *belluis*; sic vir *temperatus* timorem infert obscœnis, & gulæ deditis, qui coràm casto & pudico nec verbum turpe audent eructare; timent illi animi tẽperati,castique præsentiam, & quia sunt moribus *belluæ*,sunt cum belluarum moribus in specie hominis *monstra* fera.

Alcazar gemmam *Sardium* asserit matrem *amethysti* gemmæ, ità ut ubi inveniatur una, ibi & alia; id est, *amethystus* invenitur *Sardio* insitus, sive in *Sardio* inclusus, & contentus. Dicunt, quòd *amethystus* erat insertus in annulo, cum quo B. Mariæ Virgini est desponsatus S. Patriarcha Joseph. *Amethystus* fertur, resistere *ebrietati*. Hinc *Sardius* continens *amethystum*, qui *ebrietati* resistit, eò magis est symbolum virtutis *Temperantiæ*, quæ est *ebrietati* inimica; & sicut ubi invenitur *Sardius*, invenitur *amethystus*, ità ubi invenitur *Temperantia perfecta*, ibi *sobrietas*. Ad hæc;*Sardius* includit *amethystum*, & *Temperantia* includit, & continet *sobrietatem*. Item *Sardius* gemma est mater *amethysti*, & *Temperantia* est *sobrietatis* mater.

Ebrietas expedit luxuriam,vinum enim immodicum libidinem irritat; hinc *amethystus*,resistens ebrietati,opponitur luxuriæ, ex quo *castitati* favet, & ideò fortè S. Patriarcha Joseph castus dederit annulum cum *amethysto* Beatissimæ Virgini Mariæ in desponsatione, ut mutuam castitatem, & puritatem indicaret; unde ex hoc amethystus erit *castitatis* symbolum; ergo hinc uberius *Sardius* continens *amethystum* symbolum *castitatis*, erit symbolum *Temperantiæ*, in qua *castitatis* continetur virtus.

COMMENDATUR TEMPERANTIA.

CUr tanta virtus sine cantico? Temperantia est honoris hominis custos, hominem distinguit à bruto, & liberum declarat, quià aprehenso delectabili, potest illud velle,vel non velle, ut oporteat. Accenditur concupiscentia, *Temperantiæ* est extinguere, vel temperare. Virtute *Temperantiæ* præditus vivit ut homo, intemperatus jumentis comparatur. Hominem *Temperantia* spiritualitèr circumcidit, cum revocat à superfluitatibus carnis.Opprobrium Ægipti *Temperantia* ab animo relegat, cum retrahit à voluptatibus immodicis sensus.*Temperantia* (ajebat S.P.Augustinus)est amor ab amore inferioris pulchritudinis nos removens, & ad superiorem elevans. *Ipsa* nos præservat à visco sensibilium bonorum, ne animi pennæ, ad volandum in cœlestia retineantur. *Ipsa* thronum eburneum animum facit, & Dei tabernaculum parat. *Ipsa* est frœnum, quo corpus à spiritu regitur. te à gaudiis inimici tui liberat, ne sibi de tuis opprobriis complaceat.*Eadem* Te eximit ab hoste,vitæ tuæ contemporaneo,nempè à voluptate immodicà quæ tecum fuit ab incunabulis.Blandum hostem,dulcitèr insidiantem,repellit, cum voluptatem blandientem repulsat. *Ipsa* te munit eà parte, qua infirmior es, nempe ex parte carnis, ne animæ, & corporis hostes (culpæ, & morbi) tuam possint occupare arcem.*Ipsa* te mundum servat, & à turpitu-

dine

dine, & sordibus præservat; aut abluit:

Temperantia tibi cibum necessarium vitæ tuendæ non negat; superfluum, & nocentem prohibet. Nec defectum, nec excessum permittit, mediocritatem amat. Relegat vitiosum habitum *insensibilitatis*.

Quam *insensibilitatem*, sive vacuitatem sensus Temperantia prohibet? non eam, quæ provenit à pravâ humorum complexione, aut à pessimo temperamento, hæc enim est vitium naturale, non morale. *Insensibilitas* igitur vitium Morale, per *defectum* (Temperantiæ virtuti oppositum) est cum plus justo aversaris voluptates gustus, vitæ tuendæ *simplicitèr* necessarias, & exercitio virtutum, ideòque aversaris plus quàm oportet, & prudentia dictat; eligisque abstinentiam bonæ valetudini detrimentum, & perfectioribus, & utilioribus functionibus animi ex debilitatione impedimentum, quià voluptatum plus justo pertimescis illecebras; unde tibi habitum *stupiditatis cujusdam* comparas, quo facilè repugnas in cibo, & potu voluptates *etiàm honestas*, *& simpliciter necessarias*, quas *recta ratio* admittere præcipit. *Qui* enim *nimiè* voluptates cibi, & potus repulsant, frequentèr *in imprudentiam* labuntur, & in *ridicula*, etiam existimata talia à prudentibus viris, & probis. Est *insensibilis*, & agrestis, qui omnes delectationes corporales fugit; est ergo *insensibilitas* (ultrà, quàm recta ratio dictet) fugere delectationes corporales sensibiles. *Qui* igitur omnes corporales, & sensibiles delectationes sequitur, *intemperatus* est; *qui* autem omnes fugit, *insensibilis*, & agrestis est; *qui* verò fugit fugienda, & prosequitur prosequenda, virtuosus, & *temperatus* est.

PARTES integrales TEMPERANTIÆ VERECUNDIA, & HONESTAS.

S. P. Augustinus (in Epist. 52. Tomo 2.) definit verecundiam sic: *Nihil est verecundia, nisi quidam displicendi metus*. Communitèr deffinitur: *Verecundia* est *quædam corporis immutatio ex turpitudine actionis proveniens*. Nunc verecundiæ nomine non intelligimus eam animi perturbationem, sive *passionem*, quæ suffusionem creat utcumque, sed quæ dedecus fugit honesti ipsius amore, & qua quis verecundatur, si turpe committat, at ex amore, & fine honestatis; sìc enìm est *virtus*. Cui per defectum opponitur *impudentia*, & per excessum *nimia verecundatio*, nempe ultrà quàm oportet, aut recta ratio dictet. Symbolum impudentiæ canis, qui impudenter coràm omnibus turpitudinem exercet. De verecundià vide paginam 1117 & 1118.

Verecundia à verbo *vereor* dicta; quod verbum (ut verbum *spero*) est rerum *futurarum*; hoc discrimen inter *metum*, *& verecundiam*, quòd *ille* sit periculi, *hæc* nominis, & famæ; *ille* in corde, *hæc* sit in ore, & oculis. Turpitudinis frænum verecundia est; & hæc est duplex; *una* qua quis peccare, *alia* qua quis peccasse erubescit; illa est potior, quià præservat.

Honestas est amor honesti; ab aliis definitur: Honestas est *studiosus animi internus ornatus cum exteriori habitu corporis, & pudore*.

S. P. Augustinus in Epist. 3. Tomo 2. dicit: *Vita bona, & HONESTA non aliundè formatur, quàm cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur*. Ideo vis decori, & honesti in eo maximè posita est, ut quæ apta sunt illi personæ, quam vel à naturâ, vel à voluntate nostrà, induti sumus, convenientèr agamus. S. P Augustinus lib. 83. qq. in q. 30. Tomo 4. dicit *honestum*, *quod propter se ipsum appetendum est*; nam utile, ut pecunia, ad aliud refertur. Hìnc honestum est, quicquid rectæ ratio-

tioni, ſacris legibus, Deo, veræque religioni conformatur. Quare rectè verecundia, & Honeſtas reputantur Temperantiæ partes *integrales*, ancillantur enim, & diſponunt ad ipſam.

Honeſtas ab aliquibus putatur eadem ac honoris amativa, ſive *Philotimia*, item ab aliis eadem ac *Modeſtia*, *& Moderatio*; & quidem maximè ancillantur Temperantiæ *amor honoris honeſti*, & honeſtæ opinionis, *moderatio*, *& modeſtia*; at *Honeſtas* videtur ratio generica continens ſub ſe, quicquid honeſtũ eſt; ſed Phylotimia tendit directè *& ſine honeſto* ad mediocres honores; *Moderatio* dicit continere ſe à quacumque immodicà cupiditate; *Modeſtia* moderatur extrema hominis membra, & actiones, quæ ſunt virtutis interioris indicia, ut infrà explicabitur; at & omnes poſſunt dici *Honeſtas*, quià ad *honeſtum* inclinant, & tendunt.

PARTES ſubjectivæ TEMPERANTIÆ, ſunt ABSTINENTIA, SOBRIETAS, CASTITAS, & PUDICITIA.

SPectat ad Temperantiam (ut eſt ſpecialis virtus Moralis) reprimere delectationes *nutrimentales*, *& Venereas*. Illas reprimimus, ſi ſimus *abſtinentes* in cibo, & *ſobrii* in potu; iſtas moderamur, ſi ſimus *caſti*, *& pudici*. Hinc *abſtinentia*, *ſobrietas*, *caſtitas*, *& pudicitia* ſunt *quatuor* ſubjectivæ partes Temperantiæ; de quibus ſuo ordine agamus.

ABSTINENTIA; ubi contrà GULAM, contrà quam plurà ex Philoſophià Morali ſymbolicà, & Poeticà, *& ex literis* ſacris *vide à pag.* 977. *uſque ad* 993.

ABſtinentia generalitèr poteſt eſſe ab omni illicito; nùnc ut eſt pars *ſubjectiva* Temperantiæ definitur: *Eſt virtus moderans delectationes, ex cibis provenientes, ne ad vitia declinent*, cui per *exceſſum* opponitur *gula*, quæ definitur ſic: *Eſt inordinatus appetitus cibi propter inordinatam delectationem*; per *defectum* opponitur *exinanitio*, cum quis ex nimià abſtinentià, & contrà dictamen rectæ rationis, ſe exinaniret.

GULA multorum vitiorum genetrix. Animo nocet quià eſt gravamen ſpiritus; quare (Lucæ cap. 21.) ſic: *Attendite, ne graventur corpora veſtra in crapulà, & ebrietate.* In nimietate cibi ſepelitur ſpiritus. Dicitur *crapula*, id eſt, *cruda epula*, quià ad coctionem calor naturalis non ſufficit; quare apud Oſeam cap. 9. *Memphis ſepeliet eos*; quid *Memphis?* interpretatur *ex ore*; ergo Memphis ſepeliet eos, quià nimietas cibi ſepelit guloſos; ſepelit ſpiritum, & corpus Quatuor ſatellites ſunt gulæ, nempe *ambitio*, ut dives poſſit ſaturari, ciborum *delectabilitas*, *varietas*, *& qualitas*; hæ quatuor rotæ currus dominæ gulæ, hi & equi quatuor.

SOBRIETAS, ubi contrà EBRIETATEM; contrà iſtam plura ex Philoſophià Morali ſymbolicà, Poeticà, hieroglyphicà, *& ex literis* ſacris, *vide à pag.* 993. *uſque ad paginam* 1009.

SOBRIETAS eſt *virtus moderans delectationes potus*, maximè in vino; cui per *exceſſum* opponitur *ebrietas*, quæ definitur ſic: *Eſt inordinata ſumptio vini uſque ad rationis conturbationem*; vitium per *defectum* eſt nimia abſtinentia à vino, quando nec modico vino uteris, quando utendum aliquo recta ratio præſcribit. Quare *Abſtinentia*, & ſobrietas moderantur delectationes *nutrimentales*.

CA-

CASTITAS.

CASTITAS est *virtus moderans venerea*; cui opponitur luxuria. Sed castitas est *conjugalis, vidualis, juvenilis, & virginalis.*

CASTITAS CONJUGALIS ex symbolicâ per TURTURES, COLUMBAS, & ELEPHANTOS. Ubi contrà ADULTERIUM, cujus symbolum MURÆNA. ADULTER protectus à Principe signatus per CERVUM cornibus ramosis; consentiens per CAPRUM. LENA per TUBAM.

CONjugalis castitas est, *quæ servat intrà conjugium regulam præscriptam à rectâ ratione in usu venereorum*; sit copulæ *discretus*, & *moderatus usus*, quià immoderatus usus corpora destruit, mentem deprimit, immoderat appetitum, & reddit conjuges intemperatas, & generat filios infirmos, & debiles, quià nimio coitu attenuatur generativa virtus; item sit usus copulæ conjugalis *discretus*, nempe tempore debito, loco convenienti, & congruo modo; & non in ætate nimìs *juvenili*, *ne* filii sint debiles, *ne* conjugati fiant intemperati, *ne* sit periculum in partu, *ne* impediatur augmentum corporis, & incrementum, si tempore augmenti, copula exerceatur. S.P. August. De Conjug. adulter. lib. 2. cap. 20. Tomo 6. *Viri præire debent in pudicitia, ut fœminæ tanquàm sua capita sequantur.* Et contrà Julianum lib. 3. cap. 21. Tomo 7. *Pudicitia conjugalis belligerat contrà carnalem concupiscentiam, ne limites thori nuptialis excedat.*

Castitas *conjugalis* mutuam *fidem* petit; ideò conjugalis castitatis symbolum *turtures* mas, & fœmina, nàm non solùm sibi servant fidem, & amorem, sed semèl conjuncti non dissociantur, quibus lemma, *fida conjunctio.* Item *columbæ* (ex Æliano lib. 3. c. 5.) adulterium nesciunt; nunquam ex societate, à se institutâ, recedunt, nisi aliquo casu, vel alicujus morte. Elephanti mas, & fœmina tantam sibi servant fidem, ut aliam societatem non agnoscant, quibus epigraphe, *Nulla noscunt adulteria.*

Castitati *conjugali* opponitur *adulterium*, cujus symbolum *muræna*, quæ accersita sibilo serpentis, exit ab aquâ, huic se miscet, violatâ fide consortis; ideò illis lemma, *alienos adamant.* Adulter non nutrit prolem, *cuculi* more, qui ova non fovet, & in *alaudæ* nidum, ut ab hac foveantur, transfert. Marituque, propter sponsam adulteram protectus à Principe, signatur symbolicè in *cervo*, cujus frons magnis, & ramosis cornibus est adumbrata; & cum umbra sit protectionis symbolum, innuitur, quòd cornua sunt protectio adultero. Marituque cornibus consentiens, symbolicè signatur in *capro*, qui non curat, ejus fœmellam in præsentiâ ipsius insaliri ab alio capro. Ergo pudeat adulteros, assimilari *muræna*, & serpenti, sive *viperæ*; pudeat maritum assimilari *capro*, & quòd sit cornibus *cervus.*

Hùc contra *lenas*, quarum symbolum *tuba*, quæ non pugnat, & convocat ad pugnandum.

CASTITAS VIDUALIS ex symbolicâ *per TURTURES.*

CAstitas *vidualis* est, *qua totaliter abstinetur post matrimonij dissolutionem*; cujus symbolum *turtur*, mortuo consorte vivens *solitariè*, ab aliarum avium separata consortio, & recedit ad arbores non frondosas, non

amœ-

amœnas, sed gemit (quasi in luctu) in aridis ramis in perpetuo cœlibatu. Sic mas.

CASTITAS juvenilis, *& VIRGINALIS*; ista *per LILIUM*. illa, *&* ista *per MUSTELAM albam. VIRGO puella signata per plantam PUDICAM, ANONIMUM, & AURORAM.*

CAstitas *juvenilis* est, *qua castè vivitur ante matrimonium cum intentione nubendi.*

Castitas *virginalis* est, *qua quis toto tempore suæ vitæ servat se purum ab omni actu, & cogitatione venerea*, hujusque symbolum *lilium*, quia purum, & candidum; item *elephas*, fugiens vicinitatem libidinosissimo indico muri, cui ideò lemma, *tantus horror fœdi?* Sed & *mustela alba, sive Arpina*, animal album, & purum ità abhorret sordem, ut venatores, capturi illud, si exierit à foveà, luto coinquinent ingressum; posteà venientem persequuntur; fugit ipse ad foveam, sed videns ingressum sordidum, ne sordescat, sinit capi; cui ideò epigraphe, *potiùs mori, quàm fœdari.*

Planta dicta *Pudica* cum videtur ab homine, suos ramos colligit, ideò symbolum virginis puellæ, cui ideò, quod Pudicæ plantæ lemma, *Non aspiciat me visus hominis*. Si aliqua manus tangat *anonimum* plantam, se retrahit, ideo puellæ virginis index, & cui, quod anonimo epigraphe plantæ, *tacta se retrahit*. *Aurora* rubicunda apparet, ideò virginis figura, cui, quæ Auroræ, inscriptio, *sine rubore nunquàm*. Virginitas amissa non est reparabilis; idque signat illud Emblema, in quo figuratur falx vicina cupresso, ad secandum quemlibet ramum; semèl enim secata iterum non repullulat; lemma, *irreparabile damnum*; aptè Seneca, *Redire, cum perit, nescit pudor.*

PUDICITIA; *cujus symbolum* artificiosum.

PUDICITIA, dicta à pudore, est virtus, quæ moderatur *motus, & tactus, qui circunstant, ordinantur, vel consequuntur ad actus venereos*; de quibus verecundari debemus; non enim solùm pudere debet concubitus, sed etiam *aspectus, tactus, osculorum, amplexus, & similium*, quæ turpitudinem indicant, & *pudicitiæ* opponitur *impudicitia* ut vitium per *defectum*; per excessum *pudicitia nimia*, ut si puderet de non pudendis, & ultrà quàm recta ratio præscribat.

De *Pudicitiâ* inquit S. P. Augustinus (lib. 1. de Civitate Dei, cap. 18. Tomo 5.) sic: *Pudicitia virtus est animi, comitemque habet fortitudinem, qua potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo consentire decernit.*

Pudor dicitur, quasi pudendorum timor, qui situs est in incontinentiæ dedecore; & quia vix reperiuntur *justitia, & pudor*, ideò Pudorem, & Nemesim in Cœlum evolasse, dolebat Hesiodus. Quiâ autem pudor est magister continentiæ, ideo Xenophon in Symposio *Pudorem* Deum effinxit, & Pudori fuit ara Athenis in Acropoli, ut narrat Hesychius. Pudorem putarunt cultu dignum, & in Laconiâ spectabatur simulacrum *pudoris*. In numo (cujus inscriptio erat *Sabina Augusta Hadriani Aug.*) ab alterâ parte conspiciebatur fœmina sedens, velo faciem cooperta, & digito indice dextræ ad jugulum admoto, cujus inscriptio erat *Pudicitia*. Hæc enim est vis pudoris, & pudicitiæ, ut qui prudens sit, multò magis dedecus, quàm mortem timeat. Ergo castitas, & pudicitia reprimunt delectationes venereas, sicut abstinentia, & sobrietas reprimunt delectationes nutrimentales; sed

quia

quia oportet, castum non solùm non exercere opera venerea, verùm neque gestus, aut actiones turpes, ideò commendatur *pudicitia*.

PARTES *potentiales* TEMPERANTIÆ sunt MANSUETUDO, CLEMENTIA, MODERATIO.

DE *Mansuetudine*,& Clementiâ jàm dictum in p.1257.& 1258.inde infertur,quòd sunt *virtutes moderatrices iræ*; & Mansuetudinis symbolum *columba*,quæ caret felle,fede,& ideò symbolo iræ.Itèm Mansuetudinis symbolum artificiosum est mulier coronata ex *olivâ*, ad latus figuratus elephas,cui dextram superponit manum; sunt enim *oliva*, *& elephas* mansuetudinis symbola,illa, quià dat oleum leniens suavitèr, & emolliens tumores symbola *iræ*; iste, quia indolis est mitis, & ne conculcet sua mole pecora, agnellos,&oves,si in viâ sint obvia,vel socia,proprio pede lenitèr à se amovet; quòd si viatorem errantem in deserto inveniat, non solùm non invadit, sed mansuetè dirigit, & ostendit iter; etiam iratus mansuescit statìm, ac alia animalia debiliora videt.

Mansuetudo æquè ad Fortitudinem, & Temperantiam (ajunt) revocari potest, quatenus iram moderatur, eamque compescit,non excitat.

Mansuetudinis species numerantur *Clementia*, *& Misericordia*; de quibus jàm ubi suprà dictum, quatenùs continentur sub ratione communi *beneficentiæ*.

Continentia generalitèr sumpta continet sub se species subjectivas Temperantiæ, nempe *abstinentiam*, *sobrietatem*, *castitatem*, *pudicitiam*, & dicit se tenere contrà omnes delectationes immodicas sensuum.

Generaliùs *continentia* est idem ac *moderatio*, de qua Jacobus in epist. 1. cap.5. v.13. *Moderatio in omnibus tenenda*, quare Moderatio, sive continentia ut sìc important, modum habendùm in omnibus, sive medium virtutis, in quo nos debemus continere, ne declinemus ad vitium per excessum, vel per defectum.

Moderatio dicitur à *moderor*, & moderor *à modo*, quià *moderatè* agere est agere *debito modo*, *& modum* apponere actui, vel passioni. Moderatio jàm solet dici temperantia illa communis omni virtuti,jàm *modestia*, quæ etiam *à moderor* est derivata.

MODERATIONIS, quæ dicitur MODESTIA, SPECIES.

SUnt Humilitas, Modestia *morum*, ad quam reducitur Eutrapelia, Studiositas. De Eutrapelià jam dictum in elapsis.

De HUMILITATE, signatà per VIOLAM, & ZERUM; & NARDUM; at *Superbia* per FUMUM, & *organi* FOLLEM.

HUmilitas est virtus moderans elationes in *appetendis rebus magnis*;cui per excessum opponitur superbia, quæ sic deffinitur: *Est amor inordinatus propriæ excellentiæ*.

Humilitas à S. P. Augustino definitur sic: *Humilitas est ex intuitu propriæ cognitionis, & sui conditoris, voluntaria mentis inclinatio, suo imo ordinabili ad suum conditorem*. Humilitas in paupere grata, in Principe glorioſa. Tria radicata humilitatem nutriunt, scilicèt *assiduitas* subjectionis, *consideratio* propriæ fragilitatis, *& consideratio* rei melioris. Humilitatis

dulcedine condiuntur genera virtutum omnium. Humilitas cordis receptaculum est gratiæ. *Humilis* se reputat *nihil*, & tùnc est *major*, cujus symbolum *zerus*, qui reputatur pro nihilo, & tamen inter numeros est major, ut videas in hac figurâ:



Humilis itèm symbolum viola flos odoriferus, & gratus, humilis, parvus, vix à terrâ elevatus; iste ad radicem montium signat humilitatem; sicut & *nardus* herba humilis, odorifera, purgans pectus, est (apud Cantica cap. 1. D.) typus *humilitatis*, & quià est calidæ naturæ signat humilitatem ex charitate manantem.

Superbum dicas fumum, cui lemma, *ascendendo* deficit; dicas organi follem, *dum attollitur*, *inflatur*.

MODESTIA MORUM.

MOdestia morum deffinitur sic: *Est virtus, quæ extrema hominis membra, & actiones juxtà cujusque decentiam moderatur*; à S P. Augustino definitur: *Est virtus, per quam pudor honestus claram, & stabilem comparat auctoritatem*; & ad hanc Modestiam pertinent Moderatio, sive Modestia in linguà, in actibus externis, gestu, vestitu, cultu; nam hæc exteriorem dant auctoritatem; quæ omnia patebunt ex dicendis pro *studiosis*; cui virtuti opponitur per *defectum indecentia externa* in motibus, & *actionibus corporis*, & *animi*; at per *excessum* nimia rigiditas in ijsdem.

DE STUDIOSITATE.

STudiositas virtus Moralis est *virtus moderans appetitum naturalem cognoscendi*; cui per *defectum* opponitur *negligentia*, qua non datur opera studiis necessariis, & est *omissio sciendi ea, quæ ad nostrũ statum pertinent*, & per *excessum* opponitur *curiositas*, nempe *nimius affectus* sciendi ea, quæ ad nostrum statum non pertinent, aut non oportet scire. At quia nostri muneris (ut publici moderatoris cathedræ) est dictare studiosæ juventuti, ad studiosos sint nostri sermones, unde & alii accipiant, quod & ipsis prosit.

STUDIOSÆ *juventuti* commendatur TIMOR DEI; id ex DAVID; ex *hieroglyphicà* per MUSAS *socias* cum HERCULE.

FIli. Initium sapientiæ timor Domini. Deus scientiarum Dominus est. Janua ad sapientiam Deus. Deus ipsa sapientia; longè distat à sapientia, qui recedit à Deo. *Bonitatem*, & *disciplinam*, & *scientiam* doce me, precabatur Dominum David; sed reflecte gradationem, priùs nominat *bonitatem*, hìnc *disciplinam*, tandèm *scientiam*; cur primò *bonitatem*? quià bonitas vitæ, quæ est timor Domini, initium est sapientiæ; *bonitati* vitæ succedit *disciplina*, nempe *discere*; non discit, qui Deum non timet, quià vitio deditus, & omnis peccans ignorans est; vitium mentem obnubilat, impedit lumen scientiæ. *Bonitati*, & *disciplinæ* succedit *scientia*, quià Deum ti-

timendo, & humilitèr *discendo*, sive studendo, scientifica cognitio acquiritur; ergo timeas Deum, quià scriptum est: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, id est, voluntati Domini obedientibus. Musas collocarunt prisci socias in eàdem arà cum Hercule; cur sic? ad indicandum, quòd si nomine Musarum intelliguntur scientiæ, & nomine Herculis virtus, hæc debet esse socia scientiis; non est scientia harmonica, si vox virtutis non resonet. Unde & Minervam, quam dixerunt præsidem literarum, & scientiarum, etiam voluerunt, quòd significaret virtutem, ut indicaretur, sine virtute esse nullius momenti scientiam. Scientia sine virtute est arca vacua; intellectus solo aere vanitatis repletur; est scientia Luciferina, non Christiana. Chymicos aurum vanum decipit, doctos scientia vana; illos deiicit Chymica ad ridiculam paupertatem, hos scientia vana ad tragicam calamitatem. Scientia sine virtute est zerus sine unitate.

COMMENDATUR STVDIOSITAS; ex *symbolicà* per BISONTEM, & PALMAM.

FIli. Studio acquiruntur scientiæ, quæ sunt animi nutrimentum. Studium honestum iram sopit, cogitationes impuras divertit, curas perturbantes relegat, detractiones fugat, & vitiosas societates, flagellat otium, quod multa crimina generat. Aliis ex causis vexatus, in studio solatium invenit; non solus, quià libri socii; agit cum sapientibus, conversatur cum mortuis, qui sine adulatione monent. Libri boni sunt amici fideles, non tradunt, non insidiantur. *Studium* dicas non solùm animi recreationem, & pabulum, sed (juxtà rectæ rationis præscriptum) corporis sanitatem; coercet enìm animi passiones multas, quibus corpus gravitèr infirmatur. Studium bonarum literarum animos feros reddit mansuetos, sylvestres generat politos, rusticos efficit civiles, plebejos procreat patritios. Radices sunt amaræ, sed fructus dulces; cujus symbolum palma, cujus arduus est ascensus, sed habet dulces dactylos in cacumine. *Studium* dixeris *otium negotiosum*, delectat, & proficit. Viridaria animi sunt libri honesti; solùm in scientiarum Elysèis est literatis requies. Dolebat Architas, quià publica negotia impediebant studia. Opera Homeri erant Alexandro sub pulvinari socia. *Scientia unicum bonum, malum unicum est ignorantia*, ajebat Socrates Athenienfis. Sublatà scientià, & cognitione, tollitur omnis ratio vitæ degendæ.

Scientia docet, rectè uti robore, pulchritudine, sanitate, divitiis, dominiis, & regnis. Respublica sine scientià est orbis sine Sole. Scientia reddit immortales; jacet literati cadaver in cinere, & resonat illius nomen in gymnasiis; ideò libro scientiæ bonæ lemma, *sine morte decus*. Familiarum splendor ex literis, & armis. Bisontis exteriora sunt horrida; interior caro est suavitate plena; sic studia incipienti aspera, at dulcia postea.

QVO FINE STVDENDVM, *ex Bernardo, D. Thoma, & Augustino.*

STudium definitur etiam sic: *Est vehemens applicatio animi cum magnà voluntate ob virtutem comparandam*; ergo finis primarius studentis sit, ut sciat virtutis semitas, per quas Deum assequatur. Hùc Bernardus super *Cantica* serm. 6. sic: „ Sunt, qui scire volunt eo fine tantùm, VT „ SCIANT, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, VT „ SCIENTIAM suam VENDANT, & turpis quæstus est. Et sunt, qui „ scire volunt, VT SCIANTVR IPSI, & turpis vanitas est. Et sunt,

„ qui ſcire volunt, VT ardentiùs ÆDIFICENT, & charitas eſt. Et ſunt, „ qui ſcire volunt, VT ÆDIFICENTVR, & prudentia eſt.

D. Thomas lib. 3. de Animà ſic: „ Plerique acceptà ſcientiâ literarum, „ non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utuntur, & hi peccant, ubi pec- „ cata emendare debuerunt.

Ideò S. P. Auguſtinus in Pſalmo 118. conc. 29. Tomo 8. dolet: „ Mul- „ ti ſunt, qui dicta ſapientiæ ſtudioſiſſimè inquirunt, eamque in doctrinâ; „ non in vitâ volunt habere; ut non per mores, quos jubet ſapientia, per- „ veniant ad divinam lucem, quod eſt ipſa ſapientia, ſed per ſermones, „ quos habet ſapientia, perveniant ad hominum laudes, quod eſt vana „ gloria.

Diſcite *ad gloriam Dei*, & contemptum *ſæculi*, non propter *ſæculi* ho- nores *in ſcholis* exerceamini; dolebat enim S. P. Auguſtinus (De verbis Do- mini, ſerm. 9.) gemens: *Multis in* SCHOLIS vigiliarum, & abſtinentiæ moleſtiis exercentur pueri, non propter diſcendam ſapientiam, ſed propter opes, honoreſque *vanitatis*. Item (De Diſcipl. Chriſt. cap. 11. Tomo 9.) ſic: *Iviſti in* SCHOLAM, & vapulaſti, ut diſceres literas, ut compararetur honor, & teneretur ſublimitas dignitatis. Non enim parentes noſtri, quando nos in SCHOLAM mittebant, hoc nobis dicebant, *Diſcite literas, ut habea- tis, unde legere poſſitis* DOMINICOS CODICES, ſed ut SIS HOMO; hoc eſt, ut SIS EMIMENS INTER HOMINES. Hæc Auguſtus Magi- ſter dolens.

QVÆ STVDENDA; *ex* AVGVSTINO.

S. P. Auguſtinus in Pſalmo 9. Tomo 8. *Sunt portæ filiæ Sion omnia* OPTIMA STVDIA, *per quæ venitur ad viſionem pacis in ſancta Ec- cleſia*. Item (de Vtilit. cred. cap. 9. Tomo 6.) ſic: *Differt* CVRIOSVS ab STVDIOSO, *quòd curioſus ea requirit, quæ nihil ad ſe attinent; ſtu- dioſus autem contrà, quæ ad ſe ſe attinent, requirit*. Ergo nolis ſapere plus, quàm oportet ſapere, ſtudeas ſapere ad ſobrietatem. Scientiis, quæ docen- tur in Catholicis publicis Academiis, incumbas; à prohibitis caveas, ne in ſtudiis tuis fias abominabilis. Quantùm ad bona *ſtudia* legas ex Auguſtino.

S. P. Auguſtinus (lib. 22. contrà Fauſtum, cap. 53. Tomo 6.) admo- net: „ In his, qui flagrant amore perſpicuæ veritatis, non eſt improban- „ dum STVDIVM, ſed ad ordinem revocandum, ut à FIDE incipiat, & „ bonis operibus nitatur pervenire, quò tendit.

Studeas *honeſta, & utilia*; nam apud Lucam, cap. 15. C. quid ſignat prodigus cupiens ſaturari de ſiliquiis porcorũ, niſi eum, qui nimis delectatur in lectione poetarum, & rhetorum, in quibus mens, quæ veritatem naturali- tèr amat, non ſatiatur, cum ſolùm verborum habeat tinnitum? ſtudeas illas ſcientias, unde doleas de peccatis, nam in cap. 1. Eccleſiaſtæ, D. quid indi- cat illud, *Addens ſcientiam, addit dolorem*, niſi quòd qui addit cognitio- nem ſui, & peccati, & divinæ bonitatis, *dolet* propter miſeriam, & pro- pter abſentiam tanti boni?

QVANDO STVDENDVM; indicatum per NO- CTVAM, & OLIVAM, dicata PALLADI.

AUrora dicta eſt grata Muſis, quià tùnc organizatio corporis idonea capeſſendis ſcientiis. Aurora dicta, quià *avium hora*, qua cantu ſa- lutant Solem orientem; at & eſt hora, qua alata ingenia exercentur. Sed

no-

nocte ante cœnam est tempus aptum studio, quia nox apta consiliis, & capessendis scientiis, eò quòd in silentio, & recessu, intellectus non abstractus ab externis sensibus, & sensibilibus objectis, maturiùs reflectit; ideòque ex avibus *noctua* dicata Palladi, dictæ scientiarum præsidi, & per quam intelligitur vis inventiva ingeniosa, ad indicandum, quòd si *noctua* est avis nocturna, & nocte vigilat, & videt, debet vigilare, & videre libros nocte, qui velit radiare sol sapientiæ in meridie. Item Palladi dicata ex arboribus *oliva*; cur sic? ad innuendum, quòd si dat *oleum*, cum quo, ad chartas, nocturnas agimus vigilas, professori literarum sit socium oleum, ut possit in nocturno exerceri studio. Ingenium effingitur alatum, ideoque Mercurio, per quem intellexerunt ingenium, cum alis duabus in capite apud aures est figuratus; ergo ingenium dixeris avem *nocturnam*, ut nocte videat, vigilet, & studeat; at & avem *diurnam*, quia ut die canat, nocte studet. Studio nocturno *pallescis*? at hic est studentium color. Cur, putes, laurea *pallida* data Medicinæ? quia boni Medici est, non solùm agere cum *pallidis*, nempè infirmis, & non conterere tempus, visitando sanos, & ex adulatione Principes, & Principissas, equitum domos, & togatos valetudine integros, sed ad indicandum, quòd ille Medicus rectè subscribit (quando illucescente aurorâ, egreditur, ut visitet ægrotos) qui ex studio nocturno *pallet* ad Medicinæ libros. Et cur *ex hederâ* corona Poetarum? ad innuendum, quòd si hedera est ex una parte *viridis*, ex alia *pallida*, non erit tibi vivor in famâ, & cathedrâ, si non præcedat pallor ex vigiliâ. Pallet ad lucernam Cleanthis, qui (instar Palladis cum olivâ semper viridi) velit florere, & virescere in gymnasiis. Fili; ubi *studium*, ibi *oleum*, etiàm (ut plurimùm) in tabulâ, veste, & scriptis; volumus in lucernâ; *oleum* & est *studii* symbolum.

QVANTVM TEMPORIS STVDENDVM, ex *Hieronymo*.

STudeas, quantum permittat complexio, & horis congruis; nunquam sis immodicus; finita est vis nostra, oportet non deprimi, studeas modicè, ut possis studere plus. Nimium studium ægritudinis est parens, unde successivum impeditur studium. Festina lentè, ne decedas in viâ, & ut ad terminum pervenire possis. Hùc D. Hieronymus ad Demetriadem sic: „ Sit „ ipsa lectio temperata, cui finem consilium, non lassitudo imponat; nàm „ ut immoderata jejunia, & ardor abstinentiæ, & inordinatæ vigiliæ intemperantiæ coarguuntur, & nimietate suâ pariunt, ut hæc ipsa posteà „ quidem nec mediocritèr fieri possint, ità studium intemperans lectoris in „ reprehensionem cadit, & quod laudabile est in genere suo, fit nimietate „ suâ culpabile. At ad studendum prudentèr tota vita est tempus; nunquam est tempus, à literis vacandi; quare Demosthenes, cum se mori cerneret, dixisse fertur, cum jam centum, & septem annos expleverim, doleo egredi è vitâ, quando sapere incipiebam. Plato agens 80. annos, scribens, & studens mortuus est, sicùt & Socrates annos 98. numerans. Plus ignoramus, quàm scimus, ergo tota vita est ad discendum tempus. Non te inveniat Sol in lecto, nec nox in foro, sed in Musæolo.

Non STVDENDVM simùl in multis SCIENTIIS; id ex *Seneca*; ex *symbolicâ* per ANDROGYNOS.

SI uni soli scientiæ capessendæ non sufficit etiam diuturna vita hominis, quomodo delires, plures simùl comparare scientias? Seneca in epist. 57. ajebat: *Studio me dabo; omnia alia negligenda sunt, ut huic assideamus,*

cui

cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi à pueritia usque ad longissimos annos vita producatur; hoc etiàm de unà scientia intelligitur, cui comparandæ nullum diuturnum tempus est satis, ergo quid multis scientiis? At simùl pluribus se applicare scientiis, maximè nocet incipienti, qui nullam capit, dùm ad plures simùl attendit. Per gradus ætatum ad virilitatem ascendis; ætas succedit ætati, studium studio, ut in virum sapientem crescas. Elige scientiam sponsam, cui studium principale applices; reliqua, quæ possis, sint ad ornamentum. Quid proficit, studiose, plures scientias simùl scribere, & ignorare omnes? Quid tu? *Petrus in cunctis, & nihil in totum.*

Hùc Seneca lib. 1. de Beneficiis: *Solet plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu, ut in usu tibi sint, quàm si multa quidem didiceris, & ad manus non habeas. Non refert, quàm multa sciat luctator, si sit quantum victoriæ est satis.* De virtute proficimus in virtutem, & de scientiâ in scientiam. Quid hoc? in brevi deliras scientias possidere multas? quid est, te simùl vacare Rhetoricæ, legi Civili, Canonicæ, Philosophiæ, Græcæ linguæ, Mathematicis? audivi, & studiosos vidi sic de se narrantes, quasi putantes aliquid magnum. Hos dicas *androgynos*; imitantur utrumque sexum, & neutrum sunt, sed monstra. Cur tot scientiis simùl addictus? ut cunctas ignores, & nullam scias. Eccè contrà Attalum declamatorem causidicum, qui more tuo, & farinatorum more, jactabat se plura scire, & simùl multa didicisse, risit Satyricus quidam:

Declamas bellè; *causas agis, Attale*, bellè;
Historias bellas, *carmina* bella *facis.*
Componis bellè, *causas agis*, *Attale*, bellè;
Bellus *es Grammaticus*, bellus *es Astrologus.*
Et bellè *cantas, & saltas*, *Attale*, bellè.
Bellus *es arte lyræ*, bellus *es arte pilæ*;
Nihil benè *cum facias, facis tamen omnia* bellè.
Vis, dicam, quid sis? magnus es Ardelio.

Itèm scientiam brevissimo tempore festinè possidere cupis? audi Boetium: *Scientia festinata non crescit; mediocritèr autem sumpta augmentatur, & crescit.* Multa scripta simùl, multa simùl sunt pabula; non digeris, gravant, nocent.

De MODO STVDENDI, & SCIENDI, ex D. THOMA.

MOdus *studendi* requirit quatuor; nempè *Ordinem, assiduitatem, complacentiam, commensurationem*. Requiritur *ordo*, ut priùs studeas, quæ priùs studenda. Requiritur *assiduitas*, id est applicatio prudentèr assidua, & tempus debitum. Riquiritur *complacentia*, id est, amor ergà studium. Tandem *commensuratio*, nempe studii cum capacitate, & ingenio. At ante studium est implorandum divinum auxilium; adhùc Ethnicis fuit proverbium, *à Jove principium Musæ.*

D. Thomas (in epistolà de *modo sciendi*) religioso scripsisse fertur sic: Quià quæsivisti à me, in Christo mihi charissime, *qualitèr te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendæ*, tale à me tibi, super hoc, traditur consilium; *ut* per rivulos non statim in mare eligas introire, quià per faciliora ad difficiliora oportet pervenire. Hæc ergo est monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse jubeo, & tardè ad locutorium accedentem. Conscientiæ puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas. Cellam (id est recessum) frequentèr diligas, si vis in cellam vinariam (nempe in sapientiam) introi-

troduci. Omnibus te familiarem exhibe. Nihil te penitùs de factis aliorum intromittas. Nemini te multùm familiarem ostendas, quià nimia familiaritas parit contemptum; & subtractionis subitò materiam subministrat. De Verbis, & factis sæcularium nullatenùs te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum, & bonorum vestigia imitari non desinas. Non respicias, à quo audias, sed quid boni dicatur, memoriæ recommenda. Ea, quæ legis, & audis, fac, ut intelligas. De dubiis te certifices, & quicquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicùt cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Ista sequens vestigia, frondes, & fructus in vinea Domini Sabaoth utiles, quandiù vitam habueris, proferes, & produces. Hæc si lectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas. *Hæc D. Thomas.*

S.P. Augustinus in Psalmo 83. v.4. *lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat.*

Hùc attinent, & in relatis continentur sex necessaria ad studium; nempe *invocatio divini auxilii, amor literarum, disciplina, solitudo corporis, mentis tranquillitas, exercitium.* Ergo si scientiam amas, istè est modus sciendi, invocare opem Dei, amare studium, discere à Magistro, amare recessum in Musæolo tuo, tranquillam habere mentem, scribente Poeta. Carmina recessum, scribentis & otia quærunt.

Et cur Musas effinxit Poesis in recessù, in montibus Helycone, Parnasso, &c.? ad indicandum, quòd si nomine Musarum intelliguntur scientiæ, hæ acquirendæ in recessù à tumultu, & mente serenà. In tuo recessu explica solus scripta, ac si auditores haberes Discipulos; non transeas ad alia, quin intellexeris priora. Vbi dubites, interroga. Dum scholaris, sola Magistri studeas scripta; inde libros paucos, sed electos, at non simul, sed uno intellecto, gradus ad alium sit. Jàm scientià vir quoscumque legas honestos. Sed *exercitium* literarium ferveat.

VIA, & MODVS SCIENDI *exercitatio* cum argumentis, & syllogizando, DISPUTATIVA; ex *symbolicà, & Emblematicà* per SILICEM, & duos ADAMANTES; per MERCVRIVM, & PALLADEM, & ex AVGVSTINO.

EXercitatio (inquit S.P. Augustinus de Quantitate animæ, cap. 21. Tomo 1.) *vires auget*. At hæc exercitatio literaria non sine argumentis, & syllogismis vires habet; cum syllogismis explicatur ratiocinatio, acuitur discursus, ingenium subtilizatur. Sine syllogismis erit tumultuaria, & plebeja altercatio, vocum confusio, facile præcipitium ad convitia, & manus. Intellectum dicas *gladium*, argumentationem in formà dicas *cotem*, in qua acuitur ingenii acies. Sine argumentativà disputatione possidebis tibi dictata ut historiam, & narrationem; at si tibi objiciatur, ut te defendas, cares armis. Qui syllogizare nescis, à scientià distas, quæ *est cognitio rei per causam*; hæc cognitio non est sine discursu, at nescit subtilitèr discurrere, qui ignorat subtilitèr syllogizare. Scientia est *habitus certus, & evidens per demonstrationem acquisitus*, ergo si demonstrare nescias, cujus scientiæ sis capax? Ideò S.P. Augustinus (in Enchirid. cap. 59. Tomo 3.) monebat: *Non inutilitèr exercentur ingenia, si adhibeatur disputatio moderata, & absit error opinantium, se scire, quod nesciunt.*

Et in prologo quæst. lib. 7. quorum primus est super Genesim, Tomo 4. ait: *Non disputatio veritate, sed veritas disputatione acquiritur*; ergo quomodo sine disputatione acquiras scientificam veritatem? *Qui disputat*

(in-

(inquit Augustinus Pater contra Crescónium lib.1.cap.15.Tomo 7.) *verum discernit à falso*; ergo quomodo sine disputatione discernas? O Fili; reflecte ex Augustino contrà Faustum lib.13. cap.12. Tomo 6. *Non disputare amant hæretici, sed quoquomodo superare impudentissimà pervicacià, ut congregent*, nempè plausum popularem,& ignorantium. Ergo si hęretici disputationes timent, discas disputare. *Hoc* (ajebat Augustus P. contra Crescónium lib.4.cap.3. Tomo 7.) *cavendum est in collatione disputationis, ne prorumpatur in litem*; quid litem? ne prorumpas in verba contentiola,& injuriantia.

Et quomodo studiosus comprehendet suam sententiam, si contrariam ignoret? quomodo defendet, nisi contrà ab oppósito obiiciatur? Argumenta hìnc, illìnc intellectum dùm agitant, acuunt. Argumenta pungunt studiosum,& laudabili æmulatione studiosi excitantur. In disputatione studiosum defendentem dicas silicem,arguentem dicas ignitabulum;fit cùm argumento collisio, tùnc hìnc, illìnc scintillæ ingenii excitantur, & patent; ideò illis lemma, *atritu ignis*; vel *è collisione ignis*. Hùc quidam Poeta canit:

De silicis venis excussa ut semina flammæ
Excipit arenti fomite materia,
Inde suam accendunt pro se sibi quisque lucernam
Extemplò & cœcas discutiunt umbras;
Sic, disceptando, *studiosi in luminis oras*
Verum ipsum è latebris excutiunt facilè.

Hùc & illud Emblema, in quo figurantur duo adamantes, ex quibus unus politur cuspide contrarià alteri, & mutuò poliuntur,addito epigraphe, *invicem exculti*. Quare Cornelius à lapide ad Proverbiorum caput 27. explanans illa verba, *ferrum ferro acuitur*, docet: *Quasi dicat, qui sapientis præceptoris opera instruuntur, uti quotidiè fieri videmus in SCHOLIS* per DISPVTATIONES *Philosophicas, & Theologicas, in quibus respondens ab argumentante, dùm rationibus stringitur, acutior redditur*.

Ergo per tres primos annos studii,Logicæ, Philosophiæ, & Animasticæ,& Metaphisicæ cum calore des operam,studiosè;disputando, arguendo, ingenium acuēdo exercearis;gladius enìm intellectus sìc acutus facilè secat difficultatum nodos in aliis scientiis,ad quas ascendas;sinè ingenio acutè ratiocinante, inferente, & præveniente, quid ex præmissis possit resultare, quomodo eris idoneus nec pro Medicinà, nec pro advocatione faciendà,& eò minus pro Theologià? Si in his sis piger, in primà operatione intellectus consistes,tua scientia erit farinatura,cortex,narratio,superficies,simplex apprehensio.Unde & calamitas, quòd sine subtilitate scholasticà facilè ab hæretico mitteris in præceps,& literæ sæpè cedens,ignorans spiritum,qui vivificat,declinabis in hæresim.An non experiris,quòd syllogisticæ disputationi non assuetus,si aliquis syllogismus objciatur, statìm trepidas, effugium non vides, & ad voces, & convitia, & clamores appellas?

Ipsi Magistri Academici disputationibus acuuntur, & in pulvere prælii literarii probatur ingenium. Studium sine argumentis dicas *cadavericum*; quem vigentem vitalem literarium motum exercet? Disputationes Magistrorum stimuli sunt Discipulorum. Dum in hac aulà hanc disputationem, in illà aliam, & in aliis alias, & in diversis scientiis audiunt, multa, & diversa discunt, & armatà Pallade literarià accenduntur animi pigri. Cur Minerva dicta ex cerebro jovis nata armata, & voce magnà, quæ totum perterruit Olympum? ad indicandum,quòd argumentatio ex jove, nempè subtili ingenio orta, & explicata, totum perterret Academicum orbem; illud argumentum est efficax, quod cuncti Academici timent.

Cur

Cur Mercurius dictus inventor *luctæ*? quià Mercurius dictus est etiàm inventor *literarum*; nomine *Mercurii* intelligitur *ingenium*, quod invenit scientias, & artes; at & additur, quòd fuerit inventor *luctæ*, ad indicandum, quòd in publicà scientificà Academicà luctà patent Mercurii, id est, explicantur literatorum ingenia.

In tempestate probatur nauclerus, in pugnà miles, in argumento Academicus. Miles, qui pugnam fugiat, an dicetur strenuus? tùnc in campo Martis probantur vires, quando fronte à fronte se lacessunt exercitus. Quid, putes, sint literariæ publicæ disputationes? campus Palladis; tùnc fervet opus, bullit pugna, cujusque probantur ingeniosæ vires, & virilitas scientiæ, quando hìnc, illìnc argumentando, resumendo, replicando, distinguendo, instando, & resistendo, rebombo literario mugiunt tormenta Academica. Quæ tormenta dico? publica argumenta. Tùnc apparet, quis strenuus, quis debilis. An velis famam, quià sìc voluere priores, vel in fide parentum? an quià sìc simplicitas canat, aut quià te vultu arcanico, rugatà fronte, oculis admirativis, facie Radamanthi, barbà philosophi, actionibus spatii imaginarii, voce raucà, & lentà, videat sincera, & candida juventus dicentem? Contrà hos Hieronymus ad Nepotianum sìc: *Verba voluere, & apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tàm facile, quàm vilem plebem, & indoctam volubilitate linguæ decipere, quæ quicquid non intelligit, miratur.* Nunquam Minervam vidi vultu admirativè phantastico figuratam à priscis, age; non est superstitiosa, quæ sit vera scientia; Sol sine fictione resplendet. Quæ quærit fucata adminicula, non est pulchra scientia. An velis admirationem infundere candidis juvenilibus columbis sine felle? vide, quòd à longè, & propè non rarò te considerant vulpes; attende.

Ut bulliant STUDIA, *ferveant* PRÆMIA; *id ex* hieroglyphicà *per* HERCULEM *in* ACADEMIIS, & in *eadem* arà *cùm* MUSIS.

SUprà relata ità? ità; at & simùl sint *præmia*; spe præmii pugnat miles; variæ coronæ, ut accenderentur ad pugnam milites, instituere Romani. Sint Mecœnates, erunt, & Flacce, Marones. Cur Hercules in eàdem arà cum Musis? ad innuendum, quòd scientiæ, aliquo Hercule protegente, florent; cum protegit literas aliquis Hercules cum clavà, tùnc canora resonant studia, cantant Musæ; sine Hercule silent, tacent. Ideò etiàm *Herculis* effigies erat collocata in *Academiis*, ad indicandum, quòd si sit aliquis *Hercules*, humeris sustentans, & exaltans *Academicum Cœlum*, tùnc Academiæ elevatæ stant; alitèr sine Hercule cadunt, jacent. *Sublatis studiorum prætiis, etiam* STVDIA *pereunt ut minùs decora*, ajebat Tacitus lib. 11. Ann. Alii sic referunt verba Taciti: *Sublatis* STVDIORVM *præmiis*, SCHOLÆ *frigescunt, quià pereunt ut minùs decora*. Quare leg. 6. de Professoribus, & Medicis sic: *Mercedes eis, & salaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus studiis, & memoratis artibus multos instituant.* Simmacho erat regiminis idæa; quòd *disciplinarum professoribus pendantur* PRÆMIA *opulenta*. Ideò Ildephonsi Regis Aragoniæ erat vox: *O utinam temporibus meis contingat, stipendia militum verti in stipendia professorum literarum*. Mecœnas ideo dictus MECOENAS, quià dicebat Poetis Italicè, *Meco cœnate*; id est, *mecum cœnate*. Aliter simplex studiosa juventus reflectens Magistros, & studia sine præmio, languescet dicens: Pro matre PECVNIA ad mercaturã, & mechanica applicemus, nàm *Quid*

est liber, nisi labor; quid calamus, nisi calamitas; quid penna, nisi pœna; quid atramentum, nisi res atra; Quid STVDIVM, *nisi* STADIVM? ergo Reipublicæ primates, qui legunt, intelligant.

QUÆ SCIENTIA ex humanis *PRIOR ADDISCENDA? Philosophia MORALIS; id per LIGNUM* vitæ, *in medio PARADISI* terrestris; *qui fuit symbolum ACADEMIÆ.*

NAm ista edocet moderari passiones sensus, præcepta virtutum, contrà vitia, humilitatem, obedientiam, modestiam, &c. sinè quibus nullus discipulus erit auditor idoneus, quare in quarundam disciplinarum complexu, quam vocarunt *Encyclopædiam* continentem in circulo Logicam, Philosophiam Naturalem, Moralem, & Theologiam, Philosophia Moralis in circulo inferiori ponitur, quasi fundamentum, quià est addiscenda prima; & sine qua omnes artes, & scientiæ humanæ nec pili pendendæ, ut ajebat Episcopus Novariensis, quare *deplorandus* (inquit homo) *Ethicà disciplinà destitutus*; & B.Card.Doct. Ægidius Romanus *legistam* Philosophià Morali politicà destitutum dicit legis imperitum, quià cum scientia sit *cognitio rei per causam*, studens leges, quin Politicam sciat, scit rem, nempe leges; non tamen causam rei, nempe legum, quia causas, & motiva, propter quæ institutæ sunt leges, invenit Politica, & eadem mater, & genitrix jurisprudentiæ est, ergò Politicà ignorata, quomodo sis legis peritus? legum idiota diceris à B.Doct.Cardinali Romano Ægidio.

Tandem prius oportet, te scire, quomodo possis fieri *bonus*, quàm rationalis, sive naturalis Philosophus; illud *Moralis* docet, ergò illa addiscenda prior, unde in pag.375. dictum, quòd Philosophia *Rationalis, Naturalis, & Moralis* sunt significata in Abraham, Isaac, & Jacob; *Moralis* in Abraham, at Abraham fuit anterior *primus* Patriarcha princeps; innuit, Philosophiam Moralem addiscendam *primam.*

Virtus est *vita animi*, lignum *vitæ* erat *in medio paradisi* symboli *Academiæ* Catholicæ; Philosophia Moralis dictat virtutem, ergo lignum *vitæ* in medio paradisi signat symbolicè Philosophiam *Moralem*, quæ quià inter humanas scientias cor, & Princeps, debet esse in digniori loco, in medio Academiæ. An *Academiam Catholicam* non dicas *literarium paradisum*? in paradiso terrestri erant arbores *viridis, & fructuosæ*, flores *candidi, purpurei, cœlestis* coloris, *aurei*, herbæ *virentes*, Adam *rector, & princeps*; sic in Academia arbores fructuosæ sunt Magistri moderatores Cathedrarum; videas facultatis Theologiæ lauream *candidam*, jurisprudentiæ *purpuream*, Astronomiæ *cœlesti* colore, Philosophiæ lauream ex *candido, & cœlesti* colore mixtam, Canonicæ *viridem*, Medicinę *auream*; videas arbuscellas, germina, flores, herbas *virides* nascentes ad scientiam, nempè juventutem studiosam; videas *Rectorem* (more Adami in paradiso terrestri) in Academia *Principem*, ergo *Academiam Catholicam* literarũ dixeris *paradisum*, inde & fons publicus sapientiæ, quæ universum orbẽ irrigat; videas tandem ibi lignum *vitæ* in *medio*, quia est symbolũ (inter scientias humanas) Philosophiæ *Moralis*, quæ quià dictat vivere *virtuosè, & bonos* ex se reddit, debet collocari *in medio* literarii paradisi; non ignoras, quod locus medius sit prælaturæ, & excellentiæ symbolum. Si sacra Scriptura debet esse *in medio* ut *imperatrix*, regina scientiarum humanarum Philosophia *Moralis* assistit ibi ei ut *ancilla* prima inter alias.

STV-

STUDIOSI omninò *distent à VENERE, GULA, & immodico VINO; id signatum à* Poeticà *per MINERVAM VIRGINEM, & quæ sola noluit cedere VENERI, & per VULCANUM exclusum à nuptiis cum MINERVA; & per OLIVAM anthipaticam VITI; item ex AUGUSTINO.*

AUguſtinus communis Doctor loquitur; audi (lib. 2. de Ordine, cap. 8. Tomo 1.) ſtudioſis dictantem: *Studioſis ità vivendum eſt, ut ſe abſtineant à venereis rebus, ab illecebris ventris, & gutturis, ab inanibus negotiis ludorum, à tempore ſomni, atque pigritiæ, ab æmulatione* (nempe vitiosà) *obtrectatione, invidia, ab honorum, poteſtatumque ambitionibus, ab ipſius etiàm laudis immodicà cupiditate.*

Cur dictum à Poeſi, quòd cum omnes Dii genua flexiſſent *Veneri*, ſola Pallas reſtitit, & thura negavit? ad innuendum, quòd ſi nomine *Palladis* intelliguntur *ſtudioſi* literarum, & ſcientiarum, & nomine *Veneris* intelligitur libido, ille verè ſtudioſus, qui à luxuriâ eſt alienus. Non aſſequitur *Palladem*, qui diligit *Venerem*. Minerva dicta præſes *ſcientiarum* eſt etiàm figurata *virgo*; item ex arboribus *oliva* fuit dicata Minervæ, ad innuendum, quòd ſi *oliva*, quià ſemper viret, & corruptioni reſiſtit, eſt *virginitatis* ſymbolum, *profeſſor* ſcientiarum tùnc capeſſit ſcientias, quando ſervatur *virgo*. Cum puritas eſt ſtudioſo ſocia, tùnc caſta cum ipſo deſponſatur ſcientia. Sapientia odit impuros, ideò ſcriptum eſt, *in malevolam animam non introibit ſapientia*.

Addidit Poeſis, *Vulcanum* fuiſſe repulſum à nuptiis cum *Pallade*, ad indicandum, quòd ſi ſub nomine *Palladis* intelliguntur *ſapientia, & ſtudioſi ſapientiæ*, & ſub nomine *Vulcani* intelligitur ille calor, ſive illa vis propendens ad generationem, & *luxuriam*, ſtudium, & luxuria non cohærent.

Sed nota eſt anthipatia *olivæ* cum *vite*, hanc odit illa; ſi aſſocientur, areſcit illa; unde cum oliva (quià dat oleum ſymbolum ſtudii, & quia dicata Palladi dictæ ſcientiarum præſidi) ſignet ſymbolicè ſapientiam, & *vitis* ſignet vinum, illa anthipatia olivæ cum vite indicat ſymbolicè, quòd ſtudioſus ſapientiæ recedat ab immodico vino, obnubilat enìm ingenium, & luxuriam ſtimulat; at de hoc, & quomodo vinum modicum proſit in Porticu 3. dictum. videas. Non fuit dicata Palladi malus arbor gravida fructibus, non ſegetes, & vineæ, ſed *oliva* ſymbolum *jejunii*, in quo olivis, & oleo utimur; intimatur ſtudioſo, quòd ſit *modici cibi*.

MODESTIA, ſive MODERATIO LINGUÆ commendatur STUDIOSÆ juventuti; *id ex* Poeticà *per CORNICEM repulſam à MINERVÆ aris, & NOCTUAM admiſſam; juvenes loquaces ex ſymbolicà per CORNICES, GRACULOS, & CICADAS.*

SPiritus ſanctus (in ſacris Proverbiis, & in Eccleſiaſtico pro moderatione linguæ) dictat; audi. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus, & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus vir eruditus*. Proverb. cap. 7.

Et in Proverb. cap. 17. *ſtultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur; & ſi compreſſerit labia, intelligens*. Et cap. 16. *In multis ſermonibus inve-*

nitur ſtultitia. Commendatur in his moderatio linguæ.

Fili, qui multum loquitur, in multis errat; ideò in Proverb. cap.26. *vidiſti hominem velocem ad loquendum; ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm ipſius correctio*. Et in Eccleſiaſte cap. 4. *Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus invenietur ſtultitia*. Et Prov. cap.10. *In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt*. Navim oris detine ſilentii anchorà, ne in procellà maris ſæculi pereas. Nolis dici illa porticus in Olympo dicta *ſeptivoca*, quia pro unà voce repetit multas.

Loquere, poſtquam audieris; quare in Eccleſiaſtici cap.9. *Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum, & in medio ſeniorum, ne aditcias loqui de ea re, quæ te moleſtat*.

Non reſpondeas plus, quàm audias; quarè in Proverb. cap.18. *Qui plus reſpondet, quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum*. Verba ſint utilia; ſis more Indicæ ficus, cujus fructus è frondibus.

Si loqui oporteat, *cautè* loquaris; quare in Eccleſ. cap. 28. *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, ne fortè labaris in linguâ, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem*.

Loquaris tempore *opportuno*, & taceas uſque ad tempus; quarè in Eccleſ. cap.20. *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus; laſcivus autem, & imprudens non ſervabunt tempus*. Et cap.27. Proverb. *Loqui in tempore prudentia eſt*. Certè muta cicada miraculum eſt; ſilentioſus rarus, in agro Rhegino ſunt mutæ cicadæ. Ne ſis ſcurra, nec more ſimiæ *riſui*, non *uſui*.

Verba des per uncias, dona per menſuras. Vide, quòd lingua te manifeſtat, ideò Proverbium *loquere, ut te videam*: Loquitur labium, ut movet animus. Imago animi ſermo. Qualis vir, talis oratio, id eſt locutio; ajebat Seneca. Ariſtoteles lib.1. Perhierm: Ea, quæ ſunt in voce, ſunt earum, quæ in animâ, paſſionum notæ. Viri caracter ex ſermone cognoſcitur. In linguâ cognoſcitur homo; ideò in Proverb.cap.15. *lingua ſapientum ornat ſcientiam; os fatuum ebullit ſtultitiam*. Simonidis fuit vox, *loqui pœnituit ſæpe, tacuiſſe nunquàm*. Loquax, more cicadæ, ſolà morte tacet.

Loquendum cum reſervatione; ideò in Proverb.cap.29. *Totum ſpiritum profert ſtultus; ſapiens differt, & reſervat in poſterum*.

Audi multa, ſed loquere pauca, ajebat Bias. Pittacus monebat, lingua ne præcurrat mentem. Non multis opus eſt verbis, ſed opportunis, & efficacibus. Conſiderandum *quid, cui, ubi, quando* dicas; dictante Ambroſio lib.1.de Offic. *ſapiens priuſquam loquatur*, conſiderat *quid* dicat; *cui* dicat; *quo* in *loco, & tempore* dicat.

Quibus non oportet, nec inſinuanda *vera*; quare D. Ambroſius (ſuper Pſalmum *Beati immaculati in viâ*) monet ità: Periculoſum eſt dicere non ſolùm *falſa*, ſed etiàm *vera*, ſi is ea, *quibus non oportet*, inſinuet. Quòd vitium (ait) *quadripartitum* eſt, vel *adulationis*, vel *avaritiæ*, vel *jactantiæ*, vel *loquacitatis incautæ*.

In Eccleſ.cap.11. *Adoleſcens in medio magnatorum loqui non preſumas, & ubi ſunt ſenes, non multum loquaris*.

Conſonat dictis Gregorius lib.5. Moralium: *Cum* intentionem bonam locutio cauta non ſequitur, ipſa pietatis propoſitio in transgreſſionis vitium vertitur. Et lib.6. Moralium sìc: *In omni*, quod dicitur, neceſſe eſt, ut *cauſa, tempus, & perſona* penſentur; ſi verba ſententiæ *veritas* roborat, ſi hoc tempus *congruum* pullulat; ſi *veritati* ſententiæ, & *congruitati* temporis non repugnat. Hæc ille. Verbum effingitur pennatum, ſemèl emiſſum, nunquam revertitur; volitat per Civitates, & regna.

Fa-

Favet D. Hierōnymus ſuper 12. Prophetas lib. 2. monens: Quoties loquimur aut non opportuno *tempore*, aut *non in opportuno loco*, aut *non ut convenit audientibus*, toties ſermo malus procedit de ore noſtro ad deſtructionem eorum, qui audiunt. Conſideremus itaque quid loquamur; Eccleſiaſtici caput 11. monet: *Adoleſcens loquere in tua cauſa vix, cum neceſſe fuerit*. Ne ſis vas rimis vitiatum; effundit, nil reſervat.

Lingua (ajebat Hugo lib. 2. de animâ) dicitur, quià lingit adulando, *mordet* detrahendo, *attrahit* mentiendo; *ligat, & ligari* non poteſt, ſed labitur, & fallit; labitur ut anguilla, penetrat ut ſagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, ſeminat diſcordias, uno ictu multos percutit, & interficit; blanda eſt, & ſubdola, & parata ad exhaurienda bona, & miſcenda mala. Qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam, quoniam mors, & vita in poteſtate linguæ eſt.

Ergo alliga ſermonem tuum, ne luxuriet, ne laſciviat. Ille ſcit *rectè* dicere, qui novit *ordinatè* tacere.

Dicta proſint ſtudioſis, & omnibus. Nùnc ad ſcholares, ſive juventutem ſtudioſam. Juventus ergo ſtudioſa garrulitatem oderit, quià hirundines in domo non ſuſcipit Minerva; ſunt illæ garrulitatis ſymbolum. *Noctuam* dicarunt Palladi, ad innuendum, quòd ſi eſt avis ſilentioſa, ſilentium eſt ſocium ſapientiæ; unde Poeſis finxit, Minervam ab aris rejeciſſe *cornicem*, & admiſiſſe *noctuam*, ad indicandum, quòd ſi *noctua* eſt index *taciturnitatis*, & *cornix loquacitatis*, & ſub nomine Minervæ intelligitur *ſapientia*, hæc ſilentes amat, ut à Magiſtris audiant, & diſcant, loquaces repellit ab aulis. *Pythagoræ* in ſcholà tacere, & audire erat Diſcipulis intimatum; quinquennium ſilentii indicebatur auditoribus. Socrates Diſcipulis commendabat *tria*, nempè *in animo* PRVDENTIAM, *in vultu* VERECVNDIAM, *in linguà* SILENTIVM. Zeno Cittæus diſcipulo garrulo dixit, *Fieri non poteſt, quin te pater proſeminaverit ebrius*. Loquere, at honeſta, opportuna, interroga. Vide, quòd vaſa inania maximè tinniunt. Ex ſono agnoſcitur metallum; an ſis plumbeus, vel impurus ex labio. Pierides, quià garrulæ, finguntur mutatæ in *picas*.

An ſis moribus *graculus*? eſt ſymbolum *garrulitatis*; ejus cantus eſt *garritus*; cum aliam avem volare reſpicit, *garrit*; degens in ſylvis *garrit*; de unà arbore volans ad aliam, *garrit*; captus, & clauſus *garrit*; ſi exeat è clauſurà, *garrulè* magis clamat; ſi alias aves inveniat occultas, *garrit*; ergo cur velis dici moribus *graculus*? non admittunt graculos arboreta Minervæ, eos non admittunt Palladis viridaria; exulent (clamat ſapientia) à noſtris aris, & aulis cornices, & graculi.

Nolis dici in Academiâ Architæ crepitaculum, Arabicus tibicem, Daulia cornix, Muſæa hirundinum, cicadà vocalior, Illiade prolixior, littore, turtureque loquacior. *Scholaris* incipit cum literà S, quæ eſt ſilentii index. Zeno Diſcipulo adoleſcenti garrulo dixit, *Aures in linguam defluxere tibi*; innuit, quòd totus erat in loquendo, cum deberet Magiſtrum audire; & loquaci alteri Diſcipulo dixit: *Ob id binas habemus aures, & os unicum, ut plurima audiamus, loquamur autem pauciſſima.*

Unde dicitur *ſcholaris*? ab *ſcholà*; unde *ſchola literarum* dicta eſt *ſchola*? à *militia*, quæ dicta eſt *ſchola*, & ſchola erat militiæ nomen, docente Vegetio principe militiæ lib. 2. cap. 21. *Per diverſas cohortes, & diverſas SCHOLAS milites promoventur.* In militiâ diverſæ ſcholæ dabantur, quæ erant diverſæ ſocietates, & collegia militum, nempe equitum, peditum, ſcutariorum, ſagittariorum, &c. in quibus ſinguli in armorum uſu exercebantur. Hinc vox *ſchola* translata eſt ad literarum *ſtudia*, ad *Academiam*,

in quà & ſunt variæ *ſcholæ*, in quibus pro diverſis ſcientiis juventus ſtudioſa exercetur; at quid in ſcholà militiæ? *obedire* præfectis, & militiæ magiſtris, *tacere*, *audire*, *diſcere*, *exequi*. Es *ſcholaris*? ergo qui legis, intellige.

Ad juventutem *STUDIOSAM pro MODESTIA in vultu, oculis, geſtu, inceſſu, & motibus* externis. *Ubi de aliquibus* privilegiis *SCHOLARIUM.*

FIli; vultus indicat hominem, & ex viſu agnoſcitur homo. Veteres dixere vultum, & frontem januam animi. Vultus eſt index horologii cordis; an ſit congruè intùs, patet foris. Omnis motus animi ſuum quendam à naturà habet vultum, geſtum, & ſonum. Vultus eſt animi imago. Indices animi oculi. Quot ſunt animi motus, tot mutationes efficit vultus. Ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione facilè judicamus, quantus ſit in homine metus, aut dolor. Ideò Seneca in *Thyeſte*, *Act.2. Multa, ſed trepidus ſolet detegere vultus, magnæ nolentem quoque conſilia produnt.*

Itèm alibi Seneca: *Licèt ipſa neges, vultus loquitur, quodcumque negas*; ideò Ovidius 1. Metam.

Heu! quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu.

Oculi, ajebat Demoſthenes, indices morum. Oculi indicant clementiam, amorem, odium, lætitiam, triſtitiam, iram, & alias animi paſſiones. *Impudicus oculus* (inquit S.P.Auguſtinus in regulà) *impudici cordis eſt nuncius*. Quot exteriores motus, tot linguæ, quibus divulgatur, quod latet in corde. Motus ergò corporis immodici animum teſtantur immodicum. Inceſſus procax animum procacem indicat; levitas in inceſſu animum levem oſtendit. Oculus inter Hebræos pro toto hominis ingenio ponitur; in ipſis maximè aperiuntur puri, vel impuri animi motus, ideò apud Math. cap.6. v.22. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*; ſanè quià in oculis totus exprimitur animus, quare doloſus rectis, & erectis oculis te videre non audet; demittit, quià timet, ex viſu malitiam patefieri. Zeno cuidam Diſcipulo dixit: *Non dixeram tibi, o adoleſcens, quæ mihi occurrunt?* dixerat autem impudicum, quià agnoverat ex oculorum, & vultus immodeſtià, & ex oris procacià. Ideò D. Ambroſius lib.1. Offic. cap.18. prædicat: *In ipſo motu, geſtu, inceſſu, tenenda verecundia.*

Supercilia patet, quòd ſint interioris animi ſigna, dicente Ariſtotele, quòd ſi *ſupercilia* fuerint *recta*, ſicut lineæ, fœmineam mollitiem, vel levitatem animi indicant; ſi fuerint *denſa*, *& nimis preſſa*, ſignant invidum; ſi fuerint *elevata*, & in pilis *preſſa*, animoſitatem portendunt; *de pauperata* verò à pilis, & *oblonga* timiditatem aperiunt; ſi autem fuerint *ſpiſſa*, *& pili longi*, exceſſum caloris important; ſi autem fuerint *multæ carnis*, *& paucæ piloſitatis*, ſenſum durum ſignificant, & obtuſum, in membris principalibus dominantem; ſi verò *pilis fuerint ſpoliata*, ſignificant ſanguinis corruptionem, ut in leproſis, aut naturalis humoris conſumptionem, ut in ethicis, aut ſimilibus, aut meatuum opilationem, ut in caſtratis. Ecce ſupercilia indicant bonam, vel malam diſpoſitionem corporis, & animi; at virtus corrigit, & correctio aperitur in aliis motibus geſtus, viſus, vultus, & corporis. Qualitèr ergo ſint componendi exteriores motus, diſcamus ex *S.Ignatio* in regulis, quas de *modeſtià* ſcripſit.

In converſatione, ait, noſtrorum illud in univerſum dici poteſt, ut in omnibus actionibus *externis* appareat in nobis *modeſtia*, *& humilitas*, conjuncta cum religiosà maturitate; ſpeciatìm, ait, hæc ſunt obſervanda.

CA-

CAPVT hùc, illùc levitèr non moveatur; sed cum gravitate, ubi opus fuerit; & si opus non sit, teneatur rectum, cum moderatà inflexione ad anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo.

OCVLOS demissos, ut plurimùm teneant, nec immoderatè eos elevando; nec in hanc, aut illam partem eos circumflectendo.

Inter *loquendum* cum hominibus, præsertìm authoritatis alicujus, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potiùs sub oculos.

RVGÆ *in fronte*, & multò magis *in naso* evitentur, ut serenitas exteriùs cernatur, quæ interioris sit indicium.

LABIA nec nimìs compressa, nec nimìs disjuncta.

Tota FACIES hilaritatem potiùs præseferat.

VESTES sint mundæ, & cum religiosà decentià positæ.

MANVS si non in sustinendà veste occupentur; decentèr quietæ teneantur.

INCESSVS sit moderatus, sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeat; in qua tamen, quantum fieri potest, decoris ratio habeatur.

OMNES denique GESTVS, aut MOTVS ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant. Hæc S. IGNATIVS.

Hùc Hugo de Disciplinà Monachorum sìc: Disciplina, ait, honestæ conversationis ex quatuor perpendi potest, *Ex gestu, motu, affectu, & convictu*.

GESTVS, ait, reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. *Mollis* significat lasciviam, *dissolutus* negligentiam, *tardus* pigritiam, *citatus* (sive impetuosus) inconstantiam. *Gestus* hominis in omni actu debet esse *gratiosus*, sine mollitie *quietus*, sine dissolutione *gravis*, sine tarditate *alacer*, sine inquietudine *maturus*, sine protervià, & sine turbulentià *severus*.

FACIES temperanda etiàm est, & modificanda *in gestu suo*, ità ut nec protervè exasperetur, nec mollitèr dissolvatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem.

In MOTV *corporis* cavendum est, ne *in tardationibus* molli adeò gressu utamur, ut pomparum ferculis similes esse videamur; aut *in festinationibus* non suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fuerint, anhelitus moventur, ora torquentur, quæ signa sunt *inconstantis animi*. Hæc ille; quæ, & superiùs dicta comprehendit S. P. Augustinus illis verbis in regulà. *In gestu, incessu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusque offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.*

Relata licèt à S. Ignatio, Hugone, & Augustino dictata religiosis, tamen omnibus etiàm sæcularibus conveniunt, & maximè SCHOLARIBUS, sive *juvenibus studiosis*, qui *religiosorum* more, in *claustro* Academiæ præfecto, & Magistris obedientiam debent præstare, & convivere *religioso* more.

Scias, studiosa juventus, ex Horatio Lucio (De Privilegiis studiosorum) omnia privilegia competentia causis *piis*, & privilegia *Ecclesiarum, & Clericorum*, ex *Jure communi* competere scholaribus; quare ut pium, & clericum, & religiosum te gerere docent.

Fruuntur *scholares*, literarum studiosi, privilegiis *pauperum*, *& peregrinorum*, quià causà discendi peregrinantur extrà patriam, & ut plurimùm carent commodis corporis. Donatio studioso facta sine insinuatione valet. Legatus incertus, studii causa, præstari debet. Causa *studiorum* est privilegiata magis, quàm dotis. Gaudent *studiosi* privilegiis civium. *Studiosi* absentes, studiorum causà, potiuntur commodis, ac si essent præsentes.

tes. *Studiosus*, qui ex voluntate patris incepit studia, potest compellere Patrem, ut (si possit) sumptus necessarios ministret. Dantes mutuum studiosis, possunt illud repetere, etiàm parentibus invitis; intellige prudentèr. Adde, Senatus consultum Macedonianum non habere locum in *studiosis*.

Expensæ,& libri præstiti filiis ad *studia* censentur donati ex pietate paternà, & non esse venturos in collationem, & sub alimentis contineri tùm illos, tùm necessaria ad qualitatem personæ. *Libri studiosorum* nec per generalem expressam hypothecam obligati censentur. An putes ista, & alia concessa, ut sis in Academià *pica*, aut sine *modestiâ*?

Ergo ex dictis discas, actus moderari externos. Non solùm in Academià, sed extra, te (ut monui) modestum geras.

In calle sit modestus incessus, non petulans, visus modestus; caput nec hùc, nec illùc, levitèr flexum. Oculi non extollantur ad fenestras; brachia nec hùc, nec illùc (more seminantis) ventilentur. Oculos vagantes ne permittas. Scias ex Seneca in Epist. 57. quòd *impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum.*

Item *caput* motare nolis; est enìm iracundiæ index; quare Juno, cujus in imis præcordiis glisebat furor, *caput quassare* dicitur à Marone in 7. Æneidos:

Tùnc *quassans caput*, hæc effudit pectore dicta.

Supercilium nolis attollere, quià fastum, superbiam, & severitatem indicat.

Frontem consulcare, id est, *corrugare* indignationem significat; *exporrigere* frontem, remissionem innuit, atque lætitiam; *contrahere* frontem, tristitiam præsefert; *ferire* frontem, indicat ægrè ferre; frontem, vel os *perfricare*, indicat pudorem abijcere. Oculorum *ardor* iracundiam signat; oculi *defixi* stuporem innuunt. *Inflare* buccas, est se iratum exhibere; ideò dicente Horatio lib. 1. serm. quòd *jupiter iratus ambas buccas inflat.* Ergo (ut te geras, ut deceat) hæc scias.

CERVIX *elata* superbiam, ferocitatem, audaciam signat.

DIGITOS commordere ultionem, vel pœnitentiam facti explicat. Digiti suprà caput, vel digito scalpere caput, est dictum signum lasciviæ; quare *digito scalpit caput*, fuit adagium contrà molles, & effœminatos. Digitum medium aliis in pugnum attractis nunquam exporrigas.

MANUS inter loquendum *movere*, est mollitiei signum; quare Chilonis Lacedæmonii fuit vox: *Inter loquendum manum non debere moveri; id enìm esse væcordiam*, & Hebraico Proverbio dictum, *stultum digito loqui.*

Non sit (in conversatione) PES suprà pedem, quià animum otiosum, & desidem signat. Nolis (conversans, & sedens) movere *pedes*, nec elevare *humeros*, nec movere *corpus*, quià *levitatem* indicant.

Risus sit opportunus, modicus, placidè sobrius.

MANU te non complodas, nec PEDE tundas terram, sunt enìm signa *iræ*, & excandescentiæ; signum enìm est furoris leonis, cum caudæ verberibus se se excitare visus fuerit, & cum pede tundit terram, sicùt & cum frontem corrugat.

AD STUDIOSAM juventutem *pro MODESTIA in VESTE.* ex hieroglyphicà *per modica folia* OLIVÆ, *& non luxuriosa* PLATANI, *Minervæ socia; & per* symbolum juvenis STVDIOSI.

VESTIS *studiosi* modesta sit; *niger* color est studentium habitus, quibus more *clericali* est propria vestis; sunt enim professores rei sacræ, sapientiæ; lexque illa, quæ *studiosis* dedit privilegia, quibus *clerici* potiuntur, *clericali* more illos indutos intendit. Scias ex Ecclesiastico, cap. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de eo.*

Antonius Possevinus lib. 1. Bibliothecæ selectæ, cap. 8. laudat *scholares Salmanticenses* his verbis: „ Cæterum cum quatuor millia SCHOLA„ RIUM, Salmanticæ, operam dent, ac verò septem aliquando fuisse mil„ lia, scriptum sit, ij omnes vitæ honestate, moribus, sermone, cœnobium „ religiosorum (& horum quidem valdè observantium) repræsentant. VE„ STES omnes ad talos usque, quibus vestibus angustior domi res non sit. „ Nec verò arma, non sericum, non alicujus generis colores gestant. Ut „ mirandum non sit, ubi ea ratio, & forma Academiæ sit, quam & sequun„ tur aliæ Hispaniæ, & Lusitaniæ Academiæ, ibi divinum cultũ efflorescere in Regnis; atque indè per universum orbem semina veræ Religionis „ seri, ac matureścere. Hæc ille.

Quid innuit illa vitta coccinea? quid illa florida vestis? quid ille color viridis? quid signat illa coma fictitia? apage; Veneris sunt insignia. Illa coma, assurgens more pyramidis, innuit in capite tuo scientiæ emortuæ Mausolæum.

Quid indicat ille *ensis*? studiosi insignia sunt *pennæ*; non sumus in campo Martis; Pallas in Academiis cum olivâ, & oleo pro studio Vulcanum, Cyclopes reiicit, & Martem.

Minervæ non dicata *platanus* arbor, vestita foliorum virescentium tumidâ pompâ sine fructu; sed *oliva* modico, & honesto foliorum vestimento contenta, at fructus pinguedine speciosa. Symbolum *studentis* figuratur sub specie juvenis *pallidi, modestè* vestiti, sedentis, in sinistrà librum tenentis apertum, fixis oculis intuentis illum; in dextrà *pennam*, ad dextram *lucernam* accensam; *gallus*, symbolum *vigilantiæ* nocturnæ, figuratus sociè. Symbolum clarè tuum munus admonet, O studiose; est studentis color *pallidus* præ vigilià more galli, & nocturnà applicatione; est studentis, sedere ad librum, non vagari, non visitare forum, non scænæ theatrum, non ludorum domum; *modesta vestis* est studioso Chlamys. Ex coloribus *niger* est symbolum *prudentiæ.*

AD STUDIOSAM juventutem pro usu vacationum; *id ex hieroglyphicà per MUSAS, & APOLLINEM, & MERCURIUM cum* lyris, *& MERCURIUM in* Academiis.

VAcatio aliquoties à studio convenit, ut cum vigore ad studium restituaris. Scribebat Seneca suo Lucillo sic: *Alterni facilis labor; nec enim te jubeo, semper imminere libro, & pugillaribus; dandum aliquod intervallum animo, ut non resolvatur, sed remittatur.*

Seneca addit: Omnibus quidem prodest animum (honestè) relaxare; exercetur enim otio (idest honestà quiete, & mediocri cessatione à labore)

vigor; & omnis triſtitia, quæ continuatione *ſtudii pertinacis* adducitur, *feriarum* hilaritate diſcutietur. *Studia* enim lenitèr tracta delectant; contracta faſtidio *ſunt*. Hæc Seneca.

Ex Dione ſophiſtà legimus: *Animi, corporiſque remiſſiones ad novos labores viam facilem parare; & ut arcus, & lyra, ità homines quiete vivere, vireſque remitti, ut intendere poſſis*. Si ſemper premas chordas arcus, & lyræ, franguntur.

Ideò Plutarchus (De educatione liberorum) ajebat: *Continentibus laboribus reſpiratio*; idque in animo habendum, iſtam vitam noſtram, in REMISSIONEM, *feriumque* STVDIVM eſſe diviſam. Formica operoſa congregat, apis ingenioſa fatigat, at quietis ſuas ſibi accipiunt horas.

Quare Cicero (lib. de Orat.) sìc: uti novales licèt alternis interquieſcant annis, tamen eam ceſſationem ubertate compenſant, ità relaxatio INGENIORUM mediocris facit, ut ad STVDIA reverſi plus efficiamus vigore animi, licèt brevioris temporis ſpatio. Hæc Tullius. Vide ſuprà dicta de *Eutrapelià*.

Hæc non ſolùm approbant, *vacationes* mediocres à literis, quæ dicuntur *feriæ*, congruas eſſe, ut eſt moris in Academiis, ſed & mediocrem, & honeſtam ceſſationem per aliqua intervalla oportere etiàm in diebus, dicatis ſtudio, *ne quid nimìs*.

At quomodo utendum *vacationibus*? Cicero 1. de Offic. ſic loquitur cum ſtudioſis adoleſcentibus: *Ludo, & Joco* uti, illis licet, ſicut ſomno, & quietibus, poſtquam gravibus, & ſeriis ſatisfecerimus. Ipſum autem jocandi genus ingenuum, atque facetum eſſe debet, non profuſum, nec immodeſtum; ſed ſemper in ipſo joco aliquid probi ingenii lumen *eluceat*. Hæc Cicero.

Cavete ſtudioſi à ludis, in quibus miſceatur peccatum. Infantiles ludi, & joci jàm veſtræ non congruunt ætati. Repellite ludos, in quibus intercedit pecunia; hìnc enìm rixæ, diſpendia, neces. Non decet vos aleæ ludus, quem prohibent leges, & aleatores ipſi notarunt infamià. Non ſit veſtra recreatio in cibo, & potu uſque ad gulam. *Muſica* honeſta, aut aliquod inſtrumentum muſicum ſit recreatio veſtra; ars liberalis eſt, mentem recreat, animum ſerenat; honeſta repellit cogitationes pravas, ſpiritum ad Deum elevat. Magna eſt cognatio *Muſicæ* cum *Muſis*, & hæ effinguntur canoræ. Apollo dictus *literarum, & Muſarum*, id eſt, ſcientiarum præſes, eſt figuratus cum *lyrà*, ſicut & cum lyrà eſt figuratus Mercurius, quem dixerunt inventorem literarum, & artium. Pythagoras Philoſophiam appellat Muſicam, Deoſque omnes aut eſſe *muſicos*, aut *muſicorum* amantes, ajebat. Licet etiàm, recreari ludo pilæ, vel ſaltu, vel moderato curſu, quia ſanitati proficit, & vires corporis exercentur, vel exerceamini in arte luctatorià, ſive gymnaſticà, at in ea, quæ vulgò dicitur *eſgrimir*, nam & Mercurius dictus inventor literarum, dictus eſt etiam inventor *luctæ*, & gymnaſticæ artis, imò & ab arte gymnaſtica, quæ docet exercitationes bellicas, dicta ſunt etiàm *gymnaſia* ſcholæ literarum; & collocabatur Mercurius in *Academiis literarum*; quare affinitatem habent; eſt ars nobilium, & poteſt conducere pro defenſione Religionis, & patriæ, & motu exercentur corpora ad ſanitatem.

COMMENDANTVR *ſtudioſæ juventuti* PVDICITIA, & VERECVNDIA.

AVdite, ſcholares, Doctorem AVGVSTVM (lib. 2. ad Simplicianum, q. 2. Tomo 4.) dictantem: *Quædam in homine ſunt laudabilia; in*

Deo

Deo autem esse non possunt, sicùt PUDOR, *quòd* ÆTATVM VIRIDIORUM (nempe pueritiæ, adolescentiæ, juventutis) MAGNVM ORNAMENTVM *est.*

Consonat Bernardus (serm. 80. in Cantica) dicens: *Quid* amabilius VERECVNDO ADOLESCENTE? Quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma in vità, & vultu *adolescentis*! Quàm vera, & quàm minimè dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index! Virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus imminentes lubricæ ætatis motus, actusque leves coerceat, comprimat insolentes.

Nullum æquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis, & ideò etiàm testis innocentiæ. Lampas est (nempe *verecundia*) pudicæ mentis, jugitèr lucens, ut nihil in eà turpe, vel indecorum residere attentet, quod non ità illicò prodat. Ità expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honestì. *Rubor* ipse *gennarum*, quem fortè invexerit *pudor*, quantum gratiæ, & decoris suffuso afferre vultui solet? usque adeò genuinum animæ bonum *verecundia est*, ut & qui malè agere non verentur, videri tamen *verecundentur*. Hæc Bernardus, hæc speculum; accipe, adolescens.

Pulsat Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 18. Est *verecundia* comes *pudicitiæ*, cujus societate *castitas* ipsa tutior est. *Bonus* enìm regendæ castitatis *pudor* est comes; qui se se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, *pudicitiam* temerari non *sinat*. Hæc Ambrosius.

Videt Diogenes juvenem studiosum, rubescentem auditâ voce impurà; tunc Diogenes adolescenti studioso sìc: *Confide fili; hicce virtutis est color*. Demetrius erat solitus adolescentibus suadere, *ut domi parentes, in viâ obvios, in solitudine se ipsos revererentur*; sìc enìm fore, ut facile à peccato deterrerentur.

AD STVDIOSOS alia EXHORTATIO.

FIli; quære Magistrum, qui sit *sciens, inventivus, prudens, & bonus*; hæ sunt dotes perfecti Magistri. Sit sciens, ut doceat. Sit inventivus, ut inventis addat, vel novas excitet idæas; id est, ingenio polleat; sit *prudens*, ut te dirigat, & compatiatur, & se accomodet tuæ capacitati. Sit moribus bonus, ut ab ipso benè vivere discas, & vita ipsius sit tibi benè vivendi forma. Discipulus imitatur mores, actiones, gestus, modum Magistri, sicùt simia imitatur homines; ergo bonum Magistrum quæras, ut imiteris bona. Videres in Academiis simulacra Minervæ, Mercurii, Herculis, ad innuendum, quòd si nomine Mercurii intelligitur sciens, & inventivum ingenium, nomine Minervæ virtus, & prudentia, nomine Herculis labor, tales debent esse Academiarum Magistri, *scientes, ingeniosi, inventivi, prudentes, moribus virtuosi, laboriosi*, & item facùdi pro clarà, & suassivà explicatione, unde & ipse Mercurius præses eloquentiæ, & facundiæ dictus, etiàm ex hoc erat in Academiis collocatus, ut indicaretur, Academiarum publicos Magistros oportere, esse eloquentià, & facundià præditos. Quid est docere? persuadere, & hic est Rhetoricæ finis; ergo qui non sit perfectus orator, quomodo suassivus, & perfectus Magister? Non sufficit scire, oportet scire docere; aliqui sciunt, sed docere nesciunt, nec sufficiunt; sunt duæ dotes *scire*, & *scire docere*; ergo talem Magistrum eligas, qui sciat, & scire docere sufficiat. Tunc vola ad Academiam, more Mercurii cum alis in pedibus.

Omnes tibi (ex Seneca, & his assuescas ab scholà, ut fiat habitus pro reliquo vitæ) pares facies; sed inferiores, superbiendo, non contemnas. Superiores, rectè vivendo, non timeas. In reddenda officiositate neque exactor, neque negligens appareas. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Severior esto judicio, quàm sermone; vità, quàm vultu; sis clementiæ cultor, sævitiæ detestator. Famæ bonæ tuæ neque seminator, neque alienæ invidus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minimè sis credulus, vel malignus; sed potiùs his, qui per se speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus surrepunt, oppositissimus. Ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus, & humilis occultator virtutis, sicut alii vitiorum. Vanæ gloriæ sis contemptor, & bonorum, quibus præditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse sis, sed loquentium patiens. Severus, non sævus; sed hilarem non *spernens*.

Si jocos exigis, hos quoque cum dignitate sapientiæ gere, ut neque te gravent tanquam asperum, nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. Sales tui sine dente sint, joci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu; quies tibi, non desidia erit, & cum ab aliis luditur, aliquid tractabis honestum, & sanctum.

Vt dicebat *Facius*, conversatio perpetua contemptum parit; raritas autem admirationem conciliat.

Sìc cum inferiore vivas, sicut superiorem tecum vivere velis.

Ità vive, ut nihil committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis. Plena victoria est, à clamatione tacere, & non respondere provocanti; habes enim mercedem, & de tuà patientià, & de fratris medelà, si oblivioni detur injuria. Quemadmodum nihil deformius est, quàm respondere furiosis, ità nihil utilius, quàm tacere, provocatus. Nullus est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis.

Sic te geras cum eo, quem putas amicum, ut putes, posse reddi inimicum, ne tùnc tua secreta propalet, & revelasse pœniteat. Sìc te geras cum inimico, putando, quod possit reddi amicus, ne pœniteat nocuisse. Amicus unus, inimicus nullus. Si alteri tua fidas secreta, te sigillas, ne revelet, servum illius; cur sis servus, si liber? cum potentiori ne contendas; putes etiam parietes loqui, ne dicas aliquid contrà Principem. Fili; serva hæc in corde tuo.

ALIMENTA, INGENIUM, MEMORIA, VISUS ACUTUS, SANITAS sunt *necessaria*, ut possis expeditè vacare LITERIS; id *ex hieroglyphicà* per MERCURIUM *alatum*, & cum capite CANIS; per SERPENTEM socium ÆSCULAPIO; per ACCIPITREM dicatum APOLLINI, & per *juncorum fasciculum*, suppositò CRIBRO; ex *Emblematicà* per *juvenem alatum*, impeditum *à pondere gravante*; ex *Poeticà* per MUSAS, filias JOVIS, & MEMORIÆ.

DIvitiæ, ajebat Seneca, fuerunt multis impedimentum ad scientias; fateor; sed an pauperies, & misera egestas sint auxilium, ut pauper scientias capessat? certè non. Hùc illud Emblema, in quo figuratur juvenis alatus in actione conandi volare, sed impeditus à pondere gravante pe-

des;

des ; quorsum hoc ? signat juvenem ingeniosum, appetentem ad scientias, & Academiam volare, at impeditur à gravante pauperie, cui lemma, *retardat egestas*. Itaque paupertas impedit, divitiæ non expediunt. Victui necessaria præsupponi debent; quare Ægyptii fasciculum juncorum, suppositò cribro effigiabant, ad innuendum, quòd si junci, cum quibus scribebant, erant symbolum literarum, & cribrum, quo purgatur triticum, est symbolum farinæ, panis, & alimenti, hæc supponenda sunt, ut aliquis se literarum studio committat.

Adde INGENIUM requisitum ; ideòque cum *alis* in capite, *ingenii* symbolis, est effigiatus Mercurius, dictus *literarum* præses ; sed cum *canis* sit symbolum *ingenii sagacis*, Mercurius cum capite canis figuratus, ad idem indicandum respiciebat.

Intellectui ingenioso MEMORIA optatur socia ; cur enim *Musas* effinxit Poesis filias *Jovis, & memoriæ*? ad indicandum, quòd si nomine *Musarum* intelliguntur *scientiæ*, & nomine *Jovis* intellectus *ingeniosus*, scientiæ sunt partus non solùm *ingenii*, sed MEMORIÆ.

Item SANITAS optatur pro litteris, ideòque ad hoc indicandum, serpens, sanitatis symbolum, est dicatus Æsculapio, hieroglyphico Medici; indiget iste crebro studio, at quomodo hoc sine sanitate erit? Sed & propter idem indicandum, Minervæ (quæ eadem ac Pallas) hieroglyphico scientiarum, & sapientiæ est OLIVA dicata, quià est symbolum *sanitatis*, eò quòd semper viret, & resistit putredini.

Addo VISUM *acutum* prærequiri; quomodo enim legas, vel sis assiduus in libris, si visus sit debilis? ideò etiam ad hoc innuendum, *serpens*, qui est *visus acuti*, socius Æsculapio, hieroglyphico Medici, & *accipiter*, qui est *visus acuti*, dicatus Apollini, dicto Musarum præsidi.

Relatis si careas, ad alia, tibi congrua, applices; at ad artem, ad quam sit tibi nativa propensio. Quare sapientes Indi ut applicarent filios ad studia, vel artes, priùs ex qualitate oculorum, & ex actionibus, & lineamentis vultus coniiciebant, quæ ars esset sympathica eorum genio ; & Pythagoras ex oris, atque vultus lineamentis divinabat, an esset juvenis idoneus ad scientias, & ut ad scholam admitteretur. Athenienses (instrumentis scientiarum, & omnium artium positis ob oculos) observabant, ad quæ naturali pondere currerent pueruli, quæ moverent, quæ tractarent frequentèr, & hinc divinabant eorum genia, & applicabant juxtà inclinationem ; quilibet enim in eà facultate, ad quam eum pepererit natura, studiosè applicatus, erit in eà facultate celebris.

SCHOLARES commendantur *Civibus*, ubi est ACADEMIA, ut eos benignè, & paternè *tueantur*. CONSTITVTIO IMPERATORIS FRIDERICI. I. pro SCHOLARIBVS.

IN *Authenticà Habita, quæ est sub lege ex patroni Cod. Ne filius pro Patre, vel Pater pro filio*, talis est constitutio Imperatoris Friderici. I. pro *studiosis*.

Habità quidem super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum, & aliorum Procerum nostri sacri palatii, omnibus, qui STVDIORVM causà peregrinantur, SCHOLARIBVS, & maximè divinarum, ac sacrarum legum professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium vulgemus, ut ad *loca*, in *quibus literarum exercentur* STVDIA, tàm ipsi, quàm eorum nuncii veniant, & in eis securè habitent. Dignum namque existimamus, ut cum omnibus bonam facientes, nostram

lau-

laudem, & protectionem omninò mereantur, quorum scientiâ totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo, & omnibus ejus ministris, vita subjectorum informatur, quadam speciali dilectione eos ab *omni injuriâ* defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti, de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod gravitèr ferendum est) corporales injurias sine causâ perferunt? Hac igitur generali, & in perpetuum valiturâ lege decernimus, ut nullus de cœtero tàm audax inveniatur, qui *aliquam* SCHOLARIBVS *injuriam* inferre præsumat, nec ob alterius cujuscumque Provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversâ consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat; scituris hujusmodi sacræ constitutionis temeratoribus, & etiam ipsorum locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notàque infamiæ eis ipso jure irrogandâ, dignitate suâ se carituros in perpetuum. Verum tamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione datâ SCHOLARIBVS, eos coràm *Domino*, vel *Magistro suo*, vel ipsius civitatis Episcopo (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui verò ad *alium Judicem* eos extrahere tentaverit, *etiamsi causa justissima fuerit*, à tali conamine cadat. Hanc autem LEGEM inter IMPERIALES constitutiones sub titulo *Ne filius pro Patre, &c.* inseri jussimus, anno Domini MCLVIII. mense *Novembris*. Hæc Fridericus.

Ad hanc *Authenticam* Joannes Frischen pag. 181. sic: *Nescio*, quantâ corruptelâ infectum vulgus soleat odio prosequi studiosos, & illis infestum esse, quanquam ex eorum assiduitate uberrimos colligit fructus, & quàm eâ relevetur impensâ, nec cogatur aliò filios erudiendos mittere cum periculo fortunarum, vitæ, aut morum. Sunt & invidi vulgares, & plebei, felicitatis literarum, ut quanquam sine his benè esse nequeant, tamen fulgore illarum obcœcantur, ut pati radios ejus facilè non possint, & *multi* meliùs defendunt *pessimos, & homicidas*; quàm SCHOLARES. Hæc ille.

Et cur non protegatis, cives, *scholares* arbuscellas, quæ pro publico regimine fructuosas crescent in arbores? Qui regunt sacra, vel politica, fuerunt, quod nunc sunt *scholares*, & quod illi nunc sunt, posteà isti erunt. Scholares sunt illi filii, qui tibi Reipublicæ nati sunt pro patribus tuis defunctis, erunt Reipublicæ Principes; nùnc lucent ut stellæ minores, posteà in luminaria magna Reipublicæ assurgent; istæ nunc lucernæ, postea crescent in faces, & coruscas lampades, sine quibus (præsentibus facibus regiminis extinctis) maneres in tenebris. Ex hac *scholari* materiâ fiunt oracula, quæ docebunt in foro, & fano; scholares eriguntur tibi ut præsidia, & propugnacula, talia sunt sapientum consilia.

DECRETVM contrà (nomine solo) STUDIOSAM *juventutem*, & *in re vitiosam*, perturbantem, & non proficientem.

CVr te studentem dicas, cum studiosi opera non facias? mendax es. Scholares non studentes ab Academiâ exulent, sicùt commorantem in collegio, & non studentem, debere ejici, docet Bessoldus *in Dissertat. de studiosis, cap. 2. pag.* 9. Id rigidiùs cavebatur in *Cod. Theodosiano leg. 1. de studiis liberalibus urbis Romæ, & Constantinopolis*, ubi sic habetur: „ Imineant censuales, ut singuli eorum, qui ad urbem, discendi veniunt „ cupiditate, tales se in conventibus præbeant, quales esse debent; qui „ turpem, inhonestamque famam, & consociationem (quas proximas esse

„ pu-

„ putamus criminibus) æstiment fugiendas ; neve expectacula frequen-
„ tiùs adeant , aut appetant vulgò intempestiva convivia . Quin etiam
„ tribuimus potestatem , ut si quis de his non ità in urbe se gesserit , que-
„ madmodum liberalis rerum dignitas poscat , publicè verberibus affe-
„ ctus , statimque navigio superpositus, abiiciatur urbe,domumque (nem-
„ pe suam) *redeat*. Hoc decretum in relato Codice.

Baccalaureus gradus primus in studiis sic dicitur à *baccis lauri*, quæ sunt flores ipsius ; & cum flos sit symbolum *spei*, innuit talis gradus , quòd de suscipientibus illum concipitur spes boni fructus literarum,& propugnaculi Reipublicæ ; at si alienus es ab studio, quæ de te bona *spes* concipiatur? Quis viror literarum,more lauri semper virentis, de te sperabitur ?

Georgius Major in Oratione ad scholares Vintebergienses , relatus à Besoldo ubi suprà pag. 12. sic fulminabat, & tonabat loquens cum scholaribus : „ Cum inter vos (ait) sint aliqui , quos hùc non amor doctrinæ , nec
„ discendi cura detinet , sed ut liberiùs , & licentiùs vivendi sit occasio ,
„ procùl à parentum conspectu, & quorum vita , studium , & opera occu-
„ pantur rebus , minimè ordini nostro convenientibus , illis edicimus , ut
„ hìnc discedant procùl & talem vitã alibi potiùs,quàm in nostrà Academià
„ agant; quæ vita non ideò tantùm nocet plurimum, quòd provocat iram
„ Dei , attrahit , accelerat , accumulat pœnas publicas, & calamitates, tur-
„ bat tranquillitatem publicam, frangit authoritatem legis, sed etiam per-
„ multorum animos gravitèr offendit morum dissolutione, quæ laxatæ di-
„ sciplinæ speciem præsefert ; aliquos verò , horum contagiis infectos , &
„ pollutos corrumpit , ut degenerent . Hæc ille ; ergo si sint incorrigibiles,
„ proiiciantur de societate, ne (ut inquit S.P. Augustinus in regulà) conta-
„ gione pestiferà plurimos perdant.

Et ipse S. P. Augustinus (lib.5. Confess. cap.8.) dolebat de petulante licentià scholarium in Academià Carthaginensi , ubi ipse fuit moderator Cathedræ Rhetoricæ , sicùt posteà Romæ , indè Mediolani , quæ facultas tùnc excellebat . Relatus scholarium avusus antiquus est ; & è Roma antiquitùs profecti Athenas , & ibi pigri , & desides redibant ità alieni , ut crederet nullus , eos fuisse Athenis.

Verba Sancti Patris Augustini in libro 5. Confess.cap.8. ubi dolet de avusu Academiæ Carthaginensis sunt , loquens ad Deum : „ Egisti ergò
„ mecum , ut mihi persuaderetur , Romam pergere , & potiùs ibi docere ,
„ quod docebam Carthagine , & hoc unum mihi persuasum sit , non præ-
„ teribo confiteri tibi, quoniàm & in his altissimi tui recessus, & præsentis-
„ sima in nos misericordia tua cogitanda , & prædicanda est . Non ideò
„ Romam pergere volui , quòd majores quæstus, majorque mihi dignitas
„ ab amicis , qui hoc suadebant, promittebantur , quanquam & ista duce-
„ bant animum tùnc meum, sed illa erat tùnc causa maxima, & penè sola,
„ quòd audiebam, quietiùs ibi studere adolescentes , & ordinatiore disci-
„ plinæ coertione sedari , ne in ejus scholam , quo magistro non utuntur ,
„ passìm, & protervè irruant ; nec eos admitti omninò , nisi ille permiserit.
„ Contrà apud Carthaginem fœda est,& intemperans licentia SCHOLA-
„ STICORUM ; irrumpunt imprudentèr, & propè furiosà fronte pertur-
„ bant ORDINEM , quem quisque DISCIPVLIS , ad proficiendum,
„ instituerit ; multa injuriosà faciunt mirà hebetudine , & punienda legi-
„ bus, nisi consuetudo patrona sit;hoc miseriores eos ostendens , quo jàm,
„ quasi liceat, faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit, &
„ impunè se facere arbitrantur , cum ipsà faciendi cœcitate puniantur , &
„ incomparabilitèr patiantur pejora, quàm faciunt. Ergo quos mores,cum

„ STV-

„ STVDEREM, meos esse nolui, eos, cum DOCEREM, cogebar per-
„ peti alienos, & ideò placebat ire, quò talia non fieri, omnes, qui nove-
„ rant, indicabant. Hæc S.P.AVGVSTVS; ergo, *scholares*, qui legunt, intelligant. AVGVSTINVS docet? doceamus cum ipso. AVGVSTINVS etiàm in operis nostri fine dixit? gratulor, fileo; satis de *Morali philosophico* meo tractatu, quià AVGVSTINVS est operis mei CORONA. Ergo finis coronat opus.

AD LECTOREM.

JAm, ope Dei, ereximus *Quinque Porticus Morales ad probaticam piscinam mysticæ sanitatis, promissas in epistolis ad lectorem in tomo* 1. Quinque partes Philosophiæ Moralis (quæ est facultas medica animi) *speculativæ* construximus; illæ sunt *Porticus quinque ad probaticam piscinam sanitatis mysticæ*, nempè ad Philosophiam Moralem *practicam*; hæc *practica* est ipsa *piscina probatica mysticæ sanitatis*; nam talis *praxis* est exercitium virtutum, moderatio exercita passionum, collocatio actualis, & habitualis nostræ felicitatis in Deo; hæc autem *praxis* est probatica piscina sanitatis mysticæ, quià relata sunt sanitas spiritualis animæ. Ergo intres piscinam, exerceas virtutes, modereris passiones, sit Deus ultimus finis tuarum operationum; in his enim *sanitas* consistit *animæ*. Nolis dicere, *hominem non habeo*; quantum, ope Dei potui, te adjuvi, dictando; Deus (non ego) te adjuvit, Deus te adjuvat; ergo jam intrare, & *sanus fieri*, est (ope Dei) in tuà liberà potestate.

In pag. 1203. dictum, quòd *si constellatio sit maligna, &c.* ibi; intellige *physicè*, nempè licèt aspectus astrorum minetur naufragium, vel infortunium, *sapiens dominabitur astris*; nam *moraliter* jàm dictum à pag. 1221. quòd astra *per se* non influunt in vitia. Vide ibi dictata.

In pag. 1243. dictum, quòd fuit error impressoris pro symbolo *justitiæ* impressisse HYACINTVM, debuit impressisse SAPHIRVM, quia iste, & non ille erat in *rationali summi Sacerdotis*; ille erat visus a Joanne in muris Hierusalẽ cœlestis; quare in p. 1239. & 1240 non debuit dicere hiacynthum, sed *saphirum in rationali summi Sacerdotis*, & licèt in pag. 1242. dixerim, quòd per *saphyrum* esset innuenda alia virtus Moralis, postea oportuit, per hunc intellexisse *justitiam*, sicut ibi, ut numero duodenario virtutum corresponderet duodenarius numerus gemmarum *Rationalis*. Non recordor, in qua paginà dictum (vel de luxurià, vel de alio vitio) quòd *sola cum morte expirat*; in illà voce *sola* illud à debuit signari cum apice indicante ablativum, concordat enim cum morte, non cum nominativo *luxuria*.

FINIS.

INDEX CAPITUM, ATTINENTIUM AD TERTIAM PORTICUM MORALEM.

CAput 1. pag. 828. Cur adhùc in hac Porticu, & duabus succeſſivis miſceamus Ænigmata, Symbola, Figmenta Poetica, Emblemata, hieroglyphica, Proverbia, & Parabolas; nempe ut memoremus, quòd sic docere fuit olim mos, methodus, & jus Lectoris Magiſtri publici. Ubi de Academiis.

Cap. 2. in pag. 830. De Hieroglyphicis duplicis, ſuperioris nempe, & inferioris portionis hominis, & paſſionum portionis inferioris, ex literis ſacris, & profanis.

Cap. 3. in p. 839. Adhuc duplex portio hominis ſuperior, & inferior hieroglyphicè, & ſymbolicè per Arcam Noe, vas obturatum, Oſtream, Nucem, Amigdalum, jugum ex leone, & capro, per Solem, & Lunam, & currum Cereris, & virgam Ulyſſis ſignificatur.

Cap. 4. in p. 842. De portione determinatè inferiori hominis, nempè ſenſu, cujus appetitus per Chimæram, & Cerberum trifaucem, & per Vulcanum in officina cum tribus Cyclopibus fuit ænigmaticè indicatus.

Cap. 5. in p. 846. Vnde homini relata calamitas inordinationis Paſſionum, & tot mala, eſt in dicatum à Poeſi ſapiente per Meduſam, Pandoram, parcas, furias, fluminaque inferni.

Cap. 6. in p. 851. Auguſtinus explicat omnia mala, quibus vexamur, animique & corporis paſſiones, & perturbationes eſſe pœnam primi peccati, à quo ut avernali fonte manare; quæ non patiebatur homo ante lapſum.

Cap. 7. in p. 854. De deſſinitione Paſſionum.

Cap. 8. in pag. 857. De cauſa efficiente Paſſionum.

Cap. 9. in p. 859. De cauſa materiali (ſive ſubjectiva) formali, finali paſſionum. Subjectiva eſt ſignificata à Poeſi per vultures duos diſcerpentes Jecur Tizyi.

Cap. 10. in p. 862. Paſſiones, ſive perturbatioe nes animi cadunt in ſapientem virum pro Peripateticis contrà Stoicos, ut dicitur; at utroſque concordamus ex parte.

Cap. 11. in p. 866. Adhuc inſtruimur ab Auguſtino, non ſolùm paſſiones cadere in ſapientem, ſed quæ ſapientum ſint propriæ, & nos debeamus habere, ut ſapientes ſimus; explicat, quales in nobis debeant eſſe quatuor paſſiones metus, deſiderium, dolor, & gaudium; & contra Stoicos etiam triſtitiam in ſapientem cadere poſſe. Paſſiones poſſe eſſe bonas, vel malas moraliter; ut tales ex ſe eſſe in linea morali indifferentes.

Cap. 12. in p. 870. Paſſiones inordinatæ hieroglyphicè per turbines, vepres, pedes, calcaneum, uvam fellis. Tres lanceæ Joab, fixæ in corde Abſalonis, tres affectus iræ, cupiditatis, & libidinis innuunt.

Cap. 13. in p. 872. Paſſiones domandæ, ſubijciendæ rectæ rationi ex literis ſacris. Poſſunt paſſiones domari, non extirpari, & eradicari, dum vivimus in carne.

Cap. 14. in p. 877. Etiam literæ ſæculares, & Poeticæ, per Perſeum, Orpheum, Herculem, Minervam, Aeolum monent, paſſiones eſſe ſubijciendas rationi; item per quatuor humores ſymbolicè indicatur, æquandas; hocque proficere non ſolùm valetudini animi, ſed etiam ſanitati corporis.

Cap. 15. in p. 880. De medicina morali ad moderandas, & coercendas pravas paſſiones, ubi de medicina morali præſervativa, & ſanativa. Eſt Philoſophia moralis facultas medica animi; contrà animi morbos pharmaca, & medicamenta ſubſcribit; ex quibus divini auxilii implorationem per Bellerophontem, Jaſonem, & alios, indicavit Poeſis.

Cap. 16.

Cap.16. in p.885. De numero Paſſionum. Appetitus duplex inordinatus ſenſitivus iraſcibilis, & concupiſcibilis per Dathan, & Abiron. Duodecim paſſiones præcipuè per duodecim ſocios Vlyſſis, & per duodecim monſtra, quæ fuerunt domita à duodecim præcipuis laboribus Herculis.

Cap.17. in p.891. Quatuor paſſiones principaliores appetitus ſenſitivi concupiſcibilis amor, odium, gaudium, triſtitia hieroglyphicè, ſive ſymbolicè, indicantur per quatuor principales humores corporis.

Cap.18. in p.896. Item adhuc quatuor paſſiones principales appetitus ſenſitivi concupiſcibilis amor, odium, gaudium, triſtitia per quatuor ex coloribus, per quatuor ex metallis, per quatuor ſtationes anni per quatuor elementa hieroglyphicè, poeticè autem per quatuor ancillas Circis ænigmaticè indicantur.

Cap.19. in p.897. Quatuor paſſiones principaliſſimæ utriuſque appetitus, duæ appetitus ſenſitivi concupiſcibilis gaudium, & triſtitia, duæ appetitus ſenſitivi iraſcibilis ſpes, & timor, hieroglyphicè non ſolùm etiam per quatuor humores principaliſſimos, ſed per quatuor principaliſſimos ventos, per quatuor equos, per cornua quatuor ſignificantur hieroglyphicè.

Cap.20. in p.901. De ordine duodecim paſſionum, quæ nempe ſint priores, quæ poſteriores.

Cap.21. in p.903. De amore,

Cap.22. in p.914. De amore venereo.

Cap.23. in p.977. De amore voluptatum guſtus, & de earum moderatione.

Cap.24. in p.1010. De odio; ex Philoſophiâ Morali hieroglyphicâ per piſcem, ex ſymbolicâ per barbarum, & arcum ferratum, ex Poetica per Junonem, & Herculem. Antipathia ſemen odii per cornicem, & noctuam, per elephantem, & porcum, item per elephantem, & caprum, per leonem, & ſuem, per generoſos equos, & aſinos rudentes p.498. per ovem, agnum, & lupum, & per alia animalia; ex plantis per quercum, & oleam, per braſſicam, & vitem; ex lapidibus per Adamantem, & Magnetem, item per alia.

Cap.25. in p.1018. De deſiderio, & abominatione. Deſiderium hieroglyphicè per Cerberum, & ſitim.

Cap.26. in p.1026. De gaudio, ſive delectatione, & triſtitia. Indicatur hieroglyphicè gaudium per humorem ſanguineum; ex ætatibus per juventutem, ex ſtationibus anni per Ver, ex metallis per aurum, ex coloribus per purpureum, ſive roſeum, item per Gratias, & Nymphas.

Cap.27. in p.1076. De ſpe, & deſperatione. Primo de ſpe, ſymbola ſunt ſpei flores, lilium, ex coloribus viridis, ex ſtationibus anni Ver, ex avibus alba cornix, ex artefactis anchora, ubi alia ſymbola artificioſa ſpei.

Cap.28. in p.1088. De timore, & audacia. Primo de timore, cujus ſymbola ſunt lepus, cervus, polipus, ſcutum, additur aliud ſymbolum artificioſum.

Cap.29. in p.1097. De ira, & manſuetudine. Primò de ira; quæ propriè non eſt in Deo.

Cap.30. & ultimum hujus tertiæ Porticus, in p.1114. De ſex Paſſionibus minùs principalibus.

QUARTA PORTICUS MORALIS.

Cap.1. in p.1131. De definitione virtutis.

Cap.2. in p.1132. Symbola, hieroglyphica, emblemata virtutis.

Cap.3. in p.1136. Adducuntur ſymbola virtutis ex ſacris chartis.

Cap.4. in p.1141. Hercules ille Heros, per quem Poetæ ſapientes (non vani alii, ignari) jàm intellexerunt animum perfectâ, imò heroicâ virtute præditum, jàm virtutem ipſam in animo, fuit S. Patriarcha Habrahamus.

Cap.5. in p.1148. Simulacrum Herculis erat hieroglyphicum virtutis; unum ex illis hieroglyphicis, ab Abrahamo datum Ægyptiis, ideò erit idæa, quam imitabimur, de virtute dicturi.

Cap.6. in p.1151. Virtus eſt à Deo; ideò à Deo petenda. Primò ex ſacris literis. Ex Philoſophiâ Poetica per Herculem filium Jovis. Item per Minervam, quam dixere natam ex capite Jovis.

Cap.7. in p.1152. Virtus eſt ardua, & difficilis. Primò ex Sacris literis. Deindè ex Philoſophiâ Hieroglyphicâ per ſimulacrum Herculis, id eſt, virtutis figuratum, nudum, & vultu colore fuſco, rugoſo, criſpo; item per Clavam Herculis nodoſam, & per pellem Leoninam inſigne Herculis. Ex Poeticâ per Muſas habitantes in rupibus altis.

Cap.8. in p.1154. Licèt virtus appareat difficilis, non tamen eſt ità difficilis, ut appareat; ope Dei, & conſiderato præmio, animosè arripiatur via; id indicatum per clavam Herculis gravem, & ab ipſo moveri facilem. Item per alia figmenta Poetica de Hercule; & per hieroglyphicum aliud virtutis, fixo obtutu intuentis honorem. Ex Philoſophia morali ſymbolicâ per amigdalum, palmam, & malum granatum; ex poeticâ per Ganymedem, & Pegaſum alatum.

Cap.9. in p.1158. Virtus moratur, & ſervatur in arduis, expirat inter delicias. Ex philoſophiâ poeticâ per Hereulem, quem effingunt poſt præclaros labores ſervientem Omphaliæ, & cum colo, & fuſo fœminea munera operantem. Vitium ubi delitiæ, ex Poeticâ per Hydram ſub platano natam, & educatam.

Cap.10. in p.1160. Virtus ſit vera, non larvata; ſit procul ab Hypocriſi. Primò ex literis ſacris; deindè ex philoſophia hieroglyphicâ per ſimulacrum Herculis, ſive virtutis, figuratum calvum, & nudum.

Cap.11. in p.1164. Licèt virtus vera ſit vera, ingenua, & ſimplex, ut innuunt calvities, & nuditas ſimulacri Herculis, quod eſt hieroglyphicum virtutis, non tamen eſt ſimplex ſimplicitate ſtolidâ, ſed diſcretâ, & honeſte cautâ, regulatâ per prudentiam; id indicatum per paucos capillos canos in calvitie Herculis; & quià hic eſt figuratus ſenex. Ubi, quæ ſimulatio ſit vitioſa, quæ virtuoſa.

Cap.12. in p.1171. De triplici gradu virtutis. Primò ex literis sacris per tres ætates hominis, per tria reperta in amygdalo, per aquam usque ad talos, renes, & caput, & per vestem ex foliis arborum, lineam, & laneam; & per asinum, equum, & cervum. Per nativitatem, ablactationem, & senectutem Isaac, per mansiones filiorum Israel, & per diversas mansiunculas in arca Noe. Deindè ex philosophia morali hieroglyphicà per tres clavas Herculis.

Cap.13. in p.1177. Virtus heroica, jàm hieroglyphicè indicata per clavam Æneam Herculis, & ex sacris literis in capite elapso pluries symbolicè signata, adhùc ex sacris chartis indicatur per abietem, per ligna lævigata arcæ Noemi, per quercum mambre, per Samuelem concidentem Agag in frustra; per lapides dolatos templi, per remos dolatos. Non fuit in illis Ethnicis, quos dixerunt heroes, virtus heroica; id ex sacris literis per Abimelech; tandem ex Augustino, ex quo undè dictus Heros.

Cap.14. in p.1180. Virtutes morales in statu perfecto ex doctrinà Augustini sunt connexæ; id item ex sacris literis per ligna lævigata, & connexa arcæ Noe, & per ossa accedentia ad ossa; per lapides templi, & lapides in rationali, & catenulas aureas. Ex philosophia morali hieroglyphicà per socias saggittas in pharetra Herculis, & Apollinis, & per catenulas aureas ex Herculis ore; ex symbolicà per viam lacteam; ex Emblematicà per lapides in arcu, & socios carbones accensos; ex poeticà per Musas cum Apolline præside.

Cap.15. in p.1185. Virtus moralis consistit in medio inter duo extrema vitiosa; ex sacris literis per abietem, per vaccas in directum abeuntes, & per rationale summi Sacerdotis, item per ambulantes filios Israel in medio maris; ex philosophia hieroglyphica per arcum Herculis; ex symbolicà, & Emblematica per Solem in medio; ex Poetica per medium inter scyllam, & charybdim; tandem per meridiem.

Cap.16. in p.1189. De subjecto virtutum moralium. Prudentia recipitur in intellectu, justitia in voluntate; reliquæ in irascibili, & concupiscibili. Id ex Augustino; ex philosophià hieroglyphicà per calvitiem, & senectutem Herculis, per caput leonis Herculi pro galeà, per pharetram cum sagittis accinctam.

Cap.17. in p.1196. Virtus non potest elicere actus malos, qua nemo per se abuti potest. Id ex Augustino, & ratione; ex philosophia hieroglyphicà per clavam Æneam Herculis.

Cap.18. in p.1200. Virtutes morales quoad perfectionem, seu consummationem, non insunt nobis à natura; id ex philosophia poeticà per Herculem; cui effingitur inimica juno; at virtutum inchoatio est à naturâ, & communis omnibus, inæqualis tamen juxtà inæqualitatem individualem animarum, & complexionum. Astrorum, & inchoationis vis inclinant, non cogunt, ex poeticà per circem, & Medeam.

Cap.19. in p.1204. Virtus moralis est habitus acquisitus, & genitus ex honestis actibus frequentatis; unus solus in nobis licèt fervidus non sufficit, ut generet habitum; habitus virtutis ex sacris literis per vestem nuptialem, per nubes, per Abraham, per indumentum; ex philosophia hieroglyphicà per clavam Herculis ex quercu, ex Poetica per frequentes labores Herculis. Per actus internos generatur habitus virtutis, per externos perficitur.

Cap. 20. in p. 1208. De habitu virtutis induendo, ex literis sacris per varia symbola. Quomodo plantanda virtutum seminaria. Virtus à tenera ætate discenda, ex poetica per Herculem occidentem serpentes in cuna. Purgatio à vitiis præcedat plantare virtutes, ex poeticà per Herculem, purgantem stabulum Augiæ.

Cap.21. in p. 1211. De numero virtutum. Virtutes præcipuæ morales sunt duodecim. Ex sacris literis per duodecim margaritas, per duodecim portas, per duodecim fontes, per duodecim lapides, per duodecim stellas, ex philosophià poeticà per duodecim præcipuos labores Herculis.

Cap.22. in p.1213. De quatoor virtutibus Cardinalibus in genere, sive ex terminis Cardinalium, ex sacris literis per quatuor puteos Jacob, per quatuor cornua altaris, per quatuor colores cortinæ tabernaculi, per quatuor species unguenti tabernaculi, per quatuor rotas incurru igneo, per quatuor animalia apud Ezechielem, per quatuor angulos domus Job, per quatuor latera arcæ Noemi, per quatuor flumina paradisi, tandem ex Augustino.

Cap.23. in p.1218. De vitiis in genere. Symbola vitiorum ex sacris literis. Explicatur symbolum Pythagoræ, ne degustaris ex his, quibus est nigra cauda. Vitia puniendo, id ex poetica per Vulcanum, Eumenides, Iudices inferni, tartarum. Nullum vitium occultum, ex poeticà per Faunos, Sylvanos, Tritones, Arionem, ideo principiis obsta per Theseum. Exhortatio contrà vitia. Vitium habituale ut exulet, plures actus requiruntur virtuosi; id ex poeticà per Herculem, repetitis ictibus suffocantem Leonem nemæum.

Cap.24. in p.1221. Vitia non insunt nobis à naturâ, sunt voluntaria, non necessaria. Temperamentum naturale, etiam per ordinem ad corpora cœlestia, quorum influxu fuit acceptum, vitiorum necessitatem nullam inducit.

QUINTA PORTICUS MORALIS.

Cap.1. in p.1228. De commendatione prudentiæ. Hæc ex lapidibus rationalis in pectore summi sacerdotis per carbunculum. Oculus, aurum symbola prudentiæ, pro hac aliqua emblemata.

Cap.2. in p.1239. De justitia significata per Hyacinthum in rationali summi Pontificis. Lux, fons, virga recta, & plura iustitiæ symbola, & emblemata.

Cap.3. in p.1248. De humanitate, benignitate, æquitate, gratia, sivè beneficentia, & libera-

beralitate. Ubi de clementia, hoſpitalitate, & miſericordia, & manſuetudine.

Cap.4. in p.1258. De manſuetudine. Ex philoſophia morali ſymbolicà per ovem, & agnum; ex ſacris per beryllum lapidem pretioſum in rationali ſummi ſacerdotis, & per beryllum in octavo fundamento Civitatis Hieruſalem cœleſtis.

Cap.5. in p.1259. De veritate, ſive ingenuitate, ſignificata per ſmaragdum lapidem pretioſum in rationali ſummi Sacerdotis. Ex poeticà per Herculem, occidentem Hydram.

Cap.6. in p.1260. De affabilitate, ex philoſophia morali ſymbolicà, & emblematicà per nucem pineam, calore excludentem fœtus, & per guttam aquæ, ſæpè cadendo, cavantem lapidem, item per topazium lapidem pretioſum in rationali ſummi ſacerdotis. Ex poeticà per Orpheum, & Amphionem, & per Ulyſſem excœcantem Polyphemum.

Cap.7. in p.1262. De Eutrapelia, ſymbolicè (in ſenſu morali) ſignificata per Chryſolitum, unum ex lapidibus pretioſis, qui micabant in rationali ſummi Sacerdotis. Non eutrapelus per capricitem indicatus.

Cap.8. in p.1265. De fortitudine. Ex philoſophia morali ſymbolicà, & emblematicà per Biſontem, palmam, Quercum, Rupem, Leonem, ſerpente coronatum; ex hieroglyphicà per clavam in manu Herculis, & per lanceam in dexterà Minervæ, ex poeticà per Herculem ſuperantem monſtra, & per Bellerophontem aggredientem chimæram; ex ſacris per ligurium lapidem pretioſum in rationali ſummi Sacerdotis.

Cap.9. in p.1271. De magnanimitate, parte potentiali fortitudinis, ſymbolicè ſignatà per onychinum gemmam in rationali ſummi Sacerdotis.

Cap.10. in p.1279. De magnificentia, parte potentiali fortitudinis, ſymbolicè ſignatà per Jaſpidem in rationali ſummi Sacerdotis.

Cap.11. in p.1280. De phylotimia, ſive honoris amativa, ex ſacris literis per Achatem lapidem pretioſum in rationali ſummi Sacerdotis.

Cap.12. in p.1282. De temperantia, ſymbolicè indicata per Sardium lapidem pretioſum in rationali ſummi Sacerdotis.

FINIS INDICIS CAPITUM II. TOMI.

IN-

INDEX RERUM NOTABILIUM;

QUÆ IN HOC SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

A

ABies quid signat. p.1177.
Abiron,& Dathan quid indicant. pag. 883.
Abominatio passio. à p.1018.1024.& 125.
Abraham, prolem habens ex ancillà, quid signat. p.890.
Abraham fuit ille primus heros, & verè dictus Hercules, & verè hoc nomine dignus, procùl à confusione. à p.1141. usque ad 1150.
Abraham in Ægypto primus magister Philosophiæ. p.1149.
Absinthium quid signat. p.884.& 918.
Abstinendum ab his, quibus est nigra cauda, quid symbolicè indicet. p.930.
Abstinentia. p.1286.
Acedia. p.1278.
Achilles,figmentum de hoc. p.872.
Achates cur symbolum Philotimiæ. p.1280. & 1282.
Adonis quid signat physicè. p.897.
Adonis occisus ab apro cur fingitur mutatus in florem sanguinei coloris. p.928. & 930.
Adonis cur dictus charus Veneri. p.930.
Aer symbolum gaudii. p.897.
Aeolus quid signat. p.878.
Agar. p.874.
Affabilitas. p.1260.
Ædes Deorum quid indicabant. p.1158.
Æsculapius cur dictus filius Phœbi, & Coronidis. p.1008.
Ætates hominis. p.1173. & 1174.
Æquitas. q.1249.
Agnus cujus virtutis symbolum. p.1258.
Ambitionis symbola. p.910.& 911.
Ambitio. p.1277.
Amethistus cujus virtutis symbolum.p.1253
Amici veri, & falsi, & eorum symbola. pag. 1255.
Amygdalus quid signet. p.839.& 1174.
Amoris symbolum. p.891.& 897.
De Amore, divisione, causis, effectibus, remediis. à p.903.usque ad 907.
De amore suimet,& remedium contrà amorem proprium inordinatum. p.907.
Amoris proprii symbola. p.907.& 916.
Amor inordinatus divitiarum, & contrà hunc remedia moralia. à p.908
Amor inordinatus dignitatum, & contrà hunc remedia moralia. p.910
Amor inordinatus Venereus,& contrà hunc plures medicinæ præservativæ, & sanativæ. à p.914. usque ad 976.
Amor inordinatus voluptatum sensus, & contrà illam remedia moralia. à p.912
Amoris impuri finis miser. p.928
Amoris impudici lineæ sex. p.919
Amorum pharetræ. p.954
Amoris impuri pictura. p.924
Amoris symbolum malus arbor, & cur. pag. 953. & 954.
Amoris color. p.953
Amor immodicus voluptatum gustus, & remedia. à p.977. usque ad 1009
Amores impuri quomodo figurati. p.954
Amoris impuri inconstantia, venalitas.pag. 962
Amphionis fabula quid indicet. p.1261
Amplexus linea amoris impuri. p.926
Anchora quid symbolicè signet. p.1243
Angerona cur panno ad collum involuto. p. 1073.
Anthias piscis symbolum amici veri. p.1255
Ancillæ Rachelis, & Liæ. p.874
Animus navis in corpore. p.870
Antæus. p.927
Aper cur signet hyemem. p.897
Appetitus duplex sensitivus. p.883
Appetitus concupiscibilis, irascibilis, libidinosus. p.842
Appollinis tricipitium quid signat. p.1230
Apollo præses in choro Musarum quid signat. p.1184
Aqua illa apud Ezechielem quid signat.pag. 1175
Aquæ utilitas. p.1005
Aquæ Mummoniæ. p.1105
Aquila cur symbolum pietatis. p.1245
Aquila sedens intrà quercum, quid signat.p. 1243
Arca Noe. p.839
Aquilæ gratitudo. p.886.& 887
Argates. p.835
Argentum. p.897

Arion. p.1219
Armatura animi. p.1209.& 1210
Arpiæ. p.931.& 933
Arundo symbolum amici falsi. p.1255
Asinus quæ vitia signat. p.837
Avaritiæ symbola. p.908.& 909
Audacia, ejus symbolum, causæ, effectus, & medicinæ morales. p.1095.& 1096
Aurum symbolum gaudii. p.897

B

BAcchus hieroglyphicum vini, ibi plura,& erudita de Baccho,& contrà ebrietatem. à p.994. usque ad 1009
Bacchæ quæ mulieres. p.996
Bacchanalia. p.996
Baccho cur dicatus caper. p.945
Bacchi navis. p.1001. ex errore impressoris. 10001.
Baccho cur dicata pica. p.994
Baccho cur data cornua. p.995
Bacchi hieroglyphicum cur variè figuratum. pag. 995
Baccho cur datus thyrsus, cur hedera. p.995 & 996
Bacchi currum cur vehebant Pantheræ. pag. 995
Baccho cur sociè tigris, & Panthera. p.995
Bacchus cur dictus taurus. p.995
Bacchus cur dictus LIBER. p.995.& 997
Bacchi nomina, & quid signent. pag.997.& 998
Bacchus cur calvus,& nudus. p.997
Bacchi simulacra cur ex vite,& ficu. p.998
Bacchus cur dictus Palladis frater, cur Musarum dux, cur Dionysius, cur portatus à Musis. à p.1003
Bacchus cur temperandus Nymphis. p.1004
Baccho cur ferula data. p.1009
Bacchus cur cum tympano. p.997
Balnea medica moralia quæ. p.884
Bellerephon historicè, & moraliter. p.843
Bellerephon aggrediens Chimæram. p.1265
Benignitas. p.1248
Beneficentia. p.1249
Berillus. p.1258
Bilis flava symbolum amoris. p.891
Bilis atra symbolum odii. p.892
Bisonte cujus symbolum. p.1265
Brucchus cujus symbolum. p.977.& 979

C

CAlcaneus quid signet. p.871
Calvities quid signet. p.1163.& 1164
Camelus. p.1245
Candela accensa symbolum amici veri. pag. 1256
Canis quorum vitiorum symbolum. p.838 & 977
Canis symbolum gratitudinis. p.1253
Capilli quid signent. p.1162 & 883
Capræ ardor. p.834
Caprifici vis. p.922
Capreolus cujus symbolum. p.1245
Caput canum quid indicet. p.1104
Carbunculus symbolum prudentiæ. p.1228
Carnis symbolum bassus. p.875
Carnis symbolum vicca. p.876
Carnes suillæ. p.947
Caro signata per Camelum. p.875
Casia quid signet moraliter. p.911
Castitas conjugalis, & vidualis. p.1287
Castitas juvenilis, & virginalis. p.1288
Castitatis victoria, visâ fœminâ fugere. pag. 921.& 922.& 931.& 932.& 958.
Catenulæ aureæ quid signant. p.1183.& 1184
Centauri. p.1001. ex errore impressoris 10001
Cerberus quid signat. p.1005.& 989.& 842
Cervus fugit, viperà repente vis. à p.1025
Cervus cur symbolum adulteri, protecti à Principe. p.1287
Charibdis symbolum gulæ. p.977
Chimæra. p.842
Charites. p.1249
Cibi calidi, & salsi libidinem excitant. à pag. 946
Cicuta cur hieroglyphicum continentiæ. p. 948
Cinis symbolum mortis. p.884
Cingulum. p.1209
Circes, cur dictum, quòd homines convertebat in porcos, & nequiverit convertere Ulyssem. p.989
Circes dicta filia Solis, & Occeani quid signat. p.945
Circes signat portionem inferiorem hominis. p.881
Circis ancillæ quatuor quid signent. p.881.& 896
Circes in insulà Aeà quid signat. pag.928.& 936
Clava. p.1152
Clavus navis quid symbolicè signat. p.1243
Clementia, & hujus symbolum. p.1257
Cochlea symbolum gulæ. p.977
Colloquium linea amoris impuri. p.925
Colores. p.896
Columbæ cur dicatæ Veneri, & vehentes Veneris currum. p.926
Columbæ cur symbolum castitatis conjugalis. p.1287
Comæ. p.939
Coma symbolum mollitiei. p.1162
Comædiæ. p.943
Concha marina cur dicata Veneri. p.945
Concordia, & ejus utilitates. p.1015
Continentia. p.1289
Corpus navis, quid portat. p.880
Corpus puteus. p.874
Corpus asinus. p.875
Crapula. à p.980.& p.982.& 983
Crocodilus symbolum gulæ. p.977
Crux. p.1269
Crysolitus cur symbolum Eutrapeliæ. p.1262
Cucupha. p.1245
Cuculus cur symbolum adulterii. p.1287
Cupido cur dictus Herota. p.919
Cupido,& Cupidinis pharetra, et Cupidines quomodo figurati. p.919.et 954
Cupido cur cœcus. p.962
Currus luxuriæ. p.1010
Currus quid signat. p.1210
Cyclopes quid signant. p.842

Cy-

Cygnus suprà altare quid signat. p.1143
Cyprus cur dicta insula Veneris. p.945

D

DEos jurare per palludem Stygiam quid signabat apud Ethnicos.p.1007.ex errore impressoris. 10007
Desiderii causæ, effectus, et medicinæ morales contrà desiderià immodica. à p.1020
Desiderium, et hujus symbola. p.1018
Desperatio, ejus causæ,effectus,remedià contrà eam, et symbolum desperationis. pag. 1082. usque ad 1087.
Diana, et Phœbus cur dicti Jovis, et Latonæ filii. p.1008.ex errore impressoris 10008
Dii marini à priscis cur dicti lasciviores.pag. 946
Diis à quibus dicebat Plato regimen manare imperii. p.1241
Dolati remi quid. p.1177.et 1178
Dolor unde dictus. p.1072
Dolus quot modis acceptus. p.1178
Duodecim lapides Rationalis summi Sacerdotis, et quid signant. à p.1227
Duodenarius numerus, et duodecim margaritæ, duodecim portæ, duodecim fontes, duodecim lapides, duodecim stellæ quid symbolicè signent. à p.1211

E

EBrietas, et contrà eam medicinæ morales. à p.993.usque ad 1010.
Ebrii castigatio. p.1005
Effectus amoris. p.906
Elementa quatuor quarum passionum symbola. p.896
Elephantus fugit, si videat porcum, et caprum. p.1025
Elephanti cur symbola castitatis conjugalis. pag. 1287
Empusæ. p.836
Eruca est Veneris concitatrix. p.948
Eubulia. p.1023
Evacuatio moralis sanguinis. p.965
Eutrapelia. p.1262.et 1264
Exhilarans confectio triplex. p.969

F

FAbæ pro suffragiis. p.949
Faba significabat in profanabile Numen. p.949
De fabis eruditiones. à p.949
A fabis abstinendum,Pythagoricum symbolum explicatum. à p.949
Fabæ sterilitatem causant. p.952
Faba symbolum vanitatis. p.952
Faba melancholicus cibus. p.951
Fabæ symbola muneris Iudicialis. p.950
Faba in sensu bono symbolum justitiæ.p.950
Faba reputata inter funesta. p.951
Fabæ est vis purificandi. p.950
Faba fœcundat terram. p.950
Facetia. p.1264
Fatum. p.1222
Fauni. p.833.et 1219
Febris symbolum amoris inordinati. p.918
Febris symbolum ambitionis. p.910
Fictio. p.1167
Fœminæ symbola. p.927
Follis symbolum superbiæ. p.1290
Fons symbolum justitiæ. p.1240
Formicæ quomodo fuganda. p.1134
Fortitudo, ejus symbolum, actus, partes. à p. 1265.usque ad 1268.
Fumus cur symbolum superbiæ. p.1290
Furiæ, & flumina inferni. à p.846.& 849.& 850.
Furiæ cur dictæ noctis filiæ. p.851

G

GAllus quorum vitiorum symbolum, & cur dictus Martis pullus. p.835
Ganymedes quid signat. p.1154.& 1157
Gaudium passio. à p.1026
Gaudii passionis causæ, effectus, & medicinæ morales contrà immodicum sensibile gaudium. à p.1029. usque ad 1036
Gaudii symbola. p.1028
Gaudii symbolum humor sanguineus. p.894
Gigantes, & quid innuat de eis figmentum. pag. 1219
Gigantes signant ambitiosos, & superbos. pag. 910.& 911
Glis cur symbolum pietatis. p.1245
Gloria vana. p.1277
Gorgones,& Grææ quid indicant. p.913
Gorgones tres, unum habentes oculum,quid signant. p.1242
Gradus virtutum, & vitiorum. à p.1171
Gratia passio. p.886
Gratiæ cur figuratæ cum Venere. p.937
Gratiæ. p.1240.& 1252
Gratitudinis symbola, & de gratitudine.pag. 1253.& 1254.
Gratitudo leonis, & aquilæ. p.886. & 887
Grues symbola amici falsi. p.1255
Gula, & ejus symbola plura. p.1286.& 977
Gula nocet animo,& corpori. p.980
Contra Gulam medicinæ morales. à p.980 usque ad 1010.
Gutta aquæ. 1261
Guttur symbolum gulæ. p.978

H

HAbitus animi. p.1208
Homo impurus vitandus. p.961
Hederæ occulta vis,& cur dicata Baccho.pag. 995.
Hercules cur dictus filius Jovis. p.1151
Hercules Gallicanus quomodo figuratus. p. 1140.& 1141.
Hercules cur figuratus nudus,vultu fusco colore, rugoso,crispo. à p.1152
Herculis clava nodosa quid signat. à p.1152. & 1153.
Hercules cur fingitur, quod in exordio mœstus susceperit pericula, & pugnas contrà monstra. p.1154

Herculis cla va cur licèt gravis ; jàm ab ipso erat moveri facilis. à p.1154
Herculis insigne pellis leonis quid signat. p. 1157
Hercules cur dictus ex laboribus relatus inter Deos. p.1157
Herculi cur dicatæ ædes Dorico opere.p.1158
De Hercule, & Omphalià. p.1159 & 1160
In Herculis pharetrà plures sagittæ sociæ quid signant. p.1183
Herculis aureæ catenulæ quid signant.p.1184
Herculis arcus quid signat.p.1185.& 1188.& 1189.
Herculis calvities,& senectus Herculis,ei caput leonis pro galeà, ejus pharetra cum sagittis accincta quid signant. à p.1189
Herculis clava ænea quid signet. p.1177.& 1196.& 1197.
Herculis tres clavæ quid signent. p.1171.& 1176.
In Herculis calvitie capilli cani quid signent. p.1164
Hercules calvus,& nudus quid signat.p.1160
Hercules serviens Omphaliæ , & cum colo, & fuso quid signat. p.1158
Herculis frequentes labores, & repetiti quid signent. à p.1204.& 1207
Herculis clava ex quercu quid signet.p.1204 & 1207.
Hercules,occidens serpentes in cunà,quid signet. p.1208.& 1210
Hercules item purgans stabulum Augiæ quid signat. à p.1208
Hercules repetitis ictibus occidens Leonem Nemæum quid signat. p.1221
Hercules puniens Cacum , & Lucinum signat justitiam vindicativam. p.1246
Hercules,educens ab Orco Cerberum trifaucem, quid signat. p.1249
Hercules, suffocans,Leones signat rationem, reprimentem sensum. p.877
Hercules,occidens Hydram multorum capitum,quid moraliter signet. p.917
Hercules, fugiens Syrtes anguipedes, quid signat. p.922
Hercules, è terra attollens gigantem Antæum,quid signet. p.1020.& 1022
Ab Hercule puniti pigmæi quid innuant. pag. 1097
Hercules signat virtutem. p.1137.& 1139.& 1140.& 1142.
Hercules physicè, & moraliter. p.1137. 1138
Herculis 12. labores quid physicè signent. p. 1137.
Hercules quot.
Hercules historicè. p.1137
Hercules philosophus. p.1138
Quæ Hercules vicerit monstra , & quæ ista moraliter erant. p.1138.& 1140.& 1142
Hercules ille heros, sic verè dictus , & verè hoc nomine dignus, fuit S. Patriarcha Abraham. p.1141.& 1143
Hercules,Cerberum ab inferis educens ad auras,quid signet. p.1143
Hercules unus inter 12. præcipuos Deos Ægypti. p.1143
Hercules vincens Geriones tricorpores, purgans stabulũ Augiæ, ferens aurea mala ex Hesperidum hortis,quid indicet.p.1140.& 1141. & 1144.
Ab Hercule ille sopitus draco potest signare Pharaonem. p.1144
Hercules, catenulis aureis trahens multitudinem,quid signat. p.1140.& 1145
Hercules, humeris sustentans cœlum quid signet. p.1145
Hercules ille unde oriundus. p.1143
Hercules, in cunà suffocans serpentes , quid signet. p.1145
Hercules, eruditus à Chirone,quid signat. p. 1147.
Plura de Hercule . à pag. 1137. usque ad 1148.& ultrà.
Herculis simulacrum erat hieroglyphicum virtutis. p.1148.usque ad 1150
Hercules occidens Diomedem , & Busiridem quid signat. p.1258
Hercules,occidens Hydram,quid signat.pag. 1259.
In Herculis manu clava quid signat. p.1265
Hercules,superans monstra,quid signat. pag. 1265.
Hercules signat completos fortitudinis actus. p.1270
Heros unde dictus. p.1177.& 1179
Hircus Mendesius. p.833.& 834
Hirundo cur symbolum amici falsi. p.1255
Homo inclinat maximè ad proprium bonum. p.1193
Hœdi quid signant. p.833
Honestas. p.1285
Honores. p.1280.& 1281
Humanitas. p.1248
Humilitas. p.1289
Humores. p.878.& 891
Hyacinthus signat finem infaustum libidinis . p.928.& 930
Hydra symbolum ambitionis. p.910
Hydra symbolum amoris inordinati proprii pag. 917
Hydra quot dicitur capitum. p.1160
Signat vitia. p.1246
Hydropesis symbolum amoris inordinati propriæ personæ. p.916.& 917
Hydropesis quid sit, & ejus species. p.916.& 917.
Hydra cur dicitur educata ad fontem sub platano. p.1160
Hypocrisis, & contrà eam. à p. 1161. usque ad 1163.
Hyssopus quid signet moralitèr. p.912

I

Icarus. p.911
Ignis symbolum amoris. p.897
Invidia passio. p.886
Invidia in rigore æthimologico non statim, & ex terminis, ac invidia est vitium , & quomodo id explicatum. p.887.& 888
Invidiæ vitiosæ plura symbola. p.1120
Invidiæ vitiosæ causæ, effectus, actus, filii,filiæ,& medicinæ morales contrà hunc animi morbum. p.1120
Invidiæ hieroglyphica Furiæ , Hydra , Harpyæ. p.1122
Ira propriè non est in Deo. p.1097

Ira duplex. p.1098
Ira vitiosa, & odium in quo differant. pag. 1100
Iræ causæ, & effectus. p.1100.& 1101
Ira triplex. p.1100
Iræ symbola plura. p.1103
Contrà Iræ immodicæ morbum medicinæ morales. p.1105
Contrà iram medicina physica symbolum medicinæ moralis. à pag. 1107. usque ad 1111.
Cum iracundo non vivendum. p.1111
Iracundus quomodo placandus ex praxi physicâ medicâ in caniculâ. p.1111
Isaac. p.1171.& 1174
Ixion. p.1220

J

JAnus signat prudentiam. p.1230
Jaspis signat Epicceiam. p.1230
Jaspis cur symbolum magnificentiæ. p.1279 & 1280.
Jocus linea amoris impuri. p.924
Jovis simulacrum sine auribus quid innuat. pag. 1241
Jovis templum cur tecto perforato. p.1239
Judices admonentur. p.950.& 951
De judicibus inferni figmentum quid intendebat. p.1219
Judex ignarus per Midam. p.1241
Justitia, & hujus symbola, & Emblemata. pag. 1239
Justitiæ partes integrales, & potentiales. à p. 1242. usque ad 1247.
De justitiâ vindicativa scelerum, & ejus hieroglyphicum Nemesis. à p.1122. & item 1246

L

LAmiæ. p.836
Lampodophoria. p.851
Lanceæ tres Ioab. p.871
Lapides dolati quid. p.1178
Lapides templi. p.1183
Lapides in arcu. p.1184
Lectio impudica vitanda. p.945
Legumina. p.949
Leo symbolum gulæ. p.978
Leo dilaniat leænam, si odoret adulteram. pag. 886
Leo serpente coronatus quid signat. p.1265
Leo abscissis cruribus, quid indicat. p.1275
Leonis gratitudo. p.887
Leo cur magnanimitatis symbolum. p.1275
Leo fugit suem. p.1025
Lepra. p.911
De Liberalitate. à p.1249
Licaonis fabula. p.1259
Libidinis symbola. p.929
Libido unde dicta. p.915
Libitinæ in templo funebres apparatus. pag. 930
Ligna lævigata quid signant. p.1177.& 1178
Ligurius. p.1265
Locusta symbolum gulæ. à p.977
Ludus linea amoris impuri. p.924
Luna symbolum tristitiæ. p.896
Luna index portionis inferioris hominis. à pag. 840
Lunæ plura simulacra. à p.840
Lupus. p.977
Luxuria, & unde dicta, & in qua ætate, & in quibus ardentior. à p.914
Luxuria turpior in sene. p.915
Luxuriæ currus. p.1010
Lynx apud Bacchum quid signet. p.1007. ex errore impressoris 10007.

M

MAgnanimitas, & ejus symbolum. à p. 1271. usque ad 1276.
Malus arbor symbolum amoris. p.953
Mansuetudo, & ejus symbolum. p.1258. & 1289.
Maxilla quid signet. p.980
Medicinæ morales, sive Moralia remedia. p. 880. usque ad 885.
Medicinæ morales contrà amorem Venereum. à p.907. usque ad 976
Medicinæ morales, contra amorem inordinatum voluptatum gustus, sive gulæ. à p. 980. usque ad 988.
Medicina moralis contrà amorem inordinatum vini. à p.993. usque ad 1002. ex errore impressoris 10002.
Medicina physica contrà amorem impurum est symbolum Medicinæ moralis. à p.963. usque ad 976.
Medicinæ morales, sive moralia remedia contrà amorem inordinatum sui, divitiarum, dignitatum, voluptatum sensus. à p. 907. usque ad 914.
Medicina moralis contrà morbum odii. à p. 1014. ex errore impressoris 10014. usque ad 1018.
Medicinæ morales contrà morbum immodici gaudii. à p. 1029. usque ad 1036
Medicina physica contrà morbum immodici gaudii est symbolum medicinæ moralis contrà illum. à p.1032
Medicinæ morales contrà morbum immodicæ tristitiæ, *quia* in mundo non felix. p.1038. *quia* non dives. 1041. *quia* pauper. 1042. *quia* infortunia, & calamitates urgent. 1043. *quia* infirmus. 1044. *quia* cæcus. 1045. *quia* surdus. 1046. *quia* olfactu cares. 1047. *quia* gustu cares. 1048. *quia* tactu cares. 1049. *quia* mutus. 1050. *quia* mancus. 1051. *quia* claudus. 1051. *quia* deformis, pusillus, & gibbosus. 1052. *quia* contumelias, & vituperia, & infamiam pateris. 1054. *quia* filius mortuus est, & mortui sunt chari. à p.1056. *quia* vindictam appetis. 1058. quia mors imminet. 1059.
Item medicinæ aliæ morales contrà morbum immodicæ tristitiæ. p.1061
Medicina physica contrà morbum immodicæ tristitiæ est symbolum Medicinæ moralis contrà ipsam. à pag. 1063. usque ad 1072.
Medicina alia moralis contrà immodicam tristitiam. à p.1072

Medicinæ morales contrà immodicam ſpem à pag. 1081
Medicina phyſica contrà deſperationem eſt ſymbolum Medicinæ moralis contrà eam. pag. 1083. uſque ad 1088.
Medicina moralis contrà immodicum timorem. p. 1092
Medicina phyſica contrà immodicum timorem eſt ſymbolum Medicinæ moralis. à p. 1093. uſque ad 1095.
Medicinæ morales ad moderandam audaciam. p. 1096
Medicinæ morales contrà immodicam iram à pag. 1105
Medicina phyſica contrà immodicam iram eſt ſymbolum medicinæ moralis contrà ipſam. à p. 1107. uſque ad 1111
Medicinæ phyſicæ ſymbologia cum Medicinà morali. p. 1129
Medium, in quo conſiſtit virtus. p. 1187
Meduſa. p. 960
Melancholici affectiones. p. 893. & 894
Mendacium. p. 1167
Menſtrua in ſacris literis quid ſignent. p. 968
Menſa Sybaritica, & Syracuſana. pag. 977. & 980.
Mercurius triceps. p. 1230. & 1021
Mercurio cur immolabant lacte, non vino. pag. 1004
Meretricum hieroglyphica. à p. 931
Meretrices deſcriptæ à Salomone. p. 931
Meridies. p. 1189
Metalla quatuor quorum ſymbola. p. 896
Midas. p. 1241
Minerva. p. 877
In Minervæ manu lancea. p. 1265
Minerva cur dicta ex capite Iovis nata. pag. 1151. & 1152.
Minotaurus. p. 832
Mirthus cur dicata Veneris. p. 938
Miſericordiæ ſymbola. p. 1118
Miſericordia. p. 1256
Miſericordia ut paſſio. p. 886
Moderatio. p. 1289
Modeſtia. p. 1289
Muræna cur ſymbolum adulterii. p. 1287
Myrrha ſymbolum pœnitentiæ. p. 884

N

NArdus ſymbolum humilitatis, & cur. pag. 1290
Narciſſus. p. 907
Navis Bacchi, p. 1001. ex errore impreſſoris 10001.
Nemeſis, & ejus inſignia, hieroglyphica juſtitiæ punitivæ. à p. 1122
Nemeſis ſignat omnem virtutem. p. 1240
Neptunus. p. 1005. & 1008. ex errore impreſſoris 10008.
Nereidum fabula quid innuit. p. 929
Nereidum una cur dicta mutata in piſcem. pag. 947
Niobe. p. 1244
Noctua contraria cornici. p. 1160
Noctuæ ova remedium contrà ebrietatem. pag. 1009
Noctua ſymbolum mortis, dicata Minervæ. pag. 1160
Noe. p. 958
Noe poſt diluvium Magiſter publicus, docuit, Chriſtum eſſe venturum, erexit, ubi erat poſteà ædificanda Roma, illud templum dictum Jani. p. 1149. & 1150. & in fine primi tomi, & in cap. 1. tomi hujus.
Noe cur adoratus ab idolatris ut Deus, pag. 1150
Nudus fugiens quid ſignat. p. 1163
Nuditas quid ſignat. p. 1163
Nux picea quid ſignet. p. 1261
Nymphæ quid ſignent. p. 1005. & 1007. ex errore impreſſoris 10007. & 1219
Nymphæ cur dictæ nutrices Bacchi, & Bacchus cur dictus temperandus Nymphis. p. 1004.
De Nymphis eruditiones. p. 1007. & 1008. ex errore impreſſoris 10008.

O

OBedientia. p. 1247
Obſervantia. p. 1247
Occaſio peccati fugienda. à p. 957
Oculi moderandi. à p. 919
Oculus ſymbolum Prudentiæ. p. 1229
Odium paſſio, ejus ſymbola, cauſæ, effectus, & medicinæ morales contrà vitioſum. à p. 1010. uſque ad 1018.
Odi ſymbolum bilis atra. p. 892
Oliva inimica viti. p. 998
Onocentaurus. p. 837
Onocrotalus ſymbolum gulæ. p. 978
Onychinus quid ſignat. p. 1271. & 1274
Opus Jonicum, Doricum, Corinthium. pag. 1158.
Oreades. p. 1219
Orpheus. p. 877
Os, adhærens carni, quid ſignat. p. 890
Os rotundum quid. p. 980
Oſcula linea amoris impuri. p. 926
Oſcula fœminæ oſcula baſiliſci. p. 926
Oſtrea ſymbolum libidinis. p. 945
Oſtrea item cuius ſymbolum. p. 839
Otium. p. 936
Ovis ſymbolum manſuetudinis. p. 1258

P

PAllas Tritonia. p. 1230
Pallium quid ſignat. p. 1209
Palma. p. 1240
Pandora. p. 987
Panes. p. 833. & 834
Panthera. Vide *Bacchus*.
Parcæ, & cur noctis filiæ. p. 851
Paſſer fulvus. p. 948
Paſſionum definitio, & nomina. à p. 854.
Paſſionum inordinatio unde, & ſignatæ per Meduſam, Pandoram, Furias, Parcas, & Flumina inferni. à p. 846
Paſſiones inordinatæ pœna primi peccati; latè à S. P. Auguſtino explicatur. à p. 851
Paſſionum cauſa efficiens. à p. 857
Paſſionum cauſa materialis, formalis, & finalis. à p. 859

Paſ-

Passiones animi cadunt in sapientem virum. à p.862
Passiones quæ sint propriæ sapientium. à p. 866.
Passiones inordinatæ indicatæ per vepres, turbines, pedes, calcaneum, uvam fellis. à pag. 870
Passiones quæ inordinatæ tres per tres lanceas Joab. à p.870.& 871
Passiones subijciendæ rationi rectæ. à p.872 & 877
Passionum symbolum ignis. p.803
Passiones principales sunt duodecim. à pag. 883.
Passiones minus principales sex. pag.886. & 1114.
Passiones quatuor principaliores inter sex passiones appetitus sensitivi concupiscibilis. p.889
Relatæ passiones quatuor per quæ symbola. pag. 891
Passiones quatuor principalissimæ utriusque appetitus. p.889
Passiones eædem quatuor principalissimæ per quæ symbola. p.897
Passiones duodecim principales indicatæ per duodecim socios Ulyssis, & per duodecim labores Herculis. p.890
Passionum duodecim ordo. à p.901
Quæ passiones indicentur per Furias, & Harpyas. p.1127
Quæ passiones sint perniciosiores. p.1127
Patientia. à p.1072 & 1268 & 1269
Pavo symbolum prodigalitatis. p.1253
Pectora nuda reprehenduntur. à p.936
Pedes. p.871
Pegasus alatus quid signat. p.1154.& 1157
Pellicanus. p.1245
Perseus. p.1246.& 877.& 881
Perseverantia. p.1268.& 1269
Petere à Deo justa. p.
Phaeton quid signat. p.911
Philosophi Ethnici caruerunt virtute morali heroicà. p.1177.& 1180
Philosophia moralis facultas medica animi. pag. 880.& 882
Phœbi, & Pan certamen. p.1241
Phylotimia. p.1280
Picturæ lascivæ abijciendæ. p.947
Pietas. p.1245
Pigmei puniti ab Hercule quid signant. pag. 1097.
Pigmenta calida libidinem irritant. p.948
Pilosi apud Isaiam quid. p.834
Pisces pinnulati, & non pinnulati quid signent. p.945
Pisces tale quale symbolum animæ nostræ. pag. 946
pisces libidinem immodici incitant. p.946
pisces hieroglyphicum gentium. p.946
A piscibus abstinendum, Pythagoricum symbolum quid indicat. à p.945
pituita. p.895
planetæ. p.896
platanus symbolum deliciarum carnis. pag. 1160.
plumbum symbolum odii. p.897
præsumptio. p.1277
Portio superior, & inferior hominis. p.840
prudentia, & ejus symbola, emblemata, partes. à p.1228
pudicitiæ symbolum. p.1288
pudica planta cur symbolum puellæ Virginis. p.1288
pulvis signat affectus pravos. p.875

Q

Quaternarius numerus. à p.1213
Quercus cujus virtutis symbolum. p. 1265.& 1266

R

Ratio per quæ significatur. p.875
Ratio colonus. p.874
Ratio eques, sensus equus. p.875
Ratio medica passionum animi. p.879
Ratio signata per Ulissem. p.887
Ratio per Abraham. p.890
Rationale summi Sacerdotis. p.1185
Rhaibarbarus symbolum virtutis. p.924
Rhinoceros cujus virtutis symbolum. p.1275 & 1276.
Regula de agibilibus humanis. p.1232
Religio, & ejus symbola, & Emblemata. p. 1242.
Remedia moralia, vide in literà M, Medicinæ Morales.
Remi dolati quid. p.1178
Risus linea amoris impuri. p.924
Rosa cur dicata Veneri. p.938
Rubus symbolum odii. à p.1014
Rupes cujus rei symbolum. p.1265.& 1266

S

Salomonis sapientia. p.829
Saltationes amori impuro sunt sociæ. p. 941.& 942.& 954.& 937.
Sanguineus humor symbolum gaudii. p.894
Sardius cur symbolum temperantiæ. p.1283
Saturnus. p.944. & cur symbolum pigritiæ. p.1278.& cur symbolum odii. p.896.
Satyri. p.833.& 834
Scabies symbolum ambitionis. p.911
Scylla, & Charybdis quid signent. p.1189
Scylla symbolum avaritiæ. p.1253
Scylla. p.837
Scylla signat meretricices. p.931. & 935
Senectus symbolum prudentiæ. p.1164
Serpens quorum vitiorum index. p.836
Sileni quid signant. p.1001. & 1002. ex errore impressoris 10002.
Sisyphus. p.1220.& 1258
Simia symbolum amoris inordinati proprii. pag. 907
Simulationis species. p.1165
Sirenes signant meretrices. p.931.& 934
Sirenes unde dictæ. p.934
Sirenes cur dictæ natæ taurino Acheloc patre. p.934
Sirenes cur dictæ habitantes in floridis campis. p.938
Sirenes quæ alia innuant. p.836

Si-

Sirenes cur alatæ. p.962
Sirenum mater. p.937
Sirenum fabula. p.933
Sirenum officia. p.937
Sirenes tres, earum nomina quid signent. p. 933.& 937.& 938.
Smaragdus cur symbolum ingenuitatis, sive veritatis. p.1259
Sobrietas. p.1286
Sol, & Luna quid signent. p.839
Sol symbolum gaudii. p.896
Sol signat medium in quo consistit virtus. p. 1189.
Solis ædes cur rotumdæ. p.1240
Speculum Salomonicum pro privatò personę regimine. p.1235
Specula Veneri socia. p.955
Spes, & Spei symbola,& utilitas. à p.1076
Spes vera in Deo. p.1079
Spei vanæ symbola. p.1080
Spei sensibilis causæ, & effectus. pag.1081.& 1082.
Contrà spem immodicam sensibilium bonorum medicinæ morales. p.1081.& 1082
Sphinges quid signant. p.836.& 931.& 934.
Spinæ. p.871
Stationes anni. p.896
Striges. p.836
Studiositas, & pro studiosis, sive pro juventute studiosà plura. à pag.1290. usque ad 1312
Superbia, & ejus symbola. p.1289. & 1290
Sylvani. p.834.& 1219
Symbolum Pythagoricum, Ne degustaris ex his, quibus est nigra cauda, explicatum. pag. 1218.& 1219
Symbola Pythagorica pro prudentià. p.1237

T

TActus linea amoris impuri. pag.926.& 927
Taurus quorum hieroglyphicum. p.832
Terra cujus symbolum. p.1028.& 897
Themis. p.1239
Theseus. p.1221
Thisbis. p.930
Thirsus. p.995
Tigris symbolum feri, iracundi,&c. p.838
Topazius symbolum affabilitatis. p.1260
Tricipitia Mercurii, & Apollinis. p.1230
Tristitia, & effectus,& symbola, & medicinæ morales contrà tristitiam immodicam. à pag. 1026. usque ad 1075
Triton. p.835
Tunica animi, p.1209
Turtures cur symbola castitatis conjugalis. pag. 1287
Turtur symbolum saltationis. p.937
Typhon. p.1220

V

VAccæ. p.1185
Veneri cur sociæ Gratiæ. p.937
Venus compedita quid signat. p.937
Veneris currum cur vehebant Cygni. p.937
Veneri cur dictus charus Adonis. p.939
Veneri cur sociè mirthus, & rosa. p.938.& 939.
Veneris sub tutelà cur dicti horti. p.938
Veneri cur sociæ Horæ. p.938
Venus cur dicta è spumà maris nata. p.944 & 945.
Veneri cur dicata concha marina, cur dicta è concha nata, cur in concha ad Cyprum vecta. p.945.& 946
Venus, cur dictum, quod latuerit in pisce. pag. 947
Venus, occultans inter lactucas Adonim occisum ab apro, quid signat. p.948
Venerem reprimunt palumbes torquati. p. 948.
Venerem excitat passerum esitatio. p.948
Veneri cur dicatum pomum ex arbore dictà malus. p.954
Veneri quæ socia. p.954
Venus cur figurata cum speculo. p.955
Veneris pulveres cur dicti Cypri. p. 956.& 957.
Veneri, & insaniæ idem nomen apud Græcos. p.961
Veneris currui cur animalia alata. p.962
Venter symbolum gulæ. à p.977.
Ver. p.1028
Verecundia. p.1285.& 1117
Vestis. p.1208.& 1209.& 1210
Via lactea. p.1184
Vindicta justa per Ulyssem. p.1017
Vini amor inordinatus,& symbola, & medicinæ morales contrà illum. à p.993.usque ad 1009
Vinum immodicum inimicum scientiæ, & consilio. p.998
Vinum modicum utile,et symbola.à p.1003
Vinum, mixtà aquà. à p.1003
Vinum unde dictum. p.1004
Vina sint ne diluta aqua,quomodo aperiendum.p.1008. ex errore impressoris 10008
Viola. p.1289
Vir unde dictus. p.1275
Virilia Saturni. p.944.et 945
Virtutis definitio. p.1131
Virtutis symbola, hieroglyphica, Emblemata. p.1132
Virtutis symbola ex sacris chartis. p.1136
Virtus nomine Herculis. p.1137
Virtus à Deo. p.1151
Virtus in arduo. p.1152.et 1158
Virtutis aliud hieroglyphicum. pag.1154.et 1156
Virtutis domicilium ubi dictum. p.1159
Virtus sit vera, non larvata. p.1160
Virtus sit simplex, sed non simplicitate incautà. à p.1164
Virtus heroica,et per quæ symbola.à p.1177
Virtus Moralis heroica non fuit in illis Philosophis Ethnicis. p.1177.et 1180
Virtutes morales in statu perfecto sunt connexæ. à p.1180
Virtutes sunt concatenatæ. p.1183
Virtus moralis consistit in medio. à p.1185
Virtutes intellectuales etiàm consistunt in medio. p.1188
Virtutum moralium subjectum. à p.1189
Virtutis triplex gradus. p.1171

Vir-

Virtus difficilis. p.1152
Vittus non ità difficilis, ut apparet. p.1154
Virtus non potest elicere actus malos. à pag. 1196.
Virtus moralis quoad perfectionem non est nobis à naturâ. à p.1200
Virtus moralis est habitus acquisitus. à pag. 1204.
Virtutum habitus induendus. p.1208
Virtutis habitus per quæ symbola. à p.1204.
Virtutum seminaria quomodo plantanda. p. 1208.
Virtutum numerus. à p.1211
Virtutes Cardinales, & per quæ symbola. à pag. 1213
Virtutes Cardinales quare dictæ Cardinales, pag. 1215
Virtutes morales Cardinales per Theologicas valorandæ. p.1217
Virtus, & vitium opponuntur ex naturâ rei. pag. 1218
Virtutes morales duodecim principales, & per quæ symbola. p.1217
Visus origo amoris impuri. p.919
De vitiis in genere, & per quæ symbola. à p. 1218.
Vitia punienda. à p.1218
Vitium habituale difficile expelli. p.1221
Vitia non insunt nobis à naturâ, sunt voluntaria. p.1221
Vitiorum necessitatem non inferunt corpora cœlestia, nec naturale tempermentum. à pag. 1221
Voluptates sensus. à p.912
Volupia obvia Herculi quid signat. p.1156
Voluptuosa vita, & ejus damna. p.984
Volupia, & dolor cur simùl. p.930
Voluptates gustus inordinatæ, & contrà eas moralia remedia. à p.977. usque ad 1000.
Vulcanus. p.1219
Vltio justa. à p.1014. & 1017
Vmbilicus præcisus quid signat. p.1178
Vultur symbolum justitiæ. p.1240
Vpupa symbolum ebrietatis. p.1009
Vrsus symbolum gulae. p.977
Vrtica symbolum fœminæ. p.927

Z

Zelus. p.1115
Zelotypia. p.886
Zerus. p.1289. & 1290
Zona quid signat. p.1209

FINIS INDEX II. TOMI.

ERRATA SIC CORRIGE.

P. signat paginam *L.* signat lineam.

Pag.840. incipit linea *quia*, obcœnitas; legas *obscœnitas.*
Pag.841. incipit *L.na*, insusus; legas *infusus.*
Pag.842. *L.* incipit *tem*, æntitatem, sive æntitative; legas entitatem, entitativè.
Pag.874. *L.* incipit *soli*, animæ, legas *anima.*
Pag.887. *L.* incipit *passeris*, ed rapinam; legas *ad rapinam.*
Pag.888. *L.* incipit *petitus*, sensitivus; legas appetitus *sensitivi.*
Pag.890. *L.* incipit *fuere*, ipsit; legas *ipsis.*
Pag.896. *L.* incipit *plurimum*, in fœmis; legas in *fœminis.*
Pag.898. *L.* incipit *strum* pertitus, legas *partitus.*
Pag.914. *L.* incipit *liante*, invacantibus; legas *invocantibus.*
Pag.899. *L.* incipit *lat*, tempure; legas *tempore.*
Pag.924. *L.* incipit *ad*; legas *ab.*
Pag.1018. in lineà ultimà, si desideria spiritualia sint bona; legas, *cum desideria spiritualia sint bona.*
Pag.1041. *L.* incipit, *gibbum.* divitiàrus; legas *divitiarum.*
Pag.1048. *L.* incipit CUR, gustuo caro; legas *gustu careo.*

Alia errata facilè compatietur lector, si sit expertus, quantus sit angor cum ignaris, & ignavis impressoribus agere.

Pag.929.l.incipit *dum*, sic impuritas sola cum morte terminat, legas ly *solà* in ablatiuo, concordat cum ly *morte*, non cum nominatiuo *impuritas*; nam non sola impuritas, sed alia vitia, si non præcedat pœnitentia, solà cum morte terminant; quare ibi impressor sic debuerat impressisse, *impuritas sola cum morte terminat*, addendo superiùs apicem indicem ablatiui in ly solà.

SYMBOLA PYTHAGORICA ALIQUA IN OPERE NON EXPLICATA.

Arna à muliere ſubminiſtrata reiicienda; ideſt, non ſumendos eſſe animos à fraude, vel effœminatà aliquà conſuetudine.

In tenebris abſque veſtitu aliquo non vadendum; hoc eſt nudam, & apertam ſententiam in obſcuris rebus non proferendam.

Progredienti gregi è via cedendum; ideſt, multitudini non ſe opponendum.

Quæ ceciderint, non tollenda; ideſt antiquas conſuetudines non novandas.

Euntem non retrò verti oportere; hoc eſt, metu mortis curſum vitæ non perturbandum, & viam virtutis ingreſſum, pœnitere non debere.

Dei imaginem in annulo non circumferendam; ideſt, de divinis parcè differendum eſſe, vel divina non ſcrutanda.

Aves recurvis unguibus abigendas; hoc eſt, paratos ad rapinam excludendos.

Scipiam piſcem non edendam; hoc eſt, res implicitas non recipiendas; ille enim piſcis multiplicitèr ſe implicat, ne capiatur.

In limine non conſiſtendum; ideſt, in ambiguâ ſententiâ non commorandum.

Muſtela è tranſverſo offensâ, retrò cedendum; hoc eſt, homines delatores, & ſuſurrones fugiendos, nam muſtelam ore parere affirmant.

Colubrum intrà ædes collapſum non perimendum; ideſt, hoſpitem, quanquam nocivum, humanitèr tractandum.

Lapidem in fontem jacere ſcelus; ideſt, in eum, qui operam det utilitati publicæ, durum aliquid iniicere ſcelus.

Lumen poſt caput appenſum detinere, flagitium; hoc eſt induſtriam, prudentiam, ſcientiam, virtutem non in poſtremis habenda.

In ſacrato ſepulchro dormire periculoſum; id eſt, res ſuperis conſecratas ad voluptatem, & ſocordiam non ſuſternenda.

Minuta panis pedibus conculcare, turpe; hoc eſt, quamvis minimam degendæ vitæ rationem non peſſundandam.

Egredienti, ingredientique valuas exoſculandas; id eſt, initia, & fines actionum, & inſtitutorum complectenda.

De rhedâ, junctis pedibus, non exiliendum; id eſt, de ſtatu, in quo ſis, in alium, non repentè tranſeundum.

Facilius emoritur homo, cui oculi claudantur; id eſt, homo ex negligentia, & ignorantiâ facilius in miſeriam cadit.

Duorum temporum etiam maximè curam habendam, matutini, & veſpertini; id eſt, reflectenda, quæ acturi ſimus, & quæ geſſerimus.

Ex itineris diverticulo templum non ingrediendum, nec orandum; id eſt, Deo primum cultum tribuendum, non poſtremum.

Nudis pedibus ſacrificandum, & adorandum; hoc eſt, pro difficultatum modo, & animo libero, & fine affectibus vitioſis, ſive ſuperfluis.

De diis omnia credenda; id eſt, diuina non humanâ ratione metienda.

Linguam coercendam, Deum imitando; id eſt, linguæ imperandum.

Arriſu effuſo abſtinendum; id eſt, affectus immodicos reprimendos, ſcurrilitatem fugiendam.

Terram, cum tonat, tangendam; id eſt, ſit homo ſuæ mortalitatis memor, timeat iram Dei.

Onus ſimul tollendum, non ſimul deponendum; hoc eſt, cooperandum alicui ad virtutem, non ad ignaviam.

Melanuros non guſtandos; id eſt, cum improbis non habendum commercium.

Per viam publicam, non eundum; id eſt, errores vulgi non ſequendos.

Erychinos non edendos; id eſt, à ſanguine, & vindictâ abſtinendum.

Dentes non frangendos; id eſt, nemini obſtrectandum, aut maledicendum.

Gal-

Gallum nutriendum quidem, sed non sacrificandum; id est, milites, & bellatores (quorum symbolum gallus, quià pugnax) in Civitate habendos, sed non ad arcana admittendos.

Adoraturi sedeant; sessio est symbolum quietis, & permanentiæ; ergo indicat, adorandum cum animo quieto, firmò, & in optimis votis perseverandum.

Ne sacrificandum sine farina; id est, sacrificandum conscientià purà, & expurgatà, & ad innuendum id Hebræi, sacrificia farina, & oleo (symbolo charitatis) conspergere solebant; farina candida signat conscientiam mundam, & gentes molà, quæ fiebat ex farinà, & sale aspergebant capita victimarum.

A trigla abstinendum. Trigla piscis fuit dicata Dianæ, id est lunæ, quià lunà, eò quòd humida, expedit partus, trigla autem ter in anno parit, & per hunc piscem Dianam hieroglyphicè signabant, Græcè dicitur trigla, latinè *mullus* piscis, mullum piscem vulgò dicũt barbonem à *barba geminà*; hinc Pythagoras jubens, abstinendum à trigla, voluisse videtur, *abstinendum esse*, à violatione rerum sacrarum, & non esse (sollicitando abortum) impediendos partus. Item vinum, in quo suffocata est trigla, habet vim impediendæ Veneris, & huius usum adimit, item mulieri concipiendi facultatem invidet; quare jubere, *abstinendum à trigla*, est à Pythagorà admoneri, nec maleficiis, nec potionibus impediendam virtutem generatiuam, & in muliere conceptivam; sed quia trigla est fæcunda, & tamen impedit facultatem generàdi, & concipiendi, quatenus aliis impedit, est symbolum inuidi, qui sibi bona vult, aliis recusat; ergo *abstinendum à triglà* admonet abstinendum *ab invidia*.

Ne lites Diis ex vitibus non amputatis; vites non amputatę sunt symbola animi cum affectibus superfluis, & vitiosis; ergo admonet, corde puro sacrificandum.

Ignem gladio ne fodito; ignis est symbolum iræ, & gladius *linguæ*; ergo innuit, iracundum asperitate verborum non esse lacessendum; item nec verbo, nec facto provocandum, quòd ignem iracundiæ excitet. Item ignis est symbolum *potentis*, & Plotinus animas Principum dixit sulphureas, ad innuendum, quòd facilè concipiunt ignem iræ; ergo *ignem gladio ne fodito*, est symbolum monens, quòd persona potẽs, nec verbo, nec facto sit lacessenda, ne provocantẽ destruat; ideòque Flaccus Horatius dixit, præfato symbolo nos admoneri, *ne magnorum hominum indignationem adversùs nos provocemus, sive lacessamus*; imò procùl esse a potente occidere, est securitas, ideò proverbium, *procul à Jove, procul à fulmine*. Itẽ ignis est symbolum *vitę*, & apud Romanos Virgines Vestales igni præficiebantur, ne extingueretur, & capitale fuit apud veteres Persas, si Sacerdotes ignem extingui passi essent; innuebat ignis vitam, naturam; indicabant, curam adhibendam, ne vita extingueretur; igniſque *vi* extinctus, & *sponte* deficiens fuit hieroglyficum ad innuendum duplicem mortem, qua perire potest homo, vel *violentam*, vel *naturalem*; itaque symbolum illud, *ignem gladio ne fodito*, innuebat, nemini licere, se, vel alium occidere. Item *ignis* est simbolum *Dei*; quare illud symbolum innuebat, Deum non esse blasphemandum, nec gladio linguæ lacessendum, sed humilitèr adorandum. Item *ignis* est symbolum *Doctorum*, sive Sapientum, qui sunt lux Reipublicæ; est etiam ignis symbolum hominis, qui *ingenii*, vel *corporis* viribus præclara gesta egerit, quare Virgilius Æneid. lib. 10. *lumina tot cecidisse dolet*; est item ignis lucernæ hieroglyficum *lucubrationum virorum studiosorum*, & hùc celebrata lucerna Chleantis; est lingua symbolum detrahentis, & maledicentis; quare in illo symbolo *Ignem gladio ne fodito*, videtur Pythagoras admonuisse, linguas non esse acuendas contrà viros sapientes, & benemeritos in Republica, nec contrà eorum lucubrationes Momos, & Zoylos gladio maledicentis linguæ permittendos, imò puniendos.

66
53

11.232